Exp. 23
Aug 5a
No 8



BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA


MARIA IMMACVLATE CONCEPTA
LIBRI
ITATI
PHILIPPO. IIII.
Hispaniarum Regi Catholico
Novo Constantino Augusto
Mundi globum, hic Mariae sacrae ad firmitatem ponenti
Auctore P. Ioanne Antonio Velazquez Provin
ciali Societatis IESV in Provincia Castellana, et in Regio Collegio
Salmanticensi Sacrarum Litterarum olim interpretis.
Anno
Christiano
M.DCLIII

PHILIPPO IIII.
HISPANIARVM REGI CATHOLICO

Principi omnibus virtutibus heroicis insignito, & MARIÆ Immaculatè Conceptę studiosissimo.

Plinius.

LIBRVM de historiâ mundi Vespasiano Augusto dedicaturus Plinius maior (PHILIPPE REX Augustorum Maxime) illud ei reuerēter ingerebat. *Immensa prater cateras subit cura, vt quæ tibi dicātur, te digna sint.* Ego verò cum maioris mūdi munditiam, MARIAM dico Immaculatè Conceptam, quæ mundus Dei liber est, quà potui curà adornassem; animosius dixerim, immensam præter cæteras subire curam; vt non nisi ei dicarem, qui tantæ Reginæ ab omni labe immunitatem tueri, per dignus esset. Et quidem cum anxiè totum terrarum orbem hoc studio inambulassem, altius videbatur votum, quam quod mortalis cuiusquam fortuna expleret, nisi vna mihi Tua Maiestas inter omnes eminēter occurrisset; sub cuius vmbrà MARIA IMMACVLATE CONCEPTA opportunum nacta Patronum ab æstu aduersarum disputationum conquiesceret; quippè inuidiam, & mortalitatem imperio, & virtutibus supergressus. ò REX, dignus planè es, cui Virgo Augustissima se, honoremq; suum inter gentes cōmendet. Si enim magnam fortunam quæsiero, & fœlicissimam opulentiam, quis vnquam Regum per omnem retro reuolutæ ætatis memoriam, vtraque hàc laude fortunatius inclaruit? cū Maiestas Tua sceptris, virtute, & potentia

tià clariſsimo èmineat, ſubacto pœne terrarũ orbe adhuc Hiſpanum nomen horrente, nec indignante ſub illius, ditionem, & leges iuiſſe,

Virg. lib 6. Æne.

Nec verò Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit Æripidem ceruam licèt, aut Erymanthi
Placarit nemora.

Pacatus in Pan. Theod.

Quantum miles tuus Orientis, & Occidentis arcana ferro ſcrutatus, terrorem nominis, & arma circumtulit. *Et qui forsitàn ſunt Barbarorum, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint, nominis terrore perculſi, & velut adflati quieſcunt. Tua enim Imperij auſpicia, non hactenus gentes tremunt, quas ab orbe noſtro ſyluarũ inter valla, vel flumina, mõtesve diſtinguũt, ſed quas æternis ardoribus inacceſſas, aut continuà hyeme ſeparatas, aut interfuſis æquoribus abiunctas natura diſterminat. Non Oceano Indus: non frigore Boſphoranus, non Arabs medio ſole ſecurus eſt, & quò vix peruenerat nomen ante, Hiſpanum accedit Imperium:* Vtiã gloria imperiumque tuum, non niſi cum Naturà, & Orbe deſinant,

Claud. adſer.

vltra Alexandri, Cæſaris, Heroum, Monarcharum, Imperatorum nobilem metam Orientem Occidenti; Septentrioni Auſtrum Hiſpanà dominatione coniunxiſti in vnum fidei, quam T. M. deberent, Sacramentũ. Accenditur vtriuſque Solis innocentibus flammis PHILIPPI IIII. purpura: par orbi terrarum circulus caput coronat: In glatialibus littoribus Oceani, at terrarum orbis clauſtris firmatur PHILIPPI ſceptrum. In ſinu demũ noui ad occidentem orientis mundi PHILIPPI ſolium ſtabilitur.

Sub pedibus tegitur terra, fretumque tuis.

Sed, & vltra Herculis, & Liberi Patris trophæa victricia ſigna intuliſti, auſus victorijs cuncta terrarum oras peragrare, Soliſq; terminos bellico ſplendore tuo æquare, vt ſicut vltra ditionem tuam non habet iſte quà fulgeat, ita nec illę aliquid contineant Imperij tuì victoriarum expers. Ita plane eſt: nec enim ampliſsima Oceani, terrarumque ſcena magis Solis luce impletur, quam tuis triumphis. Quas non cottidie victorias tuas, ſuè in Belgio, ſuè in Italia, ſuè in

Gallia, ſiuè in Catalumnia non audimus? Quas non in dies exſpectamus? Quam non gentem forti pugnà nobilitaſti, aut clade? Per Europam, Aſiam, Africamque, & his omnibus parem Americam, perque Oceanum vniuerſum, & ſi quid vltra eſt, fœlicitatem tuam, & arma Religioni, & Bono publico militantia circunducis: ita vbique Victor longam feciſti, & continuam Victoriam.

Iam, ſi quod his eſt maius, & glorioſius, virtutes ſpectē; gaudent illæ in capaciſsimum Maieſtatis Tuæ Sacrarium admitti, & quæ per priuatos lares circunferebant exilium ab Aulis proſcriptæ, nunc à pietate tuà videmus in ſolio, faſcibus, & oſtro fulgere, vt non magis ſceptro emineas, quam virtute, immò verò virtutibus ſceptrum impleas cū verè non ſit minus prodigioſum, Principem ſine virtutibus, quam Solem mundo apparere ſine radijs. Sed enim cum Oraculum cenſeatur, quod Romanus Orator aſſeruit. *Frugi hominem dici, non habet multum laudis in Rege: fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largū, beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes:* Nihil vnquam profecto in Maieſtate tua de regijs laudibus desiderare qui vis potuit: quippè pulcherrimo compendio cunctæ tuo ornatui conſpirant, & circunfuſà acie immenſo fulgore confuſionis venuſtæ, æquali vndequaque illecebrà noſter rapitur obtutus, hęret animus: ac dum malè mereri de ſingulis veretur, niſi vnicuique admirationem impendat, Sacrum cūctarum cętum ſecurè veneratur. Quod ſi rem altius ſcrutari velimus: inueniemus profecto Maximos maiores tuos in te ſpirare, & quas ab ijs plura ſęcula ſparſere coronatas virtutes, & Auguſtas, in te collectas conſpici. Is enim tuendi Chriſtiani nominis ardor, eaque fęlicitas, quà Pelagius Hiſpanum a Mauris aſſeruit imperium: ea fortitudo, & conſtantia, quà Sanctij, & Ferdinandi ſeruarunt: ea magnanimitas, quà Alphonſi auxerunt: ea prudentia, & iuſtitia, quà gemina Hiſpani cęli ſydera Ferdinandus V. & Iſabella illuſtrarunt: ea potentia, & virtus, quibus Carolus in vtroque orbe propagauit.

M. Tullius ora. pro Deiotaro.

Claud. de 4. Honorij Conſ.

..... Laudes longe tranſgreſſus auitas
Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cœli
Clauſit opes.

Ea Religio, quà Philippi Auus, & Pater, qui in te potiſsimum auſpicatiſsimo quoque nomine toti elucent, cœlo extulerunt. Hæreditarij tui iuris magna, quidem nomina ſunt. In te cadit hæc à virtutibus nobilis linea. Quando verò infinitæ foret dictionis per omnia hęc Encomiorum argumenta ire, iuuat curſim ſaltem adorare, quod potiſsimum cęteris prodeſſe ex tuis ornamentis cernitur, Munificentiam inquam, Tuæ Maieſtati ingenitam, quam quia experimur vniuerſi, nemo boni conſulet, ſine laude præteriri. Quam eleganti ſplendore hoc aſtrum emicat in dotum tuarum cœlo! Quam ſimile Soli diſpendit in cunctos benigni influxus beneficia! Liberalitas tua denſo largior imbre totum orbem inundauit, nec opulentius fluant aurei illi amnes carminum ornamentis nobiles,

Claud. de laud. Stilic.

Fabula, ſeù verum canitur, tua copia vincit
Fontem Hermi, tactũque Midæ, pluuiaſque Tonantis.

Nec priuati tantum, ſed Prouinciæ, & Principes ipſi à tuà dexterà beneficia exorãt. Quos nõ Europę Reges bellis laceſsitos labanteſque ope, & milite in throno firmaſti? Virtutis tuæ hoc eſt, & non vno exemplo docuiſti, æquè pulchrum eſſe tueri Reges, quam vincere.

Si ad Pietatem verò, quam omnino velut hæreditariã virtutem vindicas cum Regnis, & ſceptris à priſcis, quos nominaui, Regibus, & Auguſtis Imperatoribus immensà ſerie tranſmiſſam, mentis aciem flectam; vt hanc quidem gratiori illicio Orbis oculos, & animos delectare, ita ab ipsà voto meo ſatisfactum iri planè videro: cum hìc addictiſsimum illud Maieſtatis Tuę in Deiparam ſtudium ſignatè eniteat. Quo enim honore Magnam Dei Matrem non colis? Quo non obſequio illibatam eius ab omni labe Cõceptionem aſſeruiſti? Commendaſtique populis in eundem cultum, fidemque erga Angelorum, hominumque

Regi-

exſilium veterem cultum ; nec alio pacto melius poterat reuocari, quam ſi in Maieſtatis Tuæ poteſtatem rediret ſacer locus. Eadem igitur opera Virgo beatiſsima ſibi, & tibi conſultum iuit, certa (fas ſit ita ominari) vbicumque regnaueris, ſe quoque florenti religione regnaturam.

Ergo Deipatę debes, ò REX, quidquid in tuo Imperio fęlix, fauſtũque contingit, cuius patrocinio ſubegiſti fortunam auſam Hiſpaniæ temerè iraſci, quin te terruerint orbis copię in nos ferro, & audacià armatæ, quippè,

Claud. de bello Getico.

——————— Nec ſydera pacem
Semper habent, ipſumque Iouem turbante Typhœo,
Si fas eſt, timuiſſe ferunt, cum brachia centum
Montibus armarent totidem, ſpiraſque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos,
Quid mirum ſi regna labor mortalia vexat?

Sed enim Diuina prouidentia à Virginis prece tibi ſemper propitia per hos bellorum tumultus latiorem tuę gloriæ campum quæſiuit, ne omnia Maioribus deberes, & vt Auguſtus impleres potentiam, quam non tam auitę virtutes, quam proprię victoriæ dabant: ſiuè etiam, vt admoneret, nos fœlicitatis noſtræ, qui te Rectorem imperij haberemus. Vix enim quantum tibi, quantum tuis Adminiſtris debeamus conſtaret ſi pace, & quiete fruereris. Non peritiam modo medici, ſed & beneficium morbi cõmendant. Exſonuere, itaque terrores hoſtiles, vt per has procellas ſerenius fulgeret ſpes noſtrę ſecuritatis. Laceſsita eſt Hiſpania inſanis rebellium conſilijs, vt pateret, quam benè commiſſa ſit tuæ fortunæ, & virtuti, quæ tot armis oppugnata non nutat, nec labaſcit; à te quippe nouo Conſtãtino Auguſto *his rebus ſemper è Repub. geſtis tantà vi, tantoque ſucceſſu, vt nunquam virtus tua intremuerit, prudentia hæſerit, fœlicitas claudicarit*: Immò verò animos, nunc inuictior erexerit, quia tua firmetur dextera, & fato: nunc felicior, quia à te accipiat, fęlicitatem. Denique, & ſoſpita-

ſupplicium tot annis non vinci: itaque diuturnitate malorum attriti, ſatis experti ſunt, quanti ſibi conſtiterit, tuo regimini non ſubeſſe. Sed tandem ceſsit potentię tuę obſtinata contentio, vt *ſatis probatum ſit, perpetuam in te benignæ Maieſtatis opem fluere.* Ipſius quidem Martis conatus euentu fraudatur: videbatur Vrbs munitiſsima, quippè loci naturę, qua mari, qua continenti tutiſsimi, artis acceſſerant operoſa molimina. Natioque illa cõfinis ſemper Hiſpani nominis, æmula gentilium, vires ſubſidijs ſuis alebat. Eàdem etiam tempeſtate multiplici bello intentus, duces, milites, atque opes diſparare cogebaris in his rerũ anguſtijs, Auguſtiſsimus Tuæ Maieſtatis animus campum virtuti ſuę latiſsimum inuenit: deterreret alium difficultas; te concitauit. Quò fuit diuturnior obſidio, eò victoria glorioſior: nam, vt es benigniſsimo ingenio, noluiſti ſtatim ſtringere in tuos, licèt rebelles, ciues ſupremi certaminis fulmen, leuioribus illos malis ad deditionem inuitans: vt conſtet, non te viciſſe, vt triumphares, ſed triumphaſſe, quia viciſti: alterum virtus effecit: alterum moderatio: vtrumque dignam Maieſtate tuà laurum comparauit.

Claud. de Honorij cõſul

..... Hinc ſæcula diſcant,
Indomitum nihil eſſe pio: tutumve nocenti.

Crediderim benignitatem tuam obſtinatiſsimis quibuſque pœnitentiam extorquere potuiſſe, licèt vltima neceſſitas victos non compuliſſet ad preces. Hæc namque virtutis victoria: hic tuus triumphus eſt,

Inque animis hominum pompà meliore triumphas.

Haud dubium etiam, quin in hàc victoria luculentiſsima cernamus Marianæ prouidentiæ veſtigia. Dolebat nimirum, (ſi ſic loqui licèt) cæli Regina è Montis ſerrati gratiſsimis ſibi, iam dudum aris pulſum in

exſi-

prudentia hæſerit, fœlicitas claudicarit, ſatis probatum eſt, perpetuam in te benignæ Maieſtatis opem fluere: Eodem igitur ego conſilio globum, Orbem ſcilicet terrarum ſub ditione tuà, & legibus viuentem Aræ immunitati Mariæ Sacratæ conſultò commiſi; ſtelliſque à Virginea corona petitis circummunitum in Philippicæ glorię, & Hiſpanæ fęlicitatis pulcherrimum ſtemma, vt iam ſolo cœlo minorem potentiam tuam his armis cœleſtibus cinctã non valeat expugnare fortunæ, ſiuè ſęuientis, ſiuè inſidiantis iras non populorum infeſtos animos attollentium conſpiratio, ſed horreat pręſens ætas, vẽtura miretur. Damus enim hoc opere Mariam non magis ſtellis, quam triũphis ſemper coronatam, ſemper Auguſtam, & à prima anima VICTRICEM. Damus itidem Maieſtatem Tuam, ò REX, hoc Virginis decus propugnantem, atque illam tam grandi obſtrictam obſequio fortem, & triumphatricem dexteram armis tuis impendentem; quemadmodum Pontifex Summus Gregorius XV. iã pridem vaticinatus eſt Maieſt. Tuę reſcribens. *Sanè tibi, & populorum fidem, & hoſtium oppreſsionem polliceri haud temere poßumus: cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare ſtudes; quam terribilem eſſe, vt caſtrorum aciem ordinatam, Diuina oracula teſtantur.* Quam quidem prędictionẽ è Sacrę Sedis cortina fuiſſe profectam; mille ſunt euentus, qui confirment.

Greg. XV.

Excuſſo legitimi Imperij iugo fidem exuerat rebellis Barcino, cæcaque libertatis libidine ferreæ tyrannidi ſubdere ceruicem maluerat, quam aureis beatiſimę dominationis vinculis cõtineri, verùm ſeruitutem ſic detrectauit, vt libertatem amitteret,

Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Seruitium: nunquam libertas gratior exſtat,
Quam ſub Rege pio.

Merebatur ſanè ingrata gens, nunquam te Regum clementiſsimo frui, vt merito exiſtiment dignum vltoris cæli

ſuppli-

Reginam erectis? Quà non cura? aut ſumptu? quibus litteris, & legationibus Romanum Pontificē ſtrenuè non vrges, vt MARIAM immaculatè conceptam ſupremà lege, & Diuino Conſulto ſanciat? Planè, vt iam hinc, ò Auguſte, merito leuatam ſentiam immenſam curā, quæ me animo fixa pungebat, vt non modo Maieſtati Tuæ ea dicarem, quę te digna eſſent, ſed eum etiam Patronum immunitati Sanctiſsimæ Dei Genitricis inuenirem; qui tanto honore dignus ab omnibus cenſeretur. Perge igitur, Rex magne, vt præſtas Auguſtæ Deigenitrici debitum honorē moliri, perge hàc pietate; perge his votis, ac cultu, non minus, quam conſilijs, armiſque in hoſtes pugnare, cum à cęlo fortunari ſentias expeditiones Marię auſpicijs fæliciſsimè florentes. Macte hac mente, & curà Rex Auguſtiſsime. Quę enim via ad immortalitatem famę Principē ducat ſecurius, quam hęc orbita Religionis? Quis in dubio rerum humanarum pelago, ac per incerta ſortis ludibria inoffenſo remigio velificetur, niſi lucem accerſat ab hàc Arcto?

Conſtātinus Auguſtus, qui primus inter Cæſares Chriſtianæ Religionis Aſſertor, primus, & Magni cognomen tulit, minimè ignarus dixiſſe Tragicum.

Senec. Tragicus.

Licèt omne tecum Græcia robur trahas,
Licèt arma longe miles, ac latè explicet;
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Id circo ipſe conſultiſsima Prouidētia Aræ vero Deo dicatę Mundi globum impoſuit, profeſſus Orbis ſibi ſubiecti imperium non tam viribus, aut Fortunæ nutu quam Religione, & ſacrorum cultu niti; neque tam ab armis, quam ab aris petendam Regnorum firmitatem, quę nullis validius cinguntur præſidijs, quam Religionis. Nec vana quidem Conſtantini Auguſti fides, de quo eius Panegyriſtes veriſsime dixit. *His rebus ſemper è Republicà geſtis tantà vi, tantoque ſucceſſu, vt nunquam virtus tua intremuerit,*

tem nobis dulciorem antecedens calamitas, & illustriores triumphos tuos præteriti fecère tumultus: *Vt satis probatum sit, perpetuam in te diuina Maiestatis opem fluere.*

Sed, & hàc planè de causſa Augustum MARIÆ immaculatè conceptæ vexillum Regiæ dexteræ commisi, non tantum, vt planum facerem, quantus ardor generosissimo Maiestatis Tuę pectori tuendæ illius insideat, sed etiam, vt opportunè, ac fęliciter augurarer; ipsammet cęlestem Reginam, superbos debellantem, in Philippica castra victrici manu venire, & velut sub Hispanis signis militare velle: nam cum Deipara pro liberalitatis suæ præstantia, quam ei obsequiorum vicem rependimus, in nos pretioso cum fœnore redire conetur, vt sapienter testatur S. Basilius Seleucensis, optimo quidem iure conijcere possumus Maiestati Tuę strenua præ cunctis Europæ Principibus pietate, eius honorem propugnanti; ipsam, quæ officijs se vinci non patitur, largiter vices rependere, ac vt Diuinam Bellonam armorum ductricem, ac præsidem supperias ferre, terrere hostes, ac fundere, & in communem triumphorum gloriam accersi. Quid ni? Nonnè Constantino Augusto; quem moribus, ac fęlicitate refers, ò REX, cęlestes copias in ipso prælij conflictu militasse nouimus, ita de illis affirmante Nazario in Panegyrico Constantini: *Hæc eorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant. Constantino imus auxilio. Habent profecto Diuina iactantiam, & cœlestia quoque tangit ambitio: illi cœlo lapsi: illi diuinitus missi gloriabantur, quod tibi militabant. Sic Constantinus iuuari meruit, sic debuit ratione seruari.* Mactè, ò Auguste, iure Tibi Reginam cęli militasse credimus; & mutuis officijs Diuam Mariam, & Philippum certare, dum hic Mariæ immunitatem asserit; illa Philippi hostes funditus perdit. *Sic enim Philippus iuuari meruit, sic debuit ratione seruari*: Vt iam non sit, quod miremur, Maiestati tuæ ad terrendos hostes armatis phalangibus opus non esse; cum illi ad Vexilli tui conspectum, sub quo Diuina Bellatrix pugnat, prostrati succumbant; quasi de PHILIPPO sub perso-

Basilius Seleu. orat. 39.

Nazar.

na Theodoſij Imperatoris dixerit S. Cyrill. Alexandrinus. *Tandem quidquid vſquam eſt gentium, hoc totum Regni veſtri Solijs ſubſtratum eſt. Quod ſi qui ſunt, qui iugum detrectant, illi veſtrâ potentiâ nullo pœne negotio ſuperati ſuccumbunt. Immò verò ſi regium ſcutum, vel ſemel concuſſum micuerit, vana illorum conſilia, atque ſtudia in ventos mox abeunt: quippè qui amentiam ſuam miſſam facientes ad genua veſtra ſe provoluant, ſupplicesque veniam expoſcant.* Nouimus enim, ſub quibus ſignis pugnetur: & cui Planetæ dominatori debeat ſuas victorias Philippus. Maria ſcilicèt Hiſpanarum rerum Dominà, Armorum ductrice, Auſpice victoriarum, Soſpitatrice Vrbium, Reginà populorum, Præſide Regnorum, belli, paciſque Moderatrice pugnatur, vincitur, triumphatur: ipsà tantum non dicente Philippo, quod Deus omnipotens Iacobo Patriarchæ ſecurè dormienti dixiſſe fertur *Noli timere*: hæc verba ſic diffundente Philone. *Quomodo poſthac timere poſſumus, cum habeamus te proclypeo depellente omnes metus?*

S. Cyril. Ale. lib 1. de rectâ fide ad Theo.

Gen. 28. 13 iuxta LXX.

Philo li. de profugis.

Cui ſanè Ego rationi, ò Catholice REX, innixus (vt quod omnino è re mea eſſe videtur leuiter attingam) ad tanti ſcuti tegmen pro libri huius protectione opportunè confugere decreui. Plane ætas hęc, ſi quæ alia, ferax eſt virorum doctrinà, & eruditione clariſsimorum, & vt in Deiparæ immunitate maximè procliuium; ita ipſam ſcriptis ſuis mire illuſtrantium: vnde quidem perdifficile eſt in tantà claritate ſcribentem eminere, immò, & conſpici; ſed multo difficilius, in concertatione de Mariæ immunitate, & auctorum aduerſæ opinionis ardore æſtum euadere: Vt igitur ſplendorem, & vmbram meus, hic liber, qualis qualis ſit, accipiat, ad genua cadat Solis neceſſe eſt. Cadit etiam Auctor, primum Deum Opt. Max. pro ſalute M. T. priſci Scriptoris verbis precatus. *Te Deus qui hanc Hiſpani Imperij molem in ampliſsimum terrarum orbis faſtigium exſtuliſti, te publicâ voce obteſtor, atque precor; cuſtodi, ſerua, protege hunc Principem; eique functo longiſsimâ ſtatione mortali deſtina ſucceſſorem quam ſeriſsimum,*

Velleii. Paterc. lib. 2. f.

ſed

ſed eum, cuius ceruices, tam fortiter ſuſtinendo terrarum orbis imperia ſufficiant: Deinde verò Sanctiſsimam MARIAM immaculatè conceptam ijſdem pœne verbis, quibus ipſius auxilium efflagitans vſa eſt Eccleſia Græca, in Menæis Regio nomine ſalutans, & exorans: *Hiſpania omnium Imperij mei Regnorum Regina, (quæ te Regina, ac Domina ſuà velut turrito quodam propugnaculo vtitur) impetus omnes barbarorum profligat, etiam beſtiarum furoribus pares: aduerſariorum quoque machinas omnes euadit, & opibus demum, atque potentià creſcit, ò Deipara! In te quippè gloriamur: in te quoque euitamus quidquid nobis aſperum imminet. Tuà tandem tutela confiſi nullorum hoſtium expeditionẽ timemus. Quo circa Regnum hoc Tuum: ò apud Deum ſingulariter Gratioſa, vtre verà Tibi Sacratum, in quocumque diſcrimine, ſiuè ruinà conſeruare incolumẽ perge, vnaque gregem tuum in vnanimi ſemper pace confirma:* Fortunet Deus vota, & ſpem non mendacem.

Eccleſ. Græc. in Menæ. die 16. Aug. Ode. 3. de S. Dromed.

MAIESTATIS TVÆ.

INFIMVS SERVVS.

Ioannes Antonius Velazquez.
Societatis IESV.

LECTO-

LECTORI.

HIC *Liber* honori Mariæ Immaculatè Conceptæ *destinatus* (potiori quidem iure, quam is, qui de socero suo Iulij Agricolæ vita scripsit Cornelius Tacitus) *professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus*; nostrum siquidem institutum, non tam fuit euincere immunitatis Deiparæ ab originaria labe veritatem, quippe id in tam florenti doctissimorum Scriptorũ ętate actum agere fuerit; quã à laudibus, & propugnatione Deiparæ, in quam totam salutis spem repositam habemus, nostræ operæ, & studij partem non subtrahere *pilos* scilicèt *caprarum* ad Sacrosancti huius Tabernaculi structuram inter aurum, purpuram, & gemmas a ditioribus Auctoribus oblata; præsertim cum S. Ildephonso Auctore *pro MARIAE excellentiâ depugnare, opus sit Spiritus Sancti:* Itidemque *nulla sit satietas defensionis eius:* Cui etiã rationi innixi non timuimus longiorem iusto fuisse hunc tractatũ, qui cunctos causiæ articulos tangendos susceperit: nam *nos* (ita Quintilianus) *breuitatem in eo ponimus, non vt minus, sed ne plus dicatur, quam oportet.* An verò scopũ collimauerimus; aliorum iudicium esto. Vtinam dicere licuerit cum septima Synodo. *Fuit apud nos quoddam prælium sine ferro, dum sermones iaciunt, & iaciuntur, sed triumphale habemus trophæum veritatem, quæ non vincitur.* Quod verò ad stylum attinet; amaui, & professus sum in libro hoc candorem, & benignitatem sine morsu directo, vel obliquo, vt ipsammet Deiparam immunitatis suæ causam agentem apud B. Birgittam imitarer, quæ adeò non vituperat contrariæ sententiæ auctores, vt ipsorum potius zelum, & si ab scopo euntem laudet. Quod si alicui asperius aliquando egisse visus fuerim cogitet is, non solum obnitente calamo, sed etiam modicè, ac verecundè, & nõ nisi necessario factum, quia argumẽtum, quod tractamus, pro re nata id exigat; cum verum inueniri, & animis alio præiudicio occupatis infigi, non facile posset, nisi falsa, aut incerta reuellerentur. Accipe iam, ò Deiparæ immunitaris studiosè meum donum, nõ quidem quale volui, esset enim id elegans atque eruditum, sed quale potui, nempè rude, & impolitum, vt habeas, quod ignoscas.

Cornel. Tacit. or in vita Iulij Agricolæ.

Exod 25 4.

Ild. lib. de Virgin. B. Mariæ

Quint. lib 4. c. 2

Sept. Synod. act. 3.

B. Brig. lib. 6. c. 55.

FACVLTAS P. PROVINCIALIS CASTELLANÆ PROVINCIÆ Societatis IESV.

EGO Franciſcus de Aguilar Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Caſtellana poteſtate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum P. N. Vincentio Carrafa Præpoſito Noſtro Generali facultatem facio, vt liber de Sanctiſsima Deiparâ duobus tomis diſtinctus; alter de Maria Immaculate Concepta: alter de Mariâ forma Dei à P. Ioanne Antonio Velazquez Societatis noſtræ in Regio Salmãticenſi Collegio Sacræ Scripturæ quõdam Profeſſore compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandari poſsit. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubcriptas, & ſigillo noſtri officij munitas dedimus Pinciæ die 30. Iunij anno 1649.

Franciſcus de Aguilar.

CENSVRA OPERIS EX MANDATO ORDINARII.

REVERENDI AD MODVM, ET SAPIENTISSIMI P. M. Fr. Ioannis de Villamar in Regio Conuentu S. P. N. Franciſci Sacræ Theologiæ Lectoris, & Concionatoris eximij.

HOC volumen de Maria Immaculatè Concepta à R. & ſapientiſsimo P. Ioanne Antonio Velazquez Prouinciali Societatis IESV compoſitum ex mandato D. D. Garciæ Perez de Vlloa huius Diœceſis Valliſoletanæ Vicarij Generalis, & maximi Collegij Sanctæ Crucis Collegę mihi commiſſum ſumma voluptate perlegi, quin cenſoris munus obire neceſſum fuerit, quippè ſuperuacaneũ ſiuè inconſultum foret, ne quid irreligioſum, aut ineptum tam pio, tamque docto viro excidiſſet; cum *ſuæ artis vnum quemque, & actorem, & diſputatorem eſſe non dubitemus:* & ſanè hanc ſecuritatem, iam pridẽ mihi fecerant opera, quæ in lucem dedit maximo mortalium plauſu. Cæterum cum Auctor ab alio quouis ſuperari, minimè poſſit, ſe ipſum denique hoc in opere vicit Adeò namque illud propitio Numine ſcriptum eſt, vt inter cæteras fauſtiſsimi ingenij illius proles laudum, famæque principatum mereatur. Incertus animi ſum, quid in eo demirer magis, nam dum per eius partes cunctas oculos duco, ſingulæ mihi pulcherrimè arrident: *Quod enim diſciplinæ genus eſt* (vt inquiebat aliò intentus Nazianzenus) *in quo verſatus non ſit, atque ita exiſmiè verſatus. Quaſi in eo ſolo elaboraſſet: ſic nimirum omnia complexus, vt ne vnus quidem quiſquam ſingula rurſus, ita ad ſummum, quaſi nihil aliud præterea didiciſſet.* Quanta ſtyli cõcinnitas! quâ grauis vibrantibus ſententis cõtextus! quam fœliciter rationum momenta librat! quam non iniquâ interpretatione Scripturæ Conciliorũ, Patrumque auctoritatem ſacram adaptat. Iam verò eruditio, qua humanis, quæ diuinis litteris excerpta paginam quâque lepidiſſimè aſpergit, vt ſatis appareat ſapientiâ plenam mentem, *colligens, quaſi in vnam coronam germen floridum, quod per librorum campos paſsim fuerat ante diſperſum* Quis verò putaret huic de Maariæ immunitate argumento aliquid

Valer. Maximus lib. 8. c. 22.

Nazian. orat. in laud. Athan.

Caſiod.

iam posse nouum adiungi, cum tot Scriptorum immensa volumina omnes doctrinæ fontes videantur exhausisse; verum aureus hic liber, ita tritissimam materiam expolit, vt possit esse experimentum, nihil adeò absolutum esse, vt debere incrementa nō valeat magnis ingenijs. Quapropter, nè sint ingrati quotquot amant inolescere in dies Deiparæ honores, maximas soluant grates necessum est tam strenuo Marianarum partium militi. Me enim iudice, vt cætera deessent, vnus hic labor de immunitate Virginis sententiam cuiuis, deposito partium studio, res æstimanti, posset ingerere. Legat ergo illum quicumque introspicere veritatem volet, deprehenderque nostram, immò totius pœne orbis Christiani sententiam non populari indoctæ pietatis impetu, sed robustissimis rationum fulcimentis innixam conualuisse. Sic censeo in Regio S. P. N. Francisci Conuentu die 10. Augusti anno 1649.

Fr. Ioannes de Villamar.

APPROBATIO EX SVPREMI REGII CONSILII PRÆSCRIPTO.

REVERENDISSIMI, ATQVE SAPIENTISSIMI P. M. Fr. Matthiæ de Sobremonte Seraphicæ Religionis S. P. N. Francisci Ministri Prouincialis, & in Senatu Fidei meritissimi Censoris.

BEATAM Virginē Immaculatè Conceptam, immaculate etiam luce donatam a Reuerēdissimo P. Ioanne Antonio Velazquez Prouinciali Societatis IESV in Prouincia Castellana auide euolui, summa animi voluptate inspexi. In gratiasque illico Numini me effudi, & Puriſsimæ Virgini adgratulatum iui, quod talem tātumque virum in tantæ causæ patrocinium impulerint: Non tam enim ardentissimo auctoris erga hoc mysterium adfectui dandum credam, quod pro ipso assertor emicuerit, sed diuinæ vi, & impulsui, qui vt olim in aliorum Ecclesiæ dogmatum splendorem, & stabilimentum acerrimos exacuit vindices, in huius modo decretoriam sententiam ab Sede Apostolica euincendam, strenuum hunc Pugilē & Patronum tetigit, adornauit, accendit. Ab eodem etiam fonte fœliciſsimum isthoc ipsius opus fluxisse in animum induxi; In eo quippe (vt Sidonij ad suum Claudianum verba vsurpem) *instruit vt Hieronymus, destruit vt Lactantius, adstruit vt Augustinus, attollitur vt Hilarius, vt Basilius corripit, vt Orosius affluit, stringitur vt Rufinus, vt Eusebius narrat, vt Eucherius sollicitat, prouocat vt Paulinus, vt Ambrosius perseuerat.* Eo enim vsque celeberrima hæc Patrum spirat oracula, vt mentes quoque, eloquijque nitorem ebibisse dispiciatur. Iam sacræ eruditionis vbertas, politiorum litterarum amœnitas ea est, qua pulchrior nulli vnquam contigerit aut floridior: Vtramque credas ipsius calamum imbuisse, splendidius inde, & concinnius effluxuram.

Sidonius epist. 3. lib. 4.

Vno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & maior collectis viribus exit.

Claudianus de Mallij consul.

Tam etenim in omnem se sapientiam composuit, tam fœliciter ad abstrusiora

omnige-

omnigenę litteraturę adyta aditus patuit, vt quod alteri Volusianus, huic merito adscriptum duxero: *Legi deest, quidquid ab hoc contigerit ignorari.* Pulcherrimas hasce eruditionis gemmas, illustriaque sensuum lumina animus inne ctit sermo, quem commendasse Senecam crediderim, dum Fabiani dicendi modum his expressit. *Nihil inuenies sordidum, electa verba sunt, non captata, nec huius sæculi more contra naturam suam posita, & inuersa, splẽdida omnia, quamuis sumantur è medio: Sensus honestos, & magnificos habent, non coactos in sententia, sed altius ductos. Videbimus quod parum recisum sit, quod parum structum, quod non huius recentis polituræ. Cum circũspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes.* His paria censeo rationum momenta, locorum expositiones, argumentorũ robora, alia que ipsius operis decora, quæ in huius mysterij lucem sedula manu dilegit, & plena pagina aggerit. Vt non immerito in illas abeam admirationes, quas suo Symmacho Ausonius ingerebat. *Quis ita adfectet singula, vt tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio?* Vnde & eam sibi fœlicitatem creauit, ægre vlli alij partam, vt adipsius absolutissima opera, vel rigidius Aristarchi supercilium frontem exuat, torque reddat encomiastas, quot nactus fuerit cẽsores: quippe *qui vltra emendationem hominum se protulit*, vt adblandiebatur prædictus Ausonius. Quapropter vt quam primum in lucem producat, faciẽdam ipsi copiã arbitror; dignumque censeo volumen, & tãto auctore, & excultissima sua Societate IESV, quin addendum quidquam aut demendum putauerim. *Neque enim fieri poterat* (vt loquar cum Cassiodoro) *vt quem tantus auctor, familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inueniret.* Sic censeo, &c.

Volusianus.

Seneca ep. 101.

Auson. ep. 17.

Cassiod. epist. 22. lib. 9.

Fr. Matthias de Sobremonte.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGII.

REgio diplomate cautum, est nè quis librum *de B. Maria Immaculatæ Concepta*, à P. Ioanne Antonio Velazquez Prouinciali Societatis IESV in Prouincia Castellana compositum, citra eiusdē Auctoris placitum intra decēnium in Regnis Castellę imprimat, aut alibi locorum impressum in eadem Regna Castellæ inferat, venaleve ponat. Qui secus faxit, tam librorum, quam instrumentorum Typographicæ artis confiscatione, & graui alia pœna pecuniaria mulctabitur, vt latius explicatur in regijs litteris. Datis Matriti die 21. Iulij anno 1650.

ERRATA.

Fol. 2. col. 1. A.	dicebat,	lege, docebat.
8. 2. A.	mundum	modum.
16. 1. D.	exixa.	enixa.
23. 1. D.	mundum	modum.
35. 1. D.	propositio,	proposito.
50. 2. B,	ordinum	ordinem.
69. 1. C.	Salomonum	Salomon.
76. 1. C.	ad spem	ad speciem.
80. 2. B.	Paulum	paulum.
95. 1. C.	venustatim decoris,	venustatum decorus.
126. 2. A.	inquitatum	inquinatum.
133. 1. B.	remotam	remoram.
137. 2. A.	iuncta	inuncta.
177. 1. A.	breuiculis	versiculis.
205. 2. C.	peccator	peccatum.
234. 1. C.	resputat	respuat.
236. 2. C.	in illam	dele, in.
241. 1. B.	negante addicente	negāti addicenti.
E.	fratre, & germano:	frater & germanus.
2. A.	non transferas	dele, non.
243. 1. D.	simus	sinus.
252. 1. E.	liberum	librum.
264. 2. A.	impudicū	ad impudicum.
289. 2. E.	cunctæ	cunctas.
336. 1. A,	Diuina	Diuini.
417. 2. B.	auditorium	adiutorium.
527. 1. D.	per concilio	pro cornelio.
533. 1. E.	fuerat	fuerunt.
664 2. E.	ex Deiparæ	dele ex.
665 2. A.	Minorum	Minimorum.
667. 2. D.	S. P. N. Francisci	adde Religiosis.
671. 2. E.	de hoc est	non est.
689. 1, B.	insinictum	insignitum.
695. 2. E.	audentem	ardentem.
716. 1. B.	monent	monentem.
723. 1. A.	dirigens	diggerens.
D.	tenebras	tenebris.
724. 1. C.	præconio	præconia.
725. 2. E.	sanctis	sanctitatis.
738. 2. B.	referimur	referimus.
784. 2. E.	vxor	vror.
786. 1. A.	dicente	dicens.
792. 2 B.	benisimi	benignissima.
793. 2. A.	statura	statua.
816 2. E.	sed potius	dele.
817. 2. A.	thesiam	thesim.

His demptis respondet suo exemplari: in Regio Conuentu B. Mariæ de Mercede Vallisolet. Die 20. Martij anno 1653.

M. Fr. Ludouicus Fernandez de Tapia.

TASSA.

YO don Ioseph de Arteaga y Cañizares Escriuano de Camara del Rey nuestro señor, vno de los que en su Consejo residen, certifico que por los Señores del, se dio licencia al P. Iuan Antonio Velazquez Prouincial de la Compañia de IESVS, para que pudiesse imprimir vn libro intitulado *de B. Maria Immaculatè Concepta*, y q̃ cō licencia de los dichos Señores impresso, tassaron cada pliego del dicho libro à cinco marauedis: que en duciētos y veynte y seys pliegos que tiene, monta 33. reales, y ocho mrs. y que à este precio, y no mas se venda, y esta tassa se pōga al principio de cada libro de los que se han impresso. Y para q̃ conste doy esta certificacion en Madrid à 28. de Março de 1653.

Don Ioseph de Arteaga y Cañizares.

CONS-

CONSPECTVS OPERIS.

VT LECTOR QVASI PRIMO aspectu videat, quid in toto hoc libro contineatur.

INDEX DISSERTATIONVM, ET ADNOtationum.

ANTELOQVIA PRAEVIA AD LIBROS DE MARIA immaculatè Conceptâ.

§. I.

ADITVS tum ad dissertationem de MARIA Immaculatè Conceptâ, tùm ad libros de MARIA forma Dei, Pagin. 1.

§. II.

Deiparam cunctis laudibus præstantiorem, esse. 4.

§. III.

MARIAM interpretum; & laudatorũ suorum animas ad ambulandã salutis viã dirigere, & benedictionibus coronare, 7.

§. IV.

Monitio ad Lectorem, vt ad laudes MARIÆ immaculatè conceptæ ex ortem ab humanis affectibus animum afferat, 12.

§. V.

Votum Auctoris ad Deum itidemque ad Deiparam; 16.

PRÆLVDIA EXPLICANDA, ET elucidandæ immunitati Mariæ Deiparæ â peccato originali, & eius debito opportuna.

Adnotat. 1. De homine ad imaginem, & similitudinem Dei formato, 19.

Adnotat. 2. Hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum perinde esse, atque Filij Dei similitudinem vitę sanctitate exprimere. 24.

Adnotat. 3. De Diuina similitudine in homine deperdita, per Dei Filium instaurãda, 31.

Adnotat. 4. Eiusdem argumenti cum superiore de Dei Filio, homini ad assequendam Diuinam similitudinem siue in statu innocentiæ ad iustitiam retinẽdam, siue ad eam post lapsum recuperandam in exemplar, propositio. 36.

Adnotat. 5. Dei Filium ad auxiliarem Adæ manum dandam, ad aurã paradisi deambulantem induci, pag. 41.

LIBER PRIMVS DE MARIA Immaculatè Concepta, pag. 49.

DISSERTATIO PRIMA DE MARIA existentiã nõ è catenata causarum serie, nec in Ade albo recensita.

Adnotatio 1. Mariam ab omni originaria labe immunem fuisse, quod sola præter naturam electa fuerit ad naturam renouandam, pag. 50.
Adnotatio 2. Dei Filio humani generis Redemptionem molienti Maria Deipara ab omni originalis peccati næuo immunis primum occurrit, 59.
Adnotatio 3. Mariam immaculatè conceptam, quod non fuerit in Adæ albo recēsita, nec huius creationis opus, pag. 66.
Adnotatio 4. Mariam immaculatè conceptam, quod humanæ naturæ in albo Adę recensitæ, addita subinde fuerit, 73.
Adnotat. 5. Mariam ab originaria labe immunem cœleste prodigium esse, 81.
Adnotat. 6. Mariam ab omni labe immunē esse, Auroræ imago, in quam sol præueniens radios suos transfundit, opportunè ostendit, pag. 88.

DISSERTATIO SECVNDA.

IN QVA MARIAM AB OMNI originaria labe immunem fuisse ex eius nomine signate euincitur.

Adnotatio 1. Mariam immaculatè conceptam eius nomen è thesauro Diuinitatis euolutum manifestat, 97.
Adnotatio 2. MARIAM immaculatè conceptam ipsius nomen euincit, quo Domina Angelorum prædicatur, pagina, 104.
Adnotatio 3. MARIAM immaculatè conceptam, quod vt Angelorum Domina, ita illis natura formosior exstitit, pagin. 111.

DISSERTATIO TERTIA.

DE MARIÆ IMMVNITATE ab originali peccato, cum Dominicæ Incarnationis Sacramento connexâ.

Adnotat. 1. Mariam ab omni labe originaria immunem, causam, atque illicem fuisse, cur humanam carnem Dei Filius voluerit suscipere, pag. 120.
Adnotatio 2. Mariam ab omni labe immunem, quod concepta adhærens Deo, & vnus spiritus facta cum eo, tantà in hunc mundum puritate ingressa fuerit, quantà electi in cœlum ingrediuntur, pagina 126.
Adnotatio 3. Humano generi Mariæ ab omni labe originaria immunitatem pernecessariam fuisse, quod hæc cum Dominicæ Incarnationis Sacramento coniuncta fuerit, 132.
Adnotatio 4. Mariam immaculatè conceptam, quod Mater Dei futura, vt Patri æterno adsimilis, ita omni prorsus labe carere debuit, pag. 138.
Adnotatio 5. Mariam adeò omni modo, & ratione puram, atque immaculatè conceptam, vt ex eius puritate, & dignitate, Christi Diuinitas dignoscenda venerit, pag. 145.
Adnotatio 6. Mariam immaculatè conceptam, quod benigniori Dei manu, & meliori luto formata fuerit, 152.
Adnotatio 7. Mariam immaculatè conceptam, quod meliori luto, terra scilicet Domini, & à Domino benedicta formata fuerit, 159.
Adnotatio 8. Mariam immaculatè conceptam, & è meliori luto formatam, quod eius caro, Dei caro erat futura, 165.

DISSERTATIO QVARTA.

DE MARIÆ IMMACVLATE conceptæ redemptione per Christum.

Adnotatio 1. Vt Mariam immaculatè conceptam eius nomen euincit, ita & Christi meritis à peccato originali redemptam, pag. 171.
Adnotatio 2. Mariam vt immaculatè conceptam, ita à Deo opportuno adiutore vere liberatam, & redemptam fuisse, pagin. 180.
Adnot. 3. Mariam tanquam Dominam à chirographo damnationis non modo liberā, sed etiam omninò alienam, atque ideò prorsus immaculatè conceptā, 190.
Adnotat. 4. Mariam immaculatè conceptā, quod charta purissima extiterit, in qua nulla vnquam peccati litura, nullum sui serpens vestigium reliquit, 199.
Adnotat. 5. Mariā immaculatè conceptam, & à chirographo damnationis alienam diuinus eius amictus manifestat, 205.
Adnotat. 6. Mariam immaculatè conceptā perpetua ipsius vitę puritas, ac rectitudo demonstrat, 213.
Adnotat. 7. Mariam immaculatè conceptā, quæ iugum peccati nūquam experta fuerit, pagin. 221.

LIBER SECVNDVS.

DE MARIA IMMACVLATE concepta.

DISSERTATIO PRIMA. MARIAM IMMACVLATE FVISSE conceptam ad honorem Diuini Numinis spectare.

Adnotat. 1. Mariam immaculate fuisse cõceptam ad Diuini Numinis honorem signate spectare, pag. 231.
Adnot. 2. Mariam immaculate conceptam fuisse peculiari ratione ad Diuini Numinis Maiestatem spectare, 237.
Adnotat. 3. Ob Mariam ab omni labe immunem serpentis caput fuisse contritum, quod in sede, quam sibi Dominus parauit, sedere voluerit, pag. 245.

DISSERTATIO SECVNDA. DE MARIÆ IMMVNITATE, qua Dei liber, in quo eius sapientia Diuini Spiritus calamo conscripta est.

Adnot. 1. Mariam ab omni labe immunẽ esse, quod liber Dei sit, 292.
Adnotat. 2. Mariam ab omni labe, & liturae expertem, quod sit liber Dei, in quo eius Verbum, & sapientia scripta fuerit, pag 259.
Adnotat. 3. Maria Dei liber calamo sanct spiritus conscriptus, acproinde ab omn naeuo originario immunis, 267.
Adnotat. 4. Mariam, vt Dei liber, & speculum, in quo Deus faciem suam intuetur, necessaria ratione ab omni omnino originaria labe immunem esse, 278.
Adnotat. 5. Mariam ab omni labe originaria immunem esse, quod tanquam De speculum tota vndique pulchra sit, 282.
Adnotat. 6. Mariæ pulchritudo sibi ipsi cõsona, cuius perpetua puritas sibi ipsi ab origine respondet, pag. 289.
Adnotat. 7. Mariam ab originaria labe immunem esse, cuius origo fini, cuius finis origini respondet, pag. 294.

DISSERTATIO TERTIA. MARIAM IMMACVLATE CONceptam ẽ re hæreditatis paternæ âChristo Domino acquirendæ fuisse.

Adnotat. 1. Mariam ab omni labe originali immunem esse, vt ab ea Dei Filius hereditatem à Patre promissam iure capiat pag. 301.
Adnotat. 2. Eiusdem argumenti. De hæreditate paterna Christo Domino delata, quod Matris ab omni labe immunis Filius fuerit, 306.
Adnotat. 3. Maria pura, & sincera Dei filia, ac proinde immaculatè cõcepta, vt Christi hæreditatem Patris adeuntis idonea Mater foret, pag. 311.
Adnotat. 4. Dei Filius Marię filium sese perpetuo nominabat, vt eius conceptionem immaculatam asserens, inde Paternam hæreditatem iure perciperet, 319.
Adnotat. 5. Mariam filiam vitæ, acproinde Germanam Dei Matrem à qua Paterna hæreditas Christo optimo iure obtingat pag. 326.

DISSERTATIO QVARTA. Mariam immaculate fuisse conceptam ad Diuini Spiritus honorem spectare.

Adnotat. 1. Mariam immaculate conceptã fuisse, quod in Conceptione sua Spiritus Sancti sponsa fuerit, 333.
Adnotat. 2. Eiusdem argumenti. Mariam ab originaria labe esse immunem, quod Diuini Spiritus sponsa sit, pag. 339.
Adnotat. 3. Maria digna forma Dei, quæ vt digna Spiritus Sancti sponsa esset, immunitatem à peccato originali pro dote habuit, pag. 346.
Adnotat. 4. Maria digna forma Dei, quę vt opportuna diuini spiritus sponsa fieret pulchra, vt bona opinio extitit, 353.
Adnotatio 5. Maria digna forma Dei, quæ pulchra vt bona opinio adeò omnem à se suspicionem maculæ, repellit, vt omnem ab hoc euntem sermonem, aut cogitatum intercludat, 360.
Adnotat. 6. Maria digna forma Dei, quę, vt aptę diuini spiritus spõsæ, quę à peccato originali immunis esset, specimen daret, oculos à terrenis abstractos semper habuit, 367.
Adnotat. 7. Mariam dignã formã Dei, quę in ipso conceptionis suæ instãti Dei faciem manifesto in lumine vidit à claritate in claritatem in Dei imaginẽ transformata, ab omni labe immunem extitisse opus fuit, pag. 373.

DISSERTATIO QVINTA.
De peculiari honore Mariæ Deip aræ aduenientе ab eius immunitate â peccato originali.

*A*dnotat 1. Sanctiſsimam Virginem pro dignitate non laudari, niſi communibus Deiparę laudibus illa addatur, quod fuerit immaculate concepta, 382.
*A*dnotat. 2. Virginis ſtudioſos ſignatè dotari, & decorari carectere opinionis piæ Mariam immaculate conceptam aſſerẽtis, 389.
*A*dnotat. 3 Eiuſdem argumenti. De charactere amatorum Deiparæ ab opinionis piæ propugnatione, 393.

DISSERTATIO SEXTA.
De vtilitate quæ âMariæ immunitate populo Chriſtiano obtingit.

*A*dnotatio 1. Mariæ immunitatem fideli Populo, & vniuerſo mundo eſſe vtiliſsimam, pag. 397.
Adnotatio. 2. Mariæ immunitatem noſtrę, tam animæ, quam corporis ſaluti vtiliſsimam eſſe, pag. 403.
Adnotatio 3. Mariam immaculate conceptam fuiſſe, maximæ vtilitatis eſt Populo Chriſtiano, quod eius carnẽ in vulnerum medelam in Euchariſtia ſumat, pag. 410.
Adnotatio 4. Mariam nouum orbis, ideſt Eccleſiæ Chriſtianę fundamentum, & baſim eſſe, atque idcirco ab omni originaria labe immunem, pag. 416.
Adnotat. 5. Mariam vt aptum Eccleſiæ de Cœlo deſcendentis fundamentum eſſet, originariæ labi obnoxiam eſſe non debere, pag. 423.
Adnotat. 6. Maria immaculatè concepta, quod ſanctum Dei fermentum ad panẽ vitæ conficiendum fuerit, 432.
*A*dnotat. 7. Mariam immaculate conceptã, quod ipſa noua creatura à qua nouitatem omnia habuerunt, pag. 438.

DISSERTATIO SEPTIMA.
De opinionis minus piæ minori vtilitate.

*A*dnotatio vnica, opinionem minus piam, minus itidem vtilem, imò & ſcandalis & caſibus obnoxiam eſſe, 446.

LIBER TERTIVS.
De B. MARIA immaculatè concepta. In quo agitur de ijs inter alia in quibus opinio pia de Mariæ immunitate contrariæ opinioni ſignatè præcellit, pagin. 454.

DISSERTATIO PRIMA.
De libera loquendi facultate, quæ opinioni piæ â Summis Pontificibus ineſt: dum opinioni minus piæ ſilentium ab illis impoſitum eſt.

*A*dnotatio 1. De præſtantia opinionis de Maria immaculate concepta, præ opinione minus pia, quod illi libera loquẽdi facultas ſit, contrarię verò ſilentij frænum à Dei Vicario fuerit iniectũ, 455
Adnotatio 2. Ideò opinionis minus piæ Doctoribus ſilentium indictum fuiſſe, quod de Mariæ immunitate, aut reuerẽter loquendum, aut tacendum ſit, 463.
*A*dnot. 3. Eà ſignatè de cauſa ſilentium opinioni minus piæ impoſitum fuiſſe, vt ab eo tandem vox omninò pia, & opportuna pro Mariæ immunitate naſcatur, 468.
Adnotatio 4. *A*ppendix ad præcedentem adnotationem. De vtilitate, quæ à ſilẽtio Doctoribus opinionis minus pię obuenit, 475.

DISSERTATIO SECVNDA.
De pietate, ſecuritate, fœlicitate, vrbanitate, & flexibilitate, quæ ineſt opinioni piæ de Mariæ immunitate, pag. 479.

Adnotatio 1. Opinio pia, quod pia potior eſt, & amplectenda, 479.
*A*dnotatio 2. Opinionem piã, quâ pia eſt, tutam eſſe, atque ſecuram, 486.
*A*dnotat, 3. Opinio pia fauſtaque eſt, 492.
*A*dnotat. 4. Opinio pia de Maria immaculatè concepta ſignate præcellit, & fœlix eſt, quod comis, & vrbana à cõuitijs, & verborũ acerbitate abſtineat, 498.
*A*dnotatio 5. Eiuſdem argumenti. De vrbanitate, & comitate verborum, in qua opinio pia contrariæ excellit, pag. 505.
Adnotatio 6. Opinio de Mariæ immunitate (ſiue eius DD.) contrariæ præcellit, quod ſuadibilis, & facilè flexibilis ſit pag. 512.

DISSERTATIO TERTIA
De victorijs ab opinione pia, de opinione minus pia relatis.

Adnotatio 1, Pia opinio de Mariæ immunitate ſemper victrix, & gloriosè triumphatrix, pag. 520.
Adnotatio 2. Illuſtres aliæ victoriæ, & triũphi, quos pia de Marię immunitate opinio de contraria opinione glorioſe retulit, 527.
Adnotatio 3. Opinionis piæ de Mariæ immunitate nouæ victoriæ, & triumphi, pag. 531.

DISSERTATIO QVARTA.
Antiquitas opinionis piæ de MARIÆ immunitate.

Adnotat. 1. Opinio pia de Mariæ immunitate opinioni minus piæ ſignate præcellit, quod vetuſtate nobilis, nouitate felix ſit, pag. 537.
Adnot. 2. Eiuſdem argumenti; De antiquitate, & nouitate opinionis piæ, 543.
Adnotatio 3. Appendix ad præcedẽtes adnotationes de antiquitate, & nouitate opinionis piæ. Vbi ſingillatim expendũtur verba illa apud Iob cap. 32. verſ. 8. *Spiritus eſt hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat in intelligentiam, &c.* pagin. 547.
Adnotatio 4. Eiuſdem argumenti de antiquitate, & nouitate opinionis piæ. Vbi ſingillatim expenduntur verba Pſalmi 118. verſ. 99. & 100. *Super omnes docẽtes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt, ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua exquiſiui,* 551.
Adnotatio 5. Opinio pia contrarię præcellit, quod Maria in poſſeſsione immunitatis à labe originali ſit, pag. 555.

LIBER QVARTVS.

De B. Maria immaculatè concepta.

DISSERTATIO PRIMA.
De auctoritate quæ opinioni piæ ab Apoſtolorum doctrina accedit.

Adnotatio 1. Opinio pia de Mariæ immunitate Apoſtolos Dei primos Auctores & Doctores habuit, pag. 562.
Adnotatio 2. Opinioni piæ S. Iacobus in ſua lithurgia ſuffragatur, 569.

DISSERTATIO SECVNDA.
De auctoritate, & certitudine, quæ opinioni piæ ab Eccleſia Romana accedit.

Adnotatio 1. Opinio pia de Marię immunitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate firmata, pag. 573.
Adnotatio 2. Eiuſdem argumenti. Romanam Eccleſiam naturalem Virginis cõceptionem in primo inſtanti illibatam colere ex Decreto Gregorij XV. euincitur, 580.
Adnotatio 3. Eiuſdem argumenti. Romanam Eccleſiam in honorem, & cultum conceptionis naturalis, ſeu primi inſtantis animationis Deiparæ feſtum inſtituiſſe, pag. 586.
Adnotat. 4. Eccleſiam Romanam Marię Conceptionem, vt ſanctam, ac proinde vt immaculatam, atque omnis labis expertem colere, pag. 591.

DISSERTATIO TERTIA.

De Magna auctoritate, quæ â Concilijs Oecumenicis opinioni piæ accedit.

Adnotatio vnica. Cõcilium Tridentinum Mariæ immunitati maxime fauere, ſiue pro illa ſtare, 599.

DISSERTATIO QVARTA.
De Eccleſia Græca, & cunctis Eccleſijs Romanæ Eccleſiæ ſubditis Mariæ immunitatem colentibus.

Adnotatio 1. Eccleſiam Græcam Mariam immaculatè conceptam ante mille, & ducentos (ad minus) annos ſolẽmni ritu coluiſſe, 606.
Adnotatio 2. Peculiaria Eccleſiæ Græcę pro Deiparæ immunitate monumenta, pag. 613.
Adnotatio 3. Cunctas Chriſtiani orbis Eccleſias cum ſuis Epiſcopis Mariã immaculatè conceptam credere, ac profiteri, pag. 617.

DISSERTATIO QVINTA.
De auctoritate quæ piæ opinioni ineſt â Græcæ Eccleſiæ Patribus.

Adnotat. 1. Noua ſiue hactenus nõ viſa Græcorum Patrum pro *Mariæ* immunitate monumenta. 623.
Adnotat. 2. Alia Græcorum Patrum pro Mariæ immunitate teſtimonia. 627.

DISSERTATIO SEXTA.
De Summis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus immunitati Virginis fauentibus.

Adnotat. 1. Opinio pia de B. Mariæ immunitate à Summorum Pontificum auctoritate ingẽtem, & ineluctabilem vim habet, pag. 630.
Adnotat. 2. Vrbanum VIII. Pontificem Max. pro Mariæ immunitate manifeſtè ſtare, 637.

DISSERTATIO SEPTIMA.
De Diuinis reuelationibus immunitatem Deiparæ confirmantibus.

Adnotat. 1. Opinioni piæ ingens auctoritatis pondus à reuelationibus à Deo puris animis factis accedit, pag. 640.
Adnotat. 2. Nullam omnino reuelationem diuinam ſubſiſtere, quæ Deiparę immunitati conſentanea non ſit, pag. 646.

DISSERTATIO OCTAVA.
De cunctis orbis Chriſtiani Academijs piã de Mariæ immunitate opinionem tenentibus.

Adnotat. 1. Omnes Hiſpaniæ Vniuerſitates iureiurando profitentur ſemper propugnaturas Mariam immaculatè fuiſſe conceptam; pag. 649.
Adnotat. 2. Eiuſdem argumẽti. Germaniæ Angliæ, & Galliæ Vniuerſitates Mariã immaculatè conceptam iureiurãdo propugnaturas fore teſtantur, 655.

DISSERTATIO NONA.
De cunctis ſacris Ordinibus, & Religioſis familijs Mariam immaculatè conceptam profitentibus & docentibus.

Adnotat. 1. Omnes ſacros Ordines tam veteres, quam recentiores opinioni piæ de *Marię* immunitate firmiter adhęrere; 659.

Adnotat. 2. Sacrã S. P. Dominici Religionem, cum ſanctiſsima *Minorum* familia de obſequio erga Deiparæ immunitatẽ piè contendere. 666.
Adnotat. 3. Societatem IESV, vt Scriptorum feracem, ita eos omnes Deiparę immunitati aſſerendę, docendæ, & publicandæ addicere, 672.

DISSERTATIO DECIMA.
De ſplendore, qui opinioni piæ ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus eã amplectentibus, & propugnantibus accedit.

Adnotat. 1. Deiparæ immunitatem à pijs Hiſpaniæ Regibus, & ab Imperatoribus cultam, & celebratã perpetuo fuiſſe, 680.
Adnotat. 2. Ioannis I. *Aragoniæ* Regis pro immunitate Deiparæ ſapiens, & pia cõſtitutio, pag. 686.
Adnotatio 3. Eiuſdem argumenti. Regis Ioannis edictum aduerſus importunos illos litigatores plusplus expenditur, pagin. 690.
Adnotatio 4. Philippi III Catholici Hiſpaniarum Regis egregia erga Deiparæ immunitatem pietas, & tenerrimus affectus. pag. 694.
Adnotatio 5. Philippus IIII. *Magnus* Hiſpaniarum Rex: Strenuiſsimus immunitatis Deiparæ aſſertor, & propugnator, pag. 696.
Adnotatio 6. Auguſtiſsimi Cęſares Ferdinandus II. & Ferdinandus *III.* Auſtriaci Imperatoria pietate, & *Auguſta* maieſtate pro Mariæ immunitate decertant, pag. 700.
Adnotat. 7. Ferdinandus III. *Imperator* Mariæ immaculatè conceptæ tam ardẽter addictus eſt, vt ipſam in Sceptrorum coronarumque ſuarum tutelarem patronam publico voto elegerit, 702.

LIBER QVINTVS.
De B. MARIA immaculatè concepta, de ſtatu diffinitioni, Eccleſiæ proximo, cui pia de Mariæ immunitate opinio olim florens iam matura eſt, pag. 708.

DISSERTATIO PRIMA.

EVINCITVR MANIFESTE OPINIONEM piam diffinibilem esse, & inter fidei dogmata constitui posse.

Adnotat. 1. Piam de MARIÆ Deiparę immunitate opinionem ex ijs veritatibus esse, quę à Sede Apostolica inter Fidei dogmata constitui merito posit, pagin. 709.

Adnotatio 2. Ecclesia, quæ ab vnctione Diuini Spiritus noua quotidie lucis, & Sapientia incrementa percipit, apta nata est MARIÆ immunitatem diffinire, pagin. 714.

Adnotatio 3. Ecclesiam noua quotidie luce Dei perfusam in cognitione mysteriorum, quæ ad Deiparam spectant, nouos semper progressus seciſſe, & facere, pagin. 720.

Adnotatio 4. Opinio pia tanquam sui secura prodire vult, & conspici: & ideò caussæ diffinitionem anxiè expostulat; contraria vero, quasi exspes, suique diffidens diffinitionis tractatum remoratur, pag. 716.

DISSERTATIO SECVNDA.

DE CAVSA CVR PIA DE MARIÆ immunitate opinio retro sæculis inter fidei dogmata constituta non fuerit.

Adnotatio 1. Ea potissimum ratione Deiparæ immunitas inter Fidei dogmata nõ fuit constituta, quod dum vltro, citroque de ea inter Auctorea concertatum fuit, plenius & gloriosius enituit, & fidelium mentibus, & animis altius infixa est pag. 732.

Adnotatio 2. Eiusdem argumenti. De splẽdore, qui Deiparæ immunitati à dubitatione Auctorum opinionis minus piæ accessit, pag. 737.

DISSERTATIO TERTIA.

DE RATIONIBVS QVIBVS OPINIO pia de MARIÆ immunitate inuititur, vt iam in statu proximè definibili esse videatur.

Adnotatio 1. Piam de MARIÆ immunitate opinionem proximè diffinibilem esse ex Scriptura euincitur, pag. 742.

Adnotatio 2. Eiusdem argumenti. Firmatur plusplus hic sẽsus Salomonis de MARIÆ ab originaria labe immunitate, pagin. 749.

Adnotatio 3. Ecclesiæ Romanæ sensus opinionem piam de Deipara immaculate concepta certam facit, & in statu proximæ definitionis constituit, pagina 751.

Adnotatio 4. Concilium Tridentinũ MARIÆ immunitati adeò apertè fauisse, vt opinionem piam in fastigio proximæ diffinibilitatis collocarit, pag. 757.

Adnotatio 5. Episcoporum Ecclesiæ in piã de MARIÆ immunitate consensio certam, & proximè diffinibilem facit, pagin. 763.

Adnotatio 6. Communis Doctorum, siue Academiarum de Mariæ immunitate consensio opinionem piam proximè diffinibilem reddit, pag. 768.

Adnotatio 7. Cõmunis totius populi Christiani sensus, atque consensus piam de MARIÆ immunitate sententiam amplectens, eam proximè diffinibilem facit pag. 774.

Adnotatio 8. Vnanimem populi Christiani de Marię immaculatè concepta consensionem suo quasi iure Sedis Apostolicæ diffinitionem postulare, pag. 782.

Adnotatio 9. Tota Hispania, vt in Mariæ immunitate colenda, prædicanda & modis omnibus celebranda, & vsque ad sanguinis effusionem defendenda, tota est: ità huius veritatis diffinitionem à Summo Christi Vicario obtinere nititur, pagin. 789.

DISSERTATIO QVARTA.

DE INEFFICACITATE OPINIONIS minus piæ aduersus prædicta tam firma, & solida fundamenta.

Adnotatio 1. Præ Auctoritate, & pondere piæ de MARIA immaculate concepta opinionis leuissimum in statera recti iudicij momentum opinioni minus piæ sub esse, pag. 794.

Adnotat. 2. Paucos opinionis minus piæ D. D. non posse præiudicium facere tot, tantisque Ecclesijs, Vniversitatibus, Ordinibus, & Regnis pro Maria immaculatè concepta stantibus, pag. 801.

Adnotatio 3. Eiusdem argumenti. Ineuitabile telum, & murum ahenæum esse cõmunem Ecclesiæ sensum pro Deiparæ immunitate, 806.

Adnotat. 4. Opinionem minus piam diffinibilem non esse pag. 811.

Adnotat. 5. A silentio imposito à Pontifice opinioni neganti MARIÆ immunitatẽ validum desumi argumentum, Ecclesiam pro ea opinione iudicium nunquam forelaturam. 816.

DISSERTATIO VLTIMA. DE PRÆSENTI MATVRITATE, & opportunitate diffinitionis opinionis piæ.

Adnotat. 1. Summum Pontificem absque Concilio Generali, validè, piè sapienter, atque prudenter, post tam diuturnum, tãque accuratum examen iam adhibitum posse hodierna die diffinire, piã opinionem de Deiparæ immunitate ad Fidem pertinere, pag. 823.

Ad Sanctissimum D. N. Innocentium X. pro obtinenda diffinitione Immunitatis Deiparæ: Peroratio, pag. 829.

IHS

DE MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

§. I.

ADITVS TVM AD DISSERTATIONEM de MARIA immaculatè concepta, tùm ad libros de Maria Forma Dei.

I. QVAMVIS Sanctiſsimæ Virginis Conceptio hodiernâ tempeſtate in omnium animis, & mẽtibus pura illibata, & cũ depulſione originalis ſordis Auguſta ſubſiſtat: eiuſque clariſsimus nitor tot, tamque egregiis ſcriptorum molibus à nobiliſsimis Doctoribus illuſtratus ſplẽdeat, vt nouam denuo de hoc argumento tractationem inire; actum agere, & confectum negotium ex inexhauſtâ materiâ videri poſsit; attamẽ cum & *nulla defenſionis* Deiparæ *ſatietas* eſſe poſsit, vt S. Ildephõſus Mariæ ſtudioſiſsimus monuit *in lib. de Virginate B. Mariæ*, & cũctis, qui expeculiari, eoque ingenti Dei beneficio in Deiparæ laudes felicem operam nouare ſtudent, ſolemne ſit, nouas ſubinde cogitationes meditari, quibus ſuum potius in Mariam ſtudium oſtendere, quam robur, ſeu momentum immunitatis eius cauſæ, quæ ex ſe adeò iuſta, & cõmunita eſt, afferre videantur; pio nos huic ſtudiò morem gerentes tanto licet muneri impares peculiarem etiam ſemitam communire conabimur, quæ vel eâ ratione ab ſcopo non multum aberrare videbitur, quod præterquã quod Scripturę & PP. fulcimentis nõ deſtituatur à veſtigiis etiam illuſtriũ Scriptorum, qui de Mariæ immunitate magnâ cum laude egerunt, non longius iuerit. Dixit quidem verè atque ſap enter Lactantius Firmianus lib. 1. diuin. inſtit. cap. 1. *Arcanum ſummi Dei, qui fecit omnia ingenio, ac ſenſibus non poteſt comprehendi: quia nihil inter Deum, hominemque diſtaret, ſi cõſilia, & diſpoſitiones Maieſtatis æternæ cogitatio aſſequeretur humana.* Cæterum Gregorius Nazianz. qui Theologi nomen ob inſignem rerũ cœleſtium cognitionem fuit adeptus, itidemque Clemens Alexand. & Iuſtinus M. aliique PP. non ideò à diuinorum contemplatione, ſeu indagatione ſeſe omnino exortes forè futuros putauerunt; ſi tamen moderatione adhibitâ Dei cõſilia rimari tentarẽt. Sic namque Gregorius Nazianzenus orat. 25. inquit: *Cum Seraphinis diuinam gloriam prædica primã eſſentiam hactenus indicantibus, quatenus eã ſtudioſis hominibus eorũ alæ paululũ aperiunt:* diuinæ videlicèt contẽplationis ſtudiũ ita librantes, vt nec *Scrutator maieſtatis opprimatur à gloria*, ſed per alarũ rimas timide & veluti conniuenti pupillâ intuens tẽperatâ luce perfruatur; nec à nimiâ nos lucedeterriti nihil de diuinis myſteriis Scrutari audeamus: Quâ ſanè mente imbutus Clemens Alex. lib. 5. *Stromatum* de

S. Ild.

Lactãt. Firm.

Greg. Nazian.

Cle. Al. Iuſt. M.

Nazian.

Cle. Al.

diuinorum inquisitione dicedat. *Ergo quærere, si non ad litem, sed ad intentionē tendat, est salutare: scriptum est enim in Dauide:* Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominū, qui requirunt eum: *Psal.* 21. *vers.* 27. *Qui enim quærunt verè inquisitione laudantes Dominū implebuntur bono, quod à Deo proficiscitur, hoc est cognitione:* Sic Clemens Sācti Iustini Martyris vestigia premens hoc argumētum præclarè tractantis *in expositione Fidei:* Vbi cum primum veluti à maiestate deterritus dixisset: *Cū audiam Paulū organū illud electū, qui in tertiū euasit cœlū, qui verba arcana audiuit, quæ nefas est homini elogui, qui in se ipso eloquentem habuit verborum subministratorē ipsum, cognitionis sibi particulā testimonio suo attestantē, & dicentē:* Nūc cognosco ex parte: *itē:* ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus 1. ad Cor. 13. vers. 9. *Quomodo eis, qui homines sunt, perfectā diuinorū contingere posse cognitionē credam?* Et paucis interiectis: *Illico autē, & nos arcana planè esse ineloquibilia scientes Dauidis ad rerū vniuersarū Deū protulerimus.* Mirabilis facta est scientia tua ex me cōfortata est, nec potero ad eam: Psal. 138. vers. 5. *Atq; hæc quidē, & dicere sanctū est, & sentire sanctius. Rebus item diuinis, quasi viā accedere, pij fuerit, & prudētis viri:* Deinde verò animū resumens sacra mysteria tēperatione adhibita scrutari, quantū perfici humanā diligentiā posit; ita suadet. *Quā ob rē diuina quātū ad inquisitionē satis est, & ad veræ Religionis cultū piè decet, considerabimus. Nō enim quod Deitas intelligentiā nostrā planè sit incōprehensibilis; propterea par est, nihil nos de eā omnino scrutari, sed in desidiā vitæ huius consumere tempus. Proinde iuxta mensurā à Domino cuilibet tributam studiosē quisque cognitionem inuestigare debet:* Hæc & alia S. Iustinus ibi.

Cle. Al. — *Psal.* 21. — *Iust. M. Ad Cor.* — 1. *ad Cor.* 13. *ver.* 9 — *Ps.* 138. *Vers.* 5.

II. Iam verò, ne illud nos ab hoc instituto deterreat, quod plures multo meliores nobis Scriptores de Mariæ laudibus, signatè verò de ipsius immunitate, & purissima Conceptione egerint fideiussoriam habemus Gregorij Nysseni, & Ioannis Damasceni excusationē nostris ausibus nō importunè accomodādam: Nimirum cum disseruisset potenter, & egregie contra vlurarios magnus ille Basilius; idē subinde argumentum non dubitauit pertractare frater eius, & quidē germanus Gregorius Nyssenus, illud præ animi sui modestia præfatus, non esse quod audaciæ, vel superbiæ insimularetur, quasi iunctis boum, aut asinorum paribus contenderet cum equis coronà redimitis: *Semper enim* (inquit) *cū grandioribus visuntur nōnulla humiliora. Nā onerariā nauim, quæque millenis mercibus referta à ventis hinc, inde impellitur, sequitur exigua quædam cymbula idem secans æquor: virisque athletico more depugnantibus eàdem lege digladiantur. & pueri:* Vt nos eodem sensu, & verbis affirmemus, præ opinioni de Deiparæ immunitate obsequium nos præstituros, si ad eiusmodi argumentum adeò splendide, & diligenter ab anterioribus per tractatū humiles nostræ deuotionis, & studij myricas adiecerimus; cum præ illarum exiguitate plus plus tantorum Doctorum onerariæ naues millenis doctrinæ mercibus refertæ emineant, necesse sit, & puerilis nostra contentio viros athletico more depugnantes magis commendet. A quo sensu non abit Damascenus oratione *de defunctis*, qui cum præmisisset. *Plerumque vsu venit, vt quod homines adultā ætate fugit hoc puer inueniat, & quod eruditos præterijt, indoctis in mentem veniat, & quod magistros fefellit discipulis occurrat*: Subijcit menti, & scriptioni nostræ per opportunè. *Quamquam ne hàc quidem oratione mihi ad vos vti licèt: Quin potiùs, vt qui racemulū aliquē*

Nyssen. — *Damas.*

post vindemiã relictã, aut spicam post demessas segetes ob ingẽtẽ fructuũ copiã neglectã, aut denique poma aliquot post collectos arborũ fructus obliuione transmissa congesserũt: ita nos, Deo iuuante, eos, qui voluerint, epulis accipiemus. Hæc Damascenus, quæ à nobis dicta putes, omninò velim.

III. Nec tamen ideò noua nos, & quæ ab aliis nunquã dicta, aut præscripta fuerint pollicemur; sed ea quidẽ, quæ vt noua non sint, nouè tamen dicantur, vt vel hac ratione iterata de eodem argumento tractatio non sit omninò infructuosa, vel iniucunda, vti

Chrisost. scite admonebat Chrisostom. homil. 2. *de fide Annæ*, in hunc modũ. *Nolitè moleste ferre, si rursus idẽ argumentũ tractare incipimus. Neque enim vetera dicemus, sed noua quædã, ac recẽtia: nã in conuiuio corporali ex eodem obsonio multa eduliorum genera potest aliquis confiçere: quin & aurifices videmus exeadẽ auri massa, & armillas. & inaures, aliasq; multas res aureas fingere. Quãquã enim eiusdem generis est materia, ars tamẽ est varia, neq; coarctatur similitudine materiæ subiectæ, quod ipsa sit çopiosa, variiq; artificij, multo verò magis spiritus gratia.* Hæc Chrisostom. cuius sensum dissimili quidẽ, sed non minus apposita, & ele

Gerson. ganti imagine vsus venerabilis Ioannes Gerson tract. 6. *in Magnificat* nostro de Mariæ laudibus instituto egregiè aptauit: etenim cũ præmisisset. *Veritas à quocunq; dicatur, est cõmunis omnibus, & singulis, quæ per generationes se trãsfert, vt loquitur sapiẽtia: sic si de meditationibus Anselmi, Bernardi, Augustini, Isidori, & similiũ fas esset nos remittere ad auctores: esset nihil quod nõ nouiter efficeremus afferre, nè corniculã alienis ornatã plumis, risui nos præberemus:* sic statim subiicit: *Nõ ita certè desipio, non ita glorior in arrogãtia nouitatũ, vt ita sentiã. Sed cõsilio Senecæ sint apes imitãdæ colligẽtes ex multis floribus fauos mellis: itaq; materiã afferre nõ possumus, nisi cõmunẽ toti sæculo. Forma verò potest esse nostra, vt elemẽta cõmunia sunt, sed per formas mixtorũ in species distinguũtur:* vndè cõcludit. *Cuperẽ hoc modo fieret inter nos. Modus enim tractãdi quasi formalis est tollens sui nouitate fastidiũ, & inuitãs, vel irritãs ad esẽtiam.* Hactenus ex Gersone suo quidem, & nostro nomine conscripta.

IV. Quãuis (vt dicã ingenuè quod res est) nõ omninò negauerim plura nos in his de Deipara voluminibus noua, quæ lucem hactenus non viderunt, non tam industria nostra conquisita, quam fortuna siue potius auxiliatrice Mariæ manu duce magno legentiũ plausu fore prolaturos. Porro cũ superiori anno ad electionẽ R. admodũ P. N. Francisci Picolominei (quẽ Præposito Generali Societas nostra optimè iure gloriatur, quæ eius suma Religio, singularis in tanto culmine modestia, copiosissima virtutũ, & doctrinæ suppellex, & immensa mentis, atque iudicij capacitas est) Romam conueniissemus, ad manus nostras felici sorte peruenit liber, qui paucorũ modo manibus teritur; aureus omninò, & pro nostro instituto locupletissimus: cui hic subest titulus: *PIETAS MARIANA Græcorũ, siue ex duodecim tomis Menæorũ, & Septẽ reliquis Græcæ Ecclesiæ volumnibus, nũquã in Latinũ traductis: rerũ, & cõceptuũ selectorũ: pars prima: interprete Simone Vangnereco Rio Societatis Iesu Sacerdote:* quod quidẽ volumen ipse voluminis Auctor siue interpres merito partum Aquilinũ appellat, quod eũ tot Aquilæ sublimes, id est tot Græcorũ sanctissimi PP. cõsociata, quasi fæcunditate genuerint, dũ scilicet in laudes amplissimas magnæ Dei Matri dicẽdas cõiuratis veluti ingeniis fęcũdacõcutiũt pectora: et in istud diuinæ virginitatis miraculum dicta dicũt acutissima: id est Apophthegmata propriè Mariana: ex quibus ad Mariæ immunitatem asserendam, quantum adiumenti hauserimus singulæ

libri nostri paginæ abundè ostendet: cũ tamẽ nõ fuerimus immemores pulchri moniti Senecæ epist. 84. *Apes debemus imitari, & quæcũq; ex diuersa lectione cõgessimus separare: melius enim distincta seruãtur. Deinde adhibita ingenij nostri cura, & facultate in vnũ saporẽ varia illa libamẽta confundere, vt etiãsi apparuerit, vnde sumptũ sit: aliud tamen esse, quam vnde sumptum est appareat* ita Seneca. *Seneca.*

§. II.

Deiparam cunctis laudationibus longè præstantiorem esse.

I. SED enim priusquã è portu soluamus nauim, tum animi propositũ, & affectũ ipso in limine planũ facere; tum Patrũ vestigiis insistens humanã infirmitatẽ; imo & Angelicã fortitudinẽ, atquè excellẽtiam Mariæ laudibus imparem profiteri; itidẽque diuinam opẽ obnixius deprecari, fuerit operæ pretium. Et quidem in re immunitatis Deiparæ meũ animi sensum solẽniter cõtestor ipsãmet verbis, quibus Petrus Cellẽs. lib. 6. epist. 23. hunc in modũ est vsus. *Cataractas cœli, & fontes abyssi libẽtius in obsequiũ Virginis soluerẽ, quã clauderẽ. Etsi Filius eius IESVS aliquid omisisset in prærrogatiua exsaltationis suæ Matris, ego seruus, ego mãcipiũ non quidẽ de effectu, sed saltem de affectu supplere gestirẽ. Mallẽ certè nõ habere linguã, quã aliquid dicere cõtra Dominã nostrã, aut eligerẽ non habere animã, quã vellẽ eius extenuare gloriã.* Sic Petr. Cellens. & ego omninò ex sensu, & verbis Petri. Sed placet vlterius pergere cũ Ss. Ildephonso *lib. de Virgin. B. Mariæ, c. 1. Beata fidei nostræ: beata tu animæ nostræ: beata dilectioni nostræ: beata præconiis, & prædicationibus meis. Prædicem te donec prædicãda es: diligã te donec diligẽda es: laudẽ te donec laudabilis es: seruiã tibi donec seruiendũ est gloriæ tuæ:* ita Ildeph. O verè iustũ, dignũ q; affectũ! O normã Mariæ laudibus celebrãdis aptissimã! *Prædicẽ te, donec prædicãda es: laudem te, donec laudabilis es:* vt videlicèt modus sine modo sit, quis enim modus adsit Mariæ dignitati. Sed & illud pulchrè, & opportunè dictũ: *Seruiã tibi donec seruiendũ est gloriæ tuæ:* vt Mariæ laudator nõ modo eius gloriã nõ extenuet, sed omnes etiã humani ingenij vires, neruosque ad ipsius gloriã amplificandã contẽdat. Huic Ildeph. & Petri Cellens. affectui addò votũ S. Iosephi Confess. Græci apud Menæa Græca 3. Ianuarij in Matutinis Ode 3. *de Baptismo Christi*, in Hirno, seu tractu Deiparam sic deprecantis. *O Deipara, quæ exsiliis fons viuus, atq; prædiues! illos, qui decantandis tibi laudibus chorũ instituerũt sacratum in diuina, quam de te habent exsistimatione, confirma, ac demũ glorioſis in cœlo coronis dignare.* *S. Ildep.* *S. Ioseph*

II. Verumenimverò occurrũt nobis statim PP. ingentẽ tantæ rei difficultatẽ præsentientes: et primũ Leo Imperator æquè sapiẽs, ac Augustus oratione *de dormitione Deiparæ*, clamãs. *Quæ linguæ facultas? Quod orationis flumẽ ad hoc argumentũ aliqua saltẽ ex parte dignè tractandũ, quod laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima hominũ, Angelorũq; Domina exhibet.* Deinde S. Petr. Damian. serm. 2. *de Natiuitate Virgin.* similitèr interrogãs. *Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitoriũ verbũ, quæ illud de se protulit verbũ, quod manet in æternũ? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illũ genuit cui omnia benedicũt, & cũ tremore obediũt elemẽta?* subiicit: *Nã dũ cuiuslibet Martyris fortia facta extollere cupimus, dũ virtutũ eius insignia ad Redẽptoris nostri gloriã prædicamus, etiãsi ad cogitãdũ tardior sensus impediat, vel ad loquẽdũ balbutiẽs linguanõ suppetat, verborũ tamẽ copiã ipsius rei materia subministrat: cũ verò beatissimæ genitricis Dei laudes scribere volumus, quia noua, & inaudita sunt, quæ tractãda suscipimus, nulla inuenimus ver* *Petr. Cellens.* *S. Petr. Dam.*

ba, quibus ad hæc dignè exprimẽda ſufficere valeamus. Tollit enim facultatẽ ſermonis materia ſingularis. Itidẽque
S. Baſil. Seleuc. S. Baſil. Seleucienſ. orat. 39. perquirens. *Quo laudũ floredebitã illi plectemus coronã? Ex ipſa enim flor Ieſſe germinauit, genuſq; noſtrũ gloria, & honore coronauit? Quæ digna ſatis in eã munera conferemus; cũ infra eius dignitatẽ ſint mundana omnia?* Nãſi de aliis ſanctis Paulus dixit. Quibus dignus
Hebr. 11 verſ. 38. nõ erat mũdus (*ad Hebræor. 11. verſ. 38.*) *quid dicemus de Deipara, quæ tãto ſupra omnes Martyres reſplẽduit, quanto ſtellas præfulgurat Sol?* Nec
Bernar. minus copiosè Bernard. ſerm. 2. *ſuper ſalue Regina*: ipſam Deiparã ſic alloquẽs. *Eleuata eſt magnificentia tua ſupercœlos, & ſuper omnẽ terram gloria tua; ita vt neq; in cælo inueniatur creatura, quæ tuã dignè laudare queat magnificentiã, nec in terra ſit, quæ gloriam tuã exprimere valeat. Nemo enim neq; in cœlo, neq; in terra inuentus eſt dignus aperire librũ prærogatiuarũ tuarũ, & dignè ſoluere ſeptẽ ſignacula eius. Plenitudinẽ gratiæ, Aduentũ Spiritus Sancti in te, Virtutis altiſsimi obũbrationẽ, Verbi cõceptionẽ, quod ſine grauamine grauida, ſine dolore puerpera, virgo pariter, & fecunda, quis enarrabit?* Pergit: *Viri diuitiarũ multi de ciuitate Domini virtutũ miſerunt manus ſuas ad hæc fortia: et tamẽ multitudinẽ diuitiarũ harũ ad liquidum cõprehendere nõ potuerunt: quia inueſtigabiles viæ iſtæ, & inſcrutabilia vniuerſa: Conati ſunt, & nõ datũ eſt vltra; dũ adhuc ordirẽtur ſucciſi ſunt. Quis enim loquetur potẽtias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Sic Bernard. cuius ſenſa iã pridẽ expreſſerat S.
Ioannes. Euch. Ioannes Euch. in Menæis Græcis 3. Ianuarij Ode. 9. canonis ſecũdi ſcitè affirmans amplitudinẽ dignitatis Mariæ laudatoribus ſuis magnas anguſtias creare, ita enim ille. *Maximarũ laudum tuarũ patentiſsimus cãpus me in anguſtias redigit Domina, & orationẽ meã vbertatẽ rerũ dicẽdarũ ſuffocat ſicq; mihi præter omnẽ modũ, & morem ipſa paupertas ex abũdãtia naſcitur.* Ita ille. Nec alitèr apud eadẽ Menæa Græca, tũ S. Ioſephus Confeſs. die 15. Auguſti Ode. 9. de B. Virg. Maria inquit. *Illa creatura vnica ab omnibus nauis intacta, quam omnes hominũ linguæ in vnũ collectæ Angelorũ itẽ omniũ ora prædicatione digna proſequi nequeunt*: tũ etiam S. Theophan. 9. Februarij Ode 1. de S. Nicephor. inquiẽs · *Etiã cæleſtis intellectus ad incomprehenſum tuæ dignitatis myſteriũ pari ſubtilitate penetrandũ revera ſe hebetẽ ſentit: O ab omnibus certatim laudata!* ita Theophanes.

S. Ioſeph *Theoph.*

At enim plures PP. ſignatè verò S. Damaſc. & S. German. Patriarcha Cõſtantinopolitan. necnon Philipp. Abbas, vt præfatã difficultatẽ perſenſerint; & impar humanis humeris laudũ Mariæ pondus experti fuerint; illi tamen ſuccũbere minime voluerũt, imò verò vires, & animos a tãtæ rei magnitudine ſumpſere: etenim Damaſc. orat. 1. *de Aſſumption. Virgin.* cũ præmiſiſſet. *Hanc non hominũ lingua, nõ mundo ſublimior Angelorũ mẽs ſat dignis laudibus efferre poteſt, per quã Domini gloriã perſpicuè intueri nobis datũ eſt*: ſtatim, vt & ſe, & nos pariter ab audacia excuſaret, itidẽq; ad Deiparã collaudandã accẽderet; hæſitationi ſic occurrit: *Quid ergo? An quia eã pro dignitate laudare minimè poſſumus, id circo metu repreſſi cõticeſcemus? Minimè ſanè. An rurſus trãſultoriè (vt dici ſolet) incedemus, noſtroſq; limites ignorabimus, excuſoq; timoris fræno ea impudẽter attingemus, quæ attingi nefas eſt? Nè id quidẽ certè; quin potius tẽperata metu cupiditate, cõtextaq; vna ex vtroq; corollà cũ ſacra reuerẽtia, tremẽte manu, ac cupido animo vires, ingenij noſtri primitias Regiæ Matri de vniuerſa natura benemeritæ grato, candidoq; animo, tanquam debitum quoddam perſoluemus:* Hæc ibi Damaſcenus, quæ à nobis, tametſi nullo modo is ſi-

III. *Damaſ. S. Germ.*

mus,qui numerari ſeruis Mariæ poſsimus;omnino dicta volumus: quippe cum Deiparæ laudibus operam nauamus,nihil agimus gratuitum, ſed debitum quoddam ipſi perſoluimus, à qua quidquid ſumus, & quidquid felix,fauſtumque ſperamus, omnino habemus: Sed eâdem itidem mente imbutus Damaſcenus orat.2.*de Aſſumptione Virginis*, in hunc modum diſſerit. *Damaſ.* *Etſi nemo eſt mortalium, qui ſacroſanctum Dei Genitricis diſceſſum pro dignitate laudare queat, nè ſi ſex centas quidem linguas, totidemque ora habeat, imò & ſi omnes toto orbe diſperſæ linguæ in vnum coeant, eius tamen laudes oratione conſequi poſsent (ſiquidem ipſa encomiorum omnium legem excedit) tamen quoniam Deo gratum eſt,quòd pro viribus fit, atquè ex amore,& zelo,probaque voluntate offertur,grataque Dei Matri ſunt ea, quæ Filio grata, atque accepta ſunt. eam rurſus laudare aggrediamur.* Hactenus S. Damaſcenus.

IV. Concinit iis S.Germanus;imò pulchrè pergit adſtruēs tunc nos ſignatè debitum laudum Deiparę perſoluere,cùm maximè ſoluendo nō ſumus, quod noſtra inopia, materia locuples gloriæ ipſius,& gratiarum actionis noſtræ fuerit. Nimirùm cum ipſe in oratione *de Natiuitate B.Virginis* prius dixiſſet: *Quis te glorificans, non vſque te celebrauit, ſimul egregriè incipiat,ac non denuo ad laudum tuarum præſtantiam celebrandam reuertatur.Pro dignitate enim deprædicare te nemo poteſt*:ſubdit eleganter. *S.Germ.* *Qui per omnia laudare te nequit; aſsiduè te prædicans ſupra mentis debitū perſoluere conatur: cum enim multorum debitor rependere, ac paria facere non poteſt gratiarum actionem accumulat.* SicGermanus,& quidem germanè,ſed & hanc nobis mentem Angelorum exemplo adhibito ſtudet nobis iniicere Philipp. *Philipp.* Abbas lib.4.in Cant.cap.1.vbi dùm inducit Angelos admirantes Deiparæ magnitudinem, & ſeſe eius laudibus impares profitentes: hunc in modum loquitur. *Hærent, ſtupent, neque dignè ſufficiunt admirari, nec inueniunt, quibus cum laudibus poſsint congruè venerari: illos quidem affectuoſa deuotio commonet, vt quid dicant, conſideratio vero mirandæ magnitudinis reuocat, nè quid dicant. Parum enim ſibi videtur, & inſufficiens quidquid dicant; dignos tamen arguī ſe putant, ſi penitus nihil dicant. Mirùm quidem: dicendi copia inopes illos facit, & nimirùm inopia grandi nequaquam deſiderio ſatisfacit. Dicunt tamen vt in nobis affectū ſuſcitent audiendi, nobisque auditoribus qualemcunque fiduciam dent dicēdi. Neque enim quiſquam noſtrum dicere tantæ Virginis laudes attentaret, ſi Angelorum excellentia veluti ſibi non ſatis conſcia penitus refutaret. Sed eorum, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus forma, & ſolicitudine commonemur, vt pro poſſe qualicumque, & nos Virginē laudibus veneremur.* Hęc, & plura in hanc rem Philippus ibi. Quibus opportunè concinit Eccleſia Græca in Menæis die 12.Maii Ode. 9. de S. Epiphanio in clauſula,his verbis. *Omnes Rethorum leges ad ritè laudādum inuentæ, magnitudine gloriæ tuæ vincūtur, ò genitrix Dei! Nihilo ſecius clementer accepta, quaſi tibi deferimus laudes famuli ad te laudādam indigni bona tamen voluntate permoti.* Ita ibi. *Ric.à S. Laur.* Quibus ego addiderim cum Ricardo à Sancto Laurentio in prologo libri de laud. Virg. *Malui cum mihi deeſſent coccus, & hyacinthus, & byſſus, & purpura de pilis caprarum deuotus offerre, quam in conſpectu B.Virginis vacuus apparere.*

V. His eas rationes ad Mariā collaudandam placet ſubiicere quibus Sāctus Proſper ad ſcribendos libros *de vita contemplatiua*, dum huic argumēto ſeſe imparem agnoſcebat, hunc in modum ſe ipſum animabat in prologo eius operis. *Proſper.* *Hoc quoque mihi aliquid fiduciam dabat audendi, quod*

magna-

magnarum rerum magnus ipſe conatus eſſet, etiamſi nullus diſputantẽ ſequeretur effectus. Siquidem neceſſariarum tractatio quæſtionum, etſi non inſtruit non inueniẽtis, quòd quærit animum, exercet ſaltem quærentis ingeniũ: aut vt nouerit ſe quærẽdo, & nihil inueniendo neſcire, quod ſe fortaſſe noſſe præſumpſerat, & ignorãtiæ ſuæ conſequenter admonitus, quod ſibi deeſſe viderit, quærat, & quod tenuerit diligenter exerceat: aut ſi quod ſibi de diuinis literis propoſitũ fuerat, ſalubriter tractare, & ſufficienter explicare potuerit, non de inuentione veritatis infletur, ſed in Domino, qui eum intus illuminauit, vt illuminata cognoſceret, glorietur. Hęc Proſper: ex quibus illa nobis omninò ſumimus: *in magnis voluiſſe magnum eſſe*: itidẽque æque forè glorioſum in Deiparę laudibus ingenium quantulumcumque id fuerit, exercuiſſe, & ignorantiæ noſtræ admonitos penitus noſſe, nil tanto argumento conſentaneũ inuenire potuiſſe. Sed & Proſpero huius ſenſus conſortem adiungo Hilarium lib. 2. de Trinitate, qui ad ſimilem rationẽ reddebat ſobrie, & timide ſcrutandi myſterium Trinitatis hunc in modũ. *Hilar.* *Inſere te in hoc ſecretum, & inter vnum ingenitum Deum, & vnũ vnigenitum Deum arcano te inopinabilis Natiuitatis immerge. Incipe, procurre, perſiſte. Et ſi non perventurum ſciam, gratulor tamen profecturũ: Qui enim pie infinita perſequitur, etſi non cõtingat, aliquando tamen proficiet prodeũdo*: Ita ibi Hilarius, qui in calce totius pœnè operis Deum tam piè, & reuerenter, quàm noſtro inſtituto opportunus alloquitur: *Non præiudicat de te ſenſui meo naturæ noſtræ infirmus, imperfectusque ſermo, vt fidem intra ſilentiũ ſtrangulet loquendi inopia.* Hæc ille mihi vndequaque accommodãda, vt Mariæ laudationem, quam adornamus non ſtrangulet loquendi inopia: ſed incipere, procurrere, perſiſtere conſtans ſit animus, inquiens cum Damaſceno in Menæis Græcor. 27. Ianuar. Ode. 1. de B. Virgine: *Salue, ò Domina decies millies honorũ vocabulis digna*: et indidem Ode. 9. de B. Virgine inclauſula: *Salue portus ſerene. Salue impermeabile*, atquè *dulciſſimum mare, quòd Pharaonem ſpiritalem in profundum demergit! Amor ac deſiderium tui cor meum telo amabili fodicat; ſuaque me violentia cogit vt ſonãti voce perpetuas tibi ſalutationes cumulare non deſinam*: et cum S. Theophane 9. Februarij poſt Oden. 9. *Laudem cum gratiarum actione cõiunctam velut duo viduæ illius minuta offero tibi: ò Domina! pro omnibus, ac beneficiis mihi collatis. Tu enim es cognitiſsima mihi tutela, atque ſubſidium; cuius vi omnes ſemper inſultus, atque ærumnas euaſi.*

A *Damaſ.*

B *Theoph.*

§. III.

MARIAM interpretum, & laudatorum ſuorum animas ad ambulandam ſalutis viam dirigere, & benedictionibus coronare.

C

I. IAM verò, quid nos à laudibus Marię celebrãdis abſterrere poſſit? Imò potius qua ratione ad ipſam pro viribus laudandam non excitabimur? Cum & hac omnino de cauſa, quòd è fidelium numero ſimus felix iſtud laudum debitũ Mariæ perſoluere teneamur: et eam benemerẽti vicem rependamus; quæ in nos aucto ſalutis cenſu reciprocetur: et de prima quidem ratione S. Sabbas in Menæis Græcis 5. Ianuarij Ode. 9. *de S. Theopempto, & Theona*, in clauſula: ita nos monet *illam, quæ eſt Mater ſupra naturam, ſed Virgo ſecundũ naturam: illam aio benedictã inter mulieres ex debito in hymnis magnificamus, quicumque de fidelium numero ſumus*: ita ille: pulchrè: *ex debito quicunque de fidelium numero ſumus*: vt dixerit, vt debeas Mariam inceſſanter luadare, ſatis eſt tibi fidem habere,

D

E

S. Sabbas.

quin

quin fuerit opus aliam causam, siue rationem perquirere, cum à Fide habeas ipsam Dei genitricem esse: *nec dubium sit* (ita Bernard. homilia 4. *in Missus est*) *quidquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere:* atquè ideò Gofridus Cardinal. serm. 8. dissertè & animosè omnes ad laudãdam Deiparam hunc in modũ exhortatur: *Nihil in huius Virginis laudibus hæsitemus: honorat siquidem Filium, qui laudat Matrem; sine cuius laude Deo placere impossibile est: et cũ laude eius ei displicere nemo potest. Hanc igitur sanctissimam, & admirabilem Virginem laudemus: quia Virginis Filio placere, sine Virginis Matris laude non possumus. Diligamus eam sicut charissimam Domini Matrem, quam ipse dilexit, vt propriã carnem:* Hæc omnia Gofridus, non tàm argutis, quàm piis auribus accipienda, quin sit ad viuum resecãdũ illud: *Sine cuius laude Deo placere impossibile est: et cum eius laude ei displicere nemo potest:* Sed commodo accipiẽdum sensu; quasi omninò per gratum Deo sit, Matrem eius laudare, & insulsum quodammodo, & inconditum obsequium; quod Mariæ laudes secũ simul non ferat. Ad hæc si fidelis es: omninò noueris Mariam, & Reginã, & Matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem, spem, & aduocatam nostrã esse, per quã vt idem Bernardus ait, mundus habet omne bonum, & habiturus est, & idcirco concordi omnium fidelium voce, calamo, cantuque celebrandam: ita quidem S. Ioãnes Euchaita apud Menæa Græca 30. Ianuarij Ode. 1. canonis primi de Ss. Basilio, &c. Ipsam sic laudabat: *Te tãquam amabile cunctorum mortalium decus celebramus vniuersi hymnis cãtandis in vnum veluti labium, vnamq; vocem collecti:* subiicit pro secũda ratione, quam proposuimus: *Quare, ô Palatium Verbi! nos quidem viles, sed tamen tuos ad cœleste Regnum admitte:* ita ille.

Bern.

Card. Gofred.

S. Ioann. Euch.

A

B

C

D

E

Sed vtramque rationem satis dilucide persecutus est S. Basilius Seleucensis orat. 39. hunc in mundum. *Cũ multa nobis bona, quæ nullius oratio possit assequi, Deiparæ opera nobis cõtingant, eam benemerenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur.* Ita ille: apud quem obserua; Marię laudationẽ, tum debiti solutionem esse: tũ in nos subinde aucto sensu reciprocari, dũ eâ ratione noua ab ipsa consequimur beneficia: Cui cogitationi opportunus est Salomon, Prouerb. 31. vers. 28. *de laudationibus Virginis,* hæc pronuncians: *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt:* Sed pende Hebræum verbũ *ieafroah,* quod actiuè, & passiuè sumi potest; ac proinde à nonnullis transferri: *surrexerunt filij eius* (scilicet ad laudandã Deiparã) *& beatificati sunt:* ad quẽ modum LXX. reposuerunt *surrexerũt filij eius: et diuites facti sunt:* vbi omninò vides Deiparã laudare; & beatificare, idem esse ac beatum, & felicem, & diuitem reddi, dum ipsa laudatoribus suis vicem rependit; atque eos beneficiis ornat, & diuitiis spiritualibus cumulat: appositè in hunc sensum concurrentibus S. Sophronio Patriarcha Constantinopolitano, & S. Iosepho Confessore apud Menæa Græca: quorum prior die 30. Ianuarij in vesperis *de S. Basilio* fideles ad Virginem laudandam inde signatè vrget, quòd ipsa laudatores suos benedictionibus coronet: sic enim ait: *Idoneas canticis tubas inflemus. Quippè de cœlo proficiens vniuersorum Regina suarum laudum declamatores benedictionibus coronat:* Iosephus verò die 4. Ianuarij Ode 9. de 70. *discipulis,* in clausula ad Mariam sic clamat, & exclamat: *O inuiolatissima genitrix Dei, Angelorum, & hominum decus: illorum denique omnium salus quotquot assiduis tibi vocibus gratulãtur, ac plaudunt:* Vides vt beati felices, & benedictionibus coronati eant, quotquot Deiparam beatam prædi-

II.

S. Basil. Sel.

Prouer. 31. vers. 28.

S. Soph.

S. Iosep.

cant;

cant;& feliciter laudant. Vice in illos ab ipſa vberrime repẽſa, *Diuites (inquit) facti ſunt:* quâ ratione? Aut quo modo? Ab ipſismet ſcilicet debitis laudibus: *Dum eam benemerenti vicem rependunt, quæ in ipſos reciprocatur:* Sed enim cum Sophronio affirmante Mariæ laudatores benedictionibus coronari ſenſum commu nem habet S. Bonauentura in Pſalterio vbi ad Pſalm. 43. cum minimè ignarus ingẽtem bonorum, ac benedictionum theſaurum adipiſci illos, qui laudandæ Virgini ſedulam impẽdunt operam, illorum ſpe allectus ad eius ſubinde laudes animam excitaſſet inquiens: *Exſulta anima mea, & lætare in illa: quia multa bona ſunt eius laudatoribus præparata:* ad Deiparam ſtatim conuerſus, & ipſam ſimul laudabat; & laudatoribus ſuis beneprecabatur hunc in modum: *Benedicta ſit Regina cœlorum, & Angelorum: & benedicantur à Deo laudatores magnificentiæ tuæ.*

III. *Eccl.* 24 *verſ.* 36. Illa verò in hanc rem pro Mariæ laudatoribus opportuniſsima verba ſunt, quæ ipſamet Domina ad ſolatiũ ſeruorum ſuorum teſtatiſsima reliquit apud Eccleſiaſticũ cap. 24. verſ. 36. *Qui audit me non cõfundetur, & qui operantur in me, nõ peccabũt. Qui elucidant me vitam æternam habebũt:* vbi cum primum, & auditoribus ſuis honorem, & bonum nomen promittat, & deinde iis qui in eius obſequiũ & laudem aliqualem operam nauãt, auxiliarem manum polliceatur, nè in peccatum dilabantur, aut ſi malo fato lapſi fuerint vt ab illo reſurgãt vti ipſam opportunus exorabat S. Sophronius Patriarcha Cõſtantinopolitanus in Menæis Græcis 8. Ianuarij Ode. 3. *de S. Georgio Chozebita* in clauſula inquiens: *Metuum in hymnis laudatorem, qui indignas venia culpas admiſi, dirige ad ambulandã Pœnitentiæ viam. O quæ peperiſti verbũ, quod tollit peccata mundi!* tandem Scriptoribus, & Magiſtris ſuis ſcriptis, & libris Deiparæ laudes celebrãtibus, & ad eas cunctos exhortantibus, & vrgentibus, non aliam quidẽ quam vitę æternæ, qua nihil maius, nihil æquale eſt, liberaliter repromittit: ſic explicantibus hæc verba Richardo de S. Laurentio libr. 12. *de laudibus Virginis*, & ſapientiſsimo Idiota *in contemplatione Mariæ*, cap. 1. Etenim ille componens cum his verbis ea quę ſtatim ſubiungit Eccleſiaſticus: *Hæc omnia liber vitæ, &c.* cum ſingulas huius ſententię particulas penitaſſet inquiens: *Felix ille qui è libro iſto quantulamcumque lectionẽ quotidie memoriæ commendabit, & hoc eſt, quod dicit liber iſte de ſe ipſo:* Qui audit me non confundetur: *Ecce informatio, & præmium auditorum:* et qui operantur in me; *ideſt ſecũdum quod doceo,* non peccabunt: *Ecce lucrum præcepta huius libri facientium:* tandem concludit: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt: Ecce præmiũ docentium:* Sic Richardus: Idiota verò luculentius, & ardẽtius Deiparam ſic alloquitur. *Impetrẽ tuis aſſiduis poſtulationibus, vt te laudem: te glorificem: te benedicam: tuas virtutes enarrem: tua mirabilia nunciem: tuam exemplarem, & Deificam vitam prædicem: ſcripta de te elucidem: vt habeã in laudibus tuis vitam æternam, imò in vita æterna laudes tuas, & ſuperbenedicti Filij tui concinam: Quia ſcriptum eſt.* Qui elucidant me, vitã æternam habebunt. *Quod ſi de tuo Filio, qui eſt Dei ſapientia id dictum eſt: de te etiam, quæ es eius ſuper exaltata, & ſuper benedicta Mater, id negãdum non eſt:* Hactenus ſapiẽs ille pulcherrimè laudibus Mariæ vitam ęternam; & vitæ æternæ laudes Mariæ aſſignans, vt alibi expendimus.

Richar. à S. Laur.

Idiota.

Soproh.

IV. *Cant.* 1. *verſ.* 11. Ad ſtipulatur his cœleſtis ſponſus Cant. 1. verſ. 11. dum de laudibus Mariæ ab Eccleſiaſticis Scriptoribus per omnes generationes indeſinẽter tribuendis: ita illimet ſuggerit. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas*

tas argento. Quæ verba sic opportunè retulit Rupertus ibi ad Mariæ laudatores retulit, vt per murenulas (quæ eo in loco ornamẽta colli sunt; dum aurum in virgulas lentescens in torquem vario flexu conformatur) significentur laudes, & præconia Virginis, quæ vocantur *aureæ* ratione sapientiæ, qua Doctores illas contexunt: ratione verò eloquẽtiæ, & multiplicis eruditionis dicantur, *vermiculatæ argento* indeſt variatæ, & distinctæ, siue vermiculis argenteis interpunctæ. Sed Rupertum ipsum audire est operæ pretium: qui cũ Deiparam alloquẽs præmisisset. *O Virgo Virginũ quo modo factũ est istud, quia nec prima similem visa est, nec habere sequentem! Laxa vocis iter, et collem tuũ silentio cõmunitum pande interdum: et tatis auribus amicorũ, vel breuiter eloquendo committe secretũ: vt dicas nobis, quo modo, vel per quid altissimo placueris: qualis ille tibi fuerit primũ in corde, siue in vtero: deinde in conuictu, siue in colloquio, dũ lactares vberibus, dum gestares eũ vlnis*: subiicit, tãquam cæterorum, murenularum, siue artificiosæ, & ornatæ laudationis Mariæ artificum nomine: *Sumus enim fidei artifices, argentarij fideles, & ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis, & gratiarũ actionis benedicendo, & gratias agendo: quia sic fecit tibi, ita vt non sit locus, vbi vox laudis huius non audiatur, vox sonora laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans iugiter se ambiat: et quodammodo de collo tuo dependeat*: Hæc Rupertus: ecce tibi murenulas Mariæ collo appensas; quibus ipsa elucidatur: et indefinenter ad finem vsque mundi ab Ecclesiæ Scriptoribus celebrabitur: pulchrè in hunc sensum inflectente Richardo à Sancto Laurẽtio lib. 10. *de laudib. Virginis*, ea verba Psalmi 88. vers. 5. *Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam*: vt Maria, quæ excelsa Dei sedes est, per omnes in perpetuum generationes nouis laudibus cumulata semper, & indefinenter ædificetur: sic namque ille: *Adhuc autẽ non cessat hæc sedes quodãmodo ædificari: quia ad honorem eius quotidie nouæ Ecclesiæ ædificantur: noua altaria dedicantur: et quæ inuetera uerunt, renouãtur, & ad ostendendã ipsius gloriam à Modernis de ea Sacræ Scripturæ multiplicitèr exponuntur: & ideò dicit ipsa.* Qui elucidant me, &c. Hæc ex Ricardo: quæ signatè pro sæculi cæterà infelicis, & in peiora ruentis salute fideiubent, cum illud in Mariæ laudes & obsequium maximè pronum, & profusum videamus.

Ruper. *Psal. 88. vers. 5.* *Richar. à S. Laurent.*

V.

Sed videamus non modo istos murenularum artifices benedictionibus cumulatos, quòd hi qui Deiparam elucidant vitam æternã habituri sint; sed etiam eam singillatim epitasim Canticorum verbis subesse vt iuxta Basilij Seleucienſis thesim eam laudatores Virginis benemerenti vicẽ rependere, quę in ipsos reciprocetur: Nimirùm dum murenulæ, siue præconia laudum Mariæ ex ipsius collo pendere dicuntur: simul enunciantur, hęc ad Mariæ aras laudationum ornamenta appendimus; cum vberrimo gratiarum fœnore in nos recurrere siue reciprocari, cum à Capite Christo per Virginis collum omnis donorum, & gratiarum influxus in membra deriuetur: vt perinde sit Mariam laudibus ornare, ac ab ipsa per Filiũ donis cumulari gratiarũ Dei influxu per Mariã, tanquã per collũ in eius laudatores recurrẽte: quibus eâ de causa Dei Filius sese dulcissimũ, & omni Ambrosia, & Nectare suauiorẽ exhibet: vti Græca Ecclesia in Mæneis 3. Aprilis Ode. 9. *de S. Niceta*, Deiparã salutãs sic canit. *Quẽ tu imbrẽ de cœlo, vt vellus excepisti in vtero, eum ita dulcem peperisti, vt ille omnibus Ambrosiã, seu Nectar quoddam exhiberet: omnibus inquã, qui & illã adorant, & te ceu genitricẽ illius di-*

Ecclesia Græca.

uinam omniũ linguis collaudat ã magnificant: Sic ibi: vbi pulchrè adstruitur Deum à Maria, tanquam à collo dulcem, in membra ipsam laudantia deriuari. In quam etiam sententiam S. Ioſephus confeſſor apud eadẽ Menæa 3. Ianuarij in Matutinis precibus Ode. 5. *De Baptiſmo Chriſti* in hirmo, ſeù tractu ſic abſolutiſsimè loquitur: *Omnia percelluntur admiratione propter diuinam gloriam tuam. Tu enim, ò nuptialis lecti inſcia Virgo! in vtero Deum, qui eſt ſuper omnia, portaſti: talem ſcilicet Filium ab æterno, qui fuit. Quin etiam omnibus in laudem tuam effuſis, animæ ſalutem largiris præmij loco:* Hæc ille. Audis? *Animæ ſalutẽ largiris præmij loco.* O ingentẽ, & diuinam retributionẽ! O felicem illũ, qui in Marię laudes totos neruos cõtendat! Nec cõtentus ſemel id affirmaſſe, ibi S. Ioſephus: iterum apud eadem Menæa 4. Ianuarij Ode. 9. *De 70. diſcipulis* in clauſulà in eandẽ ſententiam ad Deiparam ſic exclamat: *O inuiolatiſsima Genitrix Dei Angelorum, & hominum decus! illorũ denique omniũ ſalus, quotquot aſſiduis tibi vocibus gratulantur, ac plaudunt:* Hæc ille.

S. Ioſeph Conf.

S. Theo.

S. Anſ.

S. Ant.

VI. Vtiam hinc ex Patrum mente obſequium laudum Beatiſsimæ Virgini rectè impenſum pro ſigno, & charactère Prædeſtinationis ijs eſſe videatur, qui Deiparam laudibus ex animo in ipſam prono intimo affectu proſequuntur. Quid enim aliud apud ipſos fuerit? Deiparã ijs, qui in laudes eius effuſi ſunt, *animæ ſalutẽ largiri præmij loco.* Quid? Laudatores ſuos *benedictionibus coronare?* Quid? *Horũ ſalutẽ eſſe?* Enim verò idem met S. Ioſephus die 4. Martij Ode. 8. & 9. de *Sãcto Benedicto* hanc veritatem ipſis met oculis ſpectandã quodammodo proponere geſtit Deiparam allocutus. *Ecce tuus ille Filius laudatores tuos propalã in cœleſtis Patris ſui filios adoptare cernitur:* Hæc ille. Tãti ſciliceèt eſſe Mariæ laudatorẽ eſſe, vt hinc adoptionẽ filiorũ Dei pròpalã conſequi videatur. Nec aliter quidẽ cenſet S. Theophanes apud eadẽ Menęa die 16. Ian. Ode. 5. canonis primi, dũ Deũ Matris ſuæ laudatores, vſq; ad diuinitatis aſpectũ exſaltare ſic affirmat. *O omnium celebrata vocibus Virgo! Te multo illuſtriorẽ ſe ipſo agnoſcit Sol ipſe, vtpotè ex quà prodijt indutus hominẽ Deus, qui Cultores tuos, vſque ad lumẽ ſuæ diuinitatis exſaltat.* Alibi verò idemmet S. Ioſephus nẽpè 6. Martij Ode. 4. *De SS. MM.* Deiparæ inquit, *tuæ gloriæ magnitudinẽ celebrãtes, immortaliũ in altiſsimis præmiorũ hæreditatẽ obtinuerũt.* Pro his verò Græcis PP. abũdè ex Latinis fideiubet S. Anſelmus *lib. de excellẽtiâ Virginis*, c. 4. animoſe pronũciãs. *Cui datũ eſt dulci ſtudio ſæpè poſſe cogitare de Beatâ Virgine magnũ is promerẽdæ ſalutis habet indicium:* Sic Anſelmus; ad cuius guſtũ S. Antoninus 4. part. tit. 15. c. 14. verſ. 7. & è recentioribus plurimi loquuntur.

Eccleſ. Græca.

Illud verò peculiarem vim, & venuſtatem in hanc rem habere videtur, quod ab Eccleſia Græcà in Menæis 8. Aprilis *de S. Herodione, Agabo, & Socijs* obſeruatum eſt: nempè Deiparam tantam hanc ſuis laudatoribus felicitatem à Filio ſuo, tunc temporis exoraſſe, & obtinuiſſe; cum ipſe pro Redẽptione mundi in Crucẽ animam ageret; qui eà ſignatè inter alias ratione, ſe fore reſurrecturũ Matri mærenti, & benemerenti promiſit ſuæ, vt eos qui ipſam collaudarent, ipſe glorificaret: ſic enim ibi: *Ille qui ex viſceribus tuis carnẽ aſſumpſit, Te ſub Cruce lachrymis cum acerbiſsimo dolore coniunctis perfuſam aſpiciens, vim miſerationis incredibilem ſenſit: vnaque luctu tuo velut ſolatiſſorem aſpergens, clarà tũ voce affatus fuit, vt Filius. Deſine, inquiens, lachrymari, ò Mater! licèt enim ſpõte meâ, & patiar iſta, & moriar, paulò poſt tamẽ à mortuis ſurgã, vt glorificẽ omnes, quicũq; te laudib⁹ veneràbũdi celebrãt:*

Hæc ibi Græca Ecclesia omne obseruatione in hanc rem digna: Quis nãque ea expendens non sese felicissimum reputet; si in censu laudatorum Deiparæ inueniatur? Quando Dei Filius, vt luctui sanctissimæ Matris velut solatij rorem aspergeret, laudatores eius se glorificaturum promisit?

VIII. Dixeris quidem, vt hæc omnia ad cunctos Virginis laudatores generaliter spectent, ad illos tamen, qui in propugnandâ immunitate ipsius ab omni originaria labe sedulã operam nauant, signatissimè pertinere, quasi hi singillatim dicantur Mariam elucidare, qui ipsam ab omni nebulà, & tenebris peccati originalis vindicant; & solis radijs puriorem, & splendidiorem faciunt: opportunè siquidem vita promittitur ijs, qui dilectione Dei, & Mariæ ducti Deiparam à morte peccati reddunt immunem; & merito benedictionibus a Deo coronantur, qui eius Matrem à maledictione peccati defendũt. Quare obserua ad præfata Ecclesiastici verba: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Lectionem Tigurinam, quæ habet *Interpretes mei, &c.* Subest siquidem peculiaris epitasis voci *Interpretes*, si cuius est munus, non modo obscura exponere, sed etiam in re aliquà agendà medium, & veluti cõciliatorem esse, vt apud poetam. *Tuque harum Interpres curarũ, & concia Iuno*: Vt videlicet piæ opinionis DD. non tantum Immaculatæ Conceptionis mysterium exponant; & quos aduersariæ opinionis Auctores inijciunt scrupulos omnino, eijciant atque omni modo, & ratione ijs satisfaciant; & aspera in vias planas dirigant; verum etiã omnium animos huic veritati credendæ, & propugnandæ concilient; atque ea propter *vitam æternam* habeant; vt qui Mariam semper Victricem, semper Dominam, & Reginam agnoscunt; & publicè profitentur, & docent, vice iure repensâ cum Dei Filio in throno regià maiestate cõspicuo consideant: ita id affirmante S. Iosepho confessore in Menæis Græcis die 20. Maij Ode. 9. de S. Thallæo M. in clausulà: dum ait. *Tu næuorum expers, ò Domina, Regis omniũ thronus effecta es, in quo residens Christus à ruinà iam inueteratà nos erexit, vnàque dignatus est Diuino Trinitatis consessu omnes illos, qui te pari cum amore, & fide magnis afficiunt laudibus.* Hæc ille: vbi (si attendis) non ingratus præmisit: *Tu næuorum expers, ò Domina*: vt Mariæ laudatores instituere; tunc illos signate ipsam *cum amore* magnis laudibus ornare; cum ipsam ab omni næuo siue actualis, siue originalis peccati exortem prædicant: de quo nos inferius longam conteximus dissertationem: cõtẽti modo ex illà extrahere pulcherrima sensa Henrici Spondani Apammiensis Antistitis, cuius ardens in Deiparam Amor his illius verbis in continuatione Annalium Ecclesiasticorum ad annum 1350. n. 24. mirè elucet. *Nos sanè pro assertione Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, eiusque propugnatione parati essemus, totius vitam profundere quoties contingeret eam in dubium reuocare: idque toto animo sentimus, & profitemur.* Hæc ille: ò sapientem, ò fortem! ò pulchrum, & iustum Deiparæ interpretem! Sequimur te, o bone! Eamque Deiparæ benemerenti vicem rependere studemus, quæ in nos reciprocetur.

Lectio. Tigurin.

S. Ioseph

Spõdan.

§. IIII.

Monitio ad lectorem, vt ad laudes MARIAE Immaculatè Conceptæ exortem ab humanis affectibus animum afferat.

LAudaturus Deiparã Augustinus Sermone, siue tractatu de Assumptione tom. 9. cum Deum sic prius precaretur. Per

I. *August*

Aug. *quam te quæso Domine, quia per illam bona cuncta tribuis, quæ vt tribuas eligis, vt me inofensè de tantâ sanctitate loqui tribuas. Etsi non totum vt est, quod impossibile omni linguæ humanæ est) tamen ipsum ex* A *parte quod est, dicatur vt est. Sonet ergo pretiosissimum sui pretiositate sanctissimum certâ sanctitate inæstimabilissimum fidelissimâ veritate:* hæc statim subnicit: *Quæ quia hominum rationem excedunt, spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem veritatem.* Ex quibus Augustini verbis pervelim lectorem nostrum esse permonitum, B vt ad Diuini Spiritus sacrum spiramen excipiendum, pectus, & animum ab omni terreno affectu purgatum offerat. Nam si de humana sapientia, & ethnica Philosophia Senecæ dicere licuit Epistola 88. *Magna, & spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est. Hæc tam multa, tam magna, vt habere possint liberum hospitium, super vacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in* C *has angustias virtus: laxum spatium res magna desiderat: expellantur omnia, totum pectus illi vacet:* quanto magis ad diuinum spiramen suscipiendum puritatem adhibere, & ad omnimodam Mariæ puritatem & immunitatem cognoscendam, mentem humanis affectibus purgatam afferre, necesse erit? Nec nostrum quidem istud monitum, sed Sanctorum Patrum, signatè verò Andreæ Cretensis est; nempe ille oratione prima *de Assumptione Virginis*, sic mo- D net. *Non alienum arbitror, non nullos ex iis, qui hîc sunt, præmonere, ne forte illoris* (vt dicitur) *aut immundis pedibus sancta adeant. Non enim exæquo ab omnibus ingrediendus Sanctorum locus, sed ab iis, qui propter mentis puritatem transcenderunt omnia materialia, & transilierunt omnia, quæ cadunt subsensum, quibus maximè Sanctissimum* E

Senec.

Andr. Cretens.

Dei Verbum Tabernaculum parans ingressum concedit liberaliter. Adhibet opportunas statim ex Deiparæ vmbris petitas imagines subdens: *Si enim iis, qui ad Sina montem audacter progredi contendebant, imminebant fulgura, & tonitrua, & terrores, & sonitus tubarum, & minæ horribiles; Si autem templi quoque parietes non erat tutum vulgo tangere; & ideò secundis opus erat extrinsecùs parietibus, magnaque res erat, ante Sanctorum contactum prius expiari, & ante sacra, quæ peragebantur præparari:* idque cum adhuc Deum colebant in vmbra, & a velis dependebat typicis: quanto magis oportet eos, qui veritatis lucem habent resonantem, studium adhibere, vt ad hoc magnificum, & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum accedant diligenter: Sic Andræas Cretensis, apud quem *diligenter accedere*, perinde omninò est, ac mentis puritatem adhibere, *& ante Sanctorum contactum expiari*, vt mente pura, quæ digna, & opportuna sunt de Deiparæ laudibus afferantur; quemadmodum itidem præmonebat Sanctus Sabbas apud Menæa 3. Ianuarij Ode 9. Completorij *de Baptismo Christi*, ad Mariam collaudandam fideles hunc in modum exhortans: *Venite, atquè omnes mentibus puris, intaminatisque labiis gloriosè laudemus illam Emmanuelis intemeratam, ac super omnes Virgines purissimam Matrem sacrificia Deo ex illâ nato per eandem offerentes.* Sic ille: Nec minus opportune Sanctus Theophanes die 16. Ianuarij Ode 1. Canonis primi de Catena Sancti Petri Deiparam, sic affatus: *Lectissimæ puritatis tuæ innocentem normam viuendi inquinatus ego, & minimè purus nequeo ritè hymnis colere, ò nunquam thorum nuptialem experta! Quare inconflatoriâ fornace Spiritus Sancti expurgan-*

S. Sabb.

S. Ild.

S. Theo.

dum me cura, vt tuis laudibus aptior fiam: ita S. Theophanes.

II. Quod si verè æstimas, & Bernardo credis, è Dei pharetra hæ sagittæ sunt: Quid enim aliud tinnit; Deum cum in flamma rubi incombusti Moysi apparuit, ipsum a tanti mysterij speculatione procul remouisse donec materiales sensus, & humi repentes affectus simul cum calceis exueret? *Solue* (inquit) *calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exodi 3. vers. 4. etenim vt rubum illum Deiparam adumbrare solemnis PP. interpretatio est: sic namque censet Proclus Constantinopolitanus homilia *de Deiparâ*, Andræas Cretensis oratione secunda *de Assumptione*, siue *de Dormitione Virginis*, Sanctus Ephrem sermon. *de Laudibus Virginis*, Hesychius homilia 2. *de Deiparâ*, Gregorius Nissenus homilia *de humanâ Christi Natiuitate*, Georgius Nicomediensis oratione *de oblatione Virginis*, Origenes homil. 1. *ex decem variis*, Damascenus oration. 1. *de dormitione Virginis*, Chrysippus homil. *de Deiparâ*, Bernard. sermon. 2. *in Missus est*, & serm. *de verbis Apocalypsis*: ita quidem Moysi ab Oraculo præscribi vt Mariam contemplaturus pedum calceamenta solueret, perinde quidem, Bernardo, ac Georgio Nicomedienſi interpretibus fuit, ac illum admonere, vt terrenos affectus, quibus lenocinātibus intellectus sæpius hac, atquè illàc inclinatur omnino exueret, vt vera, & digna de Mariæ dignitate sentiret: sic namque præfato sermon. *de verbis Apocalipsis* Bernardus: *Meritò quidē admiraris, Moyses sancte, & curiosius desideras intueri, verumtamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*, vt dixerit; caue, nè vt terrenis, siue carnalibus affectibus morem geras; aliter quàm par est de Deiparæ dignitate, & omnimodà puritate sensus: ad quem modū Georgius Nicomedienſis cùm Mariam appellasset *Sanctam, & desiderabilem terram, ex quâ orta est veritas, & iustitia*: subiecit opportunè: *In quâ operculo tecti pedes prohibentur progredi: ratiocinatio scilicèt, quæ dubitatione operitur, & incredulitate*: Sic ille.

Exod. 3. vers. 4. *Proclus.* *Andr. Cretens.* *Ephrem* *Hesych.* *Nissen.* *Georg.* *Origin.* *Damas.* *Chrysip.* *Bern.* *Georgius*

Acrius vero, & luculentius nostro instituto per opportunus Anonymus ille apud Anselmum in declaratione subiuncta libro *de Conceptu Virginali*, Exodi verba præfatæ monitioni, sic ingerit: *Rogo per eamdem Beatam Theotocon desiste: noli æmulari in malignantibus. Cessa sinceriſsimum vas incrustare.* Solue calceamenta pedum tuorum, *quæ impediunt progressum rectæ intentionis tuæ. Siquidem zelum Dei habes in hâc parte, sed forte non secundum scientiam. Forsitan enim putas, in hoc Deo te obsequium exhibere. Quod si nolueris cessare, scito quod terra hæc, quàm calcas deuorat habitatores suos vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ.* Hæc ille non vndequaque, vt sonant, sed vrbanè, & moderatè accipienda, ad eum planè modum, quo Sanctus Basilius Seleucienſis oratione 39. Deiparam laudaturus ipsam hunc in modum exorabat: *Quo modo Virgineum pelagus audens tentabo? Magnique mysterij scrutabor altitudinem? nisi in expertum vrinatorem, ò Deipara! doceas veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris deponere, nisi mentis os misericordiâ compleas, quo tui partus fundum peruadat, vt tuæ miserationis luce circumfulgens, in te veritatis margaritam deprehendam:* Hæc Basilius Seleuc. & quidem rectissimè: Nimirùm vt pœne hac de re dicebat Sanctus Petrus Chrysologus, sermone 146. *Se ponendus est hunanus sensus, vbi totum quod dicitur est diuinum.*

III. *Anonymus.*

S. Basil. Seleuc.

S. Petr. Chrysol.

De-

Deponendus est vetus homo humanis affectibus obnoxius, vt veritatis scopum valeat collimare: *negotium id esse arbitratur* (vt imbi eadem de re laudum Mariæ monet idem Sanctus Basilius) *hominum perspicacissimorum, quique à corpore, & animo sincere expurgati, necnon emicatione quàdam diuinæ gratiæ affatim illuminati debitam Dei Matri laudationem plenè concinnunt*: pulchrè *à corpore, & animo sincere expurgati*: nam sancta sanctè, pura purè, immaculata immaculatè, sincerè, candidè, & pœnè diuinè tractari, & agitari debent: ita quidem Richardus à Sancto Laurentio in prologo primo libr. de laudibus Beatæ Virginis Mariæ opportunè dicebat Si cymbalis bene sonantibus præsumpseris addere sonitum cuiusdam fracti tintinnabuli statim suauitas collidetur harmoniæ, quæ per se antea dulciter resonabat: sic si attrectauero Mariæ laudibus impolitum quidquàm addicere, quam laudant pariter astra matutina, & cui iubilant omnes Filij Dei pertimesco, nè forte laus mea potius derogatio, quàm laudis cumulus videatur: Hæc Richardus, quæ non immerito iis aptaueris, qui Mariam non omnimodis laudant, sed cymbalis de ipsius immaculata conceptione benè sonantibus impolitum quid quam addicunt.

S. Basil. *Richar. à S. Laurent.*

IV. Vndè non minus opportunè subiiciebat Basilius: *Nec non emicatione quadam diuinæ gratiæ affatim illuminati*: quippe diuinæ illuminationis opus est: Mariam summis laudibus celebrare; eique quidquid humana cogitatio altissimè sapiens assequitur, indubitatò tribuere: benè omnino obseruante Ambrosio libr. 9. in Lucam: ideo Ioannem cum sociis ad gloriam Dei contemplandam in Thabor assumptum fuisse; vt glorioſis Diuinitatis Christi radiis illustratus simul, atque purgatus cum Maria peculiari obseruantia conuersari, & ipsius laudes pro dignitate enunciare posset: ita enim Ambrosius: *Petrus ascendit, qui claues Regni cœlorum accepit, Iacobus qui primus solium Sacerdotale conscendit: Ioannes, cui committitur Mater*: ita ille. Quare Basilius post dicta statim de se pro egregia animi submissione, & humilitate hæc subdit. Verum mihi hinc nulla mihi loquendi libertas parta est. Neque enim vt Isaias Seraphinorum contemplator cœlesti carbone mihi labia expiata sunt, neque spiritales pedes calceorum vinculis exsoluti, vt Sancto Moysi, vbi talis etiam videre est, non sine animi æstu, ac perturbatione subire res arduas. Sic Basilius.

Basil. *Ambr.*

Concludo, asserens cum Richardo à S. Laurentio nonnullos in Dei para laudanda hac de causa ab scopo aberrasse; ita enim ille lib. 2. de laudibus Virginis particula 5. *Circa Mariam defecerunt multi scrutantes in discreto scrutinio: quia cum tenebrosi essent per præsumptionem in Matrem luminis cum suis tenebris impegerunt, &c.* Nimius enim scrutator maiestatis opprimetur à gloria Prouerbior. 15. ideò dicitur Ecclesiastici 43. Exsaltantes illam replemini virtute. nè laboretis, non enim eam comprehendetis ideo etiam dicitur Prouerbior. 25. Mel inueneris, comede quod sufficit: et qui nimis emungit, elicit sanguinem: Prouerbior. 30. ideò etiam de hac inuestigatione dicitur, Ecclesiastici 14. Vade post illam, quasi inuestigator, & in viis illius consistens. *Ideſt totaliter sistens: talis enim inuestigatio, quasi quidam pastus est animæ, vnde ipsa dicit*: Qui edunt me, adhuc esurient. *Qui si in ore cordis habet hæc, qui firmiter ea credit, quasi masticat, qui piè inuestigat, quasi trajicit in corporis nutrimentum, qui benè operando imitatur, & qui rectè afficitur erga ipsam.* Hæc Richardus, quæ quisque apud se expendat, & amplectatur,

V. *Rich. à S. Laur.* *Prou. 15 Eccles. 43.* *Prou. 25* *Ibi. 30.* *Eccl. 14*

vt rectè,& piè erga Deiparam affi-
ciatur: Certè hac de cauſſà S. The-
phanes Virginis ardens amator, &
laudator ipſam hunc in modum affa-
batur in Menæis Græcorum die 16.
Ianuarij Ode 1. Canonis primi de
Catena S.Petri:Lectiſsimæ puritatis
tuæ innocentem normam viuēdi in-
quinatus ego, & minimè purus ne-
queo ritè hymnis colere:ò nunquam
thorum nuptialem experta!Quare in
conflatoriâ fornace Spiritus Sancti
expurgandum me cura,vt tuis laudi-
bus aptior fiam.Sic Theophanes.

§. V.

Votum Auctoris ad Deum, itidemq; ad Deiparam.

I, SED iam ad vota,Deique o-
pem, & auxilium implorandum,vt Deiparæ laudibus ap
tiores ſimus, nos totos con-
Baſilius. Seleuc. uertamus cum Baſilio Seleuciēſi præfatâ oration.39. & cum Auguſtino tractatu ſiue ſermone *de Aſſumptione Virginis*, tom. 9. Prior ſiquidem cum prius dixiſſet. *Quandò igitur Deum incarnatum exixa Deipara dicitur, ad Deum precationis ope dirigar,vt verba mihi præbeat.* Sic ſtatim precationem ſuam adornat: Domine omnipotens totius vniuerſi Rex, qui in explicabili quâdam ratione mētes corporales ſpirituali lucè perfundis,mentem meam illumina,quo propoſita res abſque errore cognoſcatur:cognita piè dicatur, dicta ſine periculo,animo capiatur:Sic Baſilius appoſitè pro noſtro inſtituto.Auguſtinus verò ſiue Auctor præfati ſermonis de Aſſumptione hunc in modum Deū ſuppliciter orat: Te Deus omnipotēs Pater voto ſupplici,exoro,vt qui mandas nubibus, & pluunt imbres,qui tangis montes, & fumigant,qui aperis terram, & germinat, quid dicam,iubeas; quid proferam prębeas:ad quid ſermonemdirigam, aperias. Venerabile eſt enim mihi Domine, & præcordiis meis reuerentiſsimū de Matre Filij tui loqui, & de Sanctiſsimo corpore eius linguā ſermonibus occupare,quæ ſola meruit Deum,& hominem paritura ſuſcipere facta thronus Dei, & aula Regis æterni,&c. Per quam te quæſo Domine,quia per illam bona cuncta tribuis,quæ vt tribuas,eligis, vt me inofensè de tantâ ſanctitate loqui tribuas,& ſi non totum vt eſt(quod impoſsibile omni linguæ humanæ eſt) tamen ipſum ex parte, quod eſt dicatur vt eſt,&c. Sonet ergo pretioſiſsimum ſui pretioſitate, Sanctiſſimum certâ ſanctitate, inæſtimabiliſsimum fideliſsima veritate. Quæ quia hominum rationem excedunt Spiritus tuus adſit, qui ſuo ſacro ſpiramine inducat nos in omnem veritatem. Et quia de eius corpore, & animâ loquendum eſt,quæ ipſe præter naturalem vſum ſanctificauit, & gratiam contulit,non aliena nos dicere patiatur, ſed propria ad laudem, & gloriam tuam Deus omnipotens. Hæc tam multa Auguſtinus: ſed quâ ratione multa videantur,cum & illis nihil demere poſſis; & omnia in rem noſtram adeò ſint opportuna,& illuſtria, vt à nobis voce,& animo dicta velimus, & voluiſſe dicere gloriemur: Verum illis hæc ex Ildephonſo ſermon. 2. de *S. Ildep.* *Aſſumptione*, omninò attexe. *Vndè quantum debemus, quia non poſſumus* (rependere) *implorandus eſt Spiritus Sanctus, qui eam repleuit, & ornauit innumeris largitionis ſuæ muneribus. Implorandus etiam ipſe Vnigenitus Dei Filius, vt pro modulo infirmitatis noſtræ ſuſcipere dignetur laudes vt cumque pro ipſâ, quas offerimus:quia nemo mortalium eſt,qui dignè poſsit huius ſacratiſsimæ Virginis laudes dicere,atque myſteria, quæ in illâ completa ſunt verbis explicare.* Sic Ildephonſus.

Sed

II. Sed enim, vt de ſanctiſsimæ Virginis Deiparæ ab omni originariâ labe immunitate piè ſentire, & loqui ardens, & conſtans animus ſit: ipſam nihilominus obnixe exorare debemus, vt in hoc ſenſu tam pio, tàm ſapiente, tàm nobili, tàm pulchro, tàm proficuo, tàm humano, tam diuino modis nos omnibus omninò confirmet, congruaſque cogitationes, appoſitaſque ſententias, & opportuna ad illum explicandum, & exornandum verba ſubminiſtrare velit: ita quidem Sanctus Ioſephus Confeſſor, qui apud Menæa Græcorum illuſtris Marianæ immunitatis propugnator eſt, vt ſæpius in ſequentib. videbimus ipſam Deiparam talibus orabat 3. Ianuarij in Matutinis Ode 3. *de Baptiſmo Chriſti*, in Hirmo, ſeu tractu. *O Deipara, quæ exiſtis fons viuus, atque prædites illos, qui decantandis tibi laudibus chorum inſtituerunt ſacratum, in diuinâ, quàm de te habent exiſtimatione confirma, ac demum glorioſis in cœlo coronis dignare.* Sic ille: Pulchrè *in diuina, quam de te habent exiſtimatione:* nimirùm ipſe Deiparam Deo, & Diuinitati perquam affinem, ac proximam, nulli vnquam culpæ ſubiectam, omni ex parte intemeratam, intaminatum recentiſsimi nitoris volumen, ſolam puritate ſuper omnes creaturas fulgentem: næuorum omnium expertem, ſolam inter omnes maculam omnem ignorantem (vt inferius patebit) aſsiduè prædicabat, & in diuinâ hac quam de Mariâ exiſtimatione habebat, piè & ſapienter confirmari deprecabatur: et nos quidem ad eius guſtum, & imitationem in hâc diuinâ exiſtimatione omnimodis confirmari, & in ipſa adeò firmiter, hærerere, vt nullatenus ab eâ diuelli poſſimus obnixè, & ardenter poſtulamus: itidemque tùm cùm Sancto Sabbate in iiſdem Menæis Græcis die 3. Ianuarij Ode 3. *de S. Malachia*, in clauſulà Mariam affamur: *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuiſti ſpem omnem meam repono, vnàque lætus ad te omne ingenium meum, animumque conuerto:* Tùm etiam cum Philothæo Patriarcha in canone primo *de Sanctiſsimis Patribus Conciliorum Oecumenicorum*: Sanctiſsimam Virginem iterum, atque iterum deprecamur: Tu quæ in vtero tuo capax fuiſti Trifulgidi luminis à diuina Trinitate profecti: tu inquam animæ meæ oculos aperi, atque ſplendoris tui participem redde. Te enim tanquam interuentrice digna ſeſe, ac rerum omnium conditarum Adminiſtrâ vtitur Deus: eſque omnium piâ te voluntate laudantium ſalus æterna.

S. Ioſeph *S. Sabb.* *S. Philo.*

III. Sed & cum S. Bernardino Senenſi tom. 3, ſermon. 9. Clamo: dignare me laudare: te Virgo Sacrata, nec modicam deſpicias tui famuli ſeruitutem: cuius non modicam tuis in laudibus attendis deuotionem. Dignare cœleſtis Regina mihi per ſublimium ſenſuum tuorum miſericordiam, quaſi vaſta per æquora ſine remige nauiganti cœleſtis auræ fauore ſuccurrere, vt qui altiſsimos tuorum verborum ſenſus ſaltem balbutiendo declarare deſidero gratia tuà confiſus, tuo adiutorio valeam explicare: Pergit: Adſpiret, & ille diuinus habitator hoſpitij tui, vt qui in laude ſuæ Matris ſtudium pietatis attendit, plus adiutor eſſe non dedigneturin cœlis: et cum Anſelmo lib. de excellentiâ Beatæ Virginis Mariæ cap. 2. Adſis igitur Domina, & non mea, quæ execror, ſed tua, quæ precor merita, in illis digneris attendere, quæ vereor. Tu quidem noſti, mentem meam in hoc eſſe, quod me omninò indignum iudico de te loqui, aut aliquid ſcribere. Sed quoniam inſitæ tibi pietatis oculo ſuper multos mei ſimiles ſcio te reſpexiſſe, aliquo licet dignitati tuæ, non digno meæ deuotionis obſequio: velim agere erga te, quatenus ipſo cō-

S. Bernard. Senen.

ſuetæ miſericordiæ tuæ oculo quandoque digneris me reſpicere, & cum S. Sophronio Patriarcha Conſtantinopolitano in Menæis Græcis 8. Ianuarij Ode. 1. de S. Georgio. *Os ego aperiens, intemerata ô Domina, tuas modulari laudes promiſeram, quia genuiſti ſapienter iam à ſe ipſâ ſubſiſtentem. Verum quoniam immundus ego te omnium intaminatiſſimam hymnis (vt par foret) nequeo prædicare, inde perficiendo conatui in eo auxilium tuum imploro.* Sophon. Et tandem cum Ioanne Gerſon tractatu 2. *Super Magnificat*: verè, & ex animo: Sentio neceſſariam tuam, ô beata beatorum! opitulationem, quã ſupplex imploro per beatitudinem tuam, quam omnes præ dicant generationes; per illam gratiæ plenitudinem, quam in veniti, apud Deum, per illam exultationẽ Spiritus tui in Deo Salutari tuo, dicam, & noſtro; *quia nobis datus eſt, & nobis natus.* Gerſon. Da magnificare in te, & per te, & propter te omnia mea Dominum. Fac exſultare ſpiritum meũ in Deo ſalutari tuo, & ſuo. Beatus ſi quidem vir: cuius eſt auxilium a te; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.

IV. Iam verò hàc ad dicendum via munitâ fidenter cum S. Theophane M. in Menæis Græcis die 17. Ianuarij Ode. 7. *De S. Antonio* in clauſula dicimus. *Immaculatæ, & omnium ſacratiſſimæ Virgini Mariæ acclamatione fauſtâ plaudamus. Nam ex ipſa donorum omnium cœleſtium, quæ nẽtem humanam excedunt ſcaturigo promanat, vt quæ eſt torrens quidam Bonitatis diuinæ.* Theoph. M. Nec non, & quæ apud eadem Menæa ſub nomine Eccleſiæ Græcæ 6. April. Ode. 9. *De S. Eutychyo* in clauſula partim excelſo animo, partim ſummiſſo hunc in modũ dicuntur: Animatus vi gratiæ tuæ, quas ego laudes modulabar, eas medullitus tibi, maximà cum voluntate ſacraui. Eccleſ. Græca. Quare iſtud iam munus dignanter accepta, mihique viciſsim repote multiplicem tuę gratię lucem, quam te, ô Virgo ex theſauris immortalibus promis, vt quã, ſummà Deus inter omnes beatitate donauit: Sed & mentem, & verba S. Ioannis Damaſceni in iſidem Menæis die 15. Auguſti poſt Odem 7. canonis ſecundi mihi vſurpo. Damaſ. Tanquam muro mentem meam, o ſeruator meus! circunda. nam murum, & propugnaculum mundi, ideſt illibatam Matrem tuam magnà iam diù confidentiâ laudo. Verba enim mea in turri validà velut conclude, vt mihi temerè nulla prorumpant; ponderoſis quoque me cogitationibus firma, ne leuiculus fiam. Tu enim omnibus clarè teſtaris, auditurum te peſtulata, fidelium: Hæc nos ex ore Damaſceni.

V. Illud verò pro gloria Deiparæ minimè fuerit reticendũ: nos, qui quod ex numero fidelium ſimus; ipſam ex debito laudare, & magnificare debemus; cum tandem ipſius ope adiuti hoc ei debitum feliciter perſoluerimus, itidem planè, vt antea eidem met obligationis nexui felicius obnoxios fore permanſuros: ipſomet gentili Seneca lib. 7. *De beneficijs* c. 30. iudicium ferente hunc in modũ: *Nunquam vincitur beneficio, cuius beneficium eſt ipſum, quo vincitur*: Sanè, qui debitũ aliquod adiuris præſcriptum perſoluit, non niſi ex proprijs, & aliàs indebitis eſt perſoluturus. Seneca. Marię autem debitas laudes perſoluere, non opis eſt noſtræ, atque id circo cũ ipſius ope, & ſingulari munere eam noſtris laudibus demereri, & vincire ſtudemus, vt ipſa libera, & illigata manet; *cuius beneficium eſt ipſum, quo vincitur*: ita nos ſubinde arctioribus, & inextricabilibus nexibus cõſtricti permanemus. Quo quidem acumine punctus S. Sophronius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Menæis Græcis die 14. Februarij in veſperis de S. Anxentio confeſſore Deiparam ita pie, & eleganter ſalutabat. *Salue, ô Regina cœlorum. Veſti-* Sophon.

bulum

bulum planè diuinum. Salue interuẽtrix nostra apud Artificem nostrum. Tibi vniuersi homines persoluimus laudem ex animo grato profectam, quia de bonis tuis semper haurimus. Sed enim vt id ſẽdem fuerit nobis ſemper, pro comperto eſt, quod ſuperius citatus dicebat Baſilius Seleuciẽſis orat. 39. Eam nos Deiparæ benemerenti vicem rependere, *quæ tandem in nos ipſos reciprocetur.*

PRÆLVDIA EXPLICANDAE, ET ELVCIDANDÆ IMMVNITATI MARIÆ Deiparę à peccato originali, & eius debito opportuna.

De homine ad Imaginem, & ſimilitudinem Dei formato.

ADNOTATIO PRIMA.

I. CVM quædam fundamẽta iacienda ſint, quibus moles vniuerſæ tractationis de Sanctiſsimæ Deiparæ immunitate incumbat: opportunè illã ex ordiendam crediderim *ſi ſapienter* (ſic Leo Magnus ſer. 1. de ieiunio decimi mẽſis) *Creationis noſtræ intellexerimus exordium*: illud videlicet Dei Optimi Maximi, *qui operatur omnia ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ*: ad Epheſios 1. verſ. 10. Fuiſſe conſilium, & perpetuo duraturum decretum, vt hominẽ *ad Imaginem, & ſimilitudinem* ſuam faceret Geneſ. 1. verſ. 26. quod perinde fuit, ac voluiſſe Deum; hominẽ à virtutibus, & rectà viuendi formà diuinam in ſe ſimilitudinẽ exprimere, quà ſui perfectionem, & æternam felicitatem aſſequeretur. & Deus ipſe in illo, tanquam in re conſimili, ac proinde ſibi proxima digne, atque iucundè conqueſceret paſsim, atq; diſſertè ſacris paginis, ac Patribus ad prę fata Geneſis verba id commonẽtibus: & in primis Gregorius Nyſſenus inter plura in hanc rem ſic expliciſsime inquit: Solius ad hominis fabricationem creator ille vniuerſitatis rerum quadam cum conſideratione accedit. Præparataque primum opificij materia illiuſque forma ad eximiæ pulchritudinis exemplar exprimendum deſignata; fine etiam propoſito, ad quem creandus eſſet cum deinde naturam conſimilem, & actionibus affinem fabricat, quę operi, cui deſtinaretur, eſſet aptiſsima. Hæc Nyſſenus; & quidẽ omnia opportunè: Sed ſignate obſeruãda tũ illa: *fine etiam propoſito, ad quem creandus eſſet*: quibus innuit ſcopum creatoris; & munus creaturæ ipſius; nempè vt homo vitæ probitatẽ, & rectis actionibus diuinam ſimilitudinem exprimeret; & Deo ſimilis virtutibus eſſet, vti initio adductus inquit S. Leo; Si fideliter, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inueniemus hominẽ, ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator ſui eſſet Auctoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatẽ; ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat: tum hæc vel maximè, quæ accurate ſubdit Gregorius Nyſſenus:

S. Leo. Mag. *ad Ephe. 1. ver. 10* *Geneſ. 1. verſ. 26.* *Nyſſen.*

Forma ad eximiæ pulchritudinis exẽplar deſignata. Hoc eſt deſcriptà, ſiuè potius delineatà; quaſi primum velut rudiori pẽnicillo depingi inchoatà ſubinde ſimilitudine diuina, quæ in virtutibus cenſetur perficienda, & ſuis coloribus ornanda fuerit: vt acute videtur indicare Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis, cap. 6. Deũ in formando homine totum occupatum ad hunc modum faciens. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, ſenſu, opere, ſapientia, conſilio, prouidentia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta ductabat: Sic ille pulchrè Deum cum hominem formabat ad inſtar pictoris primas imaginis lineas ducentis. diuinę ſimilitudinis lineamenta prima, quę poſt modum viuis coloribus virtutum complenda forent in homine ductantem conſiderans.

Tertulia

II. Qui quidem ſenſus omnino ſubeſt prætatis diuini Opificis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ. 1. verſ. 26. Si tamen obſerues poſtea Moyſem cum hominis iam facti meminit locutionem contraxiſſe; illum ad Imaginem Dei tantummodo factum ſic inquiens: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam:* Geneſ. 1. ver. 27. Ad quæ verba PP. pœnè omnes ſignatè verò è Græcis Baſilius hom. 10. in Geneſim, Origenes lib. 3. Periarchon cap. 6. Gregorius Nyſſenus hom. de opificio hominis, Theodoret. quæſt. 20. in Geneſ. ex latinis verò Marius Victorinus in diſputat. cum Arrio. Ambroſ. lib. 7. Hexamer. cap. 7. & 8. Rupert. lib. 2. de Trinitate, & operib. eius ca. 3. & 5. S. Thom. 1. part. quæſt. 39. Magiſter Sent. in 2. diſtinct. 16. & a ij, varietatem locutionum quibus Moyſes in vna, & eàdem re ſignificanda vtitur omnino adnotarunt: Signatè verò Origenes, & ab eo Baſilius eàm dubitationẽ mouent: Cur Deus, qui hominem non ſolum ad imaginem; ſed etiam ad ſimilitudinem ſuã ſe formaturum promiſerat, cum poſtèa formationem ipſam executioni mandauit, imaginem tantum conceſſerit non itidem ſimilitudinem; Quid inquiunt, promiſsionis ne pœnituit, ſuæ? aut oblitus fuit? & largiorem in promittendo, quam in dãdo ſeſe exhibuit? Abſit. Quid ergo? vox ne *ſimilitudinis*, fruſtra, & otiosè primum poſita, aut ſine cauſa poſteà ablata eſt? Nequaquam inquiunt hi PP. ſed priori locutione qua tam imaginis, quam ſimilitudinis voces coniunxit Dominus omnino voluit exprimere totum illud, quod homo, & à Deo prius factus, & ab ipſo Deo ſubinde, adiutus, & eius auxilijs reſpondens ex propriæ induſtriæ ſtudijs eſſet præſtiturus, vt optimis, videlicet ſanctitatis moribus, & viuaci virtutum penicillo diuinæ imaginis lineamẽta perficeret, atque animaret, ſiue vt mortuis ſpiritum infunderet: Poſteà verò, cum hominem ſolummodo, ad imaginem Dei factum fuiſſe affirmauit Moyſes: Illud ſolummodo denotauit, quod homo velut opus inchoatum ſubinde perficiendum à Deo in ipſa formatione accepit: Sic enim Baſilius: Ab ipſa mox creatione obtinui illud: *Ad imaginem* deſtinato autem, & liberiore animo propoſito ad id proueho. *Ad ſimilitudinem.* Tua igitur aliqua ex parte eſt gratia, quare merito ingredieris coronatus, totum enim tuus ſi tibi prærogaſſet Artifex, quà tandem gratia tibi nihil commerito cœleſtis regni ſedes reſeratæ fuiſſent? Nunc verò quiddam cõtulit, quiddam reliquit perficiẽdum, vt id in te ipſo, cum ad perfectionem promoueris pronunciere nihil indignus, qui mercedem inſumptæ operæ Deo repugnante recipias: Hæc Baſilius, quę prius breuius, nec minus luculenter expreſſerat Origenes præfato loco in hunc modum. Imaginis dignitatem in prima conditione percepit. Similitudinis verò, ſibi poſsibilis perfectionem ipſe ſibi cum propriẽ

Geneſ. Origenes Nyſſen. Theodor Marius Victor. Ambroſ. Rupert. S. Thom Magiſt. Sentent.

Baſilius.

Origenes

in du-

induſtriæ ſtudiis ex Dei imitatione conciſcit. Sic Origenes. Quam cogitationem optimè perſtrinxit, explicauitque Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem, cum allatis Pauli verbis 1. ad Theſ. 4. verſ. 3. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, ſubiicit: *Vult enim imaginem ſuam ſimilitudinem fieri, vt ſimus ſancti, ſicut & ipſe ſanctus eſt.* Optimè.

Tertull. 1. ad Theſaur. 4. 3

III. Vbi ſi aduertis, ex mente horum PP. imago Dei in homine ad dona naturalia præſertim vero ad rationẽ, et liberum arbitrium. Similitudo verò ad virtutes, & rectam viuendi rationem, quæ non à Deo ſolùm dependet, ſed noſtrum etiam ſtudium, & culturam exigit referri debent: mirum vt plenè ſubſiſteret diuina cogitatio, quà hominem ſibi conſimilẽ, ac diuinitatis participem, & Regno cœleſti promerendo aptum facere decreuit ipſum liberi arbitrij omninò capacem fieri oportuit, vt ſimul cum Dei adiutorio diuinam ſimilitudinem, quæ in recta viuendi ratione cenſetur ex propriæ induſtriæ ſtudiis ſibi adſciſceret; ſapienter hàc mente imbuto dicente Auguſtino in Enchirid. cap. 23. de Deo erga hominem.

Auguſ.

Sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atquè in paradiſi felicitate tanquam in vmbrà vitæ, vndè iuſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet collocauit. Nec tamen ideò præfati PP. exiſtimarũt, quod hic minimè pœtereundum fuit Adamum cum primum à Deo creatus eſt imaginem tantum non itidem diuinam ſimilitudinem, etiam eam ſimilitudinem quadãtenus accepiſſe, qua à iuſtitia Deo ſimilis euaſerit: dicente Paulo ad Epheſios 4. verſ. 24.

Epheſ. 4. verſ. 24.

Qui creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: et Salomone. *Deus fecit hominem rectum*, Eccleſiaſtes 7. verſ. 30. necnon Eccleſiaſtico cap. 17. verſ. 1. *Deus creauit hominem de terrà, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum*: et *ſecundum ſe* (ideſt ad ſuam ſimilitudinem) *veſtiuit illum virtute.* Quæ verba P. Cornelius in id loci ad Epheſios dum interſe confert ad illa Geneſis. *Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ſic refert vt dixerit Dominus: *Faciamus hominem ad noſtrum exemplar, vt ſit imago ex nobis, noſtràque naturà, quaſi ex exemplari expreſſa, quæque noſtram Diuinitatem referat.* Sic Cornelius. Vndè quidem Rupertus lib. 2. *de Trinitate, & operibus eius*, cum ſimilitudinem ab imagine diſcriminaſſet inquiens: *Ad imaginem videlicet, vt ſit rationalis, ad ſimilitudinem noſtrã, vt rectus ſit ſectando iuſtitiam Dei. Horum altero ſcilicèt rationalitate carere non poteſt: alterum, hoc eſt diuinæ rectitudinis, vel iuſtitiæ ſimilitudinem, niſi per gratiam aſſequi non poteſt. Sed eà, quà carere non poteſt homo, facultas rationalitatis, inſtrumẽtum eſt, ſiue oculus quidam ad quærendam ſimilitudinem Dei. Eſt ergo inexcuſabilis, cũ ad ſimilitudinem Dei nõ peruenerit: quia videlicèt bono inſtrumento, ad hoc propter quod ſibi datum eſt, vti noluit*: poſt hæc verba ſtatim ſubdit. Verum cum prius fecit Deus hominem nõ ſolum rationalem, ſed & ſimilitudinis ſuæ fecit honore pollentem. Deus enim (inquit Scriptura) fecit hominem rectum, ipſe verò implicuit ſe multis quæſtionibus. Nunc autem ſeductus perdidit quidem honorem ſimilitudinis Dei, ſed facultas rationis in eo remanſit, per quam reuocantem audire, & ad reſtaurationem ſui ducem, ac præceptorem valeat ſequi. Hæc Rupertus.

Cornel. *Rupert.*

IV. Verumenimverò præfata Originis mens, imaginis dignitatẽ in prima conditione percepit, ſimilitudinis vero, ſibi poſsibilis perfectionem ipſe ſibi cum propriæ induſtriæ ſtudiis ex Dei imitatione conſciſcit: adhuc in Adamo diuinam ſimilitudinẽ quadamtenus adepto locum habet, quippe ille cum primum eſt a Deo creatus non omnem ſimilitudinis di-

IV. *Originis.*

uinæ perfectionem adeptus est, sed prima illa iustitiæ, & virtutum lineamenta, quæ ipse subinde mandatis diuinis obediendo, & probis actionibus inhærendo velut suis coloribus perficeret, impleretque: ad eum sanè modum, quo infantes recenter baptizati Deo similes à gratia redditi diuinæ similitudinis, sibi possibilis perfectionem, cum Dei adiutorio ex Dei imitatione propriæ industriæ studiis conciscere debent. Vnde alio in loco Rupertus opportunè ait. *Rupert.* Cæpit Deus prius facere, quod suum erat, B ideſt cum creasset ad imaginem suã hominem, cæpit illum informare ad similitudinem suam, sic enim scriptũ est, & notandum diligenter, prę misso: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, *ac subiuncto*: et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, vbi de similitudine omninò tacitum est. Non enim creando, sed informando perducit Deus hominẽ ad similitudinem suã. Post plura sequitur ita. Præcepitque ei dicens. Ex omni ligno paradisi comede de ligno autem scientiæ boni, & mali nè comedas, in quacumque enim die comeris ex eo, morte morieris. *Hoc verbum, hoc præceptum si custodisset, profecto ad similitudinem eius, qui dixerat* faciamus hominem ad imaginẽ, D & similitudinẽ nostram *benè formatus adstitisset*. Hæc Rupertus lib. 2. de *Victoria Verbi Dei*, cap. 2.

V. Cui cogitationi firmandę ille opportunissimus Salomonis locus est apud librum Sapientiæ cap. 9. vers. 1. vbi primam hominis formationem sic describit. *Sapient. 9. vers. 1* Deus patrum meorum, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapiẽtia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate: Etenim vt tota hac oratione hominem ad imaginem, & similitudinem Dei faciendum significauit Sapiens ex fine, inquem homo creatus est, dum virtutes, & perfectionẽ ad quam ei enitendum erat, expressit illis verbis: *Vt dominaretur creaturæ*, Græcè *creaturarum, quæ à te factæ sunt*, ideſt vt ipsis rectè vteretur ad finem sibi propositum, non vero frueretur siue abuteretur, tanquam vltimo fini illis adhærendo: ita etiam quæsita illa locutione. *Constituisti hominem*, Græcè pensitatà omnino monuit, Deum qui hominem ad imaginem, & similitudinem suam prius facere statuit, cum subinde rem exsecutioni mandauit: imaginis quidẽ dignitatem nõ omnimodam similitudinem ei dedisse, sed ad illam tantum cæpisse illum informare: nimirũ Græcum verbum: *Catas Kevasas*, pro quo vulgatus reposuit *constituisti*, propriè expreſseris *substruxisti*: *inchoasti*: *non penitus obsoluisti eius structionẽ*: plane vt quemadmodum aiebat Origenes: similitudinis sibi possibilis perfectionem ipse, sibi cum propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione consciscere: Vndè iterum Rupertus libr. 1. de operibus Spiritus Sancti, scitè inquit. Non ergo sic omninò vt proposuerat Deus facere hominem, narrat eadem Scriptura factum esse hominem. Et rectè, atque prouide: nam illa vice illo tempore non peruenit homo vsque ad illam perfectionem: non peruenit ad similitudinem Dei, quia non est imitatus donum Dei. Sic Rupertus.

Lect. Græca. *Origin.* *Rupert.*

VI. Sane si ipsamet Hebræa verba quibus Moyses tam imaginem, quã similitudinem expresit expenderis eadem ex illis mens, & sensus subsistet: nam vt benè inibi à P. Benedicto Pereyra est obseruatum: iis vocibus imago, & similitudo hæ voces Hebraicæ respondent: Selẽ, & Damuth, de quibus ipse Pater monet: priorem denotare propriè vmbram, aut similitudinem vmbratilem: Damuth verò omnino significare *Assimilare*: vt argumento fuerit hominem ad imaginem Dei factum vmbram solum

P. Pereyra. *Lect. Hebr.*

siue prima illa lineamenta diuinę similitudinis habuisse, quæ diuinis virtutibus, quibus homo Deo assimilaturdeinde coloranda, & perficienda essent: vndè Ambrosius hac de re agens *lib. de dignitate hominis*, cap. 3. inquit: *Sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit, est charitas: est bonus, & iustus, patiens, atque mitis, mundus, ac misericors, & cætera virtutũ sanctarum insignia, quæ de ipso legũtur: ita homo creatus est, vt charitatẽ haberet, vt bonus esset, & iustus, vt patiens, atquè mitis, mundus, ac misericors foret:* Vndè statim de imaginis similitudine cum prototypo, sic subiicit: *Quas virtutes quanto quisque in se ipso habet, tanto proprius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem.* Sic Ambros. omninò adstruens Dei imaginem à virtutibus similitudinem fieri; atquè eo quidem maiorem, quò quisque maius ipsarum studium habuerit: alioquin vel nuda, vel imperfecta diuinę similitudinis imago fuerit: vt de illo dici possit. *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Psal. 38. vers. 8. Quod huc retulit venerabilis, Galfridus in allegoriis Gotfredi Dilmani tractans ea verba Geneseos 2. vers. 7. *Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, in hunc mundum: *Ad hoc referunt qui studiosius eadem facta, vel verba scrutãtur, quod rationis capacẽ fecerit, & virtutis. Quod autem alibi dicitur.* Verumtamen in imagine pertransit homo: *quãuis intelligitur satis iuxta literã, quod nostræ nos mortalitatis admoneat, quòd instar somni, vel cuiuslibet phantasiæ transeat vita nostra: nonnulli tamen sic intelligere volunt, quòd similitudine virtutis amissâ in imagine tamẽ rationalitatis transeat homo, videlicet quod animæ est retinens etiam cũ amiserit, quod ad spiritum pertinebat.* Hæc ibi.

Ambr.

Psal. 38. vers. 8.

Genes. 2. vers. 7.

Galfrid.

Neque hinc discesserim quin scrupulum, quem P. Pereyra præfato loco de discrimine inter imaginis, & similitudinis significationẽ nobis iniicit, facile eiiciam: nimirùm ipse aduersus tot Patrum sensum omninò cẽset in præfatis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* vtramque vocem eòdem tendere; nec imaginem aliud, quàm similitudinem significare, quin peculiaris alterutri voci subsit epitasis: eo videlicet argumẽto per motus, quod eâdem duplicatæ vtriusque vocis locutione itidẽ de Adamo dicatur Genes. 5. vers. 3. genuisse Seth *ad imaginem, & similitudinem suam:* Quæ iam nè argumentatio adeo nõ vrget nos, vt ipsam potius pro confirmatione præfati discriminis harum vocum habeamus, quòd nõminus accurate hoc in loco, quam in præcedenti locutus est Moyses, vt indicaret Seth bonos patris sui Adam iam pœnitentia perfundi, & ad exemplar diuinitatis cõpositi expressisse vti hæc verba intellexère Chrisostomus, Rupertus, & alij: Audi primum Rupertum lib. 4. *de Trinitate, & operibus eius*, cap. 11. vbi cum primum dubitasset. *Cur enim genituram eius tantis verborum luminaribus Scriptura insigniuit addendo etiam*, genuitque ad imaginem, & similitudinem suam: *homo rationalis rationalem, mortalis mortalem, cum hoc idem de cæteris quoscumque genuit filiis, filiabusque rectè dici potuerit?* Sic statim respondet: *Quia hunc in capite gederationum abiecto Cain, tanquam abortiuo positum voluit agnosci:* & rursum: *in hac serie non secũdum primogenitos, sed secundum iustos natiuitatum tẽpora, vel anni supputantur:* ita Rupertus. Pergit vero luculentius Chrisostomus explicare eam cogitationem inquiens. *Cum de priore loqueretur filio* (Cain) *nihil tale assignauit significans iam antea illius in malum propensionem: et meritò: non enim seruauit paternos chara-*

VII. Pereira.

Genes. 5. vers. 3.

Rupert.

Chrisost.

cteres, & mores, sed protinus ad malignum cõfugit. Hæc Chrysostomus: Obserua pro significatione vocis similitudinis: *non seruauit paternos characteres, & mores*, vt omnino adstruat Chrysostomus imaginem naturæ lineamentis: similitudinem verò non nisi à paternis egregiorum morũ characteribus censeri.

VIII. Ecce ergo iam quid omninò cogitauerit de primo homine Deus: imãginem videlicet suam etiam similitudinem fieri, vt esset Sanctus, sicut & ipse Sanctus est, quin primis sanctitatis lineamẽtis cõtentus foret, sed illa subinde plusplus perficeret, & viuis, ac suis virrutum coloribus decoraret: vt imago Dei similitudine consummata niteret. In quam rem pulchrè à Basilio Magno hom. *in Sanctam Iulittam*, dictum est. *Omne imperfectũ & solummodo inchoatum molestè fero: nam & in iucundum est imago ex dimidio expressa: inutilis vero est professionis labor, viatore ad propositum finem, & præfinitam stationem non perueniente. Ita ille.* Nimirùm *homo videt ea quæ parent.* Sed magnus Leo hoc Dei consiliũ omnino assecutus, sapienter expressit serm. 3. *de Natiuitate Domini*, his verbis. *Primus nãque homo carnis substantiam accepit è terrâ, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem, & similitudinem sui Auctoris viuens formam Dei bonitatis, atquè iustitiæ in splendore imitationis tãquam in speculi nitore seruaret.* Hæc Leo. Pende singula vt ex illis elicias diuinam imaginem sic fore Dei spiritu animandam vt forma Dei bonitatis, atque iustitiæ ex imitationis splendore in homine niteat: Nimirũ cum Deus aliter, quam homo *qui videt ea, quæ parent*; ad *cor*, & animum *intueatur*, omninò auersatur eos, qui imaginẽ ex dimidio expressam præseferunt: de quibus Paulus 2. ad Timoth. 3. verſ. 9. ait: *Habentes speciem pietatis: virtutem autem eius abnegantes:* vbi obserua primùm pro *speciẽ pietatis*, ex Græco fonte Cyprianus *lib. de vnitate Ecclesiæ*, legit *de formationem*, & ab eo alij *descriptionem*. alij *lineamenta*. Deinde vero vocem Græcam *dinamis*, quæ respõdet voci *virtutis*, nonsignificare probitatem, vt apud Latinos, sed propriè *efficacitatem, succum, neruos, & vitalem vim*: vt sensui fuerit esse nonnullos, qui externam quidem pietatis speciem, siue Dei imaginem gestent, sed quæ velut pictura inchoata, vel vt mortua, & inanimis sit, cui succus, & vitalis vis diuinæ imitationis, atque similitudinis desit.

Hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum perinde esse, atque Filij Dei similitudinem vitæ sanctitate exprimere.

ADNOTATIO II.

PRIVS verò, quam plura de imagine, & similitudine diuina, quæ in homine relucet dicamus: erit quidem operæ pretiũ illud pro re nostra pẽsiculatius disquirere: quid præcisse Dei imago in homine inuenta significet? Siue quid omninò sibi voluerit Deus, inquiẽs: *Faciamus hominẽ ad imaginem nostram?* Qua quidem in re nõ vna PP. & interpretum mens esse videtur; aliis ad totam Augustissimam personarum Trinitatem; aliis signatè ad Filium; aliis ad Filium, & Spiritum Sanctum referentibus: Sed enim vt in modo loquendi dissentiant, & in suũ quisque abeat, in re tamen ferè omnes conuenire videntur, vt in vnam Originis, Bernardi, & aliorum sentẽtiam conspirẽt, qui hæc verba *ad imaginem nostram* propriè referri debere ad Filium Dei existimant, quod à Paulo Colloſ. 1. verſ. 15. *imago Dei inuisibilis*, & ad Hebræos 1. verſ. 3. *Figura*

Leo Magnus. *2. ad Timot. 3. verſ. 9.* *Cyprian.* *Lec. Gr.* *S. Basil.* I. *Colloſ. 1. verſ. 15.* *Hebræo. 1. verſ. 3*

gura ſubſtantiæ eius eſſe dicatur, & à Theologis Soli Filio inter diuinas perſonas nomen imaginis omnino aſsignetur: adeò, vt plerique cẽſeant vel hinc Spiritũ Sanctũ etiamſi à Filio nõ procederet, meritò ab ipſo diſcriminari, quod Filius tantũ imago Patris ſit. Sed iam audi Orig. hom. 1. in Geneſim ita hæc diffundentẽ. *Origen.* *Fecit ergo Deus hominem*, ad imaginẽ Dei fecit illum. *Oportet nos videre, quæ eſt imago Dei, & perquirere ad cuius imaginis ſimilitudinẽ homo factus eſt? Non enim dixit, quia fecit Deus hominẽ ad imaginẽ, & ſimilitudinẽ ſuam, ſed* ad imaginẽ Dei fecit illũ. *Quæ eſt ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis ſimilitudinẽ factus eſt homo, niſi Saluator noſter, qui* eſt primogenitus omnis creaturæ? *de quo ſcriptũ eſt, quia ſit,* ſplendor æterni luminis, & figura expreſſa ſubſtãtiæ Dei, *quia, & ipſe de ſe dicit:* Ego in Patre, & Pater in me, & qui videt me, videt & Patrẽ: *Sicut enim, qui viderit imaginẽ alicuius videt eum, cuius imago eſt, ita, & per Verbũ Dei, quæ eſt imago Dei, Deũ quis videt, & ita verũ erit, quod dixit:* Qui me videt, videt, & Patrẽ. *Ad huius ergo imaginis ſimilitudinẽ homo factus eſt:* Hæc Orig. & alia poſt modũ afferenda. Ad quẽ modũ Bernard. lib. de Animà ſiue in Meditationibus de humanæ conditionis cognitione. c. 1. Sic loquitur. *Ad imaginẽ Dei facti ſumus, hoc eſt ad intellectũ, & notitiã Filij per quẽ intelligimus, & cognoſcimus Patrẽ, & acceſſum habemus ad eũ. Tãta cognatio eſt inter nos, & Dei Filiũ, quod ipſe imago Dei eſt, & nos ad imaginẽ eius facti ſumus, quã cognitionẽ ipſa etiam ſimilitudo teſtatur, quoniã non ſolum ad imaginẽ, ſed etiam ad ſimilitudinẽ facti ſumus.* Hęc modo Bernard. *Bernar.*

Iam, vt alia ab Orig. & Bernar. videatur eſſe Ruperti mens, ab ipſis tamẽ non recedit. Enim verò exiſtimauit Rup. imaginẽ ad Dei Filiũ, ſimilitudinẽ verò ad Spiritũ Sanctũ fore referendã, notanterque vocẽ imaginis, voci ſimilitudinis præpoſitã fuiſſe. Sic enim ſcribit Rup. lib. 2. de *Trinitate, et operibus eius* c. 2. *Illud quæſitu dignũ eſt, quænã diſtantia ſit imaginis, atque ſimilitudinis? & deinde clarebit, quod non caſu, ſed pro rationis intuitu litteræ ſic ordinata ſit, vt non diceretur, Faciamus hominẽ ad ſimilitudinẽ, & imaginem noſtram, ſed* ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtrã. *Imago, & ſimilitudo hoc differunt, quod imago, vnius imago eſt; ſimilitudo autẽ nũquã minus quã duorũ ſimilitudo eſt. Eſt autẽ imago Dei Filius eius dẽ Dei Patris ſicut de illo Apoſtolus.* Qui eſt (*inquit*) imago Dei inuiſibilis. *Imago inquã Dei inuiſibilis eſt filius æquè inuiſibilis.* Et poſt nonnulla, *eſt ergo Filius imago Patris. Sanctus autem Spiritus ſimilitudo Patris, & Filij: communis enim bonitas, ſiue charitas eſt Patris, & Filij. Ergo nõ rectè dici putes potuiſſe. Faciamus hominem ad ſimilitudinẽ, & imaginẽ noſtrã, quia profecto Filius, ſicut nõ Patris ſimul, & Spiritus Sancti ſed ſolius Patris imago eſt. E contra rectiſsimè dictũ eſt.* Ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtrã: *quia videlicet Spiritus Sanctus ſicut Patris, & Filij cõmunis bonitas vel dilectio: Sic & eorandẽ communis ſimilitudo eſt:* Hæc Rupert. Quæ quidẽ, & ſi ob nimiã ſubtilitatẽ non omnino ſolidè ſubſiſtant, atq; ideò myſtica potius, quã litteræ conſona videantur: ſenſu tamen potius, quam ſono verborũ ſpectato, nihil ab imaginis, & ſimilitudinis diſtinctione, & ſignificatione, quam ex Orig. Baſil, & alijs PP. in præced. adnot. adduximus; ac proinde, nec à præfato Origenis ſenſu differre videtur. Sic quippè homo ad imaginem Dei factus aſſeritur, vt à ſimilitudine, & ſanctitate, cuius fons Diuinus Spiritus, qui viuificans, & ſanctificans animas dicitur, viua, & perfecta imago Filij Dei ſit: eo omnino ſenſu, quo dixit *Rupert.*

Ambrosius lib. 10. in Lucam. *Non ergo æqualitatis homini ad Deum, sed similitudinis æmulatio est. Solus enim Christus est plena imago Dei propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatẽ. Iustus autẽ homo ad imaginẽ Dei est si propter imitandã diuinæ conuersationis similitudinẽ mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi perceptione despiciat, quo alimur in vitã: vnde & Corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes.* Sic Ambrosius. Apud quem vides hominem ad imaginem Dei esse propter diuinæ similitudinis conuersationem, quæ in mundi contemptu ex Verbi diuini perceptione censetur.

Ambro

III Vnde etiam frequenter Augustini, & aliorũ PP. sententia, quæ Dei imaginẽ ad Augustissimæ Trinitatis similitudinem refert, quod non dictũ sit Filio à Patre: Faciamus hominem ad imaginem tuam, sed *ad imeginem nostram*: huc etiam reuocari potest: Sic quippe Augustinus lib. 7. *de Trinitate*, inquit: *Quomodo enim* nostram: *Cũ Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, vt diximus similitudinem dictus est homo ad imaginem: & ideo nostram, vt imago Trinitatis esset homo: non Trinitatis æqualis sicut Filius Patri, sed accedens, vt dictum est quâdam similitudine, sicut in distantibus significatur quædam vicinitas non loci, sed cuiusdam imitationis:* Etenim, vt homo ex Dei imitatione, & virtutibus ad imaginẽ Filij Dei conformatus, ita etiam ad Trinitatis sanctissimæ imaginem factus dicitur, accedens quàdam similitudine, & vicinitate imitationis: Quare post prefata verba Rupertus quidquid de imagine, & similitudine tam distincte dixit, ad Augustissimæ Trinitatis similitudinẽ sic tandẽ retulit. *Quid tandẽ est?* Faciamus hominẽ ad imaginẽ, & similitudinem nostrã: *Nisi faciamus hominẽ, qui trinæ operationis nostræ in se ipso habeat euidentiã. Nam aspice hominẽ, quempiã benè constitutũ v. g. qualis est nũc is ipse qui scripsit hæc: immò quales erant electi omnes à quibus eadẽ hæc beata Trinitas in gloriâ videnda est, vtique viuunt, quod cõmune est illis cũ iumentis: & vtiq; discernũt, quod cõmune est illis cũ hominibus reprobis vel etiã malignis spiritibus, & sancti vel iusti sunt, quod propriũ est filiorũ Dei. Ergo quod ait:* Faciamus hominẽ ad imaginẽ, & similitudinẽ nostrã *hoc dicere est. Faciamus hominẽ, viuẽtẽ, rationalẽ, Deo similẽ.* Hæc Rup. Vbi vides. Hominẽ Summo Patri in vitâ, Dei Filio in rationis iudicio, & arbitrij libertate: Spiritui Sancto in sanctitate Deo similẽ perinde esse, atque ad imaginẽ Dei, hoc est, ad Filij similitudinẽ factũ: dũ Filius verbũ, & Ratio Patris est: dicẽte Ioan. *In principio erat Verbũ*: græcè *logos* de quà voce August. lib. 83. qq. quæst. 63. sic monet. *Quod græcè logos dicitur Latinè, & Rationẽ, & Verbũ significat:* Homo verò omnino sit rationalis, nec aliter de rationalitate, atque de imagine Dei censendũ sit: aliã videlicet inchoatã, aliã consummatam & perfectã esse: quẽadmodũ de imagine Dei disserimus, aut secundũ dona naturalia, aut secundũ supernaturalia, de quo aliud agens sic dissertè P. Pereyr. lib. 4. in Genes. q. 7. *Dupliciter de imagine Dei, quæ est in homine, loqui possumus: vel prout ea consideratur secundũ dona naturalia, & posita est in eo, quod est habere naturã rationis, & intelligentiæ compotẽ,* &c. *aut consideratur imago Dei secũdũ dona supernaturalia scilicet diuinæ gratiæ, & cœlestis gloriæ, quæ quidẽ est naturalis imaginis absolutio, & consummatio:* Nimirũ ad hũc modũ se habet: Rationalitas in homine, siue hominẽ habere naturã rationis cõpotẽ, tunc enim verè rationalis vereq; homo est, cũ *Deũ timet & mãdata eius obseruat: hoc est enim omnis homo.* Eccles. 12.

Augus.

Rupert.

Augus.

Pereyr.

Vnde

IV.

Vnde quidem, cum Dei Filiũ ad perficiẽdum opus Dei (Ioan. 4. verſ. 34.) & ad illuminandam eius imaginem in homine deformatam in mundum veniſſe videmus, perinde id eſſe, atque vim rationalem in eo perficere, vt iuxta rationis præſcriptum vitam ducens Deo ſimilis euadat, omnino dicendum eſt, vt optime Athanaſius in Domini verba: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*, hunc in modum docuit. *Tradita ſunt illi, vt Medico qui ſanaret morſum ſerpentis; & vt vitæ, quâ excitaret mortuum: & vt Luci, quâ illuminaret tenebras, & vt Rationi, quâ redintegratet vim rationalem:* Hæc Athanaſius pulchrè vſurpãs verbum redintegraret, quod niſi homini timor, & amor Dei inſit, integra in illo vis rationalis non eſt, quippè hęc ad amandũ verum Bonũ, & fugiendum, quod Deo inviſum eſt tota tendit: enim verò hàc omnino mẽte imbutus Origenes prefata hom. 1. in Gen. hominẽ ad imaginẽ Dei, ſiue Filij Dei factũ explicare pergens inquit. *Ad huius ergo imaginis ſimilitudinem homo factus eſt, & propterea Saluator noſter, qui eſt imago Dei miſericordia motus pro homine, quia ad eius ſimilitudinẽ factus fuerat videns eũ depoſita ſua imagine maligni imaginem induxiſſe ipſe motus miſericordiâ imagine hominis aſſumpta venit ad eũ, ſicut Apoſtolus conteſtatur dicens:* Cum in forma Dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. *Quicumque ergo veniũt ad eum, & rationabilis imaginis participes effici ſtudent per profectum ſuum ſecundum interiorem hominem renouantur cottidie ad imaginem eius, qui fecit eos.* Hæc, & alia Origines. Obſerua illa, *& rationabilis imaginis participes effici ſtudent per profectum ſuum.* Vt imaginem rationalem in virtute, & virtutis profectu conſtituat, quaſi alia ſit imago, alia-que rationalitas, quæ à conſummata hàc imagine, & à perfecta rationalitate abeat, illa ſcilicet, quæ intra naturę dona, & intelligentiæ naturalis metas cõſiſtit. Quod pulchrè expreſſit citato loco Bernardus hunc in modũ. *Oportet itaq; id, quod ad imaginẽ eſt cũ imagine conuenire, & non in vacuũ nomen imaginis participare. Repræſentemus ergo in nobis imaginẽ eius in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis. Teneamus eũ in memoria, portemus in conſcientiâ, & vbique præſentẽ veneremur.* Quæ ſic pluſplus explicat. *Mens ſi quidẽ noſtra eò ipſo eius imago eſt, quò eius capax eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt. Non propterea eius imago eſt, quia ſui meminit mens, ſeque intelligit, ac diligit, ſed quia poteſt meminiſſe, intelligere, ac diligere eũ, à quo facta eſt. Quod cũ facit, ſapiens ipſa fit.* Ita Bernardus: ſed, & inde hominẽ ad auguſtiſsimæ Trinitatis ſimilitudinẽ etiã cõformẽ reddere: ſic pergit. *Nihil enim tã ſimile ſum mæ ſapientiæ, quã mẽs rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem in illâ Trinitate ineffabili conſiſtit: conſiſtere autem in illâ non poteſt, niſi eius mem inerit, eamque intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei ſui, ad cuius imaginem facta eſt, eũq; intelligat, diligat, atque colat, cum quo poteſt ſemper eſſe beata.* Hactenus ex Bernardo: Ex quibus facile elicies, hominem, qui Deũ non timeat, & mandata eius non obſeruet, vt à perfecta Dei imagine, ita à verâ rationalitate longe ire: dicente de eo vate: *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſalm. 48. verſic. 13. Quare rurſus Bernard. ſerm. 24. *In cantica*, inquit. *Erubeſce anima mea diuinam in pecorinam mutaſſe ſimilitudinem. Erubeſce volutari in cæno, quæ de cœlo es. Erubeſce anima mea (ait corpus) in me conſidera-*

Ioan. 4. verſ. 34. *Ath an* *Origen.* *Phil. 2.* *Bernard* *Pſal. 48 verſ. 13.*

tione. Creata ſimilis creanti recta, me quoque accepiſti adiutoriũ ſimile tibi
Bernar. *vtique ſecundũ lineamẽta corporeæ rectitudinis, &c. Cur ſuam in te Conditor intuetur abolitã ſimilitudinẽ cũ tuã in me tibi cõſeruet, aſſidueque repræſentet. Iã omne adiutoriũ, quod ſibi ex me debebatur, vertiſti tibi incõfuſionẽ: abuteris obſequio meo, indignè humanũ corpus habitas brutus, & beſtialis ſpiritus.* Sic ſapiẽter Bernar.

V

Iam verò tã hæc omnia, quãto tam, quã ab initio adnotationũ perſequimur, cognitionẽ luculẽter firmat Apoſtolus cũ ad Rom. 8. verſ. 29. inquit: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij*
Rom. 8. verſ. 19. *ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis Fratribus:* hue, vt lectio Syriaca habet: *Et à principio cognouit eos, & ipſos obſignauit in ſimilitudine imaginis Filij ſui, vt is ſit primogenitus fratrũ multorũ:* De cuius loci explicatione, in aſsignandâ cõformitate cũ imagine Filij Dei, idem profus, ac de
Lec. Syr. prætatis verbis, *ad imaginẽ Dei*, poſſumus pronunciare, vt P. Iuſtinianus obſeruauit: nempe dum explanatores mirifice interſe diſſentiunt, diuerſo quidẽ cale, eodẽ tamẽ tendere: Sanè Baſil. lib. 5. *Cõtra Eunomiũ*,
Iuſtinia *Baſilius* & Athan. nõ ſemel, lib. *Ad Serapionẽ de Spiritu Sancto*: conformitatem
Athan hanc cũ imagine Filij Dei ad Spiritũ Sanctũ quali ad imaginẽ Filij referũt, vt dixerit Apoſtolus Deũ ſuos prædeſtinaſſe, vt ſint conformes Spiritui Sancto, vt nimirũ ſancti ſint, ac puri ſicut ipſe diuinus ſpiritus Sãctiſsimus, & puriſsimus eſt: Chryſoſt. Hieron. Anſel. & alij per Filiũ nõ niſi Chriſtũ quà homo eſt intelligunt, vt quos Deus admirabili ſua prouidẽtiâ ante omnẽ æternitatẽ approbauit, eoſdẽ ſignatè prædeſtinarit: vt fiant cõformes Chriſto, qui eſt exẽplar ſanctitatis Origines vero S. Thom. Adamus, & alij de ipſamet Filij Diuinitate interpretantur, cuius conformitatẽ, & ſimilitudinẽ peculiari beneuolentia

A

B

C

D

E

Dei aſſequamur, cũ ſapientia, iuſtitia veritas, cæteræque virtutes nobis diuinitus concedantur. In quã quidem interpretationẽ opportunus nobis inclinat Card. Tollet. cũ imaginẽ nõ reſpectu noſtri, ſed reſpectu Patris æterni ſumendã cenſeat, quaſi dicat Paulus: *Prædeſtinauit nos Deus, vt ſimus conformes Filio Dei, in quantum ipſe eſt Filius, & conſequenter imago Patris, vt videlicet pari ratione nos ipſimet Patri per Filium aſſimilemur, & conformemur.* Cui ſenſui ſubſcribens Irenæus M. lib. 5. aduerſus Hæreſes cap. 16. poſteà afferendus pulchrè dixit: *Vt per eam, quæ eſt ad Filium ſimilitudinem prætioſus homo fiat Patri;* Vbi omnino videshęc Pauli verba ab illis Moyſis. *Ad Imaginẽ Dei fecit illũ*, nec hilũ differre, cũ ad imaginẽ Dei perfectã quæ pulcherrimis virtutũ coloribus ex Filij Dei imitatione, tanquã ab exẽplari noſtro, quod Patris imago ſit, vtraque referenda videantur.

Irinæus M. Adam. Cardin. Tolet.

VI.

Sed peculiari ratione in lectione Syriaca dictum obſerua. *Ipſos obſignauit in ſimilitudine imaginis Filij ſui*, vt ab hoc ſigillo, qui tandem ſui ſint, cognoſcantur, & ab alijs diſcriminentur, Et vero hominem cũ *creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*, ad Epheſ. 4. verſ. 24. hoc fuiſſe ſigillo munitum: cum verò à iuſtitia, & ſanctitate, malo fato, decidit, idẽ ſigillum confregiſſe ſapienter docet pieque deplorat Bernardus ſerm. 2. *In Natali Domini*, inquiens. *Nunc autem licet diuino fuerit munita ſigillo (ad imaginem quippe, & ſimilitudinem ſuam creauit Deus hominẽ) heù diſruptum eſt ſigillum, & vnitas diſsipata: Accedens peſsimus ille latro recens adhuc ſigillum fregit, & ſic mutatâ ſimilitudine diuina*, comparatus eſt *miſer homo*, iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Rectum, *quippe* fecit Deus hominẽ: (Eccleſ. 7. verſ. 31.) *Atque hæc ſimilitudo eius, de quo ſcriptum eſt.* Quia

Treneus Epheſ. 4 verſ. 24.

Bernard

Eccleſ. 7 verſ. 31.

rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. *Veracem quoque, & iustum fecit eum sicut, & ipse veritas, & iustitia est, &c. Vernm supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius (Væ: Væ) fregit, quod erat manu Diuinitatis impressum.* Eritis (*inquit*) sicut dij scientes bonum, & malum. *O malcuole, ô malione, ad quid eis hæc similitudo scientiæ? Sint certè sicut dij recti, iusti, veraces: sint sicut Deus, in quem peccatum non cadit.* Hæc ibi, & plura Bernard. in hanc rem. Vbi vides Diuinæ imaginis, & similitudinis sigillo Dei electos obsignari, vt sint cõformes Imagini Filij sui, & rationalis imaginis participes efficiantur.

IV Enim verò in huius sigilli confractionem deperditamque in homine conformitatem, & similitudinem cũ imagine Filij sui arcanus illi, & intimus Dei dolor ire videtur à Moyse, sic expressus Genes. 6. verl. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore. Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinsecus,* &c. Obserua emphaticam, & quæsitissimam locutionem: *Tactus dolore cordis intrinsecus*; quæ quidẽ à naturâ diuinâ videtur esse alieniſsima: Vnde enim Deo dolor? cuius *Tabernaculo flagellum non appropinquabit?* Vnde ei ab hominum peccatis nocumentum? Benè ille. *Si peccaueris* (ò miser) *quid nocebis ei?* Iob. 35. verſ. 6. Benè etiam, & Theologicè, Seneca lib. 7. de *Beneficijs: iniuriam Deo sacrilegus non facit, quem extra ictum Diuinitas posuit.* Quid ergo fuerit indoluisse Deũ? nec, vt cumque indoluisse; sed signatè *dolore cordis* intime, & *intrinsecus*, affectum fuisse? Sanè si Hæbraicã lectionẽ, & Chaldeam Paraphrasim adieris ad dolorẽ Summi Patris de imagine suâ, hoc est de Filij sui similitudine in homine deturpata conceptũ non incõmode referas: quippè ex Hebræo omnino legeris: *Dolore affectus erga cor suum*, ideſt, erga Filiũ suum: qui cor Patris omnino est, dicente Ioanne 1. verſ. 18. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris:* Quod iuculẽter expressit Chaldæus transferens: *Et pœnituit Dominum in Verbo suo:* & statim verſ. 7. *Pœnitet me in Verbo meo:* Vt ex ijs sensus fuerit, nostro concipiendi modo non simplicem; sed duplicatum Deo ab hominũ peccatis dolorẽ accesisse: illic scilicet primũ, quod homo, qui sibi maximè charus, & pretiosus erat infeliciter perijsset, graui scilicet ipsius Dei iacturâ, vt scitè expendit Nazianzenus oration. 12. inquens: *Pro lapsionibus nostris Deum, qui nos, & pro diuitijs habet, & diuites facit nos afficimus detrimento.* Deinde verò grauior alter; & quasi intrinsecus, quod suam in se imaginẽ, & similitudinẽ corrupisset, quod quidẽ malũ ipsum Deum tangere siue in ipsum recidere videtur: pulchrè id expendente, Augustino lib. 1. de *Decẽ chordis*, cap. 10. cum inquit. *Dices. Vnde iniuriã facio Deo, quia corrũpo me ipsum? Vnde facit tibi iniuriam, qui voluerit forte lapidare tuã tabulã pictã, in quâ tabulâ imago tua picta est in domo tuâ inaniter posita ad vanũ honorẽ tuũ, nec sentiens, nec loquens, nec vidẽs? Si quis illã lapidet: non ne in te esse contumeliã factã attendis? cũ verò imaginẽ Dei, quod es tu corruperis in te, non attendis, cuius imaginẽ violasti?* Sic August. A quo non abit Ambros. lib. 6. *Exameron* cap. 8. vbi cũ hominẽ primũ admonuisset, *Pictus es, ô homo, & pictus à Domino Deo tuo. Bonũ habes pictorem, atque artificẽ, noli bonã delere picturã, nõ fuco, sed veritate fulgentẽ, nõ cerâ expressã, sed gratiâ* post nõ nulla sic eũ arguit: *Dic mihi si supra artificem aliquem, inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat, non ne indignatur ille, qui opus*

Ioan. 1. verſ. 18.

Cald.

Nazian

Genes. 6 verſ. 6.

Augus.

Iob. 35. verſ. 6.

Ambro

Seneca.

ſuum adulteratum eſſe cognoſcit.

LXX. Hæc Ambroſius. Quæ ſanè epitaſis lectioni LXX prætato loco Geneſis ſubeſſe videtur: nam vbi nos habemus *pœnituit*, nec non *doluit*, ipſi reponunt: *& cogitauit*, & *recogitauit*, A non tantum eo ſenſu quem ibi indicauit P. del Rio: *Quia quos aliquid feciſſe pœnitet ſæpe illud verſant animo: Eccur feci; Vtinam non feciſſem:* Sed etiam, vt ſignata doloris cauſa demonſtretur: comparatio videlicet exẽplaris cum imagine tranſumpta, itidemque imaginis cum ipſo exemplari: ſiue potius eiuſdemmet exemplaris, & in ſe ipſo, & in hominum opinione deturpati facta collatio, vt ille exprimatur ſenſus

Del Rio

Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo!

Chriſoſt. Quod ob oculos habens Chriſoſt. hom. 14. *Cum Præsbyter eſſet deſignatus*, inquit. *Mala beſtia eſt peccatum, non equidem in conſerua corpora, ſed in ipſammet Domini gloriam effundens malitiam. Sic ille.*

VIII. Quam quidem rationem videtur ipſemet Dei Filius expreſsiſſe apud Iſaiam cap. 52. verſ. 5. eam aduentus ſui cauſam reddens: *Iugiter totâ die nomen meum blaſphematur*: ſiue (vt legit Greg. Nyſſen. lib. *de oratione Dominica*, cap. 3. *Nomen meum male audit.*) *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illâ: Quia ego ipſe qui loquebar, Ecce adſum*, memet hominibus videndum, & de facie agnoſcendum præbens: *vt oſtẽderet* (inquit Athanaſius lib. *de Incarnatione Verbi*) *opificem extra culpam fuiſſe.* Itidemque nihil ſanctius auguſtius, aut magis reuerendũ diuina imagine excogitari potuiſſe. Quo planè referunt idé Athanaſius Theodoretus, & ab ijs S. Thomas, & alij, Dei Filium potius quã Patrem, aut Diuinum Spiritum hoc munus inſtaurandæ diuinæ imaginis ſignatè obijſſe, quod ipſe illamet imago, ſiue idea fuerit ad quam primùm factus eſt homo: illudque exemplar, ex quo ſimilitudo tranſumpta eſt, ſic enim ex PP. S. Thomas. 3. part. quæſt. 3. art. 8. in corpore: *Artifex* (inquit) *per formam artis conceptam, quâ artificiatum condidit, ipſum ſi collapſum fuerit, inſtaurat.* Quod pulchre diffundit S. Athanaſius, *de Incarnatione Verbi, & eius corporali ad nos aduentu.* & Theodoretus adnot. 4. adducendi, & omnes pæne PP. ſignatè verò opportune hæc de rediſſerit S. Baſilius Seleucienſ. orat 39. in S. Deiparam, vbi cum dixiſſet. *His porrò à nobis admiſsis haud quaquam Dominus ſeruos eſt auerſatus ſed ſuarũ recordatus miſerationum, qui earum nunquã fuit oblitus ad maiorem in humanum genus excitatur benignitatis, ac clemẽtiæ exuberantiam iuxta illud Scripturæ.* Vbi abundauit delictum ſuper abũdauit gratia. *Ad Rom. 5. verſ. 20.* ſubijcit per opportunè. *Quapropter mittit ad vitiatam imaginem, imaginis Auctorem, vt bonitatis eam coloribus reformaret. Id circo formã ſerui accepit, qui erat in formã Dei, quo iniquitatis mancipia in libertatem aſſerta, ad priſtinam nobilitatem reduceret, ac cœleſtis Patris efficeret Filios ſuæ iterum conformes effectos imagini.* Quotquot enim inquit receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, Ioan. 1. verſ. 11. & poſt nonnulla eandem ſententiam condenſans ſic inquit: *Cum ergo imaginẽ repurgare ſtatuiſſet, ſe ad imaginem confert, volenſque, carnem immortalitate donare, carnem induit congenerem ipſam congeneri curaturus, ac per omnia perfectus efficitur homo, vt ei quem formauerat homini plenam, perfectamque ſalutem conferret.* Hæc illæ, & alia ſuo loco affigenda.

Athan

Theodoret.

Baſil. Seleuc.

ad Ro. 5 verſ. 20.

Ioan. 1. verſ. 11.

(S)

Iſai. 52. verſ. 5.

Nyſſen.

Athan

S. Thom

De diuinâ similitudine in homine de perditâ per Dei Filium instaurandâ.

ADNOTATIO III.

ERGO fideliter, atque sapienter nostræ creationis cum Leone Magno intellecto Exordio. *Inuenimus hominem; ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset Authoris, & hãc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat.* Sed enim cum homo capax liberi arbitrij, quod in vtram vis partem flecti potest à Deo sit factus; ac proinde liberum ipsi fuerit, vel illam Dei similitudinem propriæ industriæ studijs cum Dei adiutorio obtinere, siue in eâ diutius permanere; vel etiam à tanta dignitate decidere, nõ equidem omnino firmum subsisteret illud Dei cõsilium de homine sibi cõsimili faciendo, & ob similitudinem beando, si hominis arbitrio tantum modò inniteretur, nec aliunde remedium casui futuro pararetur. Porrò Sapiens anceps hominis consilium, & statum quasi in bilance positum, sic expressit: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Addiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuâ fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominẽ vita, & mors: bonum, & malum; quod placuerit, dabitur illi.* Ecclesiastici 15. vers. 18. Vbi vides tantam hominis sortem, diuinamque similitudinem ab ipso ex Dei imitatione exprimendam ancipiti consilij lance libratam, dum ipse in manu consilij sui relictus est: qua ergo ratione firmum, & immotum Dei consilium subsisteret, si ille ad ignem, & ad mortem manum porrexerit? cum tamen aliunde ipsius mei Dei illę voces sint. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Isaiæ 46. vers. 10.

I *S. Leo.* — *Eccles.* 15.18. — *Isai.* 46. *vers.* 10.

A

Enim verò opus fuit, vt si quidem Deus Optimus Maximus hominem a se faciendum in sui imitatione, & similitudine perdurare volebat, & perfectam in eo sui imaginem haberet, in quâ sibi bene complaceret, non fuisset contentus, illum semel rectum facere, & in iustitia, & sanctitate veritatis creare, quin simul ad instar boni Artificis, qui perpetuitati imaginis siue simulachri à se confecti prospicit, durationi, atque immortalitati illius, tanquam simulachri ad suam imaginem, & similitudinem efformati, aliquâ firmâ ratione consultum iri vellet, pulchrè id obseruante S. Epiphanio hæresi 44. ad hunc modũ. *Fecit enim Deus hominem: secundum imaginem Dei fecit ipsum, qua propter etiam curam gessit perpetuitatis statuæ suæ, quemadmodum statuarũ opifices non enim solum pulchritudinis statuarum, & decoris curam habent, vt sint pulchræ, & præclaræ; sed etiam quantum eius fieri potest, sibi ipsis immortalitatem ex operibus procurant, vt ad longum tempus cõseruentur, & non dissoluantur: quem admodum etiam Phidias fecit: hic enim vbi Pisæum simulacrum fabricasset, ex ebore autem id ipsum erat, oleum effundi iussit circumpedes coram ipsâ statuâ, vt pro viribus ipsã immortalem conseruaret.* Hæc Epiphanius nostro instituto adeo per opportuna, vt vel ipsa olei circumpedes statuæ effusi, è re nostra esse possit, cum non aliunde Deus quam ab *oleo effuso* (de quo Cãt. 1. vers. 2.) immortalitati suæ statuæ, voluerit consulere.

B — C — D — E

S. Epiph. — *Cant.* 1. *vers.* 2.

II

III

Sanè huic omnino consilio Summus hominis, rerumque Opifex Deus insistens cum in primis hominem ad suam imaginem, & similitudinem

con-

condere, itidemque illum humanæ posteritatis caput, tam physicum, quam morale à pactione, videlicet cum ipso initâ, vt siue sanctitati, siue iniustitiæ inhærens, vel iustitiâ, vel peccatum trâsfunderet ad posteros A constituere voluit: illud simul apud se firmiter statuit, vt si homo in manu consilij sui relictus ad ignem, & ad mortem, quæ, & ipsum, & posteritatem suam de dignitate diuinæ similitudinis deturbaret, infelici sorte manum porrigeret, non perinde de humani generis salute actum esset quasi semel corrupta diuinæ imaginis pulchritudine in pristinum splendorem restitui nõ posset, atque ideo B funditus esset periturum: immo verò talis lapsui reparatio, eaque vulneri medicina adhiberetur, vt melior deperdito homini sors de clade veniret, ipsomet Opifice multo operosius, & mirabilius, opus suum reformante, ac pristinum splendorem suæ imagini restituente: dum hàc de causa Filium suum consubstantialẽ, illam videlicet viuam, & spirantem bonitatis suæ imaginem in terras C mitteret, tàm vt homini lapso auxiliarem manum ad resurgendum prẽberet, quàm vt ille ob oculos habẽs ipsammet diuinam pulchritudinem, ad quam factus fuerat, ad ipsius exẽplar facilius, & efficacius sese componeret, & diuinos mores imitatus ad pristinam dignitatem rediret. Nimirum *Artifex* (verba sunt S. Tho- *S. Thom.* mæ de hàc ipsà re agentis, 3. p. quæst. D 3. art. 8. *In corpore*) *performam artis conceptam, quâ artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat.* Quam mentem prius exposuerat, atque diffuderat Athanasius, *Athan.* lib. de *Incarnatione Verbi, & corporali ad nos aduentu.* Vbi quasi diuini huius cõsilij interpres sic ait: *Non decebat homines diuinæ semel imaginis consortes in exitium abire. Quid igitur Deo conueniebat, vt faceret? aut quid par erat, vt fieret, nisi, vt exemplar imaginis renouaret, vt per id denuo ipsum homines cognoscere possent: id autem quomodo confici potuit nisi ipsa imago Dei Saluator noster Christus superueniret.* Subijcit opportunam imaginem. *Vt enim forma aliqua in tabellis depicta, sordibusque aliunde obiectis obliterata instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitus tabella depicta fuit: eodem modo vndecumque ille bonus Patris Filius, imago, & character Patris ad regiones nostras profectus est, vt hominem ad sui similitudinem factum denuo reficeret.* Sic Athanasius, sed & hanc met cogitationem quamuis non in statu conditionali, de quo nos modo agimus, sed vt postea executioni mandatam optimè expressit Magnus Leo serm. 2. de *Natiuitate Domini*, hunc in modum. *Namquia gloriabatur diabolus hominem suâ fraude deceptum diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatũ durâ mortis subijsse sententiam, & Deum quoque iustæ seueritatis exigente ratione erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione cõsilij vt incõmutabilis Deus (cuius voluntas non potest suâ benignitate priuari) primam pietatis suæ dispensationem Sacramento occulto re compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam cõtra Dei propositum non periret.* Sic *S. Leo* Leo opportunissimè inducens incõmutabilem Dei, erga salutem hominis voluntatem, primam illam dispensationem de faciendo homine ad imaginem, & similitudinem suam, vt si ipsam obedientia, & innocentia retenta perficeret æternum bearetur, Sacramento occultio re Dominicæ incarnationis compleuisse, vt bonus ille Patris Filius imago, & character Patris ad regiones nostras profectus hominẽ ad sui similitudinem factũ denuo reficeret.

S. Leo Mag.

IV Quòd si diuina verba: *Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram*, quæ arcanâ emphasi plenissima esse omnes PP. affirmant penitius introspexeris, hunc ipsis sensum pæne sub esse dixeris cum Ruperto, & alijs bonis auctoribus. Et in primis Græcum verbũ, quod respondet Latino, *faciamus*, consultationem, & deliberationem signatè præseferre obseruat P. Pereyra, & verò cum iuxta hanc significationem id verbam sic explicasset. *Videtur significare Deum quasi cum ratione quâdam, & consilio, ac deliberatione ad creandum hominem accessisse*, post nonnulla hæc habet. *Propterea inducitur Deus quasi consultabundus ad creationem hominis accedere, vt ex eo liceret existimare, quantæ molis futurum erat, hominem non tã condere, quâm conditum in sanctitate, & felicitate, quâm à Deo acceperat; conseruare, aut eam amissam ei restituere.* Hæc ille, vides opificem non solum pulchritudinis suæ imaginis. & decoris curam habentem; sed etiam procurantem, vt perpetuo conseruetur, & non dissoluatur? Sed deinde Rupertum hæc plenius diffundentem audire, est operæ pretium: Ergo ille lib. 2. *De Trinitate, & operibus eius*, adductis his verbis inquibus sumus. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã*, sic pergit. *Domine* (inquit Propheta) consilium tuum antiquum verũ fiat: *An tibi parum videtur consilium Sanctæ Trinitatis his paucis dictiunculis esse significatum? Magnum planè consilium in illo Sapientiæ cõsilio, in illo talium personarum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti non tâm Senatu, quam soliloquio venerãdo de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quidquam, quæ circa nos acta, vel agenda sunt, illic defuisse? Planè omnis ibi nostra causa in medio posita est: mors vel perditio nostra, quæ futura erat illic perspecta est. Et inde totum consilium habitum, vt vnaquæque persona suam operis partem susciperet, vt scilicet, sicut iam dictum est, tunc quidem Pater conderet: posteâ si Adamus in felici sorte peccaret Filius in plenitudine temporis perditũ redimeret, Spiritus Sanctus remissionẽ peccatorũ, & carnis resurrectionẽ perficeret. Atque ita communi Trinitatis consilio reædificarẽtur in homine deserta sæculorum, & fundamẽta generationis, et generationis suscitarẽtur.* Hæc Rup. omnino ad rem, præsertim, vt mos Theologicus fert in negotio decretorũ diuinorũ, vt pro inconnexione obiectorum; ac eorum, vel simultate, vel præsuppositione, & prioritate, aut posterioritate varietas quoque, & prioritas ac posterioritas in diuinis decretis ad ea terminatis statuatur: quippe sic capienda sunt illa verba. *An putas eorum quidquam, quæ circa nos acta vel agenda sunt illic defuisse?* itidemque hæc. *Planè ibi omnis nostra in medio causa est posita, & inde totum consilium habitum*, vt primùm status innocentiæ Adami, deinde status lapsus ipsius, & quid inde secuturum foret præsupponeretur, deinde verò cõsultatio adhiberetur quid de Adamo a iustitia deficiente foret agendum, vt videlicet, quod inquit Rupertus, *nihil eorum, quæ acta* reapse *sunt, in ea consultatione defuisse*, referendum sit ad primum, firmum, constansque Dei consilium de homine ad imaginem, & similitudinem suam, quæ in iustitia, & sanctitate cẽsetur efformando, *vt scilicet tunc Pater conderet*, cum vero subdit; *quæ agenda erant*, in didem fore statuta, perinde capiendus fuerit, vt pro seruatà, aut non seruatà ab Adamo innocentia, & rectitudine, Dei Filius auxiliarem illi manum esset præbituturus, vel exemplari proposito ad iustitiam retinendam, & diuinam imaginem suis coloribus perficiendam, vel homine facto, *vt postea in plenitu*

Genes. 1. vers. 26.

Pereyra

Rupert.

A B C D E

dinè

dine temporis perditum redimeret.

V. Et quidem nisi ego immaniter decipior, est hic germanus sensus verborum ipsius met Diuinæ sapientiæ, & Verbi Diuini de se ipso pronuncian
A tis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio.* Prou. 8. vers. 22. vt dixerit, Deum antequam homini formando manũ admoueret, adinstar artificis ideam concipientis, sapientiã suam tanquam idæam, & artis formã ad opera perficienda concepisse, vt ab ipsa homo formaretur, vel reformaretur: Sed obserua duo: alterũ tã
B LXX. Interpretes, quãomnes PP. Græcos hæc verba sic legisse: *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua:* notanter verò Athanasium, *ad Decreta Nizenæ Synodi*, reposuisse: *Dominus præfecit me initium viarum suarum*: Simulque vim, & efficacitatem Græci verbi *ectise*, hunc in modum pensitasse;
C *Non est simplex, & vna significatio huius verbi* ectise: *hîc enim* ectise: *intelligendum non* fecit, *sed* præfecit operibus suis: *Sed tamen per Filium conficiendis. Neutiquam, ergo illud*, ectise *sic accipias tanquam si dixisset*: fecit me: *differunt enim facere, &* ectise: *quia nimirum non tàm dicendum* fecit, *quàm* præfecit me: Hæc Athanasius: Alterum obseruatu dignum est: eam locutionem *viarum suarum*, notanter de decretis, &præfinitionibus arcanis Dei fore accipiendam eo sensu quo dixit Vates:
D *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Psal. 24. vers. 11. & ipsemet Dominus Isaiæ 55. vers. 8. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exsaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris*, &signatissimè Paulus ad Romanos 11. vers.
E 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Ex qua duplici obseruatione hæc se prodit huius loci sententia, vt affirmet Dei Filius, sic se à summo Patre suis consilijs, atque decretis de homine formando, atque beando fuisse præfectum, vt velut in bino viarum suarum constitutus, & in vtrumque paratus fuerit nempe, vt quamcumque illum in partem hominis sors salusque vocaret, auxilium allaturus præsto ad esset, diuinæ similitudinis consequendæ dux, & antesignanus, quod videlicet si homo in accepta iustitia persisteret, non nisi ex increatæ Sapientiæ similitudine, & diuinis characteribus pulchritudinem acceptæ imaginis foret perfecturus: illo verò à iustitia, & sanctitate, ac proinde à diuinæ imaginis, & similitudinis dignitate cadente, ipsemet Dei Filius auxiliarem manum ei esset præbiturus, tã semetipsum humano generi ad diuinam imaginem deperditam recuperandam viuum exemplar exhibens, quã pro eius debito in copiosam redemptionem, & pretium offerens.

VI. Ergo quod Dei Verbum, atque Sapientia inclamat *Dominus præfecit me initium viarũ suarum in opera sua*, non solum de homine per ipsum instaurando, & reficiendo, atque pristinæ dignitati restituendo, vt cumque accipiendum est iuxta frequentem PP. expositionem Cyrilli Alex. lib. 5. *Thesauri* cap. 4. & 7. & 8. Basilij in Apologia ad Cęsarianos, & lib. 4. *Contra Eunomium*, Augustin. lib. 1. de *Trinitate* c. 12. Fulg. lib. 1. *Aduersus obiectiones Arrian.* obiectione 3. Ambrosij lib. de *Fide* cap. 7. & Athanasij pluribus in locis, sed etiã signatissimè de diuinà similitudine in quouis statu, siue innocentiæ retentæ, siue iustitiæ instauratę à diuinà Sapientia homini communicandà, vt ex opportunissimis Salomonis verbis in libro sapientiæ, c. 9. haud difficilè videris: etenim cũ ibi vers. 9.

Prou. 8. vers. 22. *LXX.* *Athan* *Psal. 24 vers. 11.* *Isai. 55. vers. 8.* *Cyr. Al* *Basilius* *Ad Roman. 11. vers. 33.* *Sapient 9. ver. 9*

dixisset

dixisset sapiens: *Tecum Sapientia tua quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis & quid directum præceptis tuis*: Ex hàc sententiâ, & alijs huic consentaneis quas subijcit, sic infert cap. 10. vers. 1. *Sap. 9. vers. 1.* *Hæc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*: Quibus verbis omnino tribuit diuinæ Sapientiæ vtramque hominis formationem corpoream scilicet, & spiritualem, quâ Deo conformis, & adsimilis extitit, dum *in paradisi felicitate tanquam in vmbrâ vitæ* (sic loquitur Augustinus præfato loco Enchirid. cap. 25.) *Vnde iustitia custodita in melioracònscenderet*, collocatus in iustitiâ permansit: itidemque, & reformationem, siue in pristinam dignitatem restitutionem, cum à iustitiâ excidit, vt & benè ibi explicat *Franciscus Lucas.* Franciscus Lucas inquiens Diuina Sapientia primum Parentem ante productionem Euæ in iustitiâ seruauit: post Euę productionem cum deliquisset à lapsu asseruit. Et prius monuerat Augustinus in Enchirid. cap. 106. in hunc modum. *Hæc custodiuit eum, id est in rectitudine continuit, à lapsu præseruauit.* *Augus.*

VII Sed, & huic expositioni verborũ Salomonis, quibus Dei Verbum, & Sapientia à Patre hâc ratione præfectum ad opera sua affirmat, mirè cõgruunt, quæ immediatè sic subijcit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret*: Sic cum Hebræorum doctissimis verbum *Nasach*: pro quo noster posuit *ordinare*, legeris *tesselare*, vel *tesserâ insigniri*: Vt imagine à talorum ludu delumptâ, sit sensus, Dei Filium sic esse præfectũ ad opera Dei, seu ad eius vias, & consilia promouenda, vt veluti ad tesseræ sortem compositus, atque in vtrumque paratus videatur, eam vi- *Prou. 8. vers. 23.* *Let. Heb*

A

B

C

D

E

delicet initurus viam, qua ad salutẽ, & opem homini pro re natâ ferendam, ab ipsius Dei hominis sorte vocatus fuerit, vt quomodolibet hominis sors cadat, illi sese sit accommodaturus, vt salutem vitam, & opem ei afferat: quasi exinde homini Deus dicere valeat, quod homo Deo dicebat; *in manibus tuis sortes meæ*, Psal. 30. vers. 16. dum homine incolumi ob innocentiam seruatam Dei Filius etiam incolumis eo sensu sit futurus, vt mortali carni, aut passioni subditus non fiat; illo verò infelicem iactum mortis propter mandati transgressionem iaciente, eidem mortis iactui obnoxius manere videatur: vbi cum videris Dei verbum hominis tesserâ insignitum, & sortem cum illo communem habens, vt lætalem illius iactum corrigere, atque in melius velit conuertere quodam modo ipsi aptarę possis illud ex Poeta Græco *Psal. 30. vers. 16.*

Ita est vita hominum quasi cum ludas tesseris.

Si illud, quod maximè est opus iactu, non cadit

Illud, quod cecidit sorte, id arte, vt corrigas, necesse est

quod à Platone desumptũ sic effert in libro *de Tranquilitate animi*, Plutarchus, *in aleâ optimus quisque iactus aleatori maximè expetendus est, sed vtcumque tamen euenerit, adhibenda cura, vt eo quod casus tulerit, ipse rectissimè vtaris*. Nimirum cum iactus ille felicissimæ innocentiæ, & iustitiæ originalis æternum duraturæ, qui homini, & suis posteris maximè opus erat, ipso peccante nõ cecidit, & ab eo diuina imago deturpata est, Diuina tunc Sapientia, quæ pro hominis salute, *præfecta erat vijs Domini ad opera sua perficiẽda*, eo quod casus tulit, rectissimè vsa humanæ sorti sese accommodauit factus non modo Redemptor, qui iacentem erigeret, sed etiam viuum exemplar, ex quo denuo homo diuinam imagi- *Platon.* *Plutar.*

nem;

nem, & similitudinem felicius sibi adsciscereț, & firmius in eâ permanere posset: Quod optimè expressit S. Basilius Seleucien sis præfatâ orat. 39. *in S. Deiparam* vbi post allata illa in superioribus verba. *Cum ergo imaginem repurgare statuisset, se ad imaginem confert, volens quecarnem immortalitate donare, carnem induit congenerem ipsam congeneri curaturus*, subijcit. *Nam cum generis nostri primitiæ à peccato condemnatæ fuissent, primitias alias innoxias, ac quæ omnem impleturæ essent iustitiam, necessarias habebamus, per quas totum corpus capiti coaptatum, commissumque hominibus iterum redderetur, vt sicut omnes in Adam mortui fueramus, sic in Christo omnes viuificaremur.* Sic Basilius: Vbi omninò obserua illa, *per quas totum corpus capiti coaptatum hominibus iterum redderetur*: Quibus omninò adstruit, iam à principio impositum homini caput Dei Verbum fuisse, siue ille in iustitiâ perseueraturus, siue ab illâ fuisset delapsurus, eam si quidem vim habet ad verbum illud, *iterum redderetur.*

S. Basil. Seleu.

Eiusdem argumenti cum superiore. De Dei Filio, homini ad assequendam Diuinam similitudinem siue in statu innocentiæ ad iustitiam retinendam siue ad eam post lapsum recuperandam in exemplar, propositio.

ADNOTATIO IV.

I

HÆret quidem præfatæ imagini tesseræ (qua per occasionem vsi sumus, vt Dei Filium velut in biuio duplicati exemplaris, nempe inuisibilis, vel visibilis, ex quo homo ad imaginem Dei factus diuinam similitudinem, imitaretur, positum cõsideraremus) ipsiusmet Filij Dei locutio, apud Ioãnem cap. 6. vers. 27. vbi cum præmisisset diuinum illud monitum. *Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*: Quoad diuinam similitudinem ex ipsius imitatione assequendam, tàm ex fide, & bonis operibus, & ijs omnibus quibus æterna vita parari potest, quam signatè ex digna Eucharistiæ frequẽtatione nos est adhortatus, vt alibi ostendo, signatè statim subijcit. *Hũc enim Pater signauit Deus.* Quæ græcè explicatius habẽtur, *sigillo obsignauit*: Vbi opportunam emphasim habet hæc, *signati Filij Dei* locutio, quâ duo ipse significare voluit: alterum: se omnimodam Patris similitudinem, tanquam sigillum, cui viua, & spiransimago impressa esset, habere: quod pulchrè expressit S. Cyrilus Alex. in Catenâ græcâ sub persona Domini inquiens: *Nam, & si tamquam vnus vestrûm videar, vnctus tamen sum à Deo, ac Patre omnimodâque similitudine insignitus, intelle ctualem nempè eius effigiem perfectissimè referente non secundum carnis lineamenta, sed Diuinam gloriam, æqualemque virtutem, ac regiam potestatem.* Alterum; protereà se eum cibum à quo homines diuinam similitudinem percipiunt dare posse, & velle, quia à Patre signatus eam ab ipso auctoritatem haberet, vt hominibus daret: Sic hæc explicante Hilario lib. 8. de *Trinitate* hunc in modum: *Signatum se à Deo ait, quia vitæ æternæ escam esset daturus, vt per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis Dei contineret.* Hæc Hilarius: Apud quem vides Dei Filium Patris sigillum esse, quo homines signentur, vt Deo similes euadant, eamque Verbi Dei tesseram esse, vt pro quacumque hominis conditione, illius ad diuinam similitudinem compa-

Ioan. 6. vers. 27.

Let. Gre

S. Cyril. Alex.

Hilar.

randam exemplar esset futurum.

II Quod si paternam effigiem Filij Dei sigillo impressam introrsus rimari liceret; inueniremus profecto in illâ tesseram istam, qua ipse hominum vitæ, atque saluti dandæ signatus, & designatus est: Pro quo adi primùm Salomonem, Diuinam, increatamque Sapientiam sic describentem: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera*, &c. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*: Sapientiæ septimo versic. 25. Quæ sanè verba eò omninò eunt, vt significetur Dei Filium omnem in se paternæ formæ plenitudinem (vt dicebat Hilarius) continere, Patrisque Sigillum, & effigiem esse: vti ad prætata Ioannis verba dixit Ammonius in Catenâ Græcâ: signatum dixit, quod naturâ suâ Patris conformis sit. Filius enim est effigies, atque signaculum substantiæ Patris: Sed si attendis, notanter in prætatâ Sapientiæ descriptione Salomon, dum imaginis mentionem signatè fecit, ipsam non tàm ad maiestatem, & omnipotentiam, quam ad Bonitatem, & benignitatem retulit inquiens: *Et imago bonitatis illius*: Quod in Filio natura Dei omnino benefica, & salutaris splendeat: siue Deus sic natura sua bonus, atque beneficus est, vt a bonitate velut de facie per Filium suum cognoscatur: Ex quo quidem illud eruitur, Dei Filium cum perinde patris imago, & omnimoda similitudo sit, quatenus natura suâ bonus, atque beneficus, & ad salutem, & vitam impertiendam pronus est, simul quidè tessera illa creandi, & recreandi, formandi, & reformandi homini esse insignitum, non sanè quod ipsi hominem facere, aut perditum reficere necessarium fuerit, dicente Salomone Sapient. 12. vers. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti*: Sed quod adeò sit consentanea diuinæ naturæ, atque substantiæ (cuius Filius imago est) Bonitas, & ad beneficiendum procliuitas, vt ab illa esse, siue viuere quodammodo videatur: vt in ipsamet hominis prima formatione apparet: Sacro Scriptore eam sic referente. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Genes. 2. vers. 7. ad quæ verba iam olim adnotauimus in Hebræo fonte pro verbo *inspirauit* esse *Napach*, quod omninò legeris, *respirauit*, & verò cũ respirare sit viuere, siue viuere sit respirare: ait enim Ambrosius: *Vita est, spirandi munere frui: mors, priuari*: & Plato, in Cratylo: *Anima cum in corpore est, caussa ipsi est, vt viuat respirandi vim ei præbens: simul autẽ, vt respiratio desinit, corpus interit, & homo moritur*: Perinde Deus respirare, siue viuere dicetur, ac vitã homini dare: Quod videtur expressisse Clemẽs Alexand. lib. 6. *Stromatũ*, de Deo animo se inquiens. *Nam cũ sit bonus: Si cessaret vnquam benefacere, Deus quidem cessabit esse, quod nefas quidẽ est dicere*: Ecce ergo Dei Filiũ, vt Patris imago est, tessera bonitatis, & beneficentiæ signatum.

Cui sanè cogitationi omnino cõgruit quæsita locutio, quà Dei Filius de peculiari Patris erga se dilectione apud Ioan. cap. 10. vers. 8. inquit *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animã meam*: Sed obserua caussalẽ istam: *Propterea me diligit Pater*: Ad quam merito ambigitur: quo pacto dicatur Filium ideo a Patre diligi, quod hominibus benefecerit, & auxiliarem ad vitam manum dederit? cum Patris in vnigenitum suum Amor necessariâ ratione feratur, quod Filius ipsius, & eiusdem cum Patre substantiæ, atque naturæ sit, quin opus fuerit, animam pro hominibus ponere,

Sapie. 7. vers. 25.

Amon.

Sap. 12. vers. 12.

Genes. 2 vers. 7. Let. Heb

Ambr. Plato.

Clemens Alexa.

III

Ioan. 10 vers. 8.

vt à Patre diligeretur? Cui dubio ex ipſamet, quam continet doctrina facile occurres ideò Filium animam ſuam pro hominum ſalute, & vita ponentem à Patre diligi, quod ipſum tunc ſignatè imaginem bonitatis ſuæ videat, & ſeſe ipſum, & faciem ſuam in ea contempletur: ad morem quidem humanum, cum videlicet pater, ſiue etiam, vt ſimilitudo plenè ſubſiſtat tenera, mater, quæ filium, quibuſlibet is ſit vultus lineamentis præditus amatura ſit, cum tamen auguſtam, & liberalem eius faciem ſuæ, vel ab oculorum alacritate, vel à genarum pulchritudine conſimilem contuetur, peculiaribus amoris notis, tanquam germanam ſui prolem proſequitur: Sapienter hæc Ioannis verba ſub hoc ſenſu accipiente S. Cyrillo Alexandrino ibi in Catenà Græcà hunc in modum: *Amatur à Patre Filius, non quaſi amoris expers manſurus fuiſſet, niſi nobis condeſcendiſſet: erat enim perpetuò, & ſemper amatus; ſed quia vidit etiam Filium ſuum eamdem erga nos dilectionem, ac bonitatem ineffabilem declarantem, & naturalis bonitatis charactêres diligentiſsimè obſeruantem meritò dilexit eum: non quaſi mercedem quandam rerum pro nobis geſtarum dilectionem reponendo; ſed veram ſuam in ipſo ſubſtantiam ſpectans, quaſi neceſſarijs quibuſdam, & incuitabilibus naturæ vinculis ad amandum attractus:* Hæc Cyrillus. Apud quem obſerua illa: *Eandem erga nos dilectionem, ac bonitatem ineffabilem declarantem, & naturalis bonitatis charactêres diligentiſsimè obſeruantem:* Quæ poſſunt eſſe pro explicatione, ſeu periphraſi locutionis Salomonis de Filio Dei: *Imago bonitatis illius:* in vtriſque autem vides charactèrem Filij Dei cum teſſerà ſalutari benefaciendi, & opem ferendi homini eſſe coniunctum: id enim eſt eſſe imaginem, in quà Dei bonitas, & benignitas, velut de facie cognoſcatur iuxta diuinam illam Apoſtoli ſententiam ad Titum, cap. 2. verſ. 11. *Apparuit benignitas, & humanitas ſaluatoris noſtri Dei:* Itidemque, ideſt, *naturalis bonitatis diuinæ charactêres obſeruare,* cum Dei Filius pro hominis ſalute animam ſuam poſuit: vt verò appareat, Dei Filium à primà hominis conſtitutione id munus ſuſcepiſſe, vt homini ad ſalutem in quouis eius ſtatu perfectionis eſſet exemplar, ſtatim poſt præfata verba in quibus Salomon ipſum imaginem bonitatis diuinæ eſſe dixit: generali oratione ſubiecit: *Sed, & Dominum Dominus dilexit eam:* reddit cauſſam, *Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum eius.* Sapient. 8. verſicul. 3. Tantum non dicens ſub perſonà Domini: *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam,* vt doceam homines diſplinam Dei, & electos eius ſeruem, eaque ratione ſim in vtrumque paratus, ſiue eos ſignare lumine vultus mei, vt iuxtà rationis præſcriptum, & vitæ, virtutis leges diuinam ſimilitudinem moribus exprimant, ſeu ſi à iuſtitia deſciuerint pro ipſorum ſalute, & exemplo certè occumbere morti.

Quo quidem omnino facit quæſita Ioannis de Filio Dei locutio Apocalypſ. 13. verſicul. 8. vbi cùm de beſtia maris ſermonem feciſſet, inquiens: *Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes qui habitant terram:* Statim, vt à reprobis electos diſcriminaret ſubdit: *Quorũ non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſſus eſt ab origine mundi:*

S. Cyril. Alex.

Sipien. 8 verſ. 3.

Ap. 13. verſ. 8.

Ribera.

IV

mundi: Quo in loco, dum magnum negotium facesit Francisco Riberæ optimæ notæ interpreti, & alijs, Agnum occisum dici ab origine mundi; atque hanc ob caussam hyperbaton his verbis subesse velint, vt hic legenda, sine capienda fuerint: *Quorum non sunt nomina scripta ab origine mundi in libro vitæ Agni, qui occisus est*: Nos quidem prædictę doctrinæ imnixi adeo non indigemus hyperbato, vt potius credamus, a Ioanne cælestium mysterium scrutatore accuratissimè scriptum Agnum occisum fuisse ab origine mundi, vel ea potissimùm ratione, quod si Græca excutiantur attentius cum PP. Græcis, & Tychonio, & Augustino legendum sit. *Agni, qui signatus est ab origine mundi*: quod sane non tantùm significat Agnum Dei, *ab origine mundi*, ad victimam pro hominum salute signatum, siue designatum fuisse; sed etiam eodem sensu, quo de ipso sub personâ Diuinæ Sapientiæ dicebat Salomon præced. adnotat. expensus: *Ab æterno tessellata*, siue *thessera insignita sum*, ipsum, qua imago bonitatis Dei est, diuino benefaciendi charactere signatum, siue obsignatum esse, vt ex illo, & hominem, sibi similem faceret, & lapsum denuò adeo impensius reficeret, vt pro illo mortem obiret, vt perinde accipienda sint hæc verba, ac illa Domini apud eundem Ioannem. *Hunc enim Pater signauit Deus*: Vt vtrobique Dei Filius Patris sigillo signatus sit, vt ab eo homines in Diuinam Imaginem, & similitudinem obsignentur: Cum vtrique verò opportunè composueris ea Pauli ad Romanos 8. versicul. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: Pro quibus Lectio Syriaca reponebat: *Et à principio cognouit eos, & ipsos obsignauit in similitudine imaginis Filij sui: vt is sit primogenitus fratrum multorum*: Ex quibus planum sit: tùm omnino fuisse perpetuum Dei consilium hominem ad imaginem, & similitudinem suam facere, vt imitator sui esset Auctoris: adeò videlicet ad exemplar Filij Dei iuxta Rationis præscriptum compositus, vt similitudine imaginis Agni Dei velut sigillo obsignatus videretur: tùm etiam hanc ob caussam, qui prius infelici innocentiæ statu, tanquam inuisibile exemplar homini fuerat obiectum subinde post illius lapsum humanam carnem suscepisse, vt quemadmodum, *forma aliqua in tabellis depicta* (sicuti aiebat Athanasius lib. de *Incarnatione Verbi*:) *sordibusque aliunde obiectis obliterata instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur ad cuius speciem primitùs tabella depicta fuit, eodem modo bonus Patris Filius, imago, & character Patris hominem ad similitudinem suam denuo reficeret.*

Hùc opportunissimè aduocabis Paulum ad Titum cap. 1. vers. 2. scribentem, *in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia*: siue *ante tempora æterna*, vt Hieronym. ibi, & Augustin. lib. 12. *De Ciuitate Dei*, cap. 16. legunt: siue ante prima nascentis mundi exordia, vt S. Thom. explicat: siue à mundo condito, vt alij volunt, & verò eo in loco non leuis difficultas esse videtur Deum ab æterno, siue ab exordio mundi promittentem a Paulo induci, etiam cum promissio inter duos necessariâ ratione intercedat: cui tunc Deus promisisse dicetur? cum non nisi Deus omnino extiterit? Quod verò inibi Guillelmus Estius, & alij volunt; catachresim esse, Paulumque promissionis voce pro decreto abusum, quia promittentes constituunt, dare, quod promittunt, nimis contortum est: eamque interpretationem omnino respuit emphasis illa à Paulo verbo, *promisit* subiecta; *qui*

Let. Gr. Tychon. Aug. Prou. 8. vers. 23.

Athan

V

Ad Tit. 1. ver. 2. Hieron. Aug. S. Thom

Ad Ro. 8. ver 29

Let. Syr

Estius.

non mentitur Deus: Quæ ad eam fidelitatem cum quis ſteterit promiſſis referenda eſt, eo ſenſu quo alhò intentus Auguſtinus explicans ea verba Pſalm. 31. *Omnia opera eius in fide*, dixit: *Fidelis homo eſt credens promiſsioni Dei: fidelis Deus eſt exhibens, quod promiſit homini: teneamus ergo fideliſsimum debitorem, quia tenuimus miſericordiſsimum promiſſorem.* Quare opportunius Hieronymus ibi, Deum ſuæ ſapientiæ: Alij verò apud Cornelium ſuæ Bonitati promittentem faciunt: Sic namque Hieronymus. *Promiſit Deus Pater ſapientiæ ſuæ Verbum ſuum, & ipſam Sapientiam ſuam, & vitam eorum, qui crediturí erant, mundo venturam;* Pro quibus egregiè fideiubet Dionyſius lib. de *Diuinis nominibus*, de Deo naturâ ſuâ benefico, & ad auxiliandum prochui, inquiens: *ipſe ſui ipſius, & ſibi ipſi prouocator, & motor eſt:* Omnino affirmans Deum adeò bonum, & ſalutarem naturâ ſuâ eſſe, vt videatur velle ſe debitorem ad benefaciendum conſtituere, & bonitati ſuæ ſeſe oppignerare, eidemque promittere, vt ab eâ prouocatus, & conſtrictus ad ſalutem dandam eſſe videatur, quin poſsit a benefaciendo ceſſare. Quæ ſanè omnia congruere dixeris conſultationi illi Sanctiſsimæ Triadis, quam illis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ingerebant Rupertus, & alij: vt quemadmodum vidimus, propterea inducatur in illis Dominus quaſi conſultabundus ad creationem hominis accedere, vt ex eo liceret exiſtimare, quantæ molis futurum erat, hominem non tam condere, quam conditum in ſanctitate, & felicitate, quam à Deo acceperat conſeruare, aut eam amiſſam ei reſtituere: Sic ibi dicebat Rupertus. *An putas, eorum quidquam, quæ circa nos acta, vel agenda ſunt illic deſuiſſe? Planè omnis ibi noſtra cauſſa in medio poſita eſt: mors, & perditio noſtra, quæ futura erat, illic perfecta eſt, & inde totum cõſilium habitum, vt vnaquæque perſona ſuam operis partem ſuſciperet, vt ſcilicet Pater conderet: poſteà in plenitudine temporis Filius perditum redimeret: Spiritus Sanctus remiſsionem peccatorum, & carnis reſurrectionem perficeret:* Vbi omnino vides quo ſenſu à Paulo dictum fuerit: *In ſpem vitæ æternæ: quam promiſit qui non mentitur Deus ante tempora ſæcularia.* Siue ante naſcentis mundi exordium.

Auguſ. Pſal. 31.

Geneſ. 1. verſ. 26.

Rupert.

Iam verò qu'm fideliter, quàm exactè promiſsis ſteterit, qui non mẽtitur Deus duplici ſcripturæ monumento teſtatum vide: Subeſt enim primùm is ſenſus myſtico illi, & arcano rubo, in quo Deus humano generi redemptionem, & ſpem vitæ æternę allaturus ſub figura populi Iſraelitici de captiuitate Ægyptiacà educẽti Moyſi ſeſe videndum exhibuit. Sic enim Exodi 3. verſ. 2. *Apparuitque ei Dominus inflamma ignis de medio rubi:* Sed quorſum? Explicat arcanum ſtatim ſubijciens Dominus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum:* Quo in loco primum obſerua Dei Filium tunc Moyſi fuiſſe locutum, vt præter Iuſtinum M. in Dialogo cum Tryphone, Tertullianum lib. contra Praxeam, & lib. 2. cont. Marcion. Hilarium lib. 2. de Trinitate. Chryſoſt. in cap. 7. Actuum Apoſtolorũ. Ambroſium lib. 1. de fide omnes diuinas apparitiones veteris teſtamenti ad Dei Filium referentes ſingillatim in hàc, quam in manibus habemus, de ipſo capiunt Theodoret. quæſt. 5. in Exod. & propendet Auguſt. q. 3. & lib. 2. de *Trinitate*, cap. 12. & reſipſa pro ſe loquitur.

Exod. 3. verſ. 2.

Iuſt. M. Tertul. Hilar. Chriſoſt. Ambro Theodor. Auguſ.

VI

Deinde,

Deinde, si attendas, magnam quidem emphasim habet, Dei Filium auxiliarem manum, & salutem populo daturum, itidemque dicturum *Vidi, & descendi:* In rubo potius, quam in alia nobiliore plantâ sese vrdendum exhibuisse: Ad speciem enim videbatur opportunius, vt in florenti arbore, aut fructuosa; non verò in aculeatâ, & spinosâ insideret. Verum enim verò nihil aptius verbis, & facto Domini, quam spinæ illæ rubi, & Dominum in medio illius, tanquam circumquaque stimulis compuncti, atque transfixi sese conspiciendum dare: habent quippè hi stimuli opportunos rei præsentis, & sermoni Domini aculeos: non eâ solum de causa, vt argumento essent Dominum cum afflicto, & vexato populo afflictum, atque vexatum in eâdem cum ipso tribulatione esse; sed illa potissimum ratione, vt planum faceret, se quasi citatum, & aculeis obligationis compunctum ad spem vitæ æternæ humano generi dandam aduenire, & velut is qui ad tribunal citatus, & constrictus sistitur actori vrgenti, & stimulanti respondere: Ecce satisfacturus descendi. Sed quis actor (inquis) citare Deum? quis vrgere, aut stimulare potuit? Iam quidem respondit Dionysius? *Ipse sui ipsius; & sibi ipsi prouocator, & motor est,* quippè cui à natura summè bonâ ad benefaciendum infixi, siue innati stimuli, vt ne queat obliuisci, *misereri aut continere in irâ suâ misericordias suas,* Psalm. 76. versic. 7. *Vt neque lux obliuisci vnquam potest, quominus illuminet, neque ignis quo minus calefaciat,* inquit ad ea verba Dauidis Didymus: Ergo, vt vidit Dei Filius humanum genus venundatum sub peccato, siue sub dæmonis potestate captiuum, suæ bonitatis aculeis stimulatus, prouocatus, & motus, *descendit de cœlo, & incarnatus est:* Quod si inquiras, quomodo præmittatur in Symbolo: *Propter nos homines, & propter nostram salutem:* Cum ipse, *sibi ipsi prouocator, & motor est,* qui *omnia propter semetipsum operatus est:* Prouerb. 16. versic. 4. Occurrit Bernardus serm. 3. *in die Pentecostes,* inquiens. *Omnia fecit Deus propter semetipsum gratuitâ scilicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens causa sit: hæc finis.* Sic ille appositè quidem diuinam Bonitatem potius quam omnipotentiam, aut sapientiam causam efficientem nostræ salutis adstruens, sensum communem habens cũ Dionysio Areopagita multis eam thema promouente: Ab vtroque verò, nec gentiles discessisse videris dum Seneca epistol. 95. inquit: *Quæ causa est Deo benefaciendi? Natura:* Et epist. 65. tam ex proprio, quam ex Platonis sensu: *Quæris, quid sit propositum Deo? propter, quod hanc magnitudinem pulcherrimi operis fecit? Bonitas: ita certè Plato ait. Quæ Deo faciendi causa mundum fuit? Bonus est, Boni nulla cuiusquam boni inuidia est.* Et quidem ipsemet Dominus rubo insidens plusplusplusp

Moyse interrogatus, ab instituto suo non recedens respondit: *Ego sum, qui sum*: Exod. 3. vers. 14. Quæ verba cum in Hebræo fonte legantur, *ero qui ero*: Nam id sonat nomen *Iehouach*, exortum à futuro *Iihieu* verbi *haiah*, quod est *esse* Interpretes in varios explicatus impulerunt: vt videris apud P. Prado tomo 1. in Ezech. in Commentario de prima visione parte 2. sect. 4. vbi inter alia inquit: *Sunt, qui putent significare fidelem, veracem, qui stet dictis, & pactis*: Quod in vtramque lectionem expenderis, & vnam cum altera composueris, & vtrique explicationē hāc de veracitate, & fidelitate stādi promissis subieceris, sic omnino videtur efferenda ea Domini verba: Ego & sum modo, & ego ero semper vestræ libertatis auctor: vt mihi ipsi debeo, & bonitati meæ ante tempora secularia promisi salutem, & vitam humano generi daturum: A quâ explicandi ratione non omninò abit commentarius Patris Prado ibi: *Sum qui futurus sum: sum quem iam experiemini vestræ libertatis vindicem vocor futurus Assertor vester is, qui futurus sum Redemptor Israel.* Deest tamē huic explicationi Pradi, quod non reddit propriam significationem, & epitasim verbo *sum*, quod vt proprium est Diuinitatis, cui esse verum, & independens subest, ita etiam denotat bonitatem, & beneficentiam tamquam radicem, & fontem omnium attributorum Dei, vt diuinus ille Dionysius præfato lib. de *Diuinis nominibus*, cap. 5. meditatus est: etenim cum hàc de re agens dixisset: *Ante aliàs omnes Dei participationes ipsum esse præpositum est: & est ipsum* esse *antiquius, quam vita, & quam Sapientia, & quam alia quælibet similitudinem diuinam participantia, ante hæc enim omnia ipsum* esse *participant. Merito ergo reliquis principalius est ipsum* esse: *& ex ipso, tamquam antiquiori alijs Dei donis ipse Deus celebratur. Enim verò, & rerum principia omnia ipsius* esse *participatione, & sunt, & prius quidem sunt, & inde principia sunt*: Ex his tandem ita concludit. *Primum igitur ipsius* esse *munus cæteris præponens, suprema illa bonitas ipso* esse, *vt antiquissimo primoque omnium eius participationum potissimum celebratur.* Hactenus Dionysius.

Exod. 3. vers. 14. Let. Heb — A

P. Prad — C

Dionis. — D — E

Hinc igitur cum audis Filium Dei in rubo Moysi dicentem: *Ego ero, qui ero*, perinde esse existima, ac si dixerit. Cum ego Verbum, & Ratio patris: & imago Bonitatis illius sim, naturalis bonitatis characteres diligentissimè obseruans: *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo,* Isai. 46. vers. 4. Vnde quidem non omninò importunè arcanam hanc, & emphaticam Filij Dei locutionem: *Ero, qui ero*, composueris, tum cum illis Ioannis in exordio Euangelij sui verbis, cap. 1. vers. 1. & 2. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Tum etiam cum ijs Lucæ cap. 12. vers. 14. de Christo dæmonem ab humano corpore ejicientè, & fortem armatum debellante. *Erat Iesus ejiciens dæmoniū, & illud erat mutū*: Vt eodem dicendi modo Dei Filius, & Verbum Patris Deusque esse, & homini salutem libertatem, & vitā dare dicatur: Deus (inquit Ioannes) *Erat Verbum, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbū*. Eodemque tenore Lucas: *Erat Iesus ejiciens dæmonium*: Vt vtrumque Ioannis, & Lucæ *erat* omninò exprimat duplicatum illum *ero* quo se Dei Filius appellauit, *Ego ero, qui ero*: Vt eius sensus fuerit: ego qui abeterno eram Verbum, & Verbum eram apud Deum, & Deus eram Verbum: Ego ero ejiciens dæmonium, & vincens, & ligans fortem armatum, vt homini opem, & auxiliarem manum feram, meamque, quæ in illo est imaginem: *In liberta-*

II

Isai. 46. vers. 4.

Luc. 11. vers. 14.

tem

tem Filiorum Dei, & ſpem vitæ æternæ, quam illi daturum mihimet, meæque bonitati ante temporaſæcularia promiſi, omninò aſſeram. Quam cogitationem videtur expreſiſſe S. Irenæus M. lib. 5. *Aduerſ. hæreſes*, cap. 16. inquiens. *In præteritis enim temporibus dicebatur, quidem ſecundum imaginem Dei factum eſſe hominem; ſed non oſtendebatur, adhuc enim inuiſibile erat Verbum, cuius ſecundum imaginem homo factus fuerat, propter hoc autem, & ſimilitudinem facilè amiſit. Quando autē caro Verbum Dei factum eſt, vtraque confirmauit, & imaginem enim oſtendit veram ipſe hoc fiens, quod erat imago eius, & ſimilitudinem firmam reſtituit, conſimilem faciens hominem inuiſibili Patri, per viſibile Verbum.* Hæc Irenæus, quæ ſtatim aucto eiuſdem Patris cenſu commodius elucidabimus.

III Iam vero, vt alterum, quod præced. adnot. pro huius cogitationis confirmatione promiſimus teſtimonium exhibeamus: ipſummet Dei Filium, & Verbo, & facto fide iubentē, audi apud Vatem Pſalm. 39. verſ. 7. itidemque apud Paulum Dauidis Interpretem ad Hebræos 10. verſ. 7. dum ipſe, e ſinu Patris deſcendens, & mundum ingrediens (vt ſignatè Paulus monet) Patrem ſuum hunc in modum allocutus dicitur: *Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: vt facerem voluntatē tuam Deus meus volui, & legem tuā in medio cordis mei.* Quæ præmat legere, cū Paulo transferēte: *Ideo ingrediens mundum dicit. Hoſtiam, & oblationem noluiſtij, corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata, & pro peccato non tibi placuerunt: tum dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Iam obſerua, & pende ſingula, & primùm illa: *Ecce venio*, quæ vt eadem pharetrā ſunt, atque illa. *Vidi afflictionem populi mei, & deſcendi.* Ita totam illam Dei apparitionē in rubo explicare, & quæ ibi figuratè dicta ſunt implere videntur: tantum non dicens: Ecce iam venio, vt ſtem promiſsis, & auxiliarem homini manum *in ſpem vitæ æternæ* porrigam. Sed quid eſt? *Vt faciam Deus voluntatem tuam.* Reſpondet ipſemet Dei Filius, cum apud Ioannem 4. verſ. 34 incumbens ſaluti mulieris illius Samaritanæ typum gerentis humani generis, ab diſcipulis, vt manducaret admonitus reſpondit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Quem locum egregiè commentatus eſt P. Ioan. Maldonatus hunc in modum. *Voluntatem Patris ſalutē hominum intelligit, vt Euthymius admonuit. Itaque ſignificat voluntatem Patris, propterea in modum cibi ſibi eſſe, hoc eſt gratam, iucundam, atque ſuauem, quia in procuranda hominum ſalute verſabatur, non ſolum quia Patris voluntas eſt. Salus noſtra veluti condimentum illi erat paternæ voluntatis, quæ illam per ſe iucūdiſsimam, reddebat iucundiorē.* Pulchrè quidem, vt ſignificetur ſalutem hominum peculiari ratione ad Dei Filium pertinere, qui non modo in eā danda erat oppigneratus, ſed etiā veluti illius comparticeps, quod ad ipſius imaginem homo factus fuiſſet. Sed pergit Maldonatus inquiens: *Non dixit, vt faciam voluntatem Patris*; Sed voluntatem eius qui miſit me: *Quia, & ſi idem eſt, non eandem habet vim, dum enim dicit*: eius qui miſit me: *Indicat in hoc ipſum ſe fuiſſe miſſum, vt eam faceret, id eſt hominū ſalutem procuraret.*

III Addit ſtatim: *Hoc magis declarat cum dicit*, vt perficiam opus eius, *id eſt negotium mihi ab eo iniunctum, vt ad ſalutem homines adduceret.* Benè; ſed vellem plus premeret eum dicēdi modum, *vt perficiam opus eius*, vt non, vtcumque ſignificet negotium

Ireneus. M. — A

Ioan. 4. verſ. 34. — B

Mald.

Pſal. 36 verſ. 7. — C

Hebr. 10 verſ. 7.

Exod. 3. verſ. 7. — D

III — E

procurandæ ſalutis, ſibi à Patre iniunctum. Sed ſignatè referatur ad hominem, qui germanum Dei opus fuit, quique deformatus erat, perficiendũ & reformandum, vt videlicet priſtinus ſplendor, & diuina ſimilitudo ipſi reſtitueretur: eo modo quo ſæpius à nobis adductus Athanaſius lib. de *Incarnatione Verbi* dicebat. *Non decebat homines diuinæ ſemel imaginis conſortes in exitium abire. Quid igitur Deo conueniebat, vt faceret, aut quid par erat, vt fieret, niſi, vt exẽplar imaginis renouaret, vt per id denuo ipſum homines cognoſcere poſſent: id autem quomodo confici potuit, niſi ipſa imago Dei Saluator noſter Chriſtus ſuperueniret: vt enim forma aliqua in tabellis depicta, ſordibuſque aliunde obiectis oblitterata inſtaurari nequit, niſi eius præſentia adhibeatur, ad cuius ſpeciem primitus tabella depicta fuit: Eodem modo vndecũque ille bonus Patris Filius, imago, & character Patris ad regiones noſtras profectus eſt, vt hominem ad ſui ſimilitudinem factum denuo reficeret.* Ecce tibi quo ſenſu dixerit Dominus, *vt perficiam opus eius*: Quod ſi ipſum velis videre imperfectum opus perficientem, fige oculos in miraculum quo cæco illi à natiuitate viſum impertiuit: rem hunc in modum deſcribente Ioan. cap. 9. verſ. 7. *Expuit interram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit Vade, laua*, &c. Vbi dũ merito ambigitur: cur luto cæcum illuminauerit, cum poſſet, & alijs, ſanare modis; immò, & ſolo verbo? quẽ admodum apud Lucam cæco cuidã viſum obnixè petenti lumẽ reſtituit vna hac voce *Reſpice*, Lucæ 18. verſ. 42. omnes pæne PP. græci Cyrill. Alexand. Leontius, Theophylactus, & vterque Theodorus, ſignatè verò Irenæus lib. 5. *Aduerſus hæreſes*, cap 16. rationem reddunt, voluiſſe Chriſtum oſtendere ſe eumnet primum opificem eſſe per quẽ homo ad eius imaginem, & ſimilitudinem factus eſt, qui ex eadem materiâ ſiue ex eodem luto, & opus prius facere, & ſub inde reficeret, & priſtinæ dignitati reſtitueret, quemadmodum apud Ieremiam cap. 18. verſ. 4. (vt in ſequentibus pro Virginis immunitate peculiariter expendemus) idem ille figulus, in cuius manibus opus fuerat diſſipatum, in vas alterum refinxit: fecerat ſiquidem Deus hominem de limo terræ, qui, malo fato, ſe ipſum perdidit, ac diſſipauit, reformauit Chriſtus eàdem manu, & ex eodem luto, ideſt ex eàdem materia aſſumptâ videlicet humanâ carne. Et verò vt aliorum PP. verba reticeam Irenæum tamen hæc omnia elucidantem, atque diffundẽtem omnino audire, eſt operæ precium: Ergo ille ſic inquit. *Iam non oportet, quærere alium Patrem præter hunc, neque aliam ſubſtantiam plaſmationis noſtræ præter prædictam, & oſtenſam à Domino, neque alteram manum Dei præter hanc, quæ ab initio vſque ad finem conformat nos, & coaptat in vitam, & adeſt plaſmati ſuo, & perficit illud ſecundum imaginem, & ſimilitudinem ſuam Dei. Tunc autem hoc verbum oſtenſum eſt, quando homo Verbum Dei factum eſt, ſeipſum homini, & hominem ſibi metipſi aſſimilans, vt per eam, quæ eſt ad Filium ſimilitudinem pretioſus homo fiat Patri.* Hęc modo Irenæus: Apud quem ſingillatim obſerua illud: *Neque alteram manum Dei præter hãc quæ ab initio, vſque ad finem conformat nos, & coaptat in vitam*, vt videris Dei Filium humanæ ſaluti, & vitæ, *ab initio, vſque ad finem*, ideſt à primâ hominis creatione, vſque ad ſalutarem eius in carnem aduentum, & copioſam redemptionem indeſinenter intendentem, vt diuinã imaginem, & ſimilitudinem in homine perficiat, eumque ſibimet ipſi aſſimiler, vt per eam, quæ eſt ad Filium ſimilitudinem pretioſus homo fiat,

Ioan. 9. verſ. 7.

Cyr. Al Leontic. Theoph. Theod. Mopſ. Theod. Irenæus

Iere. 18. verſ. 4.

Irenæus M.

Patri:

Patri. Sub quo ſenſu opportunè adiunxit Irenæus præfata verba de Dei Filio homine facto: *In præteritis tẽporibus dicebatur quidem ſecundum imaginem Dei factum eſſe hominem; ſed non oſtendebatur, adhuc enim inuiſibile erat Verbum, cuius ſecundum imaginem homo factus fuerat; propter hoc autem, & ſimilitudinem facile amiſit. Quando autem caro Verbum Dei factum eſt, vtraque confirmauit;* &c. Nec minus opportunè ijs adnexeris Dauidis verba Pſalm. 138. verſ. 4. *Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam,* quæ modo non vacat expendere.

Pſa. 187 verſ. 4.

V

Iam vero, vt vidimus perinde eſſe dixiſſe Dei Filium apud Paulum: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui!* atque apud Ioannem. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ita operę pretiũ fuerit omnino noſſe quid ſit. *In capite libri* ſcriptum id fuiſſe, & quidem cum in huius locutionis expoſitione ſiue PP. ſiue Interpretes in ſuum ſinguli abeant. Ambroſio ibi; & Hieronymo de traditionibus Hebraicis, nec non Iſidoro de Natiuitate cap. 4. ad priora verba Geneſis: *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* Chryſoſtomo verò hom. 2. in Ioan: & eodem Hieronymo indidem ad initium Euangelij Ioannis, verba. *In principio erat Verbum,* referentibus, mihi vehementer placent duæ expoſitiones in vnam, vt opinor, coeuntes, quarum Agellius, & alij meminerunt: Altera, quæ hanc locutionem, *in capite libri,* capit de ijs Domini verbis in quorum elucidatione tantopere inſudauimus. *Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram,* vt ſenſum communem habeat cum præfatâ cogitatione de Dei Filio propoſito in exemplar homini ad ſalutem conſequendam, tam in ſtatu innocentiæ retẽtæ, quam naturæ lapſæ, iuxta ea, quæ ſuperius circa primam hominis formationem, cui illa tam emphatica Dei conſultatio præiuit, meditati ſumus: Altera de libro vitæ, ſiue prædeſtinationis diuinæ, ſiue ſerie prædeſtinatorum, quę Agellio maximè arridet, tum, quod in Hebręo pro *in capite libri,* habeatur *in volumine libri,* vt in imagine voluminis, ideſt libri inuoluti, & incogniti, alluſio fiat ad librum prędeſtinationis, qui occultus, & ſoli Deo notus eſt: tum etiã quod Symmachus trãſferat: *In volumine definitionis tuæ,* ſiue *numeri tui:* quæ de definitione, & numero prædeſtinatorum, qui in libro vitæ conſcripti ſunt omnino videtur accipiendum, vt germanus totius loci ſenſus ſit, Dei Filium libentiſsime ad humanum genus reparandum, & auxiliarem manum ei præbendam aduenisſe, quod illius ſaluti in prima hominis creatione ſeſe obtulerit, & quaſi oppignerauerit: Dũ ipſi imexẽplar tanquam Patris imago character, & Ratio propoſitus fuit, vt imitator ille ſui eſſet Auctoris, atque ab hoc diuinæ imaginis, ſiue imitationis ſigillo, quot quot Filij Dei in vitam æternam prędeſtinati eſſent futuri, dignoſcerẽtur: *Namquos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus:* Ad Roman. 8. 29. vel vt habet Lectio Syriaca: *Et à principio cognouit eos, & ipſos obſignauit in ſimilitudine imaginis Filij ſui, vt is ſit primogenitus fratrum multorum.*

Ambr. Hieron. Iſidorus

Chriſoſt. Hieron. Geneſ. 1 verſ. 26.

Rom. 8. verſ. 29. Let. Syr.

VI

Hæc quidem omnia aliquanto diffuſius pertractata eò omnino eunt, vt dum ab ijs præfata cogitatio de Dei Filio hominis exemplari, velut in biuio de carne humanâ aſſumendâ, aut non aſſumenda poſito vndequaque ſubſiſtit, inde Beatiſsimæ Virginis, tàm ab omni originariâ labe, quã à peccati debito perfecta

immu-

Agell. Let. Heb.

Symm.

immunitas dilucidè appareat, vt iam ex sequentibus contabit. Cui quidem illationi illud fundamentum substerno: quod Adamo in peccatũ lapso Deus ad auram paradisi non modo obambulans, sed etiam secum loquens inducatur. Sic enim Genesis 3. vers. 8. de Adamo: *Cum audisset vocem Dei deambulantis in paradiso ad auram post Meridiem.* Nimirũ hæc Moysi, verba, quæ modo humano, de Deo in effigie humanâ sese conspiciendum dante, non perinde intelligenda sunt, quasi Domini vox quam tunc primum Adam audisse fertur accipienda sit (quod plerique cum P. Martino Delrio existimarũt) de ingenti aliquo, ac terrifico sonitu, vel aeris remugientis boatum in amabilem, vel arborum paradisi, quo Deus quasi, e longinquo aduemens ira tumens, ac ruens grádioribus vestigijs obuia quæque concutiens sese formidabilẽ primis parentibus exhiberet: quippè hæc minimè sonant, aut tumiunt vocem, quæ articulata esse debet. Sed nec, vt alijs volunt capienda sunt de illis vocibus, quibus subinde Deus inclamasse dicitur: *Adam vbi es?* vers. 9. nam hæc vox Dei Adamum compellantis, non antea à Deo prolata est, quam miseri illi peccatores, tanquam rei suum iudicem metuentes sese inter arborũ latibula abdidissent, atque ideò propter ipsam è latibulo in Dei vocãtis cõspectum prodierunt: illa vero, de qua nobis sermo est, qualis qualis fuerit, ipsi omnino antequam se abscondissent audierunt; immo ex ipsa, quamuis ipsis non vndequaque intellecta (vt euenit ijs, qui è longinquo audientem aliquem audiunt) Deum aduenientem intellexerunt, & ea propter latibulum quæsierunt. Sed si verè æstimas hæc Dei vox omnino componenda, & connectenda est, cum illa, cui prima Dei de homine ad imaginem suam condendo suberat: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinẽ nostram.* Quasi illius complementum, & perfectio fuerit, vt quemadmodum ibi (Rupertus lib. 2. de *Trinitate, & operibus eius*, in superioribus adductus, nec nõ Pereyra in ea verba auctores, siue expositores sũt) inducitur Deus quasi cũ étabũdus ad creationẽ hominis accedere, vt ex eo liceret æstimare, quãtæ molis futurũ erat hominẽ non tã cõdere, quàm conditum in Sanctitate, & felicitate, quam à Deo acceperat conseruare, aut eam amissam ei restituere: *Nimirum omnis ibi nostra caussa in medio posita est, & inde totum cõsiliũ habitum, vt vnaquæque persona suam operis partem susciperet, vt scilicet tunc Pater conderet: postea si â felici gratiæ statu Adamus caderet, in plenitudine temporis Filius perditum redimeret: Spiritus Sanctus remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem perficeret:* Ita quidem post Adæ lapsum hoc loco Dei Filius cum Patre colloquens à Moyse inducatur suam operis partẽ, Redemptionem scilicet hominis, & nouum exemplar susciens, & sese ad salutem, vitam, & auxiliarem manum ei dandã libenter offerens: iuxta præfatam Pauli sententiam, & ab Agellio datam ei expositionem: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui*, &c. Tantũ tunc nõ dicens. Ecce præsto sum mei muneris partes implere, & quem perditam recuperare, & perficere opus Dei.

Nec alius videtur opportunior sensus esse deambulationis Dei, *ad auram paradisi post meridiem*: monente Hieronymo, *vt meridiano calore transacto refrigerium auræ spirantis ostenderet:* Nam Irenæus omnino id retulit ad Dominicæ incarnationis Sacramentum, hàc de re sub imagine cæci illius, cui visum Christus Dominus restituit apud Ioan. 9. vers. 7. in hunc modum differens: *Sed idem ipse, qui ab initio plasmauit Adam,*

Genes. 3. vers. 8.

Rupert.

Agell.

VII

Hieron.

Ioan. 9. vers. 7. Ire. M.

cum

cùm quo, & loquebatur Pater. Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram, *in nouissimis temporibus semetipsum manifestans hominibus: ei, qui ab Adam cæcus fuerat, formauit visionem: & propter hoc scriptura significãs, quod futurum erat ait: abscondito Adam propter inobedientiam Dominũ venisse vespere ad eum, & euocasse eum & dixisse:* Vbi es? *Hoc est, quoniam in nouissimis temporibus ad ipsum venit verbum Dei aduocare hominẽ recommemorans in eo opera sua in quibus degens absconditus erat Domino:* Sic Irinæus. Vbi vides quantũ interse congruant vox, & deambulatio Filij Dei de salute hominis cogitantis, & ad salutem dandam euntis. Sed enim cum salus hominis ex præfatâ Dei diffinitione non nisi ex humanæ carnis subceptione, nec humana caro nisi ex Matre de qua sumeretur comparanda esset, necessariâ ratione inducimus animum, vt credamus Dei Filio in aura paradisi meridianum calorem temperante Mariam occurrisse. Deambulabat ergo Dei Filius ad auram paradisi, vt in opere salutis, & redemptionis humanę gressus poneret. deambulabat ardens non tàm calore iracundiæ, quàm feruore doloris de homine perdito: sic dixit Thomas Anglicus, & Oleaster. *Loquitur Scriptura de Deo ad modum magni Domini, qui in æstiuo tempore solet hortum adire, cum iam ventus cæpit flare ad refrigerium:* Quod plusplus explicat Abulensis sic diffundens: *Qui ad auram ambulat, à calore refrigerari vult: sic Deus post peccatum hominis calore iracundiæ incanduerat: ideò refrigerari volebat.*

VIII Quid ergo est Dei Filium ardore & dolore deambulantem, quam iam iam ad iter pro hominis salute faciẽdum sese accingentem; immò, & illud exsequentem, & vrgentem? vti hoc pene dicendi modo de humani generis redemptione facta allusione ad liberationem Israelitici populi de Ægyptiaca seruitute dicebat Dauid Psalm. 67. vers. 25. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto:* Vbi pro voce *ingressus* Augustinus, & alij legunt *gressus*: Hieronymus verò *itinera*: Quid verò fuerit *ad auram post Meridiem deambulare*? Quam de Maria in Matrem eligenda cogitare; atq; in eâ auræ spirantis refrigerio accepto cõquiescere? quasi à Mariâ, & in Mariâ, & per Mariam quidquid perditũ fuit, esset instaurandum, & melius reficiendum. Cui cogitationi opportunissimè subscribit S. Iosephus Confessor in Menæis Græcorũ 30. Iulij Ode. 5. de *SS. Silâ, & Siluano*, in clausulâ vbi cum dixisset. *Te Rex Dauid imagine præsagâ descripsit, tamquam Montem Dei pinguem & coagulatum ex lacte nimirum Virginali:* Subdit, *in tuo quippe fastigio propalam apparuerunt itinera, seu vestigia Domini ad Dignitatem nos primigeniam sursum ducentis:* Sic ille: vbi vides Dei Filium per Montis Mariani fastigium ad humanam Reparationem iter intendentis, & salutaria vestigia ponentis. Aquo non abit Andræas Cretensis apud eadẽ Menæa 1. Augusti. Ode. 8. de SS. Machabæis in clausulâ inquiens. *Dete publicè constat, ò Maria, quod sis Æterni Patris Beneplacitorum thesaurus: Filij quoque Mundum ingredientis commoratio, & Augustum denique Spiritus Sancti Diuersorium.* Ideòque Totius Trinitatis idæam vi quàdam peretficaci repræsentas: Hęc Andręas: Obserua illa: *Æterni Patris Beneplacitorum thesaurus:* è quo videlicet Beneplacita salutis humanæ ab Adamo deperdita, & velut destructa iterum extrahenda erant.

Psal. 67 vers. 25. Augus. Hieron.

S. Ioseph

Andræ Cretens.

Nec fuerit minus opportunum in IX hanc rem, quod Maria à PP. cũ libro vitæ in quo prędestinati ad æternã fe-

licitatem

licitatem cõscripti sunt, mirà ratione componatur: quia nisi Dei Filius post Adæ peccatum ad auram Marię non deambulasset, vt ex ipsa humanam carnem susciperet, sub iugo diaboli humanum genus captiuum subiaceret, ac proin de nostro concipiendi modo liber vitæ velut in cassus euanesceret: Enim verò cum Ecclesiasticus cap. 24. Mariam cum ijs omnibus, quæ in rebus humanis salutaria, & grata esse noscuntur, singillatim composuisset: tandem sic concludit vers. 32. *Hæc omnia Liber vitæ, & testamentum Altissimi:* Vt dixerit: audistis me in superioribus de pulcherrimis floribus, de limpidissimis fontibus, de fructiferis arboribus, de fructicibus aromaticis disputantem: noscite ergo hæc omnia, vnà hàc breui appellatione præstringi, qua Maria *liber vitæ*, dicitur: in quo ideò sancti, & electi conscripti dici possunt, quod ab ipsa Filijs Dei in Adæ tenebris de gentibus noua lux orta fuerit, quæ verius quam Eua Mater viuentium dici potest; & debet: Ita hæc insinuante Richardo à S. Laur. lib. 9. *de Laud. Virgin.* hunc in modum: *Hæc omnia liber vitæ: hoc est horum omnium: quæ hactenus recensuimus similitudinem continet B. Virgo, quæ est liber vitæ. Hæc, in quâ omnia, est ipsa B. Virgo, de quâ locutus sum sub metaphorâ florum, arborum aliorumque multorum, est liber vitæ beatis in patriâ, ac proinde ipsa est liber Beatorum*: Hæc Richardus: Sed omnino ad rem S. Iosephus Confessor in Menæis Græcis 6. Martij Ode. 7. *de SS. MM. Amorio, & Socijs.* Deiparam his verbis affatus. *Tibi intaminato recentissimi nitoris volumini Sapientia diuina inscripta est, quæ libro viuentium suos inserit pugiles, quicumque leges sibi præscriptas omnibus numeris seruat.* Ita ille: Apud quem præter pulchras pro Mariæ immunitate dictiones, *intaminati voluminis, & recentissimi nitoris,* alibi expendendas, modo obserua Dei Filium ad auram Mariæ deambulantem, vt in eà inscriberetur secum deferens suos pugiles libro viuentium insertos, à Marià ad vitam denuo regenerandos, & velut de nouo ipsius manu conscribendo s. De quo nos latius in libro de Maria forma Dei. Modo etiam in hanc rem audi Georgium in eisdem Menæis 24. Martij Ode. 8. de festo Annunciationis Mariam dexterã Christi, quam lapsis porrexit ad surgendum, sic facientem. *Ille qui à dexterà Patris nunquam digressus substantiam omnem transcendit, in te sibi diuersoriũ delecturus aduentat, vt te à dextris constituat suis; tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, & excellenti pulchritudine præditam; vtque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad surgendum extendat:* Hæc ille.

Ecl. 24. vers. 32. *S. Laur. Ricar. à* *S. Ioseph* *Georg.*

IHS

IHS

LIBER PRIMVS DE MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

PROEMIVM.

EVERIT primi huius libri argumentum; inde Sanctiſsimam, & Auguſtiſsimam Mariam Deiparam ab omni originaria labe prorſus immunem oſtendere, quod eius exſiſtentia non è catenata cauſſarum ſerie, nec in cenſu Adæ fuerit recenſita, cum Maria iam præſuppoſito primi parentis lapſu non niſi, vt Mater Dei eſſet, digna digni; Immaculata, immaculati ad humanam naturam renouandā à Deo electa ſit, atque ideo extra pactum cum Adamo initum, extra legem, extra diſcrimen, extra pœnam, extra *huius creationis*, peccato obnoxię opus, tanquam cœleſte prodigium tantà in hunc mundum puritate ingreſſa fuit, quātà prædíti beati, cęlum ingrediuntur, & quantam, Angelorum Reginam, ipſis multò formoſiorem, & quod plus eſt, veram Dei Matrem, è qua ipſe carnem erat ſuſcepturus habere decebat. Cui dignitatis faſtigio illā pulcritudinis gratiam ſignatè acceſsiſſe aſſerimus, quod non ideo Maria extra Chriſti Redēptionē poſita ſit, immò verò perfectiſsimè redempta, quæ à Chriſto mundi aſſertore, vt opportuno Adiutore à caſu, & lapſu auxiliari manu adeò fuit præuenta, & præliberata, vt à Chirographo damnationis, & iugo peccati non tam libera, quam aliena dici debeat.

IHS

DISSERTATIO PRIMA
De MARIÆ exsistentiâ non è catenatâ caussarum serie, nec in Adæ albo recensitâ.

MARIAM ab omni originariâ labe immunem fuisse, quod sola præter naturam electa fuerit ad naturam renouandam.

ADNOTATIO I.

MANV ducimur iã ex ijs, quæ in superioribus præmisimus ad Sanctissimæ Virginis Deiparæ ab omni originariâ labe immunitatem firmissimè stabiliendam, & fere absque ambagibus plurium in diuinâ mente signorum constitutione explicandam. Nimirum dum Dei Verbum. *Initium viarũ Domini ad opera sua*, siue, *quod Dominus præfecit operibus suis per Filium conficiendis* (vt legebat Athanasius) quasi in biuio, & in vtrumque paratum facimus, vt quò cumque sors inclinaret, siue seruata à primo homine innocentiâ, siue vt illi in peccatum lapso auxiliarem manum præberet: sese humano generi exemplar ad diuinam similitudinẽ imitandam, & ab illâ æternam felicitatem obtinendã exhiberet: ita quidem ipsum humanam tunc carnem susceperum decreuisse meditamur, cum nec Adæ peccatum, nec cõmunis humano generi labes ab ipso proueniens reàpse tunc exsistens, aut absolutè futura videretur, sed solum ex hypothesi, siue sub conditione illâ: Si læthalis prolapsionis sors Adę peccanti infeliciter obtingeret. Ex quo sanè euincitur, Mariam in primario illo Dei consilio de homine ad similitudinem suam formando, & de pacto, cum ipso tanquã cũ totius generis humani capite ineundo, cui hominum salus, aut perditio esset connexa, non quidẽ tanquã futuram, sed solum tanquam possibilẽ ex hypothesi peccati Adę fuisse præuisam, ac proinde cum de ipsa, vt futurâ, & in Dei Matrẽ eligendâ in diuinâ mẽte agitabatur, aliam omninò rerũ faciem, aliam caussarum seriem itidemque aliũ productionis eius ordinum fuisse institutum, tunc quippè iam omnium omnino hominum numerus ad pactum illud, & ad labem originariam contrahendam spectantiũ sic erat vndequaque impletus, & exhaustus, vt ipsa, *præter naturã* (vt loquũtur PP. statim citandi) siue prętęr naturę ordinem extra concatenatam caussarũ seriem producta (quod vel parentũ ipsius sterilitas innuit) veluti naturę humanę superaddita fuisse videatur. Etenim, vt sapienter, atq; differtè adstruit P. Ferdinãdus de Salazar in pulcherrimo opere siue *Apologia pro Immaculatâ Virginis Cõceptione*, cap. 17. §. 2. à n. 3. pactio illâ cum

Prou.

Athan

Salazar

Adamo facta ſicut, & pœna tranſgreſſioni tàm ei, quam poſteris impoſita, non quidem confuſe, & indiſtinctè cum hominibus poſsibilibus in vniuerſum, quin ſigillatim, & diſtinctè inſpicerentur quotquot ad pactum illud ſpectarét, inita fuit; ſed expreſſe, atque diſtinctè, & determinatè cũ ijs, quos Deus iam ex inde ex Adamo capitis vicem gerente, futuros decreuit, in quos ab illo ſeu vita, ſeu mors ſecundum Adæ innocentiam, vel peccatũ tranſfunderetur, quoſque in libro creaturarũ cenſeri, ſiue ſingulis velut de facie notis ſub cenſu conſcribi voluit. Vnde omnino cõſequens eſſe videtur, vt tàm pactum, quam lex, pœna, & tranſgreſsio Adæ cum Maria nihil habere poſsit cõmune, quæ non niſi poſt impletum numerum eorum qui morti, ſiue peccato originali contrahendo addicti ſunt poſteriori ſubinde illo decreto de aduentu Filij Dei in mundum, ad munus Matris eius electa fuit.

II Porrò nos ad Marię Santiſsimæ prædeſtinationem ſtatuendam nequaquã in ipſa intuemur, (& ſi eà in re à viris doctiſsimis inuiti auellamur) duas rationes, ſiue duos ſtatus, quorum vnus ab altero cogitatione ſic ſecerni quiuerit, vt quaſi duplex perſona in Maria ſpectari valeat: altera videlicet priuata (vt ita dixerimus): altera vt Dei Mater, orbiſque ac cœlorum, per Filium ſuum Regina: quaſi priori ratione conſiderata, & Vnigito Dei è Patris ſolio in hunc mundum non adueniente (vt ſeclu-ſo peccato, omnino non aduenisſet) Beatiſsima Virgo in ratione perſonę iuſtæ, tunc cum Chriſto nequaquam nectendæ ad certam gratiam, & gloriam fuiſſet prædeſtinata: Secundũ poſteriorem verò rationem electio Virginis in Matrem Dei ſimul habeat electionem ad immenſum gratiæ, & gloriæ ſuperpondium, quod tantæ dignitati ſupra ſortem priuatæ conditioni congruentem, conſentaneum ſit: non inquam acquieſcimus huic ſpeculationi, vt B. Mariam in duas haſce perſonas mente ſecemus, qui ipſam non niſi in Matrẽ Dei electam, & prædeſtinatam ſtatuimus, vt quemadmodum Chriſtus ſecluſo hominis peccato non erat futurus, ac proinde ipſi de Matre, quæ ob ſolum Verbi Dei in carnem aduentum eſſet opportuna, prouidendũ minime fuiſſet: ita etiam hac hypotheſi ſtãte, nec Maria eſſet in rerũ natura futura. Eodem planè paſſu in Diuinis decretis Matre cũ Filio, & Filio cum Matre incedentibus, vt Patribus monere ſolemne eſt: Sic enim Andræas Cretenſis oratione. *In ſalutationem Angelicam*: dixit. *Sola præter naturã fuit electa ad Naturam renouandã: Sola deſeruiuit Opifici vniuerſæ Naturæ*; Et Sapiens ille Idiot. *In contemplatione B. Virginis Mariæ*, cap. 4. eodem ſenſu. *Inter omnia opera æterni Opificis operationẽ illã, quâ naturæ noſtræ vnitus eſt Filius tuus ſpeciale opus fuiſti, ô Sanctiſsima Virgo Maria, qui ad hoc tefecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum per te reformaretur:* A quo non abit Bernardus homilia 2. *In Miſſus eſt*, vbi cum dixiſſet: *Enim verò Deum huiuſmodi decebat natiuitas, quâ non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat Virgini partus, vt non pareret niſi Deum*: Subijcit: *Proinde factor hominum, vt homo fieret, naſciturus de homine talem ſibi ex omnibus debuit deligere, immò, & condere Matrem, qualem, & ſe decereſciebat, & ſibi nouerat placituram*: Hæc Bernardus. Quibus ſexcenta ſunt apud PP. valde conſentanea. Sed illud minimè omittendum ex Auguſtino lib. 13. de Trinitate cap. 18. Totam Dominicæ incarnationis œconomiam ediſſerens; nã cum dixiſſet: *Poterat vtiq; Deus hominẽ aliunde ſuſcipere in quo eſſet Mediator Dei, & hominũ non de genere Adã, qui peccato ſuo*

An Cre

Idiota.

Bernar.

Auguſ.

genus obligauit humanum. Sicut ipsum quem primũ creauit nõ de genere creauit alicuius: Sed melius iudicauit, vt de ipso quod fuerat victũ, genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum: Subijcit notanter: *Et tamen ex Virgine cuius conceptum spiritus, non caro: Fides, non libido præuenit:* Hæc Augustinus omnino adstruens Christum non tantum perse, vt hominem prædestinatum, sed etiam, vt Filium hominis, vt videlicet modus incarnationis huius fieret in vtero Virginis, atque adeo, vt Deus haberet Matrem in terris: Vnde quidem fit Matrem in diuino decreto, & prædestinatione à Filio non fuisse distinctam, ac proinde non nisi ad opus humanæ Redemptionis electam, siue factam: de quo vide Richard. à S. Laurentio lib. 4. de Laud. Virginis vbi de Maria inquit: *Ideo etiam comparatur Lunæ, quia inter omnes Planetas terræ propinquior est: Sic Maria inter omnes Sanctos magis peccatoribus condescendit, qui designãtur per terrã. Nam sicut terra vilissimum est elementum, sic peccator vilissima creaturarum: Ideò ei etiam possunt dicere peccatores, quod propter ipsos facta est ipsa Mater misericordiæ. Nisi enim homo peccasset, non incarnaretur Filius Dei, nec ipsa fieret Mater Dei.* In quem sensum statim adducit illos versus

Festina miseris misereri Virgo Beata,
Nam te, si recolis, miseri fecere Beatam:
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit,

& alios eiusdem sententiæ.

Ricar. à S. Laur.

III. *Eccl. 24 vers. 14. Prob. 8. vers. 22. Canisius*

Nec aduersus hæc negotium facesit vllum: Mariam *ante secula*, creatam Ecclesiastici 24. versicul. 14. & à Deo *in initio viarum suarum*, possessam dici Prouerb. 8. versicul. 22. iuxta frequentem DD. sensum ab Ecclesia approbatum apud P. Petrum Canisium lib. 1. de *Deipara*, cap. 11. quasi hinc Maria omnium prima post Christum prædestinata fuerit, vt quemadmodum Deus constituit, ex vno Adamo fieri omne hominum genus, atque ei primo loco, atque ante omnes mortales ex eo producendos constituto adhibuit Euam sociam ex latere eius formatam: ita in superiori, & supernaturali ordine Christum Dominum caput super suam Ecclesiam primo loco constituerit, proximè verò post ipsum Beatissimam Virginem elegerit, quæ proinde omnium prima post Christum in serie prædestinatorum sit collocata: quemadmodum prædictarum locutionum occasione ratiocinantur P. Francisc. Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 1. sect. 3. P. Salazar lib. de *Conceptione*, cap. 2. Spinellus, *in Throno Dei*, siue de *Deipara*, cap. 14. Benedictus Fernandez in cap. 29. Genes. sect. 8. Magallanius in cap. 5. Iosue versicul. 5. Adnot. 8. Iacobus de Valentia in Canticum Deiparę ad versicul. 14. *In prima dignitate Virginis.* Ioan. de Cartagena lib. 1. de B. Virgine hom. 2. & alij plures non, inquam, præfatæ Deiparę electioni à nobis propositæ, ea Scripturæ testimonia præiudicium faciunt, quod illa non de prioritate præsuppositionis, sed potius de prioritate dignitatis accipienda sint, vt fuerit sensus Mariam secundum Christum fuisse inter electos primam ordine dignitatis excellentiæ, quamuis posterius ratione fuerit prædestinata in Matrem Dei: Sicut, & ipsemet Christus, qui posterius ratione, quam cæteri, & non nisi peccati occasione electus est, tenet tamen super omnes primatum, estque totius Ecclesiæ ex Angelis, & hominibus constitutæ supremum caput, & vertex, & prædestinatorum apex.

Suarez. Salazar Spinell. Ben. Fer Magal Valent. Cartag.

IV

Ergo Mariam sic cogita, vt non ex concatenatâ causarum serie, siue ex, sibi coherenti Adamicæ posteritatis

tatis filo; sed ex penitissimo Dei thesauro, & œconomia ad humani generis restaurationem, & vnigeniti Dei Matrē educta, siue condita fuerit: quippè data hypothesi illa peccati Adæ, & secundo decreto succedēte de pristina humanæ naturæ dignitate, seu de germanâ similitudine diuinâ per aduentum Filij Dei in mundum restituendâ, cum Summo Patri variæ tunc rationes, & cauſſę (iuxta nostrum cōcipiendi modum) occurrere potuissent, quibus ad Christi humanitatem producēdam vti posset; vt, verbi gratiâ, si ipsam de nouo ex nullâ piâ suppositâ materia crearet: aut è limo terræ non secus, ac primū hominem suis manibus efformaret, aut denique si ab vnâ ex ijs fœminis, quas in pacto, & transgressione iam comprehensas videbat, concepta in lucem ederetur, ijs quidem, & alijs prætermissis, illam sibi tanquam Sapientissimo Artifici, & optimo rerū moderatori: *qui operatur omnia secūdum consilium voluntatis suæ* (Ephes. 1. vers. 11) agēdi ratione, siue œconomiam omnino probatam fuisse, quæ vt suæ Maiestati, & Vnigeniti sui dignitati decentior atque opportunior, ita nobis vtilior, & magis salutaris foret: Nimirum, vt in primis, cùm veniret plenitudo temporis mitteret *Filium suum factum ex muliere*: ad Galat. 4. vers. 4. *In similitudinem hominum*, siue *in similitudinem carnis peccati*, ad Romanos 8. vers. 3. ex eadem videlicet humani generis massa, *vt in luto maiestatē suæ artis ostēderet, reformās hominem, qui de limo plasmatus est*, vt ait Con. Ephes. Iidēq; Irenęus lib. 3. aduer. Hæres. c. 31 inquiens: *Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Mariâ operatus est plasmationem fieri? Vt non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio, quæ saluaretur; sed eadem ipsa seruatâ similitudine*: quā *vt ostenderet* (sicuti superius à nobis adductus dicebat Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, & corporali in nos aduentu) *Opificem extra culpam fuisse*, in prima hominis formatione: si quidem (pergit Basilius Seleucien-sis orat. in S. Deiparā:) *Totum corpus nostrum, cum instrumenti habeat rationē, nihil suopte motu nouit agere; sed nostris voluntatibus sul seruit. Per illud enim animus velut musicus quidam, aut virtutis sonos pulsat, aut improbitatis strepitum ciet. Ne quis igitur humanum corpus turpe quid existimet, aut velut à Deo alienum calumnietur. Neque enim fictio probrū habet, sed actio reum efficit.* Quid quod? Vt idemmet Basilius indidem paulò antea dixerat; voluit Deus, vt eademmet natura, quę a peccato victa fuerat; peccatum vinceret, & de eo triumphum caperet. Audi ipsum: *Poterat quidem is, qui consilij sui ratione solo nutu perficit, sine etiam Incarnatione salutem conferre, sed noluit, vt natura, quæ peccato victa fuerat, peccati in ipso victrix, ac ei superior exhiberetur. Id circo nobis apparuit conuersans in carne nobis simili, eâq; prædita animâ rationali, vt tamen nullum peccati periculum fecerit, vt & peccatum condemnaret in carne, suamque iustitiam in vniuersos exstenderet, ac eum destrueret, qui habebat mortis imperium.* Hæc Basilius Nimirum, quod Apostolus ad Hebræos cap. 7. vers. 26. latius confirmauit: *Talis nobis decebat Pontifex: sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.*

S. Basil. Seleuc.

Ephes. 1 vers. 11.

Galat. 4 vers. 4.

Rom. 8. vers. 3.

Cōt. Eph

Irenæus

Deinde verò illud optimi, & opportunissimi consilij Dei fuit, vt Filium suum missurus, qui factus ex muliere nouus Adam, reformaret in hominem, quod deformatum fuerat, nouam itidem plasmaret Euam, quæ vna ex parte ipsi in adiutorium daretur, vt vera Mater viuentium foret: *Per quam quod de primo opificio fuerat deformatum* (vti dicebat Sapiēs ille Idiot.) reformaretur.

V

Idiot.

Irenæus *Neque enim iustè victus fuisset inimicus* (inquit Irenæus lib. 5.) *Nisi ex muliere esset homo, qui vicit eũ. Per mulierẽ enim homini dominatus est ab initio*: Ita ille. Qui etiam frequens PP. sensus est: Sic enim dicebat etiã

Andr. Andreas Cretensis orat. *In Salutat. Angelicam. Sola præternaturam fuit electa ad naturam renouandam sola deseruiuit opifici vniuersæ naturæ*: Sic etiã S. Theophanes in Menæis Græcorum 9. Ianuarij Ode. 8. de S. *Polyeucto* De paramhunc in modũ salutans: *Salue, per quam sumus lætitiam consecuti sempiternam; Salue, quæ substulisti tristitiam Euæ, vnaque deiectionem Adami in hilarem*

S. Theof. *plane vultum mutasti.* Et itidem die 17. Ianuarij Ode. 4. de *S. Antonio* in clausulà. *Tu verissimè iam humi prostratam generis humani naturam subleuasti in altum, dum nobis progeneras eiusmodi Filiam, qui & in Diuinitate Patri æqualis cerneretur; & tibi sese gignenti fieret consubstantialis.* Sic S. Laurentius Iustinianus sermon. *de Annuntiatione*, de Maria dicebat: *Effecta est Paradisi scala, cœli ianua, inuentrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix.* Pulcherrimè vero S. Ioseph us Confessor apud Menæa Græca die 30. Iulij Ode. 5. de SS. *Sila, & Siluano*: à nobis in superioribus adductus, *in tuo quippe Fastigio propalam apparuerunt itinera, seu vestigia Domini ad dignitatem nos primigeniam sursum ducentis.* Ex alià verò, vt tanto muneri idonea esset, ac opportuna, ab omni labe, aut næuo immunis, & solaribus, radijs purior, ac illustrior, atque omni cãdore splendidior foret: Nimirũ vt *talis vobis decebat Pontifex: Sanctus Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*: Ita quidem huic Pontifici, Mediatori; & cœlesti Adæ talis etiam decebat Mater, talis Eua coadiutrix, quæ sancta, innocens impolluta, & segregata à peccatoribus esset, vt ipsemet Apostolus illa locutione de Christo. *Segregatus à peccatoribus*, non obscure insinuauit, vt iam dudũ expẽdimus: voluit enim dicere Christum, tanquam nouum, & cœlestem Adamum, & si verus homo in similitudinem hominum factus fuerit, eam tamen Matrem habituram, quę quod cum alijs fœminis *naturâ communicaret non culpâ* (vt inquit Cyprianus orat. *de Natiuitate Domini*) ab alio quasi grege, mundo scilicet, & incontaminato, originariæque maculę ex

Cyprian *Idiota.* perte foret: Quod scitè obseruauit sapiens idiota: dum ait: *Tota pulchra es in tuâ conceptione: ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei Altissimi*: Quibus verbis totam sententiam perstrinxit: dum Mariam non nisi Redemptionis humanæ caussa effectam, vt esset Mater Christi, asserit, eaque omnino ratione pulchram, & immaculatam in Conceptione exstitisse.

VI

S. Basil. Seleuc. Quò videtur adspexisse S. Basilius Seleucien sis orat. in S. Deiparam vbi cum Dominicæ Incarnationis Sacramentum tractãs dixisset: *Cum ergo imaginem repurgare statuisset, se ad imaginem confert, volẽsque carnem immortalitate donare carnem induit congenerem ipsam congeneri curaturus, ac per omnia perfectus efficitur homo, vt ei, quem formauerat homini plenam, perfectamque salutẽ conferret*: Subijcit opportunissimè ad rem præsentem. *Nam cum generis nostri primitiæ à peccato condemnatæ fuissent, primitias aliàs innoxias, ac quæ omnem impleturæ essent iustitiam, necessarias habebamus, per quas totum corpus capiti coaptatum, commissumque hominibus iterũ redderetur, vt sicut omnes in Adam mortui fueramus, sic in Christo omnes viuificaremur.* Hæc ille: apud quem obserua illa, *primitias alias innoxias necessarias habeamus*, quæ videlicet aliæ omninò essent à primitijs à peccato condemnatis: quibus Basilius

omnino

omnino exprimit sub sensu à nobis dato Christum à peccatoribus segregatum fuisse, qui carnis primitias innoxias à carne, & Matre innoxia sumpserit: Sed vt hæc cogitatio vndequaque subsistat, adi S. Ioannem Damascenum orat. 1. & orat. 3. *de Natiuitate Virginis* Mariam massæ nostrę primitias dissertissimè appellantem: Sic namque primum orat. 1. *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti: Ex te enim solâ summus ille opifex partem assumpsit: hoc est massæ nostræ primitias: caro ipsius ex carne tuâ, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mamillis tuis suxit Deus, ac labia tua Dei labijs vnita sunt:* Hæc Damascenus ibi, in sequentibus disputationibus latius persequenda: & orat. 3. vbi cum de Mariæ Conceptione, siue formatione præmisisset. *Oportebat enim prius palatium parari. Regẽ adesse: Oportebat enim prius regiorum incunabulorum fascias contexi, atque ita demũ regium infantem in lucem edi. Denique prius oportebat, argi illam misceri, ac tum figulum præsto esse.* Subijcit: *Merito proinde vir diuinus Ioachim, & Anna ipsius vxor diuinâ prouidentiâ vocati precationis fructum perceperunt: hanc inquam naturæ Reginam, ac nostræ massæ primitias, cuius natalem diem agimus:* Sic Damascenus: omninò ad mentẽ Pauli Christum, *segretatum â peccatoribus* asserentis, & ad sensum, & modum loquendi Basilij, *primitias innoxias*, Christum appellantis: dum easdem primitias naturę Christum, & Mariam hi PP. faciunt, vt proinde Maria *primitiæ innoxiæ*, humanæ naturæ fuerit, atque ab ipsa nouus rerum ordo, noua generationis series Dei Filio pararetur: Cui sensui opportunè adstipulantur S. Iosephus Confessor Deiparæ studiosissimus, itidemque S. Sabbas æqualis œui, atque pietatis apud Menęa Græca, ille si quidẽ die 2. Ianuarij Ode. *Damasc* A B C D E

5. Deiparam ita salutat. *Salue, ò cadentis mundi erectrix: nulli vnquam culpæ subiecta!* Sabbas verò totam cogitationem firmans, atque illustrans ait. *Architectus, & Dominator omnium Deus, vt ex incorrupto vtero tuo carnem susciperet, humanitè generis Primatem creauit, ò Domina, nulli vnquam reprehensioni obnoxia!* Hæc ille quibus nihil dici potuit illustrius, nihil nostro instituto opportunius: dum Mariam primatem humani generis nulli reprehensioni obnoxiam adstruit, quod perinde est, ac ipsam *primitias innoxias* nostrę naturę facere, vt ab illis Christus innocens sanctus, & impollutus, & à peccatoribus segregatus oriretur: Preme verò causalem illam: *Vt ex incorrupto vtero tuo carnem susciperet:* Quasi, vt minimè foret dignitati, & Diuinitati Christi consentaneum ex Matre reprehensioni obnoxia, carnem suscipere; ita nec ipsa Maria muneri erectricis cadẽtis mũdi, & personę Euæ Matris viuentium, quam gerebat, esset opportuna, si labi alicui fuisset obnoxia. *S. Ios. Cõ* *S. Sabb.*

VII

Pro his autem egregiè fideiubent notissima de Christo Assertore, & de Maria verba apud vatem Psalm. 44. Nam cum primum de Christo ad salutem, & opem homini ferendam arma capiente præmisisset. *Speciosus formâ præ filijs hominum, & accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & sagittæ tuæ acutæ populi subte cadent:* Statim vers. 11. de Mariâ subijcit: *Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato:* quibus in primis Dei Filio qua Regi, & hominum Assertori, Maria tanquã Regina, & coadiutrix in opere, Redemptionis à Dauide inducitur: Ita id considerante S. Sabba in Menæis Græcis die 27. Ianuarij in vesperis de *S. Ioanne Chrisostomo*, hunc in modũ *Propheta Dauid per te Auitus Numinis progenitor factus dulci cantu ad eum, qui fecit tibi magna, hunc in* *Psal. 44 vers. 11.* *S. Sabb.*

modum

modum vaticinans exclamauit. Adstitit Regina à dextris tuis: *Te quippè Deus cum lubens naturam ex te humanam indueret, pro Matre suâ & vitæ æternæ comparatrice adhibuit, vt sic suam imaginem refingeret passionibus deprauatã: vnàque Ouem, quam errantem in montibus deprehẽsam humeris suis imposuit, vt Patri Diuino restitueret:* Sic ille: Deinde verò his in verbis modis omnibus Deiparam vndequaque nitens, & à peccato originali immunis asseritur: nãtum *adstare*, quod verbum ad fortẽ, & virilem corporis habitum, & pedẽ firmiter fixum, quin labatur, aut titubet, omnino refertur: & *adstare à dextris*, qui electorum locus, & sedes est: Matthæi 25. vers. 33. signatè dicitur, tùm vel maximè eo auri amictu coopertam inducit Vates, quo nihil purius, sincerius, & sine vllà omninò mixturà esse possit: Quare obserua ex septẽ nominibus, quibus Hebræi vocant aurum (vt S. Hieronymus in cap. 10 Ieremię docet) signate hoc in loco, & cap. 5. Cant. vers. 11. vbi de Sponso cœlesti dicitur: *Caput eius aurum optimum* hanc vocem Hebræam *Chethempaz* vsurpari, quà significatur aurum (vt inquit ad id loci Cãt. Gregorius Nyssenus) *purum, intactum, quod omni mixturâ careat:* Vt argumento sit: Speciosum formà præ filijs hominum, non aliã sibi Matrem, & vitæ æternæ comparatricem elegisse, quam eam, quæ sibi in omnimodà puritate, & à peccato originali immunitate persimilis esset: Vnde opportunissimè huic cogitationi S. Iosephus Cõfessor in Menæis Græcis die 15. Ianuarij Ode. 3. de *S. Ioanne Calybita* Deiparam hunc in modũ salutat. *Te integer ille, ac purus, ò vndique intaminata! tanquam Rosam instar vnguenti flagrantem incõualibus reperit, atque habitans in medio tui totum genus humanum flagranti â suaui repleuit.* Hæc ille: Et quidẽ pulchrè, dum integrum illum, ac purum qui humano generi peccatorum fætore graueolenti medicam manũ allaturus veniebat, cõtemplatur Matrem vndique intaminatam, tanquã Rosam instar vnguenti flagrantem quærentem, & inuenientem, vt ipse ab ipsà totum genus humanum suaui flagrantià repleret: Sed opportunus præfatis Dauidis verbis, sic pulchrè loquebatur in præludijs adductus Georgius apud Menæa Græca. *in profesto Annuntiationis* Ode. 8. *Ille qui à dexterâ Patris nunquam digressus substantiam omnem transcendit, inte sibi diuersorium delecturus aduentat, vt te â dexteris constituat suis tanquã Reginam dignitate sibi propinquam, & excellenti pulchritudine præditam: vtque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad surgendum extendat:* Sic Georgius omninò adrem: dum Mariam dignitate Deo propinquam, & excellenti pulchritudine, cum quà originalis macula non benè hæret, præditam; simulque Dei dexteram ad salutem mundo perdito ferendam facit.

Mat 25 vers. 33. *Hieron.* *Cant. 3. vers. 11.* *Nyssen.* *S. Ios. Cõ* *Georg.*

Quę sane omnia, vt peculiaribus Scripturæ, & PP. monumentis statim à nobis stabilienda sint, non possumus modò non afferre Bernardum itidem id egregiè confirmantem nõ semel: Nam primum in sermone de Verbis Apocalipsis: *Signum magnum:* Dum Christum, & Mariam cum Adamo, & Euà hunc in modum cõponit: *Vehementer nobis dilectissimi vir vnus, & mulier vna nocuêre, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam, omnia restaurantur; nec sine magno fœnore gratiarum: neque enim sicut delictũ, ita & donum: sed excedit damni æstimationem, beneficij magnitudo:* Ita statim concludit: *Sic nimirum prudentissimus, & clementissimus Artifex, quod quassatum erat non confregit: sed vtilius omninò refecit, vt nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Ma-*

VIII

Bernar.

riam: Ita Bernardus, opportunè quidem in restauratione de perditę dignitatis humani generis nouum Adã, & Euam, qua Mater viuentium dicta est, transfusam, in Mariam comminiscens: sanè vt vterque priorem illũ felicem statum primorum parentum repræsentaret, in quo nulli labi obnoxij fuerant, siue etiam, vt innueret, noua veteribus: cœlestia terrenis: illibata vitiatis, & deformatæ pulchritudini venustiores, & formosiores formas succesisse. Verũ deinde Bernardus prefatam cogitationẽ plusplus explicans, ab ipsa Mariæ immunitatem, & omnimodam puritatem scitè adornat in Serm. de *Natiuitate Mariæ*, paucis cuncta præstrigens hunc in modum: *Ad Mariam recurre. Pura si quidem humanitas in Mariâ, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturæ.* Ita ille. Vbi obserua Bernardum non contentum affirmasse Deiparã ab omni, omnino contaminatione puram extitisse, signate affirmare ob singularem naturam purâ humanitate constantem, ab omni originariâ labe immunem fuisse. Etenim cum Deipara non Angelicam, nec cœlestem; sed humanam naturam fuerit sortita. Quid aliud significare possit ea locutio, *pura singularitate naturæ*, quam Mariam, *primitias innoxias* naturæ, & segrègatam à greg e peccatorum extitisse? Quippe, quę non fuerit in cœterorum mortalium censu recensita; sed singulari Dei prouidentia præter communem naturæ ordinem dispositа, vt nouũ nobis Deũ Adamum formaret ex vetere, & Euã transfunderet in Mariam: quod quẽadmodum Eua manu Dei singulariter formata in iustitia, & sanctitate veritatis creata fuit: Itidem, & Maria singularem naturam in sui formatione fuerit sortita, non quidem Angelicam, aut cœlestem; sed eâ singularitate puram, quæ cum alijs humanitate, non culpâ communicaret:

Idem.

A B C D E

Subquo sanè sensu explicauit Andreas Hierosolymitanus orat. in salutat. Angelicam ea Gabrielis verba: *Ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries Filium, &c.* Lucæ 1. vers. 30. vt Maria signatè inuenerit eam gratiam, quam Eua perdiderat: Sic enim ille: *Ne timeas Maria: nacta es enim gratiam apud Deum: gratiam quam Eua perdiderat*: Quod luculentius expressit Ecclesia Græca in Menęis die 24 Martij, *in vesperis minoribus Annunciationis*, his verbis: *Artifex Deus, e visceribus intimis ad spontaneam erga opus suum misericordiam flexus, in Puellæ vtero diuinâ progenie fœcundando, habitare festinat: ad quam Archangelus ille magnus accedens*: Aue (*inquit*) ò singulariter apud Deum gratiosa! *Modo Deus noster tecum est; neque me reuerearis tanti Regis copiarum Ducem supremum: Tu enim inuenisti gratiam, quam olim perdidit Eua*: Sic ibi: Sed quænam hæc gratia fuerit, quam Eua perdidit, & inuenit Maria? Duplicata quidem, & interse connexa: Altera iustitię originalis, vt Maria meliori, & potiori iure, quam Eua in ipso suæ Conceptionis instanti apud Deum gratiosa fuerit: ideò notanter dixit ei Angelus: *Neque me reuerearis tanti Regis copiarum Ducem*: Vt dixerit: nihil enim puritatis, & splendoris in me inuenitur, quod tuæ puritati, & splendori possit æquari, quæ singulariter apud Deum gratiosa es: Altera verò, vt vera viuentium Mater fueris, vt quẽadmodum Eua à Deo in iustitia creata fuit, vt esset Mater viuentiũ, quod casso nomine Eua significat, cum ipsa amissâ iustitiâ mater morientium facta, mortem nobis pro vita suggesserit: Sic Maria hanc gratiam inuenerit, vt in Dei coadiutricem formata, ille ipsa signatè vtatur ad vitam denuo hominibus inspirandam, & solidius, atque constantius illis imbibẽ-

IX

Lucæ 1. vers. 30. Andr. Hieros.

Ecclesia Græca

dam,

dam, atque id circo vacuũ illud Euę nomen Maria impleuerit, quæ omnibus vitam attulit, & viuendi cauſſa extitit, ſcite id obſeruante Dionyſio Carthuſian. lib. 2. de Laudibus Virginis hunc in modum: *Non vitam* (de Euâ, quatenus Mariæ typus fuit loquitur); *Sed vitam appellauit, vt cõſtaret Mariã omnibus viuendi cauſſam eſſe. Vita enim eſt formæ commune vocabulum, & quidquid viuit, per vitam viuit:* Sic ille: Sed enim Bernardus ſerm. 3. in *Miſſus eſt*: premẽs hæc Angeli verba: vtranque hanc gratiam ijs verbis affixit; Mariæ ſic locutus: *Vt quid enim indebitam putes tibi gratiam Angelorum, quæ inueniſti gratiam apud Deum? Inueniſti quod quærebas: inueniſti quod nemo ante te potuit inuenire.* Inueniſti gratiam apud Deum: *Quam gratiam? Dei, & hominum pacem: mortis deſtructionem, vitæ reparationẽ: Hæc eſt ergo gratia, quam inueniſti, apud Deum: & hoc tibi ſignum:* Ecce concipies, & paries Filium: & vocabis nomen eius Ieſum. Hæc ille: apud quem obſerua, dicturum de Maria, eam gratiam inueniſſe, quæ mortem deſtrueret, & vitam repararet, de induſtria præmiſiſſe: *Vt quid enim indebitam tibi putes gratiam Angelorum, quæ inueniſti gratiam apud Deum?* Vt moneret, ei quæ vitæ reparatrix erat futura, illam quidem gratiam deberi, quam Angeli adepti ſunt, vt longe à peccato, & peccati diſcrimine, & debito in iuſtitia, & gratia conditi à Deo fuerint. Cum hoc autem Bernardi ſenſu omnino conſentit S. Sabbas in Menęis Græcorum 3. Ianuarij Ode. 9. de *S. Malachiâ*, dum Deiparam cum arbore vitæ ſic componit: *Maturas vitæ fruges ex te carpo, nil damni â ligno ſcientiæ paſſus. Tu enim ò maculârũ omnium expers! ligno vitæ ſimillima non aliam nobis fructum germinaſti, quam Chriſtum, qui omnibus ad vitã aperuit aditum.* Hæc S. Sabbas notanter Deiparam, & macularum omnium expertem, & vitę nobis fructũ germinantem faciens: Ergo Maria nacta eſt gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat: Vtrãque Eua implẽte imaginem illam a Domino propoſitam apud Lucam cap. 15. verſic. 8. *Quæ mulier habens dracmas decem, Si perdiderit vnam dracmam: non ne accendit lucernam, & euerrit domũ, & quærit diligẽter donec inueniat?* Vt videlicet Eua dracmam iuſtitiæ originalis, & diuinæ ſimilitudinis perdidiſſe, Maria verò inueniſſe dicatur: Quare obſerua in ſequentibus verbis: *Inueni dracmam meam, quã perdideram*, repoſuiſſe Syriacam lectionem: *quæ perdita fuerat*: vt perdidiſſe, Euæ inueniſſe, Marię fuerit.

Iam verò ex ijs omnibus, quæ in hac adnotatione meditati ſumus, itidem conſtat Deiparam non modo ab originali peccato, ſed etiam ab eius debito expertem vndequaque fuiſſe, quod eximium quidem ſanctitatis genus, & clariſsimum Virginis ornamentum cenſeri debet: Nimirũ cum debitum iſtud ſit, neceſsitas contrahendi peccatum originale vi generationis ex Adamo, niſi gratia opitulans occurrenti peccato obuiam iuerit, atque ſeſe interponens aditũ aduenienti intercluſerit, inde Beatiſsimam Virginem, tàm ab originali peccato, quàm ab hoc debito contrahendi illud, immunem facimus, quod ipſius exiſtentia non fuerit decreta ex concatenatâ cauſſarum ſerie ab Adam, cum, niſi peccatum interueniſſet, Virgo non fuiſſet producta, ac proinde minime fuerit comprehenſa in pacto illo cum Adamo, quod ante peccatum initum fuit: cũ ij tãtum peccato, & eius debito ſubditi, atque obnoxij fuerint, de quorum futurâ per Adamum exiſtentiâ iam tunc latum fuerat decretum: Sed hæc in ſeqq. latius explicanda, & communienda ſunt.

Dio. Car. — *Bernar.* — *S. Sabb.* — *Lucæ 15 verſ. 8.* — *Let. Syr.* — X

Dei Filio humano generis Redemptionem molienti MARIA Deipara ab omni Originalis peccati nęuo immunis primum occurrit.

ADNOTATIO. II.

I ERGO, vt opportunè cum gratulatione occurras Domino inuenienti dracmam, quæ perdita fuerat, in memoriam reuoca quidquid circa illa Geneſis verba cap. 3. verſ. 7. in ſuperioribus adnotationibus diximus de Dei Filio poſt Adæ peccatum in ipſius occurſum, *ad auram paradiſi poſt meridiem deambulante*: Vt (quemadmodum ex Theodozione dicebat Hieronymus. lib. 1. de traditionibus Hebraicis:) *refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet*: Nimirum obſeruauimus non mediocrem difficultatem propter lectionum varietatem hæc verba continere: Nam ſicut ibi illa ex vulgato, & Hieronymo, & ex eà Theodozionis lectione, *in aurâ ad refrigerium Dei* de vento pomeridiano, ſiue qui poſt veſperam flare ſolet, omnino accipiebamus, & ab Irenæo lib. 5. *Adverſ. Hæreſes*, cap. 15. ad nouiſſima tempora in quibus Dei Filius carnem ſuſcepit commodè referebantur, ita quidem in Hebræo, & aliter leguntur, & à tranſlatoribus, & à nonnullis interpretibus alio modo interpretantur: etenim pro *Ad auram poſt meridiem* ibi habetur, *ad auram Dei*: è quo fonte Aquila legit: *in vento diei*: & Symmachus: *Per Spiritum diei*: quod perinde eſt, ac *ad auram diei* (vt Hebræa primitiua habent) ideſt *ad auroram*: nam aurora definitur à S. Iſidoro Hiſpalenſi, lib. 5. Ethymolog. cap. 3. *diei clareſcentis exordium, & primus âëris ſplẽdor*: Sed enim (ſi attendis huic lectionum diſſidio pulchrum quidem illud noſtroque inſtituto peropportunũ myſterium ſubeſt: nempe Dei Filium poſt infelicem Adæ lapſum de ſalute humano generi dandâ, & diuinâ ſimilitudine reddenda cogitantem, & ad id ſũmæ beneficentiæ opus deambulantem primos benignitatis ſui greſſus, & ad veſperam, & ad primam diei auram ſimul poſuiſſe, dum ipſi ſuſcipienda occurrit humana caro ex purißima, & vndequaque ſplendenti Mariæ carne, quæ tanquam diuina Aurora felicis diei reparationis noſtræ ortum, & auream ſalutis horam nuntiabat, vt ab illius candidiſsima puritate, & eximia ſanctitate quaſi calore tranſacto refrigerium auræ ſpirantis, & primum âëris vitæ ſplendorem caperet. Ecce ſibi Dei Filiũ tùm ad veſperam, hoc eſt ad redemptionem humano generi in plenitudine temporis dandam, tùm etiam ad auram diei deambulantem, cum ad hoc noſtræ ſalutis opus Maria, tãquã aurea hora, & clareſcentis diei exordium, in qua nihil non ſplendidũ, atque præclarum, nihil nõ omnimoda puritate nitens, ipſi tunc primum occurrit: Pro qua cogitatione offerimus Lectori illuſtre quidem, ac peculiare Græcæ Eccleſiæ teſtimoniũ in Menæis die XXV. Martij homiliâ de *Annuntiatione*, in quo & veſpera, & aura diei pulchrè deſcribitur: Sic enim primum de humanæ Redẽptionis œconomi diſſerit. *Ille miſericors, & amator hominum Deus, cui perpetua de mortalium commodis cura: ille, inquam, ceu genitor perculſus amore liberorum, cum opus manũ ſuarũ à diabolo Tyrannicâ ſeruitute oppreſſum, atque ad rerum turpium deſideria, & ipſam denique idolatriã abreptum videret, ſtatuit Filium ſuũ Vnigenitum mittere, qui genus humanum è diaboli manibus vindicaret.*

Geneſ. 3. verſ. 7.

Theodoz. Hierony

Irenæus

Let. Heb

Aquila Symma.

S. Iſidor

Eccleſia Græca.

ret: Vbi vides Dei Filium in Adæ occursum deambulantem, vt meridiano calore transacto refrigerium aurę spirantis captaret. Vide iam ipsãmet diei auram, siue auroram, à qua diei clarescentis exordium oriebatur ipsi Dei Filio obuiam eũtem: hęc statim subijciente Ecclesia Græca, ibi: *Quoniam verò decretum hoc suum, cùm ab ipso Satanâ, tùm à cœlorum quoque virtutibus ignorari voluerat, primo quidem prouidentiâ singulari perfecit, vt Sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio tàm omnino existeret pura, quàm esse puram decebat illam, quæ tanto Bono, ideſt Christo digna exsisteret.* Hæc Ecclesia Græca, quibus nihil explicatius, nihil dici potuit opportunius.

II Obserua ergo in his verbis primũ; quam clarè, atque præclarè Græci PP. dixerint Mariam, *ab ipso vitæ suæ principio*, tam omnino puram exstitisse, quã esse puram decebat Dei Matrem, vbi vides Latinos Græcis in huius cogitationis explicatione consentientes, dum Anselmus lib. *de Cõceptu Virginali*, cap. 18. eodem sensu dixit: *Decebat enim, vt eâ puritate, quà maior sub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquã se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius:* Vt videlicet aurea hora siue Aurora orituro ex eà soli conueniret. Enim verò huc signate facit quod de luce obseruauit Ambrosius lib. 1. *Hexameron*, cap. 9. præ cæteris creaturis, quæ à Deo in pondere, numero, & mensura disposita sunt dicẽte Salomone Sapientiæ 11. vers. 21. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Ipsam nullis numeri, põderis, aut mensuræ limitibus fuisse circunscriptam: sic enim ille: *Lucis natura huiusmodi est, vt non in numero nõ in mensurâ non in pondere, vt alia; sed omnis in aspectu eius gratia est:* Sed quam ob causſam? Nimirum, quod ab ipsa sol mundum illuminaturus, & splendorem rebus omnibus impertiturus foret educendus. Quare pergit Ambrosius de Deo lucẽ laudante inquiens: *Nec immerito, tantum sibi prædicatorem potuit inuenire, â quo iure prima laudatur, quoniam ipsa fecit, vt cætera mundi membra digna sint laudibus:* Hæc Ambrosius, quæ iure, & facile Deiparæ aptaueris, vt ipsam extra numerum mensuram, & pondus reliquarum creaturarum cõstituas, cum ab ipsa sol factus sit, dicente Paulo ad Galat. 4. vers. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere:* ac proinde ipsa fuerit, vt cætera mundi membra digna sint laudibus: Quæ ita statim confirmat Ambrosius: *Vidit ergo Deus lucem: & vultu suo illuminauit:* Vt dixerit, à vultu Dei, qui Christus est, illuminatam Mariam (id enim hoc nomen valet) vt à luce sol dignè oriretur: Ne ergo quæras in Deiparà mensuram, & pondus filiorum Adam nec ipsam in eorum numero constituas, sed *in mensurâ contra mẽsuram* in mensura scilicet gratię contra mẽsuram humanæ naturæ omnino colloca, quia *omnis in aspectu eius*, quam *Deus vultu suo illuminauit, gratia est.*

Galat. 4 vers. 4.

Ambr.

Sed deinde in prædictis Ecclesiæ Græcæ verbis obserua, vt ipsa hanc Deiparæ immunitatem, & ab ipso vitæ suæ principio puritatem singulari Dei prouidentiæ adscripserit: qui tã tam munditiam, & splendorem in Matre suà præoptauit, & prædefiniuit, vt humanæ Redemptionis œconomia dignè, & pro maiestate subsisteret ab omnimodà Mariæ puritate primam lucem, & exordium nacta. Cui cogitationi pulchrè subscribit S. Sabbas Menæorum (vt creditur) Collector, die X. Februarij Ode. 5. vbi cum prę misisset. *Tu quidem, ô Virgo, illud diuinæ Originis Verbum,*

III

S. Sabb.

Anbro.

Sap. 11. vers. 21.

quod

quod prius incorporeũ fuerat, corpore humano indutũ peperisti, ſtatim iſtã quã perſequimur rationẽ ſic explicatiſsimè ſubijcit. *Nã ab æterno propter ſplendorẽ integritatis, & pulchritudinẽ Virginalẽ, ac dæmũ propter charismata, ſeu gratiæ dona, quæ te ab omni næuo immunẽ fecerunt, manifestè fuiſti digna tanti partus honore.* Hęc Sabbas, noſtræ diſputationis ſcopũ ſummaopportunitate coſilimãs, & Mariannæ immunitatis articulũ velut acu tangens, dũ Mariã non tantũ ab ſplendore integritatis, & pulchritudine virginali (quod alij PP. ad Matris Dei dignitatẽ allegare conſueuerunt) ſed etiã ſignatiſsimè ab alijs peculiaribus gratiæ donis, quæ ipſam *ab omni næuo*, hoc eſt ab omni labe actuali, ſiue originali, *immunẽ fecerũt*, tanto Filio dignã Matrẽ exſtitiſſe affirmat: Nec me tẽperẽ, quin eam his S. Sabbæ verbis explicationẽ adiungã, quãuis ex inferius adducendis exſtractã, quã Hug. Card. adhibet illis Deiparæ verbis Eccleſ. 24. ver. 40 *Ego quaſi trames aquæ immenſæ defluuio*: vt notãter Maria, *nõ de mari, ſed de fluuio prodire dicatur, quia aquæ eius, aquæ dulces gratiarũ, non verò amaræ peccati*: vt dixerit, ipſam duxiſſe originẽ non ab amaritudine maris, vitiatæ ſcilicet naturę peccato originali, quæ velut amariſsimũ mare mortales cunctos in ipſo vitæ portu naufragos facit, ſed à prędulci gratiarũ fluuio propter charismata, ſeu dona gratiæ, quæ ipſam *ab omni næuo immunem fecerunt*.

IV Vnde quidẽ cũ vides Dei Filiũ ab Adamo peccatore ad aurã Mariæ deambulantẽ nõ importune coſiderauerisipſũ quaſi propria ſede pulſum, ſiue domo electũ ad Mariæ puritatẽ, & omnimodã munditiã tanquam ad pulcherrimũ, & iucundiſsimũ habitaculũ ſeſe recipientẽ: dixit nãq; de Diuina Sapiẽtia Salomõ: *Quoniã in maleuolã ánimã non introibit Sapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim Sãctus diſciplinæ effugiet fictũ, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniẽte iniquitate.* Sap. 1. v. 4. & Prou. 27. v. 15. *Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier cõparãtur*, pro quibus LXX. reponunt, *ſtillicidia ejiciũt hominẽ in die hyemali de domo ſuâ*: itidẽ Prou. 10. v. 26. *Sicut acetũ dentibus, & fumus oculis, ſic piger ijs, qui miſerunt illũ*: quod ſic capio, vt quẽadmodũ Baſil. ho. *de inuidia, & liuore* dixit: *Sicut fumus apes fugat, ſic cuſtodẽ vitæ noſtræ Angelũ lacrimabile peccatũ expellit*: Ita etiã Deus velut à fumo fugetur, ſiue corripiatur *à ſuperueniente iniquitate*: Pulſus ergo, & fugatus Deus a fumo Adæ, & in die hyemali peccati eius de domo ſuà electus, tutiſsimũ ſibi refugiũ in Mariæ habitaculo parauit: Pro quà cogitatione opportunè fideiubet Andræas Hieroſ. orat. de. *Annũciatione* Mariã appellans *Dei tutiſsimũ ad inhabitandum aſsylũ*: Quippè Aſſylũ eſt locus inuiolabilis, & conſecrationis lege à direptione tutus, ad quẽ confugientes immunitatem, & ſecuritatẽ aſſequebãtur: quæ quidẽ imago eò referenda eſt, quaſi noſtro concipiendi modo Deus ab Adæ peccato, tanquã ab infenſiſsimo hoſte diffugiẽs ad Mariam omni puritate nitẽtẽ tãquã ad aſsylũ & inuiolabile refugiũ, & ad Regiam aulã, quæ & in ſe eſt immunis, & immunitatẽ tribuens, cõfugerit: Sic inibi idem Andræas Deiparã appellauit, *Conſecratũ Dei Palatiũ*: Et quotquot ex PP. ipſius laudes perſequuntur; Aulã Dei appellãt: Vnde quidẽ S. Sabbas huc aſpiciẽs Dominũ ad terras deſcẽſurũ ſic alloquebatur: in Menæis Græcis in veſperis de profeſto Annũciationis. *Iã tibi præparatũ eſt illuſtre Palatiũ Dñe, incorruptus ſcilicet vterus Diuinæ prorſus puellæ. Veni modo, & in illud Palatiũ de cælo deſcẽde miſericordiâ motus circa Opificiũ tuũ, quod per inuidiã debellatũ*

Sapie. 1. verſ. 4. *Pro. 25. verſ. 15.* *LXX.* *Prou. 10 verſ. 26.* *Baſilius* *Andr. Hieron.* *S. Sabb.*

Eccl. 24 verſ. 40. *Hug. Ca*

Sap. 1. verſ. 4.

li seruitute fera infernalis oppresit, quodque pristino decore dudum amisso Tuum, nunc salutarem descensum exspectat: Hæc S. Sabbas: Apud quē obserua, *illustre palatiū Diuinæ prorsus puellæ*, vt in Maria nisi, quod cæleste, atque diuinū sit, quod videlicet omni omnino terrenæ labis cōtagio careat, suspiceris: vt ad ipsam Dei Filius merito confugisse videatur.

V

Iam verò cum Dei Filium non solum deambulantem ad auram Mariæ vides, sed etiam loquētem audis dicente Moyse; *Cum audiret vocem Dei deambulantis ad auram paradisi:* Genes. 3. vers. 7. si ipsas eius voces quas iam ipse placidus meridiano calore transacto edebat reuerenter rimari velis ad Salomonem Canticor. 2. vers. 10. vbi Dei Filium cum Maria eius Matre futura loquentē sic inducit: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iam enim hyems transit:* Quibus tantum non dicit meridianum calorem quo ob peccati Adæ eius animus æstuabat, iam tunc pertransisse dū aura siue splendentis diei exordiū puritatis Mariæ ipsi primū occurrit: ideoque iam ipsam præstolari: vt tanta, tanq; pura, & illibata adiutrice reparationē humanæ salutis moliatur: appositè hęc verba in hūc sensum inflectente Rupert. lib. 2. *in Cātica:* Vbi primū ipsammet Deiparā sic loquentē ad rem nostrā facit: *Dilectus semper optauit, semper concupiuit id quod vtile foret creaturæ suæ, humano generi. Quod si vnquā aliquid dicitur, recte desiderasse, vel optasse, quanto magis istud, in quo est summa salutis, ipsam plenitudinē tēporis, in quo fieret ex muliere, fieret sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionē filiorū reciperent:* Deinde spōsi verba ex eiusdē Deiparæ personā hunc in modū explicat: *Igitur hæc verba Dilecti mei loquentis mihi:* Surge, propera amica mea, colūba mea, &c: *Sic accipite quasi verba desiderantis, tā-*

Genes. 3 vers. 4.

Cant. 2. vers. 10.

Rupert.

A

B

C

D

E

quā festinantis, & optantis iā adesse materiā tantæ salutis, scilicet me, cuius caro illi materia foret assumendæ carnis. Tāquā præsenti loquebatur mihi, meq; iubebat surgere, & properare ideſt nasci, & hospitiū ventris mei sibi citò præparari. Pergit opportunissimè: *Et reverâ prius quā nascerer, illi præsens aderā antequā fierē, bene illi cognita fuerā. Si enim dicitis, & verè dicitis,* quia elegit nos in ipso ante mūdi cōstitutionē, vt essemus sancti, & immaculati corā eo in charitate: ad Eph. 1. vers. 4. (*nonne, & de me rectè sentitis, & rectè sentiendo dicitis? quia elegit me ante mundi cōstitutionē, vt esse sancta, & immaculata in cōspectu eius in charitate:* Ita modò Ru. obserua illa. *Tāquā præsenti loquebatur mihi,* & cōpone cū voce illa *deambulantis,* & aurā diei splendentis, immaculatā scilicet Conceptionem, & Natinitatē Marię desiderantis, quæ *ab ipso vitæ suæ principio,* tā omnino exsisteret pura, quā esse purā decebat quæ tā to bono digna existeret. Deinde vide quantā emphasi pro immunitate Deiparę Rupert. fideiubeat: dū ipsāmet inducit laudantē piæ opinionis Doctores illis verbis: *Nonne, & de me rectè sentitis, & rectè sentiēdo dicitis? quia elegit me ante mundi cōstitutionē, vt essem sancta, & immaculata in cōspectu eius:* quibus quidē ad rectè sentiendū de Mariæ immunitate, & ad recte sentiēdo dicēdū nos denuò vrget, & calcar currentibus (vt est in Prouerbio) adhibet: Quid namque pulchrius? quid felicius, quā à Deipara, & de recto sensu, & recto sermone laudari.

Ephes. 1 vers. 4.

VI

Ne verò credideris perinde Mariā electā fuisse ante mundi cōstitutionē *vt esset sancta, & immaculata,* ac decunctis prædestinatis ad vitā eodem tenore verborū inquit Paulus electos fuisse, vide à Rupert. argumētationē à minori ad maius fuisse confectā eo modo, quo Dominus apud Lucam c. 11. ver. 12. inquit: *Si ergo vos cum*

Lucæ 11 vers. 12.

ſitis mali, noſtis bona data dare filijs: veſtris, quãto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritũ bonũ petentibus ſe: Vt dixerit Rupertus, ſi ſerui electi ſunt, vt ſint ſancti, & immaculati, quanto magis Dei Mater, & cœlorum Regina electa dicidebet, vt ſit non vt cũque Sancta immaculata, & tanquã cęteri, ſed vt omni ratione, & modo cuiuſcumque labis ſit expers, & (vt ipſam Damaſcenus apud Menæa Græca 17. Ianuarij Ode. 7. *de B. Virgine*) appellauit *Munditiarum omniunt promptuarium*: Quod nulli è Adæ poſteris contigit, cum originalem munditiam nemo eorum fuerit adeptus: Sed enim ipſe ſe ſtatim Rupertus explicat ſub perſona Deiparę ſubijciẽs: *Etſi Sapientia, vt ipſa teſtatur, iam antequam fieret ludens erat coram eo in orbe terrarum, & deliciæ eius cũ filijs hominum, quanto magis ludens erat, & deliciabatur cũ ijſdã. Ancillã Domini, miraculo cunctorum filiorum, vel filiarum hominum?* Sic Rupertus: vbi vides quam immenſum in puritate conſtituat diſcrimen inter Deiparam, & cæteros mortales: qui ipſam, omnium miraculum, quod extra communem rerum ordinem, & ſupra omnem naturam eſt, ſignate appellauit: Verum illuſtrius, & opportunius eſt, quod in hunc omnimodæ puritatis Mariæ idem Rupertus habet, dum egregium illud carmen ſeuerini Boetij; quo explicabat quãnam ratione mundus ab æterno in mente diuinã exſtitiſſet

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipſe

ad Mariæ creationem pulchrã breuique mutatione facta ſic tranſtulit

Matrem mente gerens pulchram pulcherrimus ipſe.

perfectiſsimã, & immaculatiſsimam Deiparæ pulchritudinẽ adſcribens, vtpotè quæ in ęternis diuinę mentis idęis pulchra obuerſabatur, & pulchrã ſemper operi pulchro aptari erat operæ pretium: Pro quã ratiocinatione bonũ damus fideiuſſorẽ S. Stephanũ Sabaitã Ode 9. de *Circunciſione* Strophã prima ad Deiparã hunc in modũ exclamantẽ: *O quæ lucem diuinam progeneraſti, quã luce Sol quoque ipſe poſterior eſt, quæ etiam lux informã corporeã ad nos homines appulit, quippe cui tu corpus è Virgineis viſceribus tuis ineffabiliter ſuppeditaſti. Te inquam ò benedicta, ab omnibus maculis mundam velut Deiparã, magnificis extollimus verbis:* Ad quæ verba præter Auroræ imaginem, cuius modò meminimus, & in ſeqq. Latius perſequemur, preme illud: *Ab omnibus maculis mundã velut Deiparam*: pulchrè vtrumque adſtruente Stephano; & Mariam omnium munditiarum prõptuarium nulli omnino maculæ fuiſſe obnoxiã, & eã puritatẽ neceſſariã ratione ipſi, tanquã Deiparę cõuenire, quaſi aliter Deigenitricis munus non bene cõſtaret, quod Dei Matrẽ maximè dedeceret alicui labi ſubiectam fore.

Eſt vero huic inſtituto maximè obſeruãda columbæ imago, ſiue appellatio Marię a Dei Filio attributa, in qua omnes pœnè DD. qui hãc de re agunt immunitatẽ Mariæ, iuſtã quidẽ ſimilitudine agnoſcũt, præſertim Car. Bellarm. ob nimiã ſanctitudinẽ, & doctrinã non immerito inter PP. Eccleſiæ connumerãdus, tom. 3. Cont. lib. 4. de *Statu peccati*, c. 15. & ob illam Pſellus apud Theod. in cap. 6. Cant. Mariã *Immaculatiſsimam* appellat: Notat vero P. Gaſp. Sanct. optimæ notæ Auctor in hunc ſenſũ Hebræã vocẽ *Iaben*, ideſt *cænũ*, & *Ionah*, id eſt *colũba*, ab eãdem radice Hebræa naſci, cũ tamẽ nihil ſit tã diuerſum ſiue cõtrariũ, quod colũba nihil adeò horreat, & fugiat quã cænũ, atque id circo qui de re ruſticà documenta præſcribunt, aquã maximè purã, atq; illimẽ iubeãt eſſe quærendã, vbi colũbæ alẽdę ſunt. Sic nãq; Varro lib. 3 *De re ruſtica* c. 7. *Aquã purã eſſe oportet, quæ influat, vnde bibere, & ſe*

VII

Damaſc

Prou. 8. verſ. 31.

S. Steph

S abaita

Car. Bel.

P ſellus

P. Gaſp. Sanct.

Varron.

lauare posſint columbæ: redden s rationem: *Permundæ ſunt enim hæ volucres.* Vt argumento ſit: Illud tantummodo Deiparam cum cæno, ſiue terra habere commune, quod creatura, ſiue homo dicatur, ſicut alij omnes, qui nomen traxerunt ab Adam (qui terram ſonat) & naturam ab ipſa origine cœnoſam, cum tamen Maria, tàm longe à peccati cœno fuerit, tamque illud horruerit propter cęleſtem illam in Conceptione ſua à Deo acceptam munditiam, vt à cœlo potius, quàm à terrà profecta videatur: Subijcit P. Sãctius: *Et licet alij in cœno naſcantur, & plerique deinde in cœno volutentur. hæc tamen cœnum, neque tetigit vnquam, neque à quo purgari deberet, vnquam habuit.* Adſtipulatur his omnino Damaſcenus orat. 1. de *Natiuitate Virginis.* Vbi de ipſius Conceptione, & efformatione agens, inquit. *Hodie de radice Ieſſe virga orta eſt, ex quâ mundo flos diuinitus exſiſtens aſcendet. Hodie ex terrenâ natura cœlũ in terrâ ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum exſtulerat, ac ſanè hoc illo longe diuinius eſt:* Ita ille: Iam verò obſerua, quam mira elegantia cum Dei Filius carnem ex Maria ſumere exoptat, & præſtolatur inducatur ipſam appellans columbam, vt ab eâ naſcens ſeſe ab Adamo cænoſo, & terreſtre diſcriminet, & nouus, ac cœleſtis Adamus fuerit, qui non à cœno, ſed à cœlo Mariæ originem ducat, vt eſt apud Paulum 1. ad Corint. 5. verſicul. 47. *Primus homo de terrâ terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis:* Nec te turbet, quod ex eàdem radice, & cœnum, & columba originem ducant: & Maria *de radice Ieſſe* (vt eſt apud Iſaiam capit. 11. verſ. 1.) egrediatur: Nam vt alibi latius dicemus in Hebræo pro voce, quæ reſpondet, radici eſt vox *gueſog*, ex quâ propriè vertas ex *trũco præciſo*, vt dilucidè innuatur, nihil huius Virgæ Conceptioni, & egreſſui è terrà, parentum radicem obfuiſſe, quominus à peccato immunis conciperetur, non ſecus ac ſi ex terrenis parentibus ortum non duceret, præciſuſque omnino generationis humanę truncus fuiſſet, vt nihil ex ſucco terreno, quod labe eſſet infectũ traheret. Quo aſpexit Damaſcenus cum allatis verbis Iſaiæ: *De radice Ieſſe Virga exorta eſt:* explicationis gratia adiecit: *Hodie ex terrenâ naturâ cœlum in terrâ ille condidit, &c.* Vt innueret præciſo trunco terræ à cœlo gratiæ Mariam fuiſſe Conceptam. Verum huic columbæ imagini omnium opportuniſsimus loquitur S. Sabbas in Menæis Græcis in veſperis profeſti Annunciationis: Mariam ſic affatur: *Reconditi valde myſterij, & Angelis quoque ipſis ignoti negotium, nunc demãdatur Gabrieli Archangelo, qui te breui conueniet ceu vnicam Pulchritudinis incorruptæ columbam, & plane Recreationem generis noſtri. Idem ille ò Virgo in omni genere ſanctitatis perfecta! ſonorâ te voce ſaluere iubebit:* Sic S. Sabbas: Pulchre Mariam, *pulchritudinis incorruptæ* columbam appellans, quaſi eius pulchritudinis ſit, quæ nunquã corrupta, aut violata fuerit, ſed ſemper illæſa, & integra eaque de cauſſa ad tantum, & tam ineffabile negotiũ electa.

Sed ſiue pro præfata Ruperti mente, ſiue pro toto noſtræ diſſertationis ſcopo de Mariæ immunitate: nihil credo, ſiue illuſtrius, ſiue opportunius poſſe excogitari, quam quod Sanctus Sabbas Virginis ſtudioſiſsimus apud Menæa Græca die 18. Ianuarij Ode. 6. *de S. Cyrillo in clauſulâ* Deiparam affatus ſic habet: *Tu ò Virgo Deipara per progeniem tuam totius Vniuerſi fines illuſtras. De te enim ſolâ publicè conſtat, quod ab æterno munda exſtiteris, vt quæ poſſidebas iuſtitiæ ſolem:* Hæc ille: Pende accuratè ſingula, quin offendas ad illud,

D. San.

Damaſ.

Ad Cho 15. v. 47

Damaſ.

S. Sabb.

VIII

S. Sabb.

ab æterno, quasi Mariæ existentia ab æterno fuerit: quis enim ignoret præter Deum neminem ab æterno fuisse? sed obijs vlnis amplexare appertam S. Sabbæ mentē, quæ ea omnino est: ab omni æternitate nullum A vnquā momentum exstitisse, in quo verū fuisset dicere, Mariā, quæ non nisi in Dei Matrem extra caussas ponenda erat, originali culpę obnoxiā fuisse: immò vero ob hanc rationem, quod solem iustitiæ secum haberet omnino mundā, & totius labis expertem fuisse creatā: Quia videlicet B in diuinā prædestinatione ab æterno fuit decretum, vt propter Christū Filium Dei ex muliere carnem susceptūrum munda futura esset eius Mater Maria, hoc est munditiā originalem acciperet, quam ante creationē non habuit in exsistentiā, siue in actu secūdo, quanquā habuerit ab æterno in Prædestinatione diuinā. Quę sanè vis ineſt accuratæ illi S. Sabbæ locutioni, C *Vt quæ possidebas iustitiæ solem*: qua exprimuntur duo: Alterum: Mariā nunquā in mente diuinā fuisse sine suo, & Vnigenito Dei Filio: sicut nūquā, sine sole Aurora est: nec enim eo verbo possidēdi, vtcūque vsus est Sabbas dicens, vt *quæ possedisti*, vel *possessura eras*: Sed notanter affirmans: *Vt quæ possidebas*, indicans simultatē exsistentię Mariæ cū Maternitatis munere ab ipsa semper possesso, propter, quod perpetuā ipsa mūditiā habuerit: Vt hoc Summi Parētis (dū totū humani generis negotiū in biuio illo, de quo supra, positum erat) Decretū fuerit: Si homo infelici sorte à iustitia excidat, Vnigenitus meus è paterno meo sinu illū reformaturus, & redēpturus in terras deueniat: humanam carnē susceptu- E rus ex Matre munda, quā omnimodo & ratione puram, & incontaminatā esse volo: Alterū: non ingratijs vsum fuisse Sabbam appellatione solis iustitiæ, vt innueret fuisse quodammodo iustitię opus Dei Filium Matrem mundam habere, vt iusto ratione rependeret carnem ab ipsa mundam puram, & incontaminatam acceptā, quæ ipsi regia purpura, & imperiale diadema fuit, de quo in seqq.

Sed nec illud in prædictis S. Sabbæ verbis omittendum: *De te enim solâ publicè constat: Quod ab æterno munda exstiteris*, quasi hæc de perpetua Mariæ munditia, & ab omni labe originaria immunitate, opinio, & sensus, publica omnium vox, & fama publica, & constans sententia fuerit: Quod altè omnium animis hic semper sensus insederit, eam quæ solem iustitiæ possidebat, & non nisi in Matrem Dei eligebatur, ab omni labe expertem fore futuram. Nec minus clarè id omnibus constare quam Auroram cum sole, esse coniunctam, & solem Auroræ proximū esse. Ne verò huic rationi obsistere, aut tergiuersare posses, addidit S. Sabbas. *De te solâ*, vt sermo priuatiuè (vt aiunt) esset de immunitate à labe originali, cum de Ioanne Baptista publicè constet, & de Ieremia à S. Thoma, & pluribus affirmetur à peccato originali mundatos fuisse. Iam verò ad totius Sancti Sabbæ testimonij elucidationem mire faciunt eiusdem Dominę verba, quæ pro ipsius immunitate in ore omnium natant: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata sum.* Prou. 8. versic. 23. vt mutua possessio inter Matrē & Filium, Mariam, & Deū inueniatur quin vna sine alia possit inueniri: Maria videlicet possidente solem iustitiæ: hoc est non nisi in Aurorā, siue in Matrem Dei electa: Deo autem hac de caussa ipsam ab initio possidente, & ab omni labe peccati præseruāte: *Vt sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio tàm exsisteret pura* (vti dicebat Ecclesia Græca in præcrd. adnot. adducta) *quàm esse puram decebat illā, quæ tanto Bono, ideſt Christo digna exsisteret.*

IX

MARIAM Immaculatè conceptam, quod non fuerit in Adæ albo recensita, nec huius creationis opus.

ADNOTATIO. III.

I Persequimur delibatum præced. adnotat. Pauli monumentum pro omnimoda Mariæ puritate, atque ab omni originalis delicti immunitate: dum ipse de Christo Domino, sic differebat ad Hebræos 9. vers. 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, nõ huius creationis, neque per sanguinem hircorũ, aut vitulorum, sed per proprium sanguinẽ introiuit semel in sancta æternâ redemptione inuentâ*: Quo in loco dum à PP. ambigitur, quid sit id, *Ampalius & perfectius tabernaculum non manufactum? id est, non huius creationis.* Chrisostomus, Theodoret. Oecumenius Haymo, & alij de corpore Christi, vt purissimo, & incontaminatissimo explicant, cum respectu ad carnem, & sanguinem Mariæ, è quâ susceptum ab ipso est, vt hinc Paulus adstruat Christum ritè, ac recte Pontificis munus obijsse, cui cautum erat, *ne super patre, aut matre cõtaminaretur*: Leuitici 21. vers. 11. ab eâ nimirum Matre corpus sibi accipiens, quæ omnimodâ puritate niteret: quippè, quæ cum primis parentibus nihil haberet commune, siue quoad pactum, & legis trãsgressionem, aut debitum: eo plane sensu quo ab eodem Apostolo in eâdem epist. cap. 10. vers. 5. inducitur, *ingrediens in mundum* Patrem allocutus: *Sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi*: Hoc est corpus aptum, conueniens, cõcinè aptatum tàm Diuinitati meæ, quàm Pontificio muneri, quod obeo, dedisti mihi, quod videlicet ex purissima Matre, quæ nulli vnquam maculæ obnoxia fuit desumptũ est: Quod pulchrè expressit priori loco Apostolus iubijciens maioris explicationis gratiâ: *Non manufactum, id est nõ huius creationis*: Pro quibus verbis Lectio Syriaca signatè reposuit: *Neque ex hisce creaturis*: quasi indice Adamum, & Euam, eorumque posteros originaria ab illis labe inquinatos designaret: omnino adstruens, Christum, & Mariam non esse *ex hisce creaturis*, sed nouæ creationis opus & ad aliarum rerum ordinem, & seriẽ spectare; quemadmodum præced. adnot. dicebat Salomon, *in his mulieribus*, peccato videlicet originali obnoxijs, idoneam Christo Redemptori Matrem se minimè inuenisse: & verò quamuis hæc Græcorum PP. expositio Mariam immediatè respiciat, ex quâ Dei Filius corporis sui tabernaculum, amplius perfectius, & augustius susscepit. Dionysius tamen Alexandrinus, *in epistolâ contra Paulum Samosatenum*, quæ à Francisco Turriano nostræ Societatis Theologo Sapientissimo latinitate donata habetur tom. 2. Auctuarij Bibliothecæ veterum PP. per purissimum, & Augustissimum hoc tabernaculum, non manufactũ, id est non huius creationis, omnino intelligit sanctissimã Virginem Mariam, quæ non huius creationis fuerit, neque exhisce creaturis communi labe infectis originẽ duxerit. Vt autem Dionysij verba suum pondus habeant, & molliter cadãt: obserua prius, quâ occasione ab ipso pronunciata fuerint: Agebat nimirum ille cum hæretico illo Paulo Samosateno Christi Diuinitatem inde labefactare cõtendente, quod ex Matre ancilla, siue seruilis conditionis, factus diceretur: in quem sensum

Hebr. 9. vers. 11. *Chrisost. Theodor Oecum. Haymo.* *Leuit. 2. vers. 11.* *Hebr. 10 vers. 5.* *Let. Syr* *Turrian*

nequam ille detorquebat verba Apo-
Philiph. stoli ad Philip. c. 2. vers. 7. *Formã ser-*
vers. 7. *ui accipiens*, vim faciens, *informâ ser-*
ui, vt ab illâ Matrem seruilis condi-
tionis Diuinam Maiestatem denigrã
tis colligeret: Huic ergo insanissimo
A errori sic occurrit Dionysius: *Non in*
Dionys. *seruo inhabitauit; sed in sancto suo ta-*
Alexa. *bernaculo, non manufacto, quod est*
Deipara Maria: Illic enim in ipsâ
Rex gloriæ factus est Pontifex, & ma-
net in æternum semel ingressus in san-
cta æternâ Redemptione inuentâ. Ex
ipsâ exiuit Verbum factum Pontifex
non secundum legem carnalis man-
dati sed secundum virtutem vitæ in-
B *dissolubilis*: Hæc modò Dionysius:
Apud quem vides Deiparam Mariã
tabernaculum esse sanctum, itidem-
que non manu factum, ideſt non hu-
ius creationis: quod quidem Diony-
sius signatè opponit tabernaculo ser-
uo, siue seruilis conditionis, quale
fuisset si huius creationis esset, siue ex
hisce creaturis secundũ seriem caus-
sarum ab Adamo prouenientibus:
Vnde notanter Mariam appellauit
Dionysius tabernaculum sanctum,
C quod videlicet seruum nõ esset: hoc
est aliqua creationis veteris, & secun
dum Adam labe cõtaminatum: qua-
le decebat ingredi Dei Filium, vt in
illo fieret Pontifex secundum virtu-
tem vitæ indissolubilis, quin super Ma
tre contaminaretur.

II Consonat autem Apostolus sic
expensus, sibimet in eadem epistolà
Pontificiam Christi dignitatem ab
D Immaculatissima puritate, & mundi-
tia sic adornans: *Talis enim decebat,*
Hebr. 7. *vt nobis esset Pontifex: Sanctus inno-*
vers. 26. *cẽs, impollutus: segregatus à peccato*
ribus, & excelsior cœlis factus. Nimi-
rum ea verba, *segregatus à peccatori-*
bus, sensum communem habent cum
illis de tabernaculo Mariæ non hu-
E ius creationis: siue, neque ex hisce
mulieribus; nõ enim his verbis Chri-
sti innocentiam, sanctitatem, & puri-
tatẽ, vtcumque adstruit Apostolus;
sed accuratà hàc locutione vsus per-
git affirmare, nihil ipsi, tanquam vero, ac legitimo Pontifici, qui mundũ cum Patre reconciliaturus erat, cum ea Matre, quæ peccato originali es-
set obnoxia super qua cõtaminare-
tur, fuisse commune, sed signatissimè à peccatoribus fuisse segregatum, vt quasi ab alio grege cum alia sorte, & conditione nascendi, quæ natura cõ
municaret, non culpa ortum duce-
ceret: Sub quo sensu Sapienter ex-
plicauit S. Thomas 3. part. quæst. 4. artic. 6. ad 2. hunc dicendi modum:
Segregatus à peccatoribus, inquiens:
Oportuit eum, qui peccata venerat
tollere esse à peccatoribus segregatũ,
quantum ad culpam, cui Adam sub-
iacuit: Quę sententia verbis Pauli
non bene hærere dixeris, si solummo-
do de peccato originali à Christo Do
mino non contracto accipiatur: sub
hoc enim sensu potius dicendum fue-
rat Paulo à peccatis, quam à pecca-
toribus segregatum: Quare si à pec-
catoribus segregatio de culpà, cui
Adam subiacuerat accipienda est,
hęc verba ad Mariam Matrem Do-
mini omnino referenda videntur, vt
inde Christus nihil cum Adam culpæ
subiecto, nec cum vitiata eius origi-
ne haberet commune: Quò itidem
refero epiteton, *impollutus*: quod
græcè propriè vertas *illæsus*: passi-
ua quidẽ significatione, in quâ quis
nihil damni ab alio passus dicitur:
quod omnino referas ad leuiticum
illum canonem de Pontifice super Pa
tre, & Matre non contaminando:
quem videtur odoratus Plato, ab
Ægyptijs de nostris rebus sacris edo
ctus, qui lib. 6. *de Republicâ* has leges
Sacerdoti creando dabat. *Qui inte-*
ger sit, ac legitimus deinde à domo,
quam maximè munda, expers quoque
cædis, omniumque huiusmodi, quæ
aduersus diuinam rem committun-
tur: & cuius pater, & mater simili-
ter vixerint: Porrò si Æthnico ad ina
nium deorum sacrificia peragen-

S. Thom

Let. Gr.

Plato.

da, eum ſacerdotem formare ſiue conquirere licuit, qui & ipſe non ſolum integer, & legitimus; ſed etiam à domo, quam maximè munda eſſet, atque ab ijs ortus parentibus, qui eorum omnium, quæ aduerſus diuinam rem committuntur expertes forent, quanto potiori iure in eo Pontifice, qui magnorum potior, & ſummorũ maximus, & maximorum Princeps, pro totius mundi ſalute mundiſsimũ carnis ſuæ ſacrificium erat oblaturus eam legem, vt illæſus à Matre quam maximè munda ortum duceret locũ habituram credemus? Certè ideò Paulus, vt in calce præced. adnotat. vidimus, Sacerdotem Melchiſedech typum Domini fecit, vt innueret ad eum quidem modum, quo ille ingentem aſſecutus eſt laudem, dum ab humanis parentibus ortus, adeò nihil dedecoris ab ipſis traxit, vt cœlo delapſus videretur, ita Dei Filium per egregium Chriſtianæ Eccleſiæ Pontificem exſtitiſſe, qui à Matre quam maximè munda conceptus, & natus eſt: Nec omiſerim ſimilem interpretationem adhibere ijs verbis, quæ ſubdit de Chriſto Paulus: *Excelſior cœlis factus*: componens illa cum his, quæ ipſe ſcripſit ad Galatas 4. verſ. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*: Quaſi ex muliere factus, excelſior cœlis factus ſit, ab eâ nempè Matre editus, quæ cœlorum puritatem, & incorruptionem ſupperaret.

Galat. 4 verſ. 4.

III

Iam verò pro omnibus, quæ tàm in hàc adnotatione, quam in præcedenti immò, & toto libro dedimus, & daturi ſumus, mire fideiubet S. Petrus Damianus Mariæ immunitatem omnino aſſerens, quod ipſa tabernaculum non huius creationis, ſiue non ex hiſce creaturis, neque ex his mulieribus, ſed extra communia naturæ, & extra omnem cauſſarum ſeriem, veluti albo humanæ naturæ addita fuerit: quippe ipſe inſermone de *Annuntiatione*, cum in primis hominem iam infelici ſorti peccati primi hominis obnoxium, & velut ſub haſta venundatum ſub peccato (ad Rom. 7. verſ. 14) Deinde Deum Opt. Max. auxiliarem manum, & Redẽptionis remedium ei dare molientem conſideraſſet, ſubinde ipſum de Mariæ exiſtentia, vt de re humanæ naturæ præter cætera eius indiuidua in albo Adæ recenſita, & ab eo tanquã à capite noxiũ virus recipiẽtia, denuo aduenientem cogitantem ſic facit: *Euocatur ſtatim cœleſtis ille conuentus, & iuxta Prophetam init Deus conſilium, facit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, de Redemptione hominum de elementorum renouatione, ac illis ſtupentibus, & mirãtibus præ gaudio de modo Redemptionis, ſtatim de Theſauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſâ, & cum ipſâ totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factum, ita ſine illâ nihil refectum eſt.* Hæc Petrus Damianus, quibus ad Mariæ immunitatem vndequaque firmandam præſertim iuxta ſemitam, quam premimus nihil opportunius, illuſtrius nihil dici potuit: Nimirũ apud ipſum prius vides vniuerſam humani generis maſſam dãnatam, & venundatam ſub peccato, quam de Mariæ nomine, hoc eſt de eius exiſtentiâ conſilium à Deo (noſtro loquendi ratiocinandi, & loquẽdi modo) initum fuerit, vt quemadmodũ in primâ adnotatione dicebamus, nunquam in beatiſsima Virgine duplex potuerit perſona ſpectari, altera, vt priuata, altera vt Dei Mater; ſed ſemper, & pro ſemper de eâ, vt de Deipara, & noui, ac cæleſtis Adæ adiutorio Deus cogitauerit, nunquam quidem cogitaturus, ſi Dei Filius, è ſinu Patris humanã carnem pro mũdi ſalute ſuſcepturus non veniret, quod per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa totum noſtræ ſalutis negotium faciendum fuerit decretum, quemadmodum alibi adductus Sapiens ille

S. Petr. Damia.

A B C D E

Idiota, *In contemplat. B. Mariæ* dicebat ſpeciale opus Dei fuiſti: *O ſanctiſsima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo Opificio fuerat deformatum per te reformaretur.*

IV *Damia.* Sed in pulcherrimo hoc S. Petri Damiani teſtimonio ea verba *ſtatim de Theſauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur*, vt omnino è re noſtra omni ſunt obſeruatione digna: Et vero negotium alicui forſan faceſſet, non dixiſſe Damianum Maria euoluitur ſiue facienda decernitur: Sed ſignatè: *Mariæ nomen euoluitur:* Sed ſi attentius perpendatur multo accuratior, & opportunior hæc Damiani locutio ad indicandam illibatam Mariæ Conceptionem fuerit, quam ſi diceretur Maria euoluitur, quippe ſenſus illius eſt, poſt conſpectos iã a Deo mortales omnes, quorum nomina in albo, ſeu libro Adam conſcripta erant, peccato originali infectos eaque de cauſſa cum nec vna omnino mulier *ex his* inuenta eſſet, quæ muneri Deiparæ foret idonea, tunc Mariæ nomen non ex concatenatâ ſucceſſionis ſerie, ſed de Theſauro inexhauſto Diuinitatis de nouo exſtractum fuiſſe, vbi manifeſte à S. Petro Damiano aſſeritur Beatiſsimã Virginem in cenſu Adam non fuiſſe antea ſcriptam, nec in numero mulierũ illarũ quas Salomonum, vt peccato obnoxias repulerat compertam; ſed procul, & de vltimis finibus quæſitam, & extra communem cauſſarum ſeriem, & generalem naturæ ordinem inuentam, vt eius nomen in libro viuentium antea non ſcriptum, modo ei de nouo additum videatur: Quo iuerit illud Bernardi inſuper. Ad not. expenſum. *O admirandam, & omni honore digniſsimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandã! ſuper omnes fœminas admirabilem! parentum reparatricem, poſterorum viuificatricem! nec nouiter, nec fortuito inuentam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſsimo præcognitam, & ſibi præparatam.* Ita Bernardus; Preme ſingula, ſignate vero pro mente Salomonis mulierem fortem de vltimis finibus quærentis, quod *in his* non inueniret, coniunge illà: *Ab Altiſsimo ſibi præparatam* cum his: *Poſterorum viuificatricem*; vt inde colligas non fortuito inuentam ſiue effectam Mariã, ſed accuratiſsimâ Dei manu, atque prouidentia, vt tanti muneris capax eſſet: ac proinde ipſam aliam omnino Conceptionis, & formationis ſuæ ſortẽ habuiſſe. Quę ſane fuit mens Damaſceni Orat. 1. de *Natiuitate Virginis* ipſam ſic alloquentis. *Vitam naturâ præſtantiorem habebis, non ſibi ipſi: neque enim tui ipſius cauſſa progenita es. Quo circa à Deo habebis, ob quem in vitam prodiiſti, vt orbis vniuerſi ſaluti adminiſtram te præberes.* Pulchrè, pulchrè, & per opportune Damaſcenus: Apud quẽ illud in primis obſerua: *Vitam naturâ præſtantiorem habebis*, quæ manifeſte adſtruunt Mariam ſupra leges naturę communi labe infectę Conceptam fuiſſe: itidemque Deiparæ vitam pœnè diuinam fuiſſe, quæ videlicet non tã, vt ipſa viueret, quã, vt poſterorũ viuificatrix eſſet, effecta fuit: Noſti enim, quod ſæpius inculcamus vitã diuinam ab humanâ differre, quod homo ſibi viuat dum viuit: Deus viuat cum alijs vitam inſpirat: dixit quippe de Deo vitam homini dante Moyſes Geneſ. 2. verſ. 7. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*: Vbi Hebręum verbum, quod reſpondet noſtro *inſpirauit*, propriè eſt *reſpirauit*, hoc eſt viuendi munere functus eſt: nam vt dixit Ambroſius lib. *de bono mortis*: *Vita eſt ſpirandi munere frui: mors priuari*: Ecce ergo Mariæ vitam naturâ præſtantiorem, quæ Dei inſtar non tam ſibi ipſi quam cunctis hominibus vitã datura effecta eſt: Quare pluſplusſe explicans Damaſcenus ſubdit. *Neque enim tui ipſius cauſſa progenita es*: Et iterum: *Quo circa à Deo habebis; ob*

Geneſ. 2. verſ. 7.

quem in vitam prodijsti, vt orbis vniuersi saluti administram te præberes: Bellissimè omnino, & quam de Mariæ immunitate persequimur cogitationem complectens, atque exhauriens: dum omnino affirmat Damascenus, aliam fuisse Mariæ exsistendi caussam; aliam prodeundi in mundũ rationẽ, aliam generationis, & caussarum seriem, ac proinde aliam ab alijs creaturis originem habuisse, quę vt *non sibi neque sui ipsius caussâ progenita*, sed communi humani generis bono, & saluti destinata. Ita extra illam caussarum seriem, in quâ pactio transgressio, & pœna in totam posteritatem deriuata continebatur, nouo ordine, nouo origine, noua œconomia decreta, electa, & extra caussas posita fuit: Vnde preme rursum hæc non sibi ipsi, neque tui ipsius caussa, vt dixerit Damascenus: Cæteri sibi ipsis nascuntur, sibi exsistunt, sibi viuunt: *Nam nemo alijs nascitur moriturus sibi:* Vt vetus sentẽtia affirmat apud Tertull. lib. *de Pallio*, cap. 5. ac proinde, sibi arãt sibi occant: sibi *seminant dolores, & metunt eos*: Iob 4. vers. 8. sine infeliciſsimam istam originariæ labis hæreditariam messem accipiunt: tu verò, quæ non tibi, sed totius orbis saluti opem latura à Diuinâ prouidentiâ electa es, à cœterorem conditione, & statu quam logisimè iueris: tu enim Regina, Domina, auxiliatrix, Redemptrix. Cæteri, serui famuli, captiui, & extremè indigentes. Etenim cũ Dei ipsius caussa in vitam prodieris, vt ipsi in salute hominibus danda fores Administra, communem quidem cum eo caussam habere videris, atque eandem qua ipse vitam quodãmodo viuere: Vnde sicut ab ipso viuendi caussam, ita & vitæ originem, conceptionem, & exsistendi modum præter naturæ cõmunis legem, & sortem habebis.

Tob. 4. vers. 8.

V His appositè congruit thesaurus Diuinitatis, de quo Mariæ nomen euoluitur, subest quippè huic imagini pulchra emphasis desumpta a Rege, qui cotidianas expensas, siue sumptus, tàm ad conuictum, quàm ad Regiæ splendorẽ, & frequentia dona in familiares suos diffundẽda ex annuis redditibus sibi parat; at enim cũ vel augustum, & amplissimum palatium ædificare molitur; vel periculosum aliquod bellũ aggreditur, cui Regia vectigalia satis nõ sunt: tunc in recõditos à progenitoribus thesauros, & gaza per longa tempora conquisita, & asseruata manum iniicit, vt illos pro re nata expendat; atque exhauriat, vt hinc planum fiat Mariam, quæ non nisi ad Diuini opificij ædificationem (vt vidimus ex Idiota dicẽte *ad hoc solum effecta, vt tẽplum esses Dei altissimi*) & ad opem humano generi in conflictu cum immanissimo hoste ferendam effecta est, non ex communi caussarum indigentia; sed ex penitissimo Diuinitatis thesauro, & inexhausta Diuinæ pietatis prouidẽtia fuisse depromptã: inquem sensum Bernardus præfato loco inclinat: Nã cum præmisisset. *Propterea curre Eua ad Mariam: curre Mater ad filiam: filia pro Matre respondeat, ita Matris opprobriũ auferat: ipsa Patri pro Matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per fœminã, iam non erigitur, nisi per fœminam. Quid dicebas ò Adam?* Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi: *verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam:* subiicit pro sententia, & locutione Damiani: *Verumtamen sapientia vicit malitiã* (Sapient. 7. vers. 30.) *cum occasionem veniæ, quàm à te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro suæ indeficientis pietatis inuenit. Redditur nempè fœmina pro fœmina, prudens pro fatuâ: humilis pro superbâ, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso illo cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni.* Hactenus Bernardus: Apud quem itidem *in thesauro*

Idiota.

Bernard

Sap. 7. vers. 30.

inde-

indeficientis pietatis, Mariam inuentam recognoſce: nempe, ſi ſapis, perinde eſt Bernardo, theſaurum indeficientis pietatis commiſci, ac Damiano theſaurum Diuinitatis dicere: Quid namque Dei theſaurus fuerit, niſi pietas indeficiens dicente Paulo ad Romah. 2. verſ. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* & eàdem epiſt. cap. 10. verſ. 12. *Dines in omnes, qui inuocãt illum*: ideſt: dines ad benefaciendum, opitulandum, miſerendum, vt ipſemet Apoſtolus expreſſit ad Epheſ. 2. verſ. 4. inquiens. *Deus autem, qui dines eſt in miſericordiâ*: vbi bene monuit S. Thomas, ideo ea locutione vſum fuiſſe Paulum, quod miſericordia Dei omnipotentiam inuoluat, quæ nequeat exhauriri. Ergo opportune affirmat Bernardus, *in theſauro indeficientis pietatis* Mariã inuentam fuiſſe, tum, quod non pertinuerit ad communes, ſiue ordinarios diuinæ prouidentiæ ſumptus, & ad recenſitum in capite Adam hominum numerum, ſiue humanæ generationis cenſum; tũ etiam, quod in Mariâ è theſauro Diuinitatis educta clarè demoſtratum fuerit, quam ſit indeficiens, atque inexhauſta Dei pietas, atque miſericordia: quod niſi firmãdo primo illi conſilio, de homine ad ſimilitudinem Dei formando Chriſtus ex Mariâ factus ſuccederet, omnia iam in cominuni hominum cenſu exhauſta, & vſque ad internecionem deleta, & conſumpta fuiſſent, cunctis Adæ poſteris, & originariæ labi, & perpetuæ damnationi obnoxijs: Vt ea propter opus quidem fuerit, Deũ ad inexhauſtum indeficientis pietatis theſaurum ſeſe conuertere, vt ex eo Mariam educeret, *quæ pro veneno ſo illo cibo amaritudinis dulcedinẽ pareret fructus æterni.*

Rom. 2. verſ. 4.

cap. 10. verſ. 12.

Epheſ. verſ. 4.

VI Nec illud fuerit prætereundum, duplici iam hinc ex capite, Mariam ab omni originaria labe immunem aſſeri: nempe quod ipſa, & in albo filiorum Adę quibus hæreditaria ab ipſo noxa obtigit non fuerit inuenta, & quod è theſauro Diuinitatis, ſiue indeficiẽtis pietatis fuerit educta. Qua enim ratione, aut modo ex pietatis theſauro Mariæ educeretur rea, & morti obnoxia? quid pietati indeficienti cum irà, & damnatione? Certè ſi ita eſſet, non immerito pietas deficiens, & manca quodammodo dici poſſet: quæ in portu miſericordiæ impingeret, & naufragium faceret: Ergo cum Mariam è theſauro Diuinitatis, & indeficientis pietatis ad faciendam miſericordiam cum hominibus eductam conſideras, ipſa tibi, vt miſericordiæ opus, à Diuina benignitate omnibus gratiæ donis prædituin certà ratione in mentem veniat: Vti id ſibi in animum inducebat S. Sabbas in Menæis Græcis die 3. Ianuarij Ode. 3. de S. Gordio Dei-para m aureis hiſce, & melle ſuauioribus verbis ſalutans. *Nemo vti tu Domina inculpatus eſt æquè, nec præterte intaminatus quiſquã, ò næuo nulli ſubiecta! Nam omnium creatorem ventre tuo clauſiſti, qui miſericordiâ ſolus abundat.* Ita S. Sabbas: In quo primùm pende has accuratiſsimas ad Mariæ immunitatem exprimendam locutiones: *Næuo nulli ſubiecta*, quæ omnimodam, & perpetuam puritatem diſſertiſsimè declarat: *Nemo, vt tu Domina inculpatus eſt æque: nec præterte intaminatus quiſquam*: Cũ & Angeli, & primi parentes omni culpà originariâ caruerint, ac proinde, quæ ipſis puritate, & innocẽtia antecellit, neceſſariâ ratione ab omni labe originali exors dicenda ſit: Deinde verò obſerua duplicatam rationem, quas adducit Sabbas, vt omnimodam Mariæ puritatem, & ab omni næuo immunitatem confirmet; alterã, quod omnium creatorem ventre ſuo clauſerit, quæ eadem quidem eſt, ac ea, quam in his adnotationibus perſequimur: quod non deceat puritatem infinitam ex Matre, quæ

S. Sabb.

aliquando contaminata esset progigni, cum ipsa quoque præteritarum sordium memoria offendere soleat. Alteram quoniam creator, Virginis ventrẽ habitaturus misericordia abũdat, ac proinde, qui Angelos, & primos parentes eâ misericordiâ prosecutus est, vt ab omni originis næuo immunes redderet, multo magis Matrem suam è thesauro indeficientis pietatis eductam ab omni originariâ labe exortem fecerit.

VII His illud etiam accedit, quod id quod ex thesauro educitur, thesaurus, siue pars thesauri sit, & de thesauro quidem Assertor absolutè pronunciauit: *Vbi est thesaurus tuus ibi est, & cor tuum* Matthæi 6. vers. 21. quasi thesaurum cor sequatur, vt facile sit videre à Mariâ nunquam Dei affectionem, & cor discessisse, sed ipsam semper fuisse secutum, testante, id Angelo in B. Brigittæ reuelationibus in sermone Angelico hunc in modum: *Vnde venerabilis Anna verè nuncupari potest Omnipotentis Dei gazophylazium, quia ipsius thesaurum super omnia sibi amabilem, ac dilectum in suo vtero recondebat.* Vnde statim Angelus sic exclamat: *O quã prope erat iugiter cor Dei huic thesauro! O quã piè, & alacriter huic thesauro oculos suæ Maiestatis infixit:* Ita ibi. Nec alia sanè mẽte imbutus S. Methodius M. *in Threnis* Deiparã salutabat: *Salue dilectionis Dei thesaure.* Cui cogitationi cõsonat, quod alibi ex Græcor. PP. expositione de lectulo Salomonis, indefessis fortissimorũ militum excubijs, munito dicitur Cant. 3. vers. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super fœmur propter timores nocturnos:* Vt à primo Cõceptionis Mariæ momento in vtero Annæ Maria fortissimo cœlestium legionum præsidio tam à malignis spiritibus, quam ab alio quouis discrimine, tanquam Regina satellitio regio cincta, imperiali Maiestate ornata, & munita fuerit. Quam cogitationem aptissimè expressit Anselmus lib. de *Excellentia Virginis*, cap. 3. inquiens: *Nulli denique dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse maculâ peccati iugi Angelorum custodiâ protectam, vt posset Aulam, quam suus, & omnium Creator Deus erat corporaliter inhabitaturus:* Sic ille; vbi obserua pro perpetua Virginis immunitate aduerbium illud *funditus*: quo Anselmus opportunè explicauit primum Mariæ initians, siue vt loquuntur Philosophi primũ sui esse: cum *funditus*, sit idem, ac prorsus a fundo, quin aliquid ibi prius possit intelligi. Retinuit verò perpetuò Deipara id thesauri nomen, & appellationem, vt videre est apud Originem hom. 1. *in Matthæum*, vbi cum Angelum Mariam Iosepho tradentem, & commẽdantem inducit, hæc illum ipsi suggerentem facit. *Accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiã:* Hæc ille quibus omnimodam Mariæ puritatem multis nominibus confirmat, signatè verò cũ ipsam, & cœlestem thesaurum, & Deitatis diuitias nominat: Nimirum de thesauro in cœlis repositio nouimus, neque à tineâ, neque ab ærugine corrodi, dicente Domino: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur.* Matthæi 6. versic. 20.

Anſel.

Origen.

Mat. 6 vers. 20.

MARIAM immaculatè conceptam, quod humanę naturæ in albo Adæ recensitę, addita subinde fuerit.

ADNOTATIO. IV.

I CRediderim, cogitationem quam persequimur, non obscurè subesse duobus Salomonis testimonijs sese inuicem respicientibus: Quorum prius primam hominis ad imaginem, & similitudinem Dei formationem, itidēque ab hac dignitate lapsum, & deformationem: posterius verò humani generis redemptionem, & reformationem per Dei Filium hominē factum ex Maria in thesauro diuinæ pietatis conquisitâ, & absque vlla originaria labe inuenta, opportunâ elegantiâ nobis ob oculos ponunt: Sic ergo primum Salomon de dignitate homini indita, atque deperdita ænigmaticâ oratione disserit, Eccles. 7. v. 31. *Ecce hoc inueni dixit Ecclesiastes vnum, & alterum, vt inuenirem rationem, quā ad huc quærit anima mea, & non inuenio: virū de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni, quod fecerit Dominus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*: Quæ cum dixisset Sapiens subijcit acre hoc, & pungens epiphonema. *Quis talis, vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?* Quod per simile est illi, quod Propheta Oseas cap. 14. vers. 10. post arcanum vaticinium, atque ab omni mortali cogitatione remotum sic vsurpauit: *Quis Sapiens & intelliget ista? intelligēt, & sciet hæc?* Vt dixerit vterque sapiens. Quis fuerit adeò acri ingenio, & limato iudicio, vt præfatum ænigma penetrare, & dissoluere possit? Et verò cū Ecclesiastes his verbis Sapiētissimum quēque ab huius nodi extricatione deterreat, mirum est, quam animosè Bandellus ille à Castro-Nouo, qui totum ingenij impetum in profligandâ piâ opinione depurâ, & immaculatâ conceptione Virginis infeliciter consumpsit, mētem Salomonis, & eius scopum se collimasse crediderit, dum tam in tractatu, cui posuit titulum. *De Conceptione B. Virginis verâ, tutâ, & tenendâ sententiâ*: Quam in libello: *de singulari prærogatiua conceptionis D. N. Iesu Christi*, tanquam e tripode pronunciat: in hoc viro, *de millibus vno*. Ecclesiastem intelligere Christum Dominum, quem ipsemet Salomon cant. 5. vers. 10. *Electum ex millibus*, appellat, qui inter omnes Adæ posteros omnis peccati expers fuit: *Mulierem autem ex omnibus nullam*, ne vnam quidem Deiparam ab originali labe exceptam significare. Ecce tibi in Bandello Sapientem illum, quem supra mortales quodammodo fore futurum prædicebat Salomon, si arcani ænigmatis solutionem ad inueniret: Sed enim ab ipso non tam fuisse inuentam, quam quæsitam, siue confictam, vel ipsæmet Auctorum, quas affert allegationes satis euincunt, cum pene omnes à Latino Auctore, qui ad veracem incudem calamum non fabricauit, Græca fide conscriptę sint, & ne singulas prosequar

----- Cremine ab vno
Disce omnes, -----

cum non vereatur Bādellus pro suo commentario, siue commento adducere, quē si credis? ipsūmet certe

Eccles. 7 vers. 31.

Osee 14. vers. 16.

Bandell

Scotus.

Scotum qui pię, & veræ opinionis adeo fidus cuſtos, rigiduſq; ſatelles fuit: Nec omiſerim, non eſſe etiam cur ſibi Bandellus de S. Thomæ commentario blandiatur, quaſi ipſe in capitul. 3. epiſtol. ad Galatas lect. ſexta prætato interpretamento faueat cum ad ea Pauli verba capit. 3. verſicul. 16. *Quaſi in vno, & ſemini tuo quod eſt Chriſtus* inquit: *ipſe ſolus, & ſingularis eſt, qui non ſubiacet maledictionis culpæ. Vnde Eccleſiaſtes ſeptimo*, virum de mille vnum reperi, ſcilicet Chriſtum, *qui eſſet ſine omni peccato*: mulierem autem ex omnibus non inueni, *quæ omnino à peccato immuniſeſſet, ad minus originali, vel veniali*: Cum plures ſint apud nos editiones horum commentariorum S. Thomæ; in quibus Sanctus Doctor diſſertis verbis Sanctiſsimam Virginem ab Originariâ culpa reuerenter excipit. Nam in Codice Pariſienſi excuſſo anno 1529. atque in alio itidem Pariſienſi ann. 1532. qui pro fronte habet in via Iacobæa: ſub quatuor elementis, poſt citata verba ſubiungitur: *Excipitur puriſsima & omni laude digniſsima Virgo Maria*: Quod totidem verbis habetur in alterâ editione Venetâ anni 1555. De quâ frater Iacobus Albertus Caſtrenſis Dominicanus ſerio admonet, ex correctiſsimis exemplaribus fuiſſe excuſſam, & ne id caſu, aut perfunctoriè dictum videretur: de induſtria notatur in margine: *Vide hîc eſſe de mente Sancti Thomæ nullum habuiſſe peccatum Beatam Virginem*: Ita quidem ferebant puriora illa vetera ſæcula quamuis ſubinde poſt acriorem de Virginis immunitate diſceptationem in his minus ſimplicibus, & magis artificioſis temporibus in editione Antuerpienſi ann. 1591. Frater Remigius Florentinus pro ſuo arbitrio hæc verba immunitati Virginis fauentia expunxerit: & nullo nobis fideiuſſore dato in margine adſcripſerit: *Non bene additam eſſe in editione Veneta*: Sed nos tribus veteribus, quam vni recentiori credere malumus.

S. Thom. Iac. Al. Remig. Florent

Sed vt ad inſtitutum redeamus nos quidem, & ſi propoſito à Salomone ænigmati penetrando, & diſſoluendo impares ſimus, à Bandelli tamen manibus id telum extorquere, & in ipſum pro Mariæ immunitate retorquere curabimus: Cum Tertulliano Auctore, *Illud fortiſsimum telum ſit, quod ab hoſte in hoſtem deſumitur*: Et primum illud pro comperto ſit Salomonem præfata verba dubitationis plena pręmiſiſſe, vt ſubinde primam hominis formationem, & deformationem liquido proponeret, tantum non dicens: Vulnus, & malum modo ſolum video: remedium verò, & medicinam non inuenio, quippè omnino noui, Deum feciſſe hominem rectum ad ſui imaginem, & ſimilitudinem creatum, *in iuſtitia, & ſanctitate veritatis* (ad Epheſ. 4. verſ. 24.) iuſtitia ſcilicet originali præditum, ratione corpori imperante, & ſpiritu carnem regẽte, vt inde homini omne virtutis officium facile, & iucundum redderetur mirabili omnium ſuperiorum, & inferiorum concentu, atque conſenſu, carne minime repugnante, aut in contraria trahente, ſed ſpiritu potius promptè, & alacriter ſubſeruiẽte, miniſtrante, & coadiuuante, ipſum verò in tanto culmine collocatum ab hac rectitudine deflexiſſe, & conſtitutos ſibi terminos tranſgreſſum omnia ſurſum, deorſumque turbaſſe, & tam in ſe ipſo diuinam imaginem corrupiſſe, quam in poſteros noxia hæreditate deformatâ tranſmiſiſſe: tãto verò malo dũ vndequaq; mẽti oculos conuerto, opportunã medicinã vix inuenio. Sed quare?

Epheſ. 4. verſ. 24.

II

Quia

Quia videlicet, & si *virum de mille vnum reperi*, qui videlicet omnino rectus, & sanctus diuinam imaginem, & similitudinem humano generi restituere posit, nempe Dei Filius, si ex muliere homo factus sit: at enim vero *Mulierem ex omnibus non inueni*, quæ videlicet digna Dei Mater fuerit: & opportunum ipsius adiutorium ad opem humano generi ferendam, & diuinam ei similitudinem reddendam, cum omnes omnino mulieres originariâ labe ab Adam infectas videam: maximeque dedeceat Dei Filium ex Matre Adæ maculæ obnoxia carnem suscipere. Ecce tibi Salomonis mẽtem. (Quod si dixeris, eam omnino Bandelli, & sectatorum ipsius mentem esse quin hilum ab hac differat, atque ideò illam clamare posse se habere intentum: monebo eum ex Christi Domini doctrinâ apud Ioan. 5. vers. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:* Nempe eo in loco Dominus, vt apte adnotarunt Chrisostomus, & Euthymius, non dixit, legite, sed *Scrutamini*, hoc est magno & accurato studio excutite, & inuestigate, nam legebant illi quidem, sed non scrutabantur, non excutiebant, non enucleabant, ea quippè epitasis inest verbo *Scrutãdi:* Vt apud Plinium lib. 8. cap. 40. de canibus. *Sed in venatu solertia, & sagacitas præcipua est, scrutatur vestigia, atque persequitur:* Et apud Satyrographum Sapienter monentem

Axcanum neque tu scrutaberis Vllius vnquam.

nec omittenda verba Chrisostomi hom. 41. in Ioan. *Non dixit legite. Scripturas; sed* scrutamini, *ad exactã earum intelligentiam eos inuitans: quia nimirum, quæ de ipso dicta sunt, multo studio opus habebant:* Nimirum dum Bandellus, & asseclæ his in verbis Salomonis existimant habere suæ opinionis confirmationem adeò secus est, vt illa sint, quæ testimonium perhibent de Marię immunitate: Quia videlicet in textu Hebræo arcana emphasi hunc in modum locutus est Salomon: *Hominem vnum rectum ex millibus inueni, mulierem autem rectam, in omnibus his non inueni.* Similiter, & apud LXX. *Mulierem in omnibus his non inueni:* Scrutare ergo Scripturas, & obserua pronomen illud demonstratiuum, *in omnibus his:* Quod quidem taxatiuum est, atque eas solum mulieres connotat, quæ Salomoni ex communi, & concatenata causarum serie spectandæ occurrebant: vt dixerit Sapiens ex omnibus his mulieribus, quæ a primo homine vitiatam originem trahunt, & quæ intra ipsius pactum, & transgressionem sunt, nulla mihi occurrit, quæ Dei Filij humanam carnem suscepturi digna, & idonea Mater esse possit, cum omnes peccato obnoxiæ, ac proinde tanto fastigio impares fuerint: Quare omnino fuerit opus, aliunde, hanc mulierem, quæ idonea Mater Dei sit, quærere, ex alia videlicet forte, benigniori Dei manu, & meliori luto factam. Cui quidem cogitationi Hebraææ Lectioni, *in omnibus his* innixæ, apte concinit, quod siue de Christi corpore ex Deipara susceptã, vt explicant Chrisostomus, Theophylatus, Theodor. Oecumenius, Haymo, & alij; siue de ipsamet Deipara, vt inferius ex Dionysio Alexandrino expendemus inquit Paulus ad Hebræos 9. versicul. 11. *Per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis.* Vbi lectio Syriaca reponit, *neque ex hisce creaturis:* Eodem plane sensu, ac Salomon affirmãs Apostolus Mariã non fuisse ex his mulieribus, quę in albo filiorũ Adæ per communem causarum se-

Ioan. 5. vers. 39. *Chrisost. Euthy.* *Plinius* *Horat. 1 cap. 18.* *Chrisost.* *Let. Heb* *LXX.* *Chrisost. Theoph. Theodor Oecum. Haymo Hæbr. 9 vers. 11.* *Let. Syr*

riem natę recenſitæfuere : Ex hiſce ſcilicet creaturis peccato, & communi naſcendi ſorti, vitiatæque naturæ obnoxijs, quod Dei Mater eſſet futura : Cui ſenſui omnino applaudit Damaſcenus in Menæis Græcis die 12. Auguſti Ode 7. *De SS. Phoſio, & Aniceto* pulchre de Maria ait: *Equidem videbaris, ò Virgo eſſe filia Adami collapſi: at reipſa eras tu genitrix Dei eundem reſtituentis in integrum:* Sicille: obſerua præclariſsimum pro Mariæ immunitate Damaſceni teſtimonium : itidemque eam Deiparæ immunitatis rationem, quam perſequitur : ait ergo Damaſcenus: *Videbaris, ò Virgo eſſe filia Adami collapſi:* Omnino aſſerens non fuiſſe : eam enim emphaſim habet is dicendi modus : maximè ex ſequenti antitheſi : *at reipſa eras tu genitrix Dei :* Vt dixerit : ad ſpem quidem videbaris filia Adæ peccato, & pœnæ obnoxia, & vna ex his mulieribus vitiatam ab illo originem ducentibus : at revera ab hoc longiſsimè abibas, quæ in Dei Matrem electa, & extra communem legem : & generalem cauſſarum ſeriem prępparata eras, vt collapſum parentem in integrum reſtitueres.

Damaſ.

III Ecce tibi primam Salomonis de idoneâ Matre Chriſti futuri ratiocinationem, quâ omnino adſtruit in omnibus his mulieribus in albo Adæ recenſitis eam à ſe non fuiſſe inuentam, atque ideò aliunde aduehendam fore : Iam autem vide poſterius ipſius teſtimonium, in quo ſignatè affirmat mulierem tanto faſtigio parem in alia cauſſarum ſerie, & alterius ſortis, & conditionis compotem, & quęſitam, & inuentam fuiſſe: Ita enim ipſe caput trigeſimum primum, quo Prouerbiorum librum conſignat, per interrogationem exorditur : *Mulierem fortem quis inuenier?* quaſi emphaſice dixerit, mulierem rectam in omnibus his non inuenio, cum omnes communi labe maculatas videam. Sed cum ſtatim, tanquam vati futura pręuidenti, puriſsima Virgo in mętem venit, gratulabundus, & alacer ſine cunctatione reſpondet : *Procul, & de vltimis finibus pretium eius :* Ac ſi dicat hæc fortis mulier: hæc ſanctiſsima Virgo Maria alterius quidem ſortis, alterius conditionis eſt, & aliunde ex alijs finibus adducta (Hiſpanè dixiſſet : *de Allende el mar*) Hæc mulier ſub alio quidem Sydere concepta, è Cœlo potius, quam è terra : à gratia ſcilicet prius, quam à natura ſuum originem trahit : Sane hęc Salomonis verba ad Beatiſsimam Virginem Mariam in Deiparæ munus quæſitam, & inuentam omnes penè Patres, & interpretes retulerunt, ſignatè verò Bernardus iterum, atque iterum egregiè penſitauit, & in præfatum ſenſum omnino inflexit, nam in primis homil. 2. in *Miſſus eſt*, cum exclamans præmiſiſſet : *O admirandam, & omni honore digniſsimam Virginem! O fœminam ſinguliariter venerandam! ſuper omnes fœminas admirabilem! parentum reparatricem : poſterorum viuificatricem:* Subijcit notanter; *nec nouiter, nec fortuito inuentam: ſed à ſæculo electã ab Altiſsimo præcognitam, & ſibi præparatam :* Vt dixerit Bernardus Mariam non ex obuia cauſſarum ſerie, rebus, ſibi caſu, & fortuito ſuccedentibus ad tantum munus electam; ſed in abditiſsimo, & remotiſsimo Diuinæ prouidentiæ conſilio conquiſitam, & peculiari manu Dei in Deiparæ dignitatem conuenienter, & opportune formatam : Pergit verò Bernardus prædictis Salomonis verbis hanc cogitationem affigens, hunc in modum : *Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat:* Mulierē fortē quis inueniet? *Nouerat enim vir*

Bernard

Prou. 31 verſ. 1.

ſapiens huius ſenſus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: tamen quia Deum legerat promiſiſſe, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam, vehementer admirans, A *aiebat:* Mulierem fortem quis inueniet? *Quod eſt dicere: Si ita, de manu fœminæ pendet, & noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria, fortis omnino neceſſe eſt, vt prouideatur, quæ ad tantum opus poſsit eſſe idonea.* Sed Mulierem fortem quis inueniet? *At ne hoc quæſiiſſe putetur deſperando, ſubdit prophetando.* Procul, & de vltimis finibus, pretium eius: *Hoc eſt non vile,* B *non paruum, non mediocre, non denique de terra, ſed de Cœlo, nec de Cœlo proximo terris pretium fortis huius mulieris, ſed à ſummo cœlo egreſsio eius* Hactenus Bernardus: omnino ad rem: Cum aſſerat Salomonem neceſſaria ratione eam mulierem fortem requiſiſſe, quæ noſtræ ſalutis afferendæ, & innocentiæ reſtituendæ, tanquam adiutorium nouo Adæ datum eſſet idonea: atque ea propter in *hiſce creaturis:* nec in *omnibus his mulieribus,* non fuiſſe ab eo inuentam, eaque de cauſſa prophetando dixiſſe, non de terra, ſed de cælo pretium eius futurum, quę nimirum ab omni originali næuo foret immunis, id in hunc modum affirmante S. Ioanne Baptiſta Beatæ Brigittæ, vt ipſa teſtatur lib. 1. Reuelat. cap. 3. *Non decuiſſe Regem gloriæ iacere niſi in vaſe puriſsimo, & mundiſsimo, & electiſsimo præ omnibus Angelis, & hominibus.* In quâ ſententiam per opportuna ſunt tum ea S. Sabbæ verba in Menęis Græcorum die 12. Februarij Ode 1. *de S. Mileſio,* in ſuperioribus adducta, quibus diſſerte affirmauit ſolam B. Virginem ob immunitatem ab omni culpa ab æterno extitiſſe dignam, quæ Deipara fieret: Sic namque aiebat S. Sabbas: *Tu quidem, ô Virgo illud Diuinæ originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat corpore humano indutum peperiſti: Nam ab æterno propter ſplendorem integritatis, & pulchrituninem Virginalem, ac dæmum propter chariſmata, ſeu gratiæ dona, quæ ab omni te næuo immunem fecerunt, manifeſtè ſola fuiſti digna, tanti partus honore:* Hæc Sabbas omnino ad rem, ſicut & illa Bernardi verba: *Non denique de terra, ſed de Cœlo:* tum Hebraicæ Lectioni huius hemiſtichij, tum etiam Deiparæ immunitati valde conſentanea ſunt: quippè in Hebræo ſic legitur: *Longinquum, & à Margaritis pretium eius:* Et quidem notanter, & per opportunè: *à Margaritis pretium eius,* vt ſenſus fuerit, Mariam non aliter, quam Margaritam habendam, & æſtimandam fore, ſub qua ſane imagine ipſa a Patribus penſitari ſolet: hinc namque Damaſcenus Oration. de Natiuitate, Bernardus, & Richardus a Sancto Laurentio paſsim Mariam appellant: ſignatè verò S. Ephrem ipſi peculiarem orationem de *Margarita* inſcripſit. *S. Sabb.*

Iã verò Deiparæ immunitati aſſerẽdæ, atq; explicãdæ nihil opportunius atque accõmodatius, quã Margaritæ imago potuit afferri, quam ſolummodo, vt puriſsimæ Conceptionis Mariæ Symbolum fuerit, creatam à Deo fuiſſe merito dixeris, quippe de Margaritæ conceptu in hanc rem diſſertiſsimè loquitur Plinius lib. 9. cap. 35. vbi cum præmiſiſſet: *Origo, aut genitura conchæ eſt haud multum oſtrearum conchis differens: has vbi genitalis anni ſtimulauerint, ora pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, grauidas poſteà eniti.* Subijcit ſtatim: *Partumque concharum eſſe Margaritas pro qualitate roris accepti, ſi purus influxerit, can-* III *Plinius*

dorem conspici: si verò turbidus, & fœtum sordescere, eundem pallere cœlo minante, conceptum quippè ex eo constare, Cœlique eis maiorem Societatem esse quam maris: Hæc Plinius, ac si Salomonem, & Patres audiuisset Mariam Margaritam appellantes & caussam immunitatis ipsius agere voluisset. Quare obserua singulas Margaritæ ab eo enumeratas propietates: & illud in primis de conchis Margaritas enitentibus: *Impleri roscido conceptu tradunt*, quod Annæ, quæ *gratia* interpretatur, Mariam concipienti, & Mariæ ab Anna Conceptæ mirè quadrat, dicente de ea Bernardo, *non de terra, sed de cœlo* gratiæ videlicet rore naturam anteuertente, vt concha roscido conceptu plena Margaritam pareret, eam quidem Margaritam de qua Dominus apud Matthæum 13. vers. 46. *Simile inquit est Regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas, inuentâ autem vnâ pretiosâ margarita abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam;* Vnde quidé Græca Ecclesia in Menæis die XXV. Iulij in vesperis, *de obdormitione S. Annæ.* Floridum Annæ partum notanter celebrat, Sanctam Annam hunc in modum consalutãs: *Salue ò terra benedicta, quæ florido partu terram Numine fætam mundo protulisti, quæ diuinam legem amplexa legis gratiæ prima lineamenta pro omnibus duxisti:* Sic ibi, vbi componas velim roscidum Margaritæ conceptum cum florido Annæ partu, atque itidem pendas Mariam in conceptione suâ, *Terram Numine fetam*, quæ videlicet iam esset idonea muneri Deiparæ idonea, & opportuna esset, vti à Salomone conquirebatur: opportunissimè hunc in sensum dicente S. Iosepho Confessore in Menæis Græcorum die 17. Martij Ode. 1. *Filius æque increatus, vt Pater in te sola reperit caussam, cur similem nobis naturam indueret:* Quam caussam? subdit: *Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem:* Ecce tibi à cœlesti negotiatore inuentam prætiosam, & singularem Margaritam. Vnde quidem summus Pater Vnigenito suo iam homini ex Maria facto floridam, & gloriosam eius natiuitatem sic ob oculos ponit: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te:* Psal. 109. vers. 3. vbi Hebræa opportunè reponunt. *Ros natiuitatis tuæ ex vtero Auroræ est:* Vt nimirum Maria à roscido conceptu, & florido partu, numine fœta esset, ex cuius vtero ros natiuitatis Filij Dei maturæ deflueret.

Ma.13 vers.46.

Eclc.Gr

S.Ios.Cõ

Ps.109. vers.3. Let.Heb

IV

Sed Richardũ à S. Laurentio hęc verba Salomonis cum illis Domini apud Matthæum cap. 13. vers. 45. *Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas, inuenta autem vnâ pretiosâ Margarita abijt, & vendidit vniuersa, quæ habuit, & emit eam*, scite componentem audire est operæ pretiũ: Sic enim ille lib. 6. de *Laudibus Virginis*, allatis verbis Prouerbiorũ de pretiosa hàc Margarita inter alia inquit: *Procul enim fuit pretiũ Mariæ, scilicet Christus, qui de Cœlo descendit in vterũ eius: quia* à Summo Cœlo eggressio eius (Psalm. 18) *Et ex ea assumpsit carnem, & sanguinem: &c. Ipsa enim est pretiosa illa Margarita, quæ in Euangelio quasi singularis introducitur, integra carne, & spiritu, in tantum concupiscibilis, vt Diuinum animum in se conuerteret, & vt tota Dei fieret, in cuius negotiatione absque omni exceptione negotiator Cœlestis omnia sua distrahit, & commutat. Inde canitur.* O admirabile commertium! Hęc modò Ricardus. Ex quibus fidenter occurras Salomoni nullam, *ex his* mulierem, quæ digna Mater Dei esset inuenienti, cum hæc cœlestis Margarita in tantũ sit concupiscibilis, vt diuinum in se animum conuerterit: Sed

Ma.13 vers.45.

Ric.â S. Lauren.

illud

illud opportunè obſeruatum eſt à Richardo. *Quæ in Euangelio ſingularis introducitur*: Nimirum, quæſiuit Cœleſtis negotiator bonas Margaritas, nec inueniſſe dicitur, donec peruenit ad Mariam: Cum nulla, *ex his* A mulieribus proprie dici poſsit Margarita, cuius conceptus magis è cœlo, quam è terra eſt: omnes quippè in peccatis conceptæ terrenam omnino originem habent, Maria verò proprie Margarita, & ſummi pretij: notanter enim, *ſingularis*, & *pretioſa*, inducitur, vt totam à Plinio perfectionem expetitam à roſcido cõceptu, & à puro roris influxu impleat, vt quemadmodum alibi à nobis allatus S. Sabbas in Menæis Græcis die 29. *S. Sabb.* Ianuarij Ode. 6. *De translati. S. Ignatij* dicebat: *Ex te ſola tanquam ex puriſsimo lilio in medio ſpinarum inuento verum incolens tuum ſponſus ille tuus proceſsit*; Dei Filius Mariam non ſpinam, vt è ſpina lilium faceret, ſed puriſsimum lilium candidiſsimo nitore præditum, tanquam devltimis finibus aduectam, inuenit. Talẽ enim eam eſſe oportebat Margaritam pro qua ipſe non tantum, *omnia, quæ habuit*, ſed, & ſemetipſum daret, iuſta ſcilicet commutatione, vt integer pro integra: Cœleſtis pro Cœleſti: Candidus pro candida, purus, & immaculatus pro immaculata, & pura offerretur. Ideo dixit Ricardus, *vt tota Dei fieret*: quin aliquid ei pulchritudinis, & Sanctitatis deeſſet, addiditque diuinum negotiatorem, *omnia ſua abſque omni exceptione*, dediſſe: vt videlicet, qui ea pro pretioſa Margarita commutabat Mariam inueniret, quæ vndequaque pretioſa, ac pulcha, abſque vllo næuo, aut perfectionis exceptione eſſet: Inde ſubijcit Rychardus: *Margarita etiam iſta totam ſe Deo dedit, & omnia Diuina ſibi vendicans mutuauit: Nam & Deus illam elegit, & in eius comparatione omnia ſua contulit, & quaſi pro ipſa habenda expẽdit omnia ſua propria, ideſt, Diuina, de quibus dicit Ioan. 16. Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt: Hæc ille.* *Ioan. 16*

V

Et verò talem eam eſſe oportebat Margaritam è cuius rore, *ros natiuitatis*, Filij Dei futurus erat, vt videlicet, qui & *Candor lucis æternæ eſt.* Sapient. 7. verſ. 26. *Candidus, & rubicundus*, dicitur Cantic. 5. verſ. 10. à Matre in cuius conceptu purus gratiæ ros influxiſſet, ortũ duceret. Quare obſerua, quod de Margaritæ conceptu ſubdit Plinius. *Partumque cõcharum Margaritas eſſe pro qualitate roris accepti: Si purus influxerit: Candorem conſpici, ſi verò turbidus, & fætum ſordeſcere: Eundem pallere cœlo minante.* Quæ Mariæ cõceptui aptata, eius immunitatem mirificè firmant, etenim ex candore Margaritæ purus Cœleſtis roris influxus Cœlo minimè minante, ſed placido, atque benigno ſubinfertur: Quid Maria candidius? de qua in primo eius aſcenſu, ſiue Conceptione cum admiratione ſpirituum Cœleſtium dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens? Cant. 8. verſ. 5. quæ verba Ambroſius lib. de *Iſaac, & anima*, cap. 8. & Octonario 4. in Pſalm. 118. notanter legit. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit candida?* Pro quo facit Mariam in hunc mundum ingredientem inter plures rationes quibus ab Sponſo Cantic. 4. verſ. 8. eius immunitas aſſeritur (vt ſtatim expẽdimus) notanter vocari de mõte Libano, qui interpretatur *Candidus*, ſecus quidem, ac mons Selmon, qui dicitur mons *Vmbroſus*, & *niger*: vt quẽadmodum cæteri omnes omnino mortales ad vitam à Selmon ſiue à mortis vmbra, & peccati nigredine vocamur: ita Beatiſsima Virgo à primo ſuæ Conceptionis inſtanti à monte ſemper candido ob perpetuã munditiam ab Sponſo Cœleſti euocetur: *Veni* (inquit) *de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis!* *Cant. 8. verſ. 6.* *Ambro* *Cant. 4. verſ. 8.*

ris: pulchrè ſub hoc ſenſu explicante hæc verba P. Gaſpare Sanctio optimę notæ interprete, & cum bonis illis, & antiquis componendo, hunc in
Sãctius. modum: *Accedit, quod Libanus* cãdidum, *ſignificat. Candor autem puritatis Symbolum eſt, atque munditiæ. A Libano igitur vocatur, id eſt â loco candenti, & puro, non â Selmon monte vmbroſo, & nigro, ex quo præter vnam Mariam vocantur reliqui. Erat autem Libano candor â niue adeò familiaris, atque perpetuus, vt Proberbiali ſpecie, quod perpetuum fore ſignificabatur cum Libani candore conferretur Ieremiæ* 18. *verſ.* 14.
Iere. 18. *verſ.* 14. Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? *Sic Beatæ Virgini Candor, & puritas perpetua, & pænè naturalis fuit; quia non illi prius natura data rationalis, quam candor, & puritas.*
S. Sabb. Hæc Sãctius. Quæ ob oculos habuiſſe videtur S. Sabbas in Menæis Græcorũ ad diẽ XXV. Iulij *De obdomitione S. Annæ*: Cum Parentes Virginis afflatu diuino claros vocat, vt ab ipſis Maria vndequaque clara, & præclara ſine vllo vmbroſi montis veſtigio ortum duceret: Audi illum ſic opportunissimè loquentem. *O Ioachime afflatu diuino decore, tu quoq; Anna diuinitus clara. Vos gemini eſtis Lychni, à quibus orta eſt lampas, circa quam nullum vmbræ veſtigium cernimus.* Ecce Mariam à monte Libano vocatam procul à monte vmbroſo cum circa ipſam nullum vmbræ veſtigium cernamus? Pergit vero Sabbas inquiens: *Vosquoque abũdanter impleuit ipſamet Dei gratia, id eſt genitrix Dei.* Vt Maria in ſua Conceptione adeo fuerit à gratia clara, vt peculiares lucis radios, & Dei dona in parentes retuderit. Vbi iam vides Cæleſtis huius Margaritæ Conceptum à puro gratiæ diuini influxu candidũ: nihilque ab ipſa magis alienum eſſe, quam ſordescere, aut pallere cœlo minante: Cum in ipſam omnia charismata, & gratiæ dona defluxerint, quæ illam, *ab omni næuo immunẽ fecerunt*: Vt ſola inter omnes mulieres, *tanti partus honore digna foret*: Certè nunquam Cœlum adeo ſerenum, & purum extitit, nulla vnquam dies clarior illuxit, quam ea in qua Maria Concepta eſt, cuius cõceptio gaudium annunciauit vniuerſo mundo, de qua non abs re capimus (vt in ſequentibus videbimus) Dominum Cœli dicentem Iob. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Iob. 38. verſ. 7. huic cogitationi appoſite applaudente ſancto Vicentio Ferrer ſerm. 1. *In Natiuitate Virginis*, his verbis. *Non credatis, quod fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nutrimur, ſed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in Cœlo fecerunt feſtum Conceptionis.* Vides Cœlum ſerenum, atque feſtiuum procul à fulmine, & minis?

Iob. 38 *verſ.* 7. *S. Vic. F.*

VI

Ex his iam facile Mariæ accommodes, quod tandem de Margaritæ conceptu ſubijcit Plinius: *Conceptũ quippè ex eo* (Cœlo) *conſtare, Cœlique eis maiorem Societatem eſſe, quã maris*: Nempe procul, & de vltimis finibus trans mare communis naturę pretium eius: Nam vt in prioribus ad notationibus vidimus. *Mare vidit & fugit, & Iordanis conuerſus eſt retrorſum*: Pſalm. 113. verſ. 5. Vtietiã dicebat Bernardus: *Non vtique de terra, ſed de Cœlo*: Ideſt à gratiâ, & diuina beneuolentia; non verò à noxio Adæ influxu: Qui plane videtur eſſe Pauli ſenſus ad Hebræos 7. verſ. 3. cum Sacerdotem Melchiſedech typũ Chriſti ſic facit: *Sine patre, & ſine Matre, ſine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuũ* Obſerua illa *ſine patre, & ſine matre*: Et merito addubita, qui Melchiſedech, ſine patre, & ſine matre velut Cœlo delap-

Plinius. *Pſa.* 113 *verſ.* 5. *Bernar.* *Hebr.* 7. *verſ.* 3.

ſus

ſus Chriſti Domini imaginem prætulerit, cum Chriſtum notiſsimam, & illuſtriſsimam Matrem habuerit, de qua ipſe maximè glorietur? Sed ad manum ex dictis habemus expeditiſsimam reſponſionem: minime quidem Paulum Dei Filium cum Melchiſedech compoſuiſſe, quod ipſe Matrem non habuerit; ſed quod ea Mater fuerit, quæ non vtique de terrâ, ſed de Cœlo eſſe videatur, cuius Cõceptio velut Margarita ex Cœlo à Dei gratia, & benignitate, non ab Adam terreno fuerit, Cœlique ei maiorem ſocietatem fuiſſe, quam maris: opportunè hanc cogitationem *Theoph.* his verbis affigente Theophylacto, hunc in modum Paulum efferente: *Sine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, aſsimilatus autem Filio Dei, à Virgine autem Maria, & ſola ſecũdum carnẽ eſt natus, & Matre quidem ſecundum ſupernum illum, & Cœleſtem ortum.* Hæc ille. Belliſsimè quidem Mariam à terrenis matribus ſiue ab *his mulieribus*, quæ Salomoni importunæ, ad munus Deiparæ, videbantur ſecernens, quod ipſa ſecundum ſupernum, & Cœleſtem ortum à gratia, non à vitiata natura; a Dei beneuolentia, non ab influxo Adæ ſit concepta: vt quamuis humana carne, ſicut cœteræ matres compactaſit, tamen, quod à carnis naturâ peccato originario infectę fuerit immunis, eius conceptus, *non vtique de terrâ, ſed de Cœlo*, putandus videatur. Vt iã hinc videris Salomonem cõtentum, qui Mulierem fortem inuenerit procul, & de vltimis finibus a duectam; cui Cœli maior ſocietas, quam maris ſit, pro qua Margaritæ proprietate Plinio obſeruata facit, quod vt ſupra vidimus ipſamet apud Eccleſiaſticum cap. 24. verſic. 40. de ſe dice- *Eccl. 24. verſ. 40.* bat: *Ego quaſi trames aquæ immenſæ defluuio*: Vt affirmet, Cœleſtis roris Conceptionem à fluuio Cœleſtium donorum, non vero à maris ſocietate ipſi aduenisſe; ſic capiente hæc verba Cardin. Hugone ibi hunc in modum: *Non de mari, ſed de fluuio Maria prodire dicitur, quia aquæ eius, aquæ dulces gratiarũ, non verò amaræ peccati:* Hæc ille. *Hugo.*

MARIAM ab originaria labe immunem cœleſte prodigium eſſe.

ADNOTATIO. V.

ENIM verò cum in præcedentibus adnotationibus Maria accuratiſsimâ dictione à PP. *& ſola* inter omnes creaturas puritate nitens, & præter naturã electa dicitur: Sic enim de ipſâ dicebat S. Sabbas: *De te ſolâ publicè conſtat, quod ab æterno mundae xſtiteris*: Et ſanctus Ioſephus: *Te enim reperit ſolam puritate ſuper omnes creaturas fulgentem*: Signatè verò, & opportunius Andræas Epiſcop. Cretenſis, *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam*: Ex ipſorum ſenſu ad noſtrum inſtitutum reuocamus profundam S. Ignatij M. mentẽ epiſtola primâ: Mariam compellantis *cœleſte prodigium*: Siue vt alij è Græco legunt *cœleſte monſtrum* (quod quidem idem eſt: cum *prodigium*, & *monſtrum* omnino ſynonima ſint) quam itidẽ expreſsit S. Sabbas in Menæis Græcor. die 30. Ianuarij poſt finem Odarum: vbi cum præmiſiſſet: *O auro comante fulgentiſsima turris! Ciuitas ſuperna mœnibus duodenis incincta; irrigate ſolaribus radijs throne*; ſubijcit. *Incomprehenſum prodigium*: Et quidem cum hæc Ignatij locutio varios in Deiparæ laudem, & gloriã explicatus habeat; ille omnium ſimpliciſsimus, & accõmodatiſsimus ſenſus eſſe videtur; qui

I *S. Sabb.* *S. Ioſeph* *An. Cr.* *S. Igná. M.* *S. Sabb.*

Mariæ immunitati, & nostro instituto conformior est, vt dum Marię electio, & ipsius in hanc vitam ingressus *præternaturam*, hoc est præter naturæ humanæ sortem, & conditionem originali maculà corruptam, sub Diuinitatis protectione ab omni labe exors, & immunis fuit, ipsa *cœleste monstrum*, optimo iure dicatur: Sed enim, vt omnino sub hoc sensu pulchra hæc Mariæ appellatio subsistat: illud è regione illius prius oportet ponere, quod de homine peccato originali obnoxio, nobiles Auctores signatè verò P. Theophylus Raynaud. quem ego Sapientiæ compenpendium appellare soleo, in *Dypticis Marianis*, part. 2. punt. 2. num. 23. Sapienter meditati sunt, nempe adeò esse læthale peccatum originis reddens hominem filium iræ, & mancipium diaboli, vt ratione eius infans in peccato conceptus monstrum sit in genere entis ad finem supernaturalem destinati, quod eà perfectione careat, quam secundum illum statum habere debet, vt quemadmodum homo, qui conciperetur absque brachijs, aut cruribus haberetur monstruosus, & peccato naturæ affectus, ita similiter monstruosus in genere moris censendus sit, qui cum sit destinatus ad finem supernaturalem, caret tamen gratia sanctificante, quæ ad illum finem consequendum est plane necessaria, vt proinde de ipso dixerit Bernardus: *Portare caputium verecundiæ*: Quod si huius monstri faciem graphice, & viuaci penicillo depictam velis videre, quid de peccato originali, & homine illi obnoxio dixerit Francisc. Feuardentius lib. 10. suæ Theomachiæ cap. 2. num. 17. audi: *Ab illo* (inquit) *præcipitamur in abyssum iræ, ac maledictionis diuinæ: hæreditate regni cœlestis in æternum priuamur, æternæ damnationi deuouemur: Satanæ seruituti mancipamur. Hæc præterea tabem mille perturbationibus, & damnatis cupiditatibus infert, voluntatem incredibili malitiâ deprauat liberum arbitrium debilitat: intellectum ignoratione pudendâ, fœdisque erroribus obnubilat, memoriam beneficiorum, & iudiciorum Dei oblitterat ex animis, vastum denique pelagus malorum, ad funditus perdendum miserabile genus humanum inducit:* Hactenus ille.

Theoph.

Feuard.

A

B

C

D

E

II

Ecce tibi tum naturę lapsę originalis peccati malo, & Adæ veneno imbutæ conditionem, secundum quam hominibus in peccato conceptis adeò est naturale monstruosos esse, vt plane monstrum sit, non esse eiusmodi monstrum: cum ab hàc monstruosa naturà longe eat: tum etiam peremptoriam rationem, cur Maria *cœleste monstrum* fuerit, quę a cœlo habuit, vt *præter naturã* peccato obnoxiam formaretur, dum in sui Conceptione à naturæ lapsæ conditione adeò aberrauit, vt iuxta eam quam tradit Phylosophus monstri diffinitionem, monstrum naturæ dici debeat: Sane cum Aristoles lib. 2. Physicorum ca. 8. & 9. *Monstrum* diffiniuit: *Erratum naturæ à solita secundum speciem ratione degenerãs*: Nihil iam opportunius de Mariâ Immaculatè Concepta excogitaueris, quam cœleste monstrum, siue prodigium esse, quæ sola inter mortales à solita secundum humanam speciem ratione degenerans, non Adæ peccato obnoxij, sed à peccatoribus segregata gratiæ filia, & hæres cunctis iustitiæ originalis donis in Conceptione suâ exornata fuit: vel si placet pone, è regione illius descriptiones peccati originalis, siue hominis peccato obnoxij mille deformitatibus perturbationibus, cupiditatibus, & eroribus subditi, & in vastum malorum pelagus inducti, à Feuardẽtio adductæ Mariam à Salomone in prima Conceptione, ita descriptam: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra, vt Luna, ele-*

Aristot

cta,

cta, vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata? Canticor. 6. vers. 9. *Geor. Ni* ac si cum Georgio Nicomediensi Archiepiscopo oratione de *Oblatione Mariæ*, dixerit: Ipsa est, *pulchritudo pulcherrima, pulchritudinis pulchrorum omnium suum ornamentum:* Quid enim pulchrius? quid admirabilius, quam creaturam post Adæ lapsum adeo puram, rectam, Deo, & Rationi per omnia subditam conceptã fuisse? Quid tam proprium monstro, quàm ipsa, vt castrorum acies ordinata, virtutum omnium ordinatione fulgens? Quæ illic metatio castrorum? qui ordines acierum? qui concentus musici cum hac ordinatione aptissima quiverint comparari? in arce capitis ratio residens, vt campi ductor imperans: inferiores illæ potestates appetitus administræ quibus cupiscimus, & irascimur, Dominæ iussis obedientes, nec sensus rationi, nec lex membrorum legi mentis, nec mens, aut ratio diuinæ voluntati renitentes: Non ne credibile est antiquum draconem (si illi in pœnam datum est, hęc in Deiparæ conceptione præsentire) cũ eiulatu clamasse *Castra Dei sunt hæc:* fugiamus manipulares: fugiamus cęleste monstrum, non est ista de numero cęterarum: an hæc de qua mihi prædictum? *Ipsa conteret caput tuum: tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. 3. vers. 25. *Genes. 3. vers. 25.*

III

Enim verò cum hàc Monstri cœlestis natura, & appellatione Mariæ adscriptà, atque à nobis explicata omnino consentit Rupertus in superiori adnotatione adductus, ipsam appellans miraculum illis verbis; *Si Sapientia, vt ipsa testatur, iam antequam fieret ludens erat coram eo in orbe terrarum: & delitiæ eius cum filijs hominum, quanto magis ludens erat, & delitiabatur cum istâ Ancilla Domini miraculo cunctorum filiorum, vel filiarum hominum?* (cõsentientibus in hac appellatione Chrisost. Orat. de *hypapãte:* S. Ephrẽ Orat. *In laudem Virginis*, Epiphanio Orat. de Deipara, & Damasceno Orat. 1. de *Natiuitate Virginis:*) Cũ nec hilum differat à prodigio, vel monstruo, miraculum? Cum à Latinis diffinitur: *Miraculum dicitur, quidquid admirationem afferre potest, quasi sit contra naturam portentum, prodigium, monstrum:* Quo autem opportuniori sensu Maria miraculum dicatur? Quam cum contra naturam, siue præter naturam noxiam, corruptam, & corrumpentem filios suos, ipsa innoxia, & immaculata concepta est? Vt de ipsa omnino dicatur quod Numer. 26. vers. 10. de filijs Core: *Factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirẽt:* *Nu. 26. vers. 10.* Porrò huc mire facit egregius commentarius quem verbis Angelicis: *Aue gratia plena Dominus tecum,* affert Andræas Hierosolimitanus Orat. *In salutationem Angelicam:* *An. Hi.* Vbi cum ad priora illa, *Aue gratia plena* dixisset. *Gratiosa mente dixi, quod omne in ventre tuo gaudium receptum sit, eò quod stola tua verè sit gratiosa diuinorum donorum splendore:* quæ ad primam stolã gratiæ ad Deiparam in Conceptione sua datam aptè referuntur (iuxta ea quæ dicebat S. Iosephus: *Filius æquè increatus, vt Pater, in te solâ reperit causam, cur similem nobis naturã induerit: te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem:* *S. Ioseph* Id enim in Andræa est, stolam Marię diuinorum donorum splendore fuisse gratiosam) statim premens ea, quæ sequuntur *Dominus tecum:* Scite inquit: *Gaudium, & veritas tecum, Dominus quidem legis, gratiæ autem Pater, & veritatis fons:* Ex quibus sic infert: *Ne timeas Maria, Dominus tecum omnis fati Dominator:* Hæc Andræas sapienter, & opportunè: Pende singula, & primùm illa: *Dominus quidem legis: gratiæ autem pater:* Quibus apposita iubest emphasis sumpta ex eiusdem Domini

Ma.12 verſ.8. verbis apud Matthæũ 12. verſ. 8. quibus ſtultam Phariſeorum criminationem, *quod ipſe Sabbatho curaſſet*, neceſſaria argumentatione retudit inquiens. *Dominus enim eſt Filius hominis, etiam Sabbathi*, quæ verba P. *Mald.* Maldonatus ſic ſcitè illuſtrat: *Probat & templo eſſe maiorem, & in Sabbati obſeruatione diſpenſare poſſe, quia Dominus eſt etiam Sabbathi: & vnuſquiſque poteſt de re ſuâ quod velit facere*, Vt videris ex his dixiſſe Andræã, nihil Marię officere potuiſſe cõmunẽ naturæ legẽ, quę filios Adæ culpæ originariæ addicit, cum Dominus opportunam ſibi Matrem delecturus, vt immaculatus de immaculatâ, & Sanctus, ac innocens ab innocente, & ſancta prodiret, de lege latâ potuerit, quod ſibi placitum eſſet facere, vt Mariam extra illam, & extra communia poneret, quod *Dominus Sabbati*, & *Dominus legis* ſit: *Gratiæ autem Pater*, qui cum Filijs indulgentiſsime ſe gerit, & *præter naturam*, illis benefacere ſoleat.

IV Sed deinde obſerua ea verba, quæ ſubijcit Andræas: *Dominus tecum omnis fati Dominator*, ſunt enim per opportuna: Sed quid fatum? Quid *Priſcian* fati dominator fuerit? Certè ſi credis Priſciano veſtuſto Latinæ linguæ Magiſtro, Fatum deducitur à Fatus, quod *Fatum nihil aliud ſit, quam dictum, aut iuſſum diuinum*: *MTull* Quo ſenſu imbutus M. Tullius lib. 1. *de Diuinatione* dixit: Fieri igitur omnia a Fato ratio cogit fateri: vt iuxta Priſciani ſententiam dixerit cum Vate, *ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt*: Pſalm. 148. *Pſ.148. verſ.4.* verſ. 4. Sed enim plus ſeſe explicans *MTull* Tullius, ſubijcit. *Fatum autem id appello quod Græci, ordinem ſeriemque cauſſarum, cum cauſſa cauſſæ annexa rem ex ſe gignat, ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna*: Hæc ille, & alia: ex quibus opportunè ſubſiſtit pro re noſtra Andrææ Hieroſolymitani ſenſus affirmantis Deum erga Mariam, vt omnis fati Dominator eam ſe geſsiſſe, vt explicatius dixerit, Deum omnem ordinem, ſeriemque cauſſarum pro libito moderari, nec fato ipſi alligatum, ſed fatum ſibi ſubiectum habere vt eius vim, quo voluerit modo, aut ratione abrumpat, & cauſſam à naturâ cauſſæ coniunctam diſiungat, & quidquid ſibi beneplacuerit extra ſeriem cauſſarum ponat: ac proinde quamuis iuxta ordinem ſeriemque cauſſarum ab Adamo decurrentium Maria futura erat originariæ maculæ ſubiecta, *dum cauſſa annexa rem ex ſe gignit*: at enim vero hanc fati ſeriẽ ab ipſo qui omnis Fati dominator eſt, conſultiſsima prouidentia immutatam, & vndequaque abruptam fuiſſe, vt Maria omnis labis expers oriretur, quo idonea Dei Mater, & dignum eius habitaculum foret.

V Et vero, vt prefatum Andrææ ſenſum aptemus noſtro inſtituto, atque huic Philoſophandi modo, cui adhæremus placet in medium etiam pro- *Seneca* ferre, quæ de fato diſſertiſsimè Seneca diſſeruit: Nimirum cum primum, ethnico calamo præmiſiſſet lib. 2. natural. qq. cap. 36. & 37. *Fatum fulmine mutari non poteſt. Quid ni? nam fulmen ipſum fati pars eſt. Fata aliter ius ſuum peragunt, nec vlla commouentur prece, non miſericordia flectuntur, non gratia. Seruant curſum irreuocabilẽ: Ex deſtinato fluũt. Quemadmodum rapidorũ aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperueniẽs præcipitat, ſic ordinem rerum Fati æterna ſeries rotat: Cuius hæc prima lex eſt: ſtare Decreto: Quid enim intelligis Fatum? exiſtimo neceſsitatẽ rerum omnium, quam nulla vis rumpat*: Aduerſus hanc doctrinam ſibi ſtatim obijcit, inde fieri fruſtra ab hominibus expiationes, preces, & ſacrificia admoueri ad exorandum Deum, & ad ſubmouenda pericula, cum prima lex Fati ſit ſtare decreto:

Cui

Cui argumẽtationi in hunc modum, ac ſi prenunciatam in Scriptura vidiſſet mortẽ Regi Ezechiæ, & ob eius preces, & lacrimas læthale decretũ reuocatũ Iſaiæ 38. verſ. 5. in hunc modũ occurrit. *Agere nunc volo eorum cauſſam qui procurãda exiſtimãt fulmina, & expiationes nõ dubitant prodeſſe aliquando ad ſubmouẽda pericula, aliquãdo ad leuãda, aliquando ad differẽda. Quid ſit quod ſequitur paulo poſt proſequar: interim hoc habent cõmune nobiſcũ, quod nos quoque exiſtimamus vota proficere, ſalua vi, ac poteſtate fatorũ, quædam enim âdiis immortalibus ita ſuſpenſa relicta sũt, vt in bonum vertant, ſi admotæ diis preces fuerint, ſi vota ſuſcepta: Ita nõ eſt hoc contra Fatũ; ſed ipſum quoque in Fato eſt:* Hactenus Seneca. Ex quo arripe illud: *Quædam à diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, vt in bonum vertant:* Vt cum eo modo ſentiendi, atque dicendi quoquo modo cõponas primariũ illud Dei decretũ de homine ad ſimilitudinẽ ſuam formando, & perficiendo, & iterũ, ſi infelix lapſus illius ſors obtigiſſet, per Filiũ ſuum reformando: Nimirũ primo illo decreto ſtante Mariæ exiſtẽtia ita ſuſpenſa relicta eſt, vt ei prima illa rerũ ſeries, ſiue ordo à primorum parentũ peccato rotatus, nocere nõ potuerit, ſed in bonũ verſus extra cõmunem legẽ, ſiue primi decreti diſpoſitionem ſalua, & incolumis; immo verò glorioſa ad regium Matris Dei munus euecta euaſerit.

Iſaiæ 28 verſ. 5.

Vnde, quod de ęterna Fati ſerie dicebat Seneca: *Seruant curſum irreuocabilem, exdeſtinato fluunt, quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperueniens præcipitat, ſic ordinem rerum Fati æterna ſeries rotat.* At decretum de peccato originali in omnes Adæ poſteros transfundendo accõmodatum in Maria minimè locum habuit: ad cuius conſpectum, *ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari:* Exod. 15. verſ. 8. nue vt habent LXX. *Compactæ ſunt velut murus aquæ:* Vt ipſa potiori iure quã populus Iſrael ſicco veſtigio tranſiret: vt frequentius id maris rubri portentum ad Deiparę conceptionem ab omnibus ſcriptoribus reuocatur: in hunc ſenſum opportuniſsimè conturantibus S. Sabba, & Auguſtino: dum ille 3. Ianuarij Ode 9. de *S. Syncleticâ* primi parentis malum ad Mariæ conſpectum ſubſtitiſſe, quin ad ipſam peruenire valuerit ſic affirmat: *In te primi parentis ſubſtitit lapſus, vltra pergendi facultate ſublatâ:* Ita Sabbas, qui belliſsimè vſurpauit verbum illud, *ſubſtitit*, vt exprimeret verba illa Exodi: *Stetit vnda fluens:* oſtenderetque Mariam adeo fuiſſe intactam à rapido torrente peccati originalis, vt ipſa eminus conſpectà furens vnda reuerenter conſtiterit, quin præ timore pergere potuerit vlterius, quippe eam vim habet illud verbum, *ſubſtitit*: ad eum modum, quo ille dixit lingua ſubſtitit timore: vel etiam, vt magnus poeta

Et tacita refluens ita ſubſtitit vnda Mitis, vt in morem ſtagni, placidæque paludis
Sterneret æquor aquis; removt luctamen abeſſet.

Exo. 15. verſ. 8.

S. Sabb.

Ouid. ep 23. Æneï. 8

Aug. vero ſerm. 24. de *Natali Domini*, tom. 10 (ſiue Fulgentius, aut Seuerianus, vtriq; enim ſermo iſte adſcribitur:) premens Angeli verba: Aue gratia plena Luc. 1. v. 28. ſic inquit; *Cum dixit*: Aue: *Salutationem illi cœleſtẽ exhibuit: cũ dixit* gratia plena *oſtendit ex integro irã exclusã primæ ſententiæ, & plenã benedictionis gratiã reſtitutã*: Sic ille, omnino conſentiens cũ S. Sabbate dũ affirmat, iram primæ ſententiæ ad Mariæ conſpectũ inermẽ ſubſtitiſſe, cũ ipſa gratia plena pro primâ illa Euæ inflictâ maledictione plenã benedictionẽ, quã Eua amiſerat, inuenerit (id enim ſiue vult Aug. inquiẽs Mariæ, *plenã benedictio*

Lucæ 1. verſ. 28. Augu.

nis gratiã restitutã) atque citata refluereret vnda peccati originalis, quin ad ipsam pertingere vllã ratione valuerit *remo, vt luctamen adesset*

VI Sed enim tam pro elucidatione huius vndæ stantis, & verborum Andreæ *Dominus Fati tecum est*, quam pro appellatione cœlestis prodigij, illustrius quoddam, & explicatius (si tamen explicatius aliquid esse potest quam, quæ ex PP. attulimus) testimonium S. Ioseph Confessoris lectori iam damus: Si prius Deiparam cũ arca fœderis ex communi Patrum, & interpretum consensione composuerimus: Sic namque de ipsa dixit *S. Met.* S. Methodius M. Orat. in Hypapant. *Arca viua, & animata, ac velut propitiatorium in terra:* Sic Epiphanius Orat. in laud. Deiparæ. *Arca gloriæ spiritualis*; Sic Hymnus Græcus *Ephiph.* apud Buteonem: *Arca spiritu deaurata:* *Buteon.* Sic Chrisost. Serm. 6. de Ascensione: *Arca sancta, & indissolubilis:* *S. Chris.* Sic differtissime S. Laurentius Iustinianus serm. de *Natiuitate* *Laur. Iu* B. Virginis: *Arca testamenti verissima, quæ auro vestita mundissimo virtutum gemmis ornata ex imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas condentem virgam, & suauissimum in se manna continuit:* Sic Ioan. Geometra in Catena Corderij in Lucam ad cap. 1. vers. 36. *Ioan. Ge* Sic Richard. à S. Laur. lib. 10. *de laudib. B. Mariæ*, ab initio sic Andræas Ieros. *Ricar. à S. Laur. Andræ Hieros.* limitanus Orat. *In salutat. Angelicam:* Sic è recentioribus P. Ferdinandus de Salazar in Apologia de *Salazar* *Conceptione*, cap. 38. arg. 10. n. 8. Bernardum, & Ildephonsum adducens: P. Spinell. de *B. Virgine*, lib. 1. cap. 7 *Spinelus* n. 14. & alij plures: Nimirum illud inter omnia miracula ingens Arcæ prodigium fuit, cum vectantibus illam Sacerdotibus ad eius præsentiam rapidus Iordanis fluuij impetus constitit, vt populus per alueum securè transiret, vt habetur Iosue 3. vers. 16. *Iosue. 3. vers. 16.* *Steterunt aquæ descendentes in loco*

vno, & ad instar montis intumescentes, & vers. 17. *Omnisque populus per arentem alueum transibat:* Et à Vate egregia venustate poetica celebratur Psal. 113. vers. 3. *Mare vidit, & fugit, Iordanis cõuersus est retrorsum:* & vers. 5. *Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum?* Cui interrogationi sic statim respondet: *A facie Domini mota est terra*, &c. Quæ quidem pulchra immunitatis Mariæ, quæ facies Dei à PP. appellatur, vmbra fuit, in cuius conceptione peccati originalis impetus conuersus est retrorsum, & mors ab Adã in omnes pertransiens attonita steti: pulcherrimè id monẽte S. Iosepho Confess. apud Menæa Græca die 16. Ianuarij Ode 3. Canonis secũdi *de Cathedra S. Petri*, his disertissimis verbis Mariam allocutus: *Mors, cuius præcipitem impetũ reprimere nulla res potuit, ad te vsque perueniens attonita stetit:* Hæc S. Iosephus. Obserua, & osculare illa verba. *Ad te vsque perueniens attonita stetit:* Idest vt optimus Menæorũ elucidator, & Scholiastes Pater Simon Vvanguec Kius explicat: *Intacta per mansit ab originis culpa, quæ est mors quædam spiritualis ab Adamo in omnes trasfussa:* Sic ille. Sed pulcherrimus ille dicendi modus, *attonita stetit*, omni obseruatione dignissimus est: innuit siquidem excellissimam, atque diuinam Mariæ dignitatẽ, ad cuius adipectũ tùm tanquam ad cœleste prodigium, & stupendũ puritatis mõstrũ, tùm vel maximè propter rem nunquã auditam, aut visam, quę extra omnẽ caussarum seriẽ apparebat, mors consternata, & perturbata steterit: & ferox ipsius impetus retroactus fuerit vti præc. adn. adductus Imperator Leo Orat. de *Annũtiatione* eleganter dicebat. *Maledictio figmentũ Dei depascebat sed retroactus, & cõuersus est mali impetus: idq; vi, & obiectu benedictæ:* Pulchrè bonus Augustinus cõiurans cũ S. Ioseph. affir-

Psal. 113 vers. 3.

S. Ioseph

Richa. à S. Laur.

Leo Imp

mante

mãtemortisimpetũ ad Deiparãperue-
niẽtẽ,attonitũſtetiſſe.Sedimperator
non contentusdixiſſe peccatũ origi-
nale pauoreſtupefactũ hęſiſſe,pergit
vlterius,atque ipſum retrorſum re-
currens facit:quaſi obiectu Mariæ lo
co cedere,& longius diffugere fuerit
coactum.Quo in loco placet Mariæ
immunitati a peccato aptare,quæRi
chardus à Sancto Victore prima par-
te tractatus primi.*De exterminatio-
ne mali,& promotione boni*,cap.1.&
2.pro allegoriâ præfati retroacti im-
petus Iordanis excogitauit hunc in
modum:*Pulchrum ſpectaculum,ſa-
tiſque iucundum,videre aquam ma-
ris fugientem,videre aquam Iorda-
nis reuertentem,amaram recedere,
dulcem refluere,amaritudinem deſ-
cere,dulcedinem redundare*:Quippè
in Mariæ Conceptione mors attoni-
ta ſtetit,retroactus, & conuerſus
eſt mali impetus,peccati amaritudo
retrorſum diſceſsit:Diuini verò Spi-
ritus prædulcis vnda,& gratiarũ pe-
lagus refluxit,ac redundauit.

VII Quodſi ab vna prodigij cœle-
ſtis imagine ad aliam, & ab arcâ
fœderis ad arcam Noe velis tranſ-
ire,eſt itidem hæc (ſi verè æſtimas)
cauſſa, cur PP. ſolemne fuerit Ma-
riam,vel arcam Noe appellare, vel
cum ipſa componere: Sic namque
S.Bonauentura in laud. B. V. num.
4. Sic Heſychius Orat.2. de Deipa
rà appellans ipſam: *Arcam, arcâ
Noe latiorem, longiorem, illuſtrio-
rem*: Sic Bernardus in ſermone de
Beatæ Mariâ his verbis. *Arca
Noe ſignificauit Arcam gratiæ,
excellentiam ſcilicet Mariæ, ſicut
enim per illam omnes euaſerunt di-
luuium, ita per iſtam peccati nau-
fragium, illam Noe, vt diluuium
euaderet fabricauit, iſtam Chriſtus,
qui eſt Pax noſtra, & Requies, vt
humanum genus redimeret,ſibi præ-
parauit*:Sic BernardinusSenenſ.Ri-
chard.à S. Laurentio, & alij: At
enim vero hancArcæ imaginem nul-
lo opportuniori modo Mariæ apta-
ueris,quam ſi eam confecer.s ratio-
cinationem, vt quemadmodum in
illa atrocitate diluuij, quo(vt Am-
broſ.lib.de Noe, & arcâ cap.4.in-
quit) *vndique influentibus aquarum
molibus concluſum genus humа-
num*, ad mortem eſt. *Arca ferebа-
tur ſuper aquas*: Geneſ.7. verſicul.
18. *velut curriculo* (verba ſunt S.
Baſilij Seleucienſis Orat.5. *In Noe-
mum*:) *vndis inuecta, non proſcin-
dens fluctuum profunda; ſed equi-
tans in ſalo velut in ſolo*: *vice baſeos
erat pelagus, & arcæ ſubſternebа-
tur inundatio quaſi via publica*: Ita
prorſus Beatiſsima Virgo in gene-
rali originariæ labis diluuio, cuius
influentibus aquarum molibus con-
cluſum eſt ad mortem, humanum
genus:*Cum per vnum hominem pec-
catum in hunc mundum intrauit,
& per peccatum mors, & ita in
omnes homines mors pertranſijt*.Ad
Roman.5.verſ.12. Velut arca ſuper
aquas eleuata pulcherrimum de ori-
ginaria labe triumphum egerit, re-
gio videlicet Diuinæ gratiæ curru
vndis inuecta: *Equitans in ſalo ve-
lut in ſolo*.Firmâ videlicet, & robu-
ſtâ plantâ ſerpentis cernicem con-
terens,vtipſi vice baſis fuerit calca-
tus, & proſtratus hoſtis: & quod
alijs exſtitit inundatio, & mors,
Mariæ ſit via publica, & regia:
Victoria ſcilicet corona, atque
triumphus: quippe Moyſes verſic.
17.de induſtria dixit: *Multiplica-
tæ ſunt aquæ, & eleuauerunt a-
quam inſublime â terrâ*: Siue vt ha-
bent LXX: *Et exſaltata eſt à ter-
râ*: Opportuniſsimè hæc omnia præ-
ſtingente S. Bernardino hunc in
modum: *Multiplicatio aquarum
in arcâ Noe denotat gratiarum ple-
nitudinem in Mariâ, quæ eleua-
uerunt Arcam Mariam* (*in qua
ſaluatum eſt vniuerſum ſemen ge-
nerationis electæ*) *in ſublime â terrâ,
ideſt, ab omni terrenitate, & amore*

Bonau. *Heſych.* *Bernard* *Bernard Ricar.à S.Laur.* *Ambr.* *Geneſ.7 verſ.18.* *S.Ba.Se* *Rom.5. verſ.12.* *Geneſ.7 verſ.17.* *LXX.* *Bernardin*

infecto quia ad hanc puritatem, & munditiam nulla pura creatura ascendit, neque Angeli, neque Virgines. Hæc S. Bernardinus, & quidem rectè, cum Mariæ Conceptio adeò fuerit pura, adeo gratiarum plenitudine ornata, vt merito dixeris ibi, Deiparam primũ sanctitatis suæ initium sumpsisse, vbi desinebat vertex supremæ perfectionis Angelorum. Vnde iure exclamaueris cum Basilio Seleuciensi. *O arca paradiso firmior: Illic namque cum alijs nauigabat serpens: illic lignum mortis fuit instrumentum: hîc lignum salutis fuit gubernaculum: illic Adamum præuaricari docebat: hîc perfugio.* (Noemum inquit Basilius: tu dicito) Mariam petit: & quæ idem Pater statim in Noemum coaceruat, tu meliori quidem iure præfatæ cogitationi insistens Marię sic ex illo adscribito. *O Maria Mater viuentium Adamo anteferenda! O imaginis Dei firmior adseruatrix! O quæ principium naturæ fuisti! O faustum humanitatis confine: O quæ tutior diuinæ bonitatis fideiussor illuxisti! O quæ grassantem per genus humanum execrationem stitisti! O impietatis exitium fideique radix! O quæ oblitteratum imaginis illius charactêrem reformasti! O quæ diuini operis semina reseruasti! O quæ naturæ caussas inte complexa es! O cuius ope redarsit naturæ scintilla! O diluuio violentior! O fide custos tutissima!* Hactenus ille.

(§)

Bas. Sel.

Noem.

A

MARIAM ab omni labe immunem esse, Auroręimago, in quam Sol præueniens radios suos transfundit, opportunè ostẽdit.

ADNOTATIO. VI.

MARIAM, & sibi, & nobis Auroram exstitisse communi PP. & interpretũ calculo probatur: sub hoc enim sensu accipiunt Bernard. Rup. Petrus Damian. Alb. Magn. Ricard. & quis nõ? Cantic. verba cap. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens?* Quam quidem imaginem eo potissimum refero, vt in Mariâ, & a Maria noua mundo lux, noua vita siue nouæ, & veræ vitæ initiũ, noua rerum series vetustate peccati pulsa, morteque ablegatâ ortum habuerit: pulchrè Sergio Hieropolitano, in serm. de *Natiuitate Virginis* dicente: *Maria nascitur, & cum eâ mundus renascitur: & Ecclesia suo ipsius decore circundatur, atque ornatur:* Ita ille: & quidem recte: nam, vt à luce color, species, decor, & vita rebus, sic à Mariæ Aurora nouus sæculorũ ordo, vitalis scilicet, & gloriosus hominibus aduenit: Vt non immerito erudissimi viri censuerint Ecclesiã quę Mariæ decore circũdatur, atq; ornatur, hâc signatè de caussa diẽ Sabbathi in ipsius honorẽ cõsecrasse, quod eo die mũdus a Deo in lucẽ prodiuit vt Philoni obseruatũ est in lib. de *Victimis*, in hunc modũ: *Victimarũ numerus multiplicatur septimo quoque die, vt par pari addatur in æternitatis honorem, quod septimus dies mundi natalis sit:* Sic Philo. Vt videlicet dies in quo mundus natus est, Marię dedicetur, à qua denuo renatus est. Sed enim vt a Mariâ nouus rerum ordo, & mundi ortus, & vita procedit, ita ipsa omni corruptione,

B

C

D

E

Cant. 6. vers. 9. Bernard Rupert. Al. M Richard

Ser. Hie.

&

& labe libera, nullique debito obnoxia, *quasi Aurora consurgens* procedit: Certe de die Sabbathi septimanam complente, à quo ipsa subsistit hæc dicebat idem Philo lib. 3. *de vita Moysis*, quæ Mariæ opportune aptantur. *Animaduertit præterea septimanam Virginem, nec è matre natam, nec matrem ipsam, nec è corruptione oriundam, nec ipsam corruptibilem: denique intellexit, hanc esse mundi natalem, cœlo, terræque festam, & omnibus terrestribus: exhilarantem cuncta concinnissimo septenario.* Nimirum, vt à Maria tanquam ab Aurora lux cuncta exhilarans mũdi natalis est, ita ipsa, *nec è corruptione oritur, nec corruptibilis est:* Nam vt ab humana generatione sit orta, at extra communia humanæ generationis, extra legem, & extra pactum, procul ab omni labe, & debito naturæ originem duxit. Sole iustitiæ in ipsam radios suę lucis mature transfundente, vt pulchrè inquit Bernardus, *in deprecatione ad gloriosam Virginẽ Mariã*, hanc Auroræ imaginem sic ipsi accommodans, & illustrans: *Rectè quidem Auroræ implesti officiũ, ipse enim sol iustitiæ de te processurus ortum suũ quãdam matutinâ irradiatione præueniẽs, in te lucis suæ radios copiosissime transfudit.* Hæc Bernardus: Apud quẽ Mariam habes Auroræ imaginem implentẽ, quæ tum aureà luce exoriens, splendorẽ à Sole iustitiæ accipit; tum etiam, *primus aêris splendor, & diei clarescentis exordium est* (vt auroram diffinit S. Isidorus Hispalensis.)

Philo. — Bernard — S. Isidor

II Sed iam hanc Aurorę imaginem ex primà rerum molitione tibi depingito: Nempe, vt Deus operationem suam à luce inchoauit, cũ verbo, siue dictione suà dixit: *Fiat lux, & facta est lux:* Gen. 1. vers. 3. ita etiã cum mũdum denuo refecit, & splendori suo restituit, vt in Mariâ renasceretur, à luce opus suũ incipere fuit operæ pretiũ: Ecce ergo tibi Mariã Auroram, quæ terminũ tenebris imponens, nouã, aureamque lucẽ inducit, siue ipsa aurea lux est, sic S. Petrus Dam. serm. *de Assumptione Virginis* inquit. *Sicut Aurora terminũ noctis, & diei principiũ ad esse testatur, sic & Virgo noctẽ expulit sempiternã:* Ita ille: obserua, *sicut aurora terminũ noctis.* Sanè quasi vsque ad Mariã exclusiue, vt aiunt peccati nox ab infelici Adamo inuecta perdurauit, ipsa verò huic nocti sua luce terminũ posuerit, vt opus suũ Deus à luce inchoaret. Etenim in noctis vmbrâ, seu imagine mors animę tã prima, quã secunda illa, quæ æterna est, omnino adũbratur, luculenter id obseruante Greg. Magn. lib. 2. *Moraliũ*, c. 2. dum illa verba: *quadã die*, sic premit. *Non rediturus adueniã Iudas, quod ad traditionis perfidiam pertinet, nocte exijsse perhibetur dicente Ioan. c. 13. vers.* 30. Erat autẽ nox: & iniquo diuiti dicitur: Hàc nocte repetent â te animã tuam: Luc. 12. vers. 20. *Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, nõ in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est, quod Salomon, qui Sapientiã non perseueraturus acceperat, in somnis hanc, & nocte accepisse describitur:* Sic Gregorius: cui aucto censu subscribit Athan. quæst. 136. tã noctẽ ante Mariã, quam diẽ ab ipsa explicãs, dum per allegoriã huic cogitationi trahit illa Pauli verba 2. ad Corin. 11 vers. 25. *Nocte, & die in profundo maris fui*, siue *egi*, vt ipse legit inquiens: *Noctẽ dicit conuersationẽ in tenebrosis erroribus ante aduẽtũ Christi: diẽ verò vocat vitam post aduentũ Christi transactã in claritate baptismi:* Hæc Athan. Pro quo dilucide fide iubet Apostolus ad Rom. c. 13. ves. 11. admonens: *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus: nox præcessit: dies autẽ appropinquauit: Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus:* Vides Adæ noctem, vsque ad Mariam vnde quaque

Genes. 1. vers. 3. — Pet. Da — Gr. Ma — Ioan. 13 vers. 30. — Luc. 12. vers. 20. — Athan. — Cori. 11. vers. 25. — Rom. 13 vers. 11.

circunfusam, vide ergo iam Auroram tenebras expellentem, & rebus colorem, & splendorem dantem: Sic enim de Maria Bernardus, *in deprecatione*, loquitur: *Sicut Aurora valde rutilans, in mundum progressa es, ô MARI. Ad gloriosam Virginem Mariam. Quando veri Solis splendorem tantæ claritatis iubare præcurristi, vt verè diem salutis dixerim, diem propitiationis, diem, quem fecit Dominus, quem tuæ charitati* (crediderim legendum *claritati:*) *initiari dignum fuit. Felix Aurora, felicis diei exstitisti nuncia. Talis dies talem Auroram diei decuit.* Hæc modo Bernardus: alia æque opportuna postmodum allaturus: In his verò obserua. *Diem salutis: diem quem fecit Dominus:* Nouum scilicet diem appellans Bernardus illum, qui ab hac Aurora initium duxit, in quo infelix ille Adæ iactus siue miseranda sors à Deo per Mariam felicissimè correctus est: simulque vide hunc diei auroram consentaneam, veri solis splendorem tantæ claritatis iubare præcurrentem, vt ab ipsius initio salutem, & propitiationem initiari, planum fuerit: dum nihil in Maria antiquæ noctis, nihil tenebrarum fuit, sed omnia præclara, & splendētia, quod *talis Dies talem Auroram Diei decuit.*

III Ergo cum regnauerit nox, siue mors ab Adam vsque ad Mariam, læthali illius sorte in humanum genus decurrente, *& iaceret in malis, vel etiam volueretur, & de malis in mala præcipitaretur totius humani generis massa damnata*) vt inquit Augustinus in lib. Enchiridij cap. 23.) Diuina Mariæ Aurora, & terminum nocti præfixit, & diem salutis, diem propitiationis, diem vitæ in mundum inuexit, vt ab illa nouus sæculorum ordo, noua facies rerum, & ordo oriretur. Sub quo sensu S. Bruno in ser. *de Natiuitate Mariæ*, recēsitis Euæ filijs vsque ad ipsam Virginem Mariā opportunè inquit. *Hæc linea incipit ab Euâ, & desinit in Mariam, in principio est mors, in fine vita consistit: mors per Euam facta est: vita per Mariam reddita est: illa à diabolo victa est: hæc diabolum ligauit, ac vicit.* Nec minus appositè citatus initio huius adnotationis Sergius Hierosolitanus ipsam sic inuocat: *Expultrix tenebrarū, reparatrix Adæ: reuocatrix Euæ: immortalitatis fons: corruptionis interitus.* Sanè, vt quēadmodum ab Aurora finis noctis, & diei exordium est, rebusque color redit, vultu nitentis syderis; ita omnino cū Maria mortis finis, & vitę principium aduenerit: nouaque rerum facies mundo, pristinusque ille vitalis aeris splendor, & lux redierit. Cui cogitationi opportunissimè subscripsit inclytus ille, & quā pius, tàm gloriosus Imperator Leo oratione de *Annunciatione*, vbi ac si hęc ob oculos haberet, inquit. *Maledictio figmentum Dei depascebat, sed retroactus, & conuersus est mali impetus, idque vi, & obiectu Benedictæ:* Vt quemadmodum ad primū lucis conspectum fugantur tenebræ, & clara dies succedit, ita cum primum concepta apparuit Maria noua lux, & alius sæculorum ordo successerit, maledictione impetum suum cohibente immò retro agente. Quo sanè in loco non modo opportunè dixeris Mariam immaculatè conceptam fuisse dum eius obiectu retroactus, & conuersus est mali originalis impetus, ad ipsam accedere timente; sed etiam Marię immunitatem in signum, & si mauis in pignus humanæ salutis, & reparationis positam fuisse, vt ab ea noua rerum series inciperet: quemadmodum Aurora, & lux, & diei pignus est. Opportunè hæc omnia complectente Bernardo serm. 4. *Super Salue Regina*, hunc in modum. *De te secretorum cœlestium conscius Salomō dixit.* Quæ est ista, quę progreditur quasi Aurora consurgens? *Aurora*

Bernard *Augus.* *S. Brun.* *Leo Imp* *Bernard*

ſemper noctem ſequitur. Nox præcedit Auroram: Quid autem eſt nox frigida, & obſcura niſi originale peccatum? frigidum concupiſcentiâ, obſcurum ignorantiâ. Tu ergo proceſsiſti, vt Aurora lucida, & rubicunda, quia ſuper originali peccato in vtero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Hactenus Bernardus.

IV

Et verò nouam hanc lucem, ſiue Auroram (ſi bonis Auctoribus credis) illa Aurora præfigurauit, quæ opportunè illuxit, vt grauem, & implexam illam Iacobi cum Angelo luctam tenacibus vtrimque brachijs implicitã diſiungeret, atque ſedaret: de quâ ſic ſacer textus inquit. *Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Qui cũ videret, quod eum ſuperare non poſſet tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum. Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora.* Genes. 32. vers. 24. Sanè cum PP. hanc hiſtoriam in varios ſenſus allegoricos inflectant, ille quidem omnium videtur opportunisimus, quẽ præfatis Canticorum verbis, quæ præ manibus habemus. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* affixit Cardinal. Hailgrinus apud P. Martinum del Rio, vt videlicet in eâ lucta prælignaretur vehemens illa æque, ac ſancta priorum Patrum contentio aſsiduis precibus & lacrhymis à Deo aduentum vnigeniti ſui effiagitantiũ: in Auroræ vero aſcenſu, Dei cõdeſcenſum, atque indulgentiam Mariæ ortum humano generi elargientem, vt ipſa noctẽ finiret, & diem ſalutis inchoaret. Sed audi Cardinalem Hailgrinũ, & hæc diffundentem, & Mariæ aptantem: *Hæc eſt Aurora, de quâ Angelus ad Iacob in Geneſi:* Dimitte me, iam enim aſcendit aurora: *Si quidem per Iacob luctantem cum Angelo ſancti Patres deſignantur, qui luctantes cũ Domino precibus, & lachrymis extorquere, & obtinere à Domino incarnationem filij ſui tali inſtantiâ, velut quâdam victoriâ nitebantur. Sed eorum cœtui reſpondetur à Domino:* Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora: *Ceſſet inſtantia veſtri luctaminis, quia iam lux naſcitur, videlicet Virgo, quæ vobis pariet verũ Solem:* Ita ille: Iam vero ipſammet Aroram aſcendentem, & munus ſuũ omnibus numeris implentem dilucidè deſcribit Philippus Abbas cap. 10. in *Cantica* inquiens. *Aurorâ cõſurgente expaueſcunt tenebræ, nox rareſcit, diſsipatur obſcuritas, lux nouella ſuboritur, quædam mundi facies illuceſcit, rebus color redditur, terræ ſuperficies hilareſcit. Noſtra igitur Virgo huic ſimilis eſt. Auroræ, quæ viſitat nos oppreſſos tenebris, & vmbrâ denſiore, quibusdam maieſtate manus quaſi terrorem incutit repentinum, illis diſparentibus matutinum nobis iubar inuehit:* Ita Philipus apud quem obſerua illa: *Lux noua ſuboritur, quædam mundi facies illuceſcit:* Vt a Mariâ videris nouam illam rerum ſeriem, ſiue mundi faciẽ, quæ in Dei decretis primæ illi ſucceſsit, vt ferreo ſæculo excluſo aureæ ætati initium daret.

Philipp. Abbas.

V

In quem etiam ſenſum inflexit Richardus à S. Laurentio lib. 7. de laudibus Mariæ tum ea Domini ad Iob verba cap. 38. verſ. 12. *Nunquid poſt ortum ſuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti Auroræ locum ſuum?* Tum hæc Oſeæ cap. 6. ver. 4. *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius:* Nã priora ſic explicat: *In hâc auctoritate tangitur vtraque generatio, ſcilicet Chriſti, & Mariæ. Præcepit enim Dominus, diluculo, ideſt, Beatæ Virgini, & illuxit,* & oſtendit Auroræ, ideſt, *Beatæ Virgini,* locum ſuum, *vt terminaret tenebras, & inchoaret lucem:* Poſteriora verò ita ſimiliter premit: *Diluculum dicitur ortus Mariæ, quia fuit diluculum diei gratiæ, quia vſque ad ipſam durauit nox, quã prima mater in mũdum introduxit:*

Iob. 38. verſ. 12.

Oſeæ 6. verſ. 4.

Ric. à S. Lauren.

Gen. 32. verſ. 24.

Ca. Hail

Hæc ille: Sed iam in hâc imagine immunitatem Mariæ meridiana luce clariorem vide: Quid enim aurora? quid diluculum? quid illucescere? quid inchoare diem gratiæ? nisi puritatem conceptionis, immunitatem â tenebris, & omnimodam claritatem significet? *Præcepit* (inquit Richardus) *Dominus diluculo idest Beatæ Virgini, & illuxit*: Vt perinde sit in mundum ingredi, & illucere, siue lucis ortum, & Orientem esse: Certè Gregorius Thaumaturgus serm. 1. *de Annuntiatione* Mariam ex persona Angeli ita salutauit. *Aue gratia plena Solis iustitiæ Oriens, & flos immaculatus*: Ex floris illibati, & immaculati imagine, Auroræ siue Orientis similitudinem pro Virginis immunitate illustrans: Sed enim ipsemet Angelus sese opportunius, & luculentius explicuit cum B. Brigittæ, in *Sermone Angelico*, cap. 1. sic locutus dicitur: *O quam clarè in Annæ vtero emicuit Aurora consurgens, quando in eo Mariæ corpusculum per aduentum animæ viuificatum exstitit: cuius ortum videre Angeli, & homines tantò desiderabant*: Ita ibi: Vides ex sensu Angeli Auroram consurgentem esse Mariam absque labe conceptam? Audi iam ipsammet Dominam pro Angelo fideiubentem apud S. Brigittam, *in Reuelationibus*, lib. 6. cap. 55. hunc in modum: *Aurea hora fuit Conceptio mea: nam tunc incæpit principium salutis omnium, & tenebræ quasi festinabant in lucem. Deus namque singulare quoddam, & â sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virgâ arida florescente*: Sic Deipara disiertissime: obserua auream locutionem: *Aurea hora fuit Cōceptio mea*. Vt nihil purius, nihil elatius, aut splēdidius, nihil pretiosius, nihil nobis salutarius, quam Mariæ Conceptio excogitari possit: Quid enim præclarius, & a peccati tenebris longius, quam *aurea hora*, quæ tota fulgida, & splendens est? quippe, *singulare quoddam, & à sæculo absconditum*, Deus facere voluit in opere Mariæ? Quid itidem nobis vtilius? Nimirum ante hanc auream horam totum erat ferrum, totum horror, totum tenebrę ab infelici illa, & ferreâ Adæ hora; a Mariæ verò Conceptione incæpit principium salutis omnium: Sapienter id describente S. Petro Damiano serm. 4. de *Assumptione Virginis*: Vbi ferreâ horam ita depingit: *Ab illa horâ* (loquitur de Adæ peccato) *tenebræ factæ sunt super Vniuersam terram vsque ad Virginem: nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris: vel tenebras dissiparet: sed mundo crescente concreuit tenebrosa vorâgo, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepeliuit. Sed natâ Virgine surrexit Aurora, quia Maria præuiâ luminis natiuitate suâ, mane clarissimum serenauit*: Hæc ille: Apud quem extra omnem dubtationem est, omnino de Mariæ conceptione esse accipiendū. Quid, quod de eius natiuitate ibi ipse loquitur? vt sensus & orationis series manifeste exigit, cum in Aurorę imagine perinde ortus, atque conceptio fuerit. Et quidem ortum rei maximè dicimus esse cuiusque rei initium, vt ad ea verba Iob 3. vers. 9. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ*, quæ de Natiuitate Virginis exposuit S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 2. ad 2. scitè adnotarunt PP. Franciscus Suarez, & Gregor. de Valentia in commentarijs eius loci Angelici Doctoris, contendentes eadem ratione de Conceptione Virginis hæc fore accipienda, quâ de Natiuitate eius, ipsemet Sanctus Doctor explicuit.

Gregor. Taum.

B. Brig.

Pet. Da.

Iob. 3. vers. 9.

S. Th. 3. p. q. 27.

Suarez.

Valent.

VI

Sed, & huc iterum intentus Richard. à S. Laurentio lib. de Laud. Mariæ scite composuit ea vatis verba: *Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuā*. Psal. 118. ver. 126.

Ricar. à Lauren.

Psa. 118 ver. 126

Quibus

Quibus Dauid peccati tenebras humano generi vndique offusas significauit: cum illis Domini lucem ad mundi illuminationem educentis,& in ipsa Mariam præsignãtis: *Fiat lux* Genes. 1. vers. 3. Audi illum: *De hâc luce dicitur.* Genes. 1. Dixit Deus fiat lux: & facta est lux: *Dicturus erat Psalmista.* Tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam: *Et Dominus:* Fiat lux: *Quasi iam diceret Mariæ:* Dedite in lucem gentiũ Isaiæ 49. *Vnde sequitur:* Et vidit Deus lucem quod esset bona: *Sicut enim nemo bonus, nisi solus Deus, sic nulla anima Mariæ comparata inuenietur perfecta: nam sicut ipse super omnes Deus benedictus, sic Maria inter mulieres, ideſt super omnes mulieres benedicta.* Hactenus Richardus: vbi manifeste vides Mariam totam lucem, & in luce formatam, quæ peccati tenebras expelleret, & mundo lumen restitueret: Vnde paulo ante ibi Richardus sic scite ratiocinatur, Deiparam lucem esse: *Quia singulis rebus species proprias, & differentias restituit, quas abstulerant tenebræ, quia tempore tenebrarum omnia sunt in chao, & confusione: sic factum est mundo per peccatum Euæ sed Mariâ lucè verâ veniente, ad formas proprias omnia quasi de tenebris euaserunt, scilicet status, ordines, & gradus Ecclesiæ Catholicæ, & exemplaria virtutum.* Sic ille.

VII Nec ab hac cogitatione abijsse dixeris Dominum, cum aduentum suum in terras, & totam humanæ salutis œconomiam, & Dominicæ incarnationis Sacramentum, non aliâ, quam diei sui locutione significauit Ioan. 8. vers. 56. Ioan. 8. ver. 56. incredulis Iudæis fugerens: *Abraham pater vester exsultauit, vt videret diem meum: Vidit, & gauisus est,* sub hoc sensu capiente hæc verba S. Cyrillo Alexandrino in Catenâ Græcâ, & cum Bernardo superius adducto, hanc Christi diẽ eandem faciente cum die, quam recit Dominus, ad hunc modum. *Diem autem vocat tempus aduentus sui, de quo Psalmista inquit. Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in eâ.* Hæc Cyrillus: Enim verò si aduertis, dum Dominus aduentus sui tempus, & humanæ salutis reparationem, diem suum vocat, duo consequenti, & necessariâ ratione affirmauit, alterum: perinde id fuisse, ac cum in mundi exordio, *diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem, diem ac tenebras, noctem:* Genes. 1. vers. 4. Infelicem videlicet illam peccati, & tenebrarum ab Adamo decurrentiũ noctem à lætissima diuinæ gratiæ, & humanæ salutis die discernens: alterum, Mariã, quæ huius diei iucundissima Aurora exstitit, nullo modo ad noctem, seu ad peccati tenebras, sed ad nouam diei lucẽ pertinere, atque à diei parte stare, vti disertissimè affirmauit Bernardus illis verbis: *Ipse enim Sol iustitiæ de te processurus ortum suum quâdam matutinâ irradiatione præueniens in te lucis suæ radios copiosissimè transfudit.* Quibus Mariam, nõ modo ex parte diei stantem, sed etiam ab ipso sole matutinâ irradiatione sic præuentam, & illustratam facit, vt diuinis lucis suæ radijs in ipsam transfusis eundem cũ sole diem Maria constituere videatur, dum Aurora initium diei dare dicitur. Quò opportune facit Richardus à S. Laurentio, *lib. 2. de laudibus Mariæ,* prędicta vatis verba. *Hæc dies quam fecit Dominus,* ad ipsum met diem Conceptionis Mariæ signatè referens: nam cum pręmisisset: *Solemnizãda est Maria in omni tẽpore, & ab omni fideli, & maximè in Sabbathis, & Vigilijs, & specialibus festis suis, quoniam per ipsam redijt homo ad solemne festum gaudij, æterni:* Subdit post non nulla. *Id circo Mariæ constituere debemus diem solemnẽ incondensis sicut docet Psal.* 117. *ei dicentes.* Hæc est dies, quam fecit Dominus: *Et voluit custodiri*

Genes. 1. — Cyrill. — Genes. 1. vers. 4. — Isaiæ 49 — Ricard. — Bernard — Richa. à S. Laur. — Ioan. 8. vers. 56.

adhonorem Matris ſuæ diem Conceptionis: Hæc ille. Ecce tibi Conceptionis Mariæ auream horam, & diem ſalutis quam fecit Dominus, & diem ipſam, quæ Chriſti dies eſt, quã exſultans vidit Abraham.

VIII *Pſal.* 47 *verſ.* 2.

Nec à Bernardi ſenſu, & verbis diſceſſerim quin pro illis obſeruem titulum præfixum Pſal. 47. qui vt à PP. frequenter accipitur, totus de Deipara, & ipſius immunitate eſt, vt vel ex primitiuis lectionibus, ſiue translationibus liquet: Etenim cum poſt ea verba: *Magnus Dominus, & laudabilis, nimis in ciuitate Dei noſtri in monte Sancto eius*, ſubijciat vates: *Fundatur exſultatione vniuerſæ terræ mons Sion: latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*: pro his Hebrea reponunt: *Pulcher climate mõs Sion*, ſiue etiam *pulchra Nympha*. Vt latius perſecutus ſum ſub hoc ſenſu in epiſt. ad Philipp. tom. 1. cap. 2. verſ. 7. adnot. 8. vide ibi: Nam modo ſolum cũ Pſalmi titulo nobis res eſt: eſt ergo hic: *Pſalmus Cãtici filijs Core ſecunda Sabbathi*: Sed enim, vt bene noueris, quid ſit. *Secunda Sabbathi*, prius quid, *prima Sabbathi*, ex Dauidis ſenſu fuerit, noſſe eſt operæ pretium: Enim vero ipſe Pſalmo 23. in quo Chriſtum delineauit eum affixit titulum: *Prima Sabbathi Pſalmus Dauid*: Ipſum videlicet Chriſto Domino aſsignans, vt ibi admonet Auguſtinus, quod prima Sabbathi lucem fecerit, eamque à tenebris diuiſerit. Geneſ. 1. verſ. 3. vt ſic hac imagine præfiguraretur Chriſtus, in cuius honore prima Sabbathi dicitur: *Dies Domini*: Iam inde obſerua, & ſcito ſecundam Sabbathi in quâ firmamẽtum factum eſt, omnino præſignificare Mariam non tantum, quod ipſa à PP. cum firmamento componatur, & firmamentum appelletur præſertim à Bernardo ſerm. 3. ſuper *Salue Regina*, dicente: *Firmamentum omnibus firmamentis firmius*: Sed etiam ſingillatim, vt quemadmodum primam Sabbathi ſecunda Sabbathi conſequitur, ita Maria Chriſto coniunctiſſima in peculiaribus gratiæ donis habeatur, & cum Sabbatum requies Domini ſit: vt in Chriſti Domini, ita & in Mariæ Conceptione Deus requieuiſſe cenſeatur, à prima videlicet Sabbathi, quæ Dei lux, ideſt Chriſtus eſt. Secunda Sabbathi lucem accipiente, quod Auroræ proprium eſt, quæ vt Mater lucis ſit, a ſole tamen auream lucem accipit, elegantiſsimè dicebat Bernardus: *Et rectè quidem Auroræ impleſti officium: ipſe enim Sol iuſtitiæ de te proceſſurus ortum ſuum quãdam matutinâ irradiatione præueniens: inte lucis ſuæ radios copioſiſsimè tranſfudit*: Vides ſecundam Sabbathi à primâ lucem accipientem? Itidemque tanquam Auroram, quæ, vt dicebat Iſidorus: *Diei clareſcentis exordium, & primus âêris ſplendor eſt*: Lucem progignentẽ, & Solem mundo afferentem? Audi modo quam opportunè id firmet Eccleſia Græca in Menæis die 7. Martij in veſperis, *de SS. M. M. Baſileo, & ſocijs*: Deiparam his verbis conſalutans. *Saluc, quæ es Solis inacceſsi vehiculum, & radiorũ loco ipſummet Solem emittis cunctarum mentium captu maiorem: Salue mons diuinorum ignium, ſublimibus velut excubijs fulgens! Salue ſplendor, qui ſcintillas, vt fulgur, vnaque totum terrarum orbem illuſtras: Splendor aureis rutilans radijs! Splendor omni genere venuſtatum decore, cuius nobis exoriens lucem occaſum non habet*: Hactenus Eccleſia Græca: Quæ vt Deiparam tum Auroram, tum a communi labe immunem faceret appoſitè ipſam ſplendorem toties vocauit: pulchrâ huic imagini in præſens inſtitutum inhærente epitaſi.

Bernard

S. Iſidor

Ec. Græ

Geneſ. 1. *verſ.* 3.

Leꝛ. Heb

Sane Mariam Deiparam, vt ſæpius ex PP. obſeruauimus candorem lucis æternæ dixit eſſe Salomon illis verbis Sapient. 7. verſ. 26. *Candor eſt lucis æternæ*, ad quæ in èarum com-

XI

Sap. 7. *verſ.* 26.

mentario

mentario monui, græcam vocem proprie vertendam: *resplendor*, siue *relucentia lucis*, quę per solarium radiorum reflexionem fit, vt sit sensus, Mariam matutina irradiatione a sole iustitiæ præuentam, lucis radios ex eius repercussu accepisse: ac proinde in luce conceptam quin vlla pars tenebrarũm Adæ ad ipsam peruenerit, quod videtur habuisse ob oculos S. Petrus Damianus serm. de *Annuntiatione*, ijs verbis, quæ in ore omniũ natant, sed quibus peculiaris hinc lux subsit: *Caro enim Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Hæc ille quibus scite rationem reddit, cur Deipara à maculis Adæ immunis fuerit, quia videlicet diuina Aurora exstitit, de qua processurus Sol iustitiæ in ipsam lucis suæ radios copiosissimè transfudit: Vbi omnino vides: cur repetitis locutionibus Deipara ab Ecclesia Græca, isque splendor, qui scintillet, vt fulgur quique aureis rutilet radijs, quique omni genere venustatim decoris sit, appelletur, nempe, vt eum designet splendorem, qui & prodiuit ex sole iustitiæ, & è quo vicissim ipse etiam sol tamquam lumen, quod occasum, non habet, exortus est. Quid, quod: cum splendor Maria dicitur, tenebrarum originariæ labis expers omnino esse asseritur? nam splendori tenebras habere repugnat, quippe quod aliquid tenebrarum habet non splendorem, sed lucem malignam dicimus, quæ ab splendore scintillas emittente, & aureis radijs rutilante longe it: Sunt namque, *tenebræ absentia lucis*, (vt loquitur S. Isidorus lib. 3. Originum cap. 10.) ideoque nõ potest, vel vno momẽto splendor cũ splendoris absentia, idest cum tenebris coniungi. Ergo si Maria *splendor* vt reapse, & dicitur, & est, nec vno saltem momento culpæ tenebras habuisse dicendum est, vt ad hunc Ecclesiæ Græcæ locum argutè, & piè obseruauit P. Simon Vvangneck. accuratus Menęorum Scholiastes.

Gr. Lect

Pet. Da

S. Isidor.

P. Sim.

X

Sed vt iam ad Psalmi titulum, cuius occasione hæc dicta sunt accedamus: Obserua, vt in titulo Psalmi 23. qui de Christo est, ad id prima Sabbathi nihil addi, ita in titulo Psal. 47. qui ad Mariam pertinere dicebamus, signatè poni: *Filijs Core secunda Sabbathi*: Et verò, vt nõ sim nescius, hæc verba, *filijs Core* à Dauide fuisse directa ad egregios cantores Core filios, & Herman discipulos, tamen, Scripturæ profunditas, vt mysteriorum in eà abyssus est, simul crediderim, notanter eo in Psalmo in quo de Mariæ immunitate, vt dicebamus, agitur, ad canendum fuisse assumptos filios Core, cum allusione ad historiam primitiui illius Core, quem diuina indignatione vrgente, *aperiens terra os suum deuorauit*: Numer. 26. vers. 10. Subijciente Sacro Scriptore: *Et factum grande miraculum, vt Core pereunte filij eius non perirent*: Pręsertim cum pro illis verbis: *Factũ est miraculum grande*, tàm LXX. quà Chaldæa Paraphrasis reponant, *& facti sunt in signum filij Core*: Quasi hæc verba respicerent illa, quę de Maria inquit Ioannes: *Signum magnum apparuit in cœlo*: Apocalyps. 12 versic. 1. velitque applaudere Dauid sententiæ Petri Damiani: *Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit*, quod ipsa fuerit signũ magnum, siue miraculum grande in ea factum fuerit, vt Adamo pereunte Mariæ ex Adam sumpta non perierit: in cuius gratiam: *facti sunt in signum filij Core*: Nimirum ipsius puritas, *in candorem lucis æternæ conuersa est*: à prima luce relucentiam, & splendorem accipiente, vt ab Aurora tempestiuè Sol exoriretur: eodemmet Vate Christo Domino suggerente: *Ex vtero ante luciferum genui*. Psal. 109. vers. 4. nam & Hebręi Codices ad Christum ex Mariâ hominem fa-

Psal. 47

Num 26 vers. 10.

LXX. Chald.

Ap. 12. vers. 1.

Psa. 109 vers. 4.

ctum hæc verba referentes habent. *Ros natiuitatis tuæ ex vtero Auroræ est:* Ad quem modum sic legit Pagninus: *Ex vtero ab Aurorâ fuit tibi ros natiuitatis tuæ:* Et sub hoc sensu ea accipiunt Iustinus M. lib. contra Typhonem, Tertullianus lib. 5. contra Marcion, & Eusebius in Commentario, qui insuper addit: omnino in his verbis Mariæ nomen legi: Sic enim ait: *Pro eo autem, quod est,* ex vētre, *vel* ab vtero, *Hebraicum ipsum habet* Mariam: *Ac scio, me quemdam super hoc audisse qui diceret, Hebraicam vocem hoc loco ipsius Mariæ nomen commemorasse: nam dictio,* Mariam, *Mariæ nomen indicat, ac si nominatim per hæc Dei Mater cōmemorata sit.* Hæc Eusebius: Et rorem natiuitatis Christi à Mariæ aurorâ. Sed his adde de hoc cœlesti rore ab vtero Auroræ nato signatè dictum ab Isaia cap. 26. vers. 19. *Ros lucis ros tuus:* quasi denuo lucem reciprocâ acceptione nactus fuisse dicatur, qui lucem primitus in ipsam deriuauit, & copiosissimè trāstudit: vti S. Eleutherius serm. de *Natali Domini,* apud Bibliot. Veter. PP. tom. 15. dixit hunc in modum. *Posiquam eum Virgo in vtero concepit: Virgo lumen, quod illuminat omnem hominem parturiuit,* vt dixisse videatur, ab vtero Virginis lumen prodisse, & inibi lucernam fuisse accensam: Sed quâ, inquis, ratione? cum Christus natura sua lux vera sit, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Respondemus, quod Auroræ vterus, lucis vterus sit, in quam videlicet ipse lucis suæ radios transfuderat, quemadmodum, ex Aurora & in sinu Auroræ Sol nascitur, & tamen à Sole ipsa, & lucem accipit, & naturam.

Iust. M. *Tertull.* *Euseb.* *He. Lect* *Isa. c. 26. vers. 19.* *Eleuth.*



IHS

DISSERTATIO SECVNDA

In quà MARIAM ab omni originarià labe immunem fuisse ex eius nomine signatè euinci-tur.

MARIAM Immaculatè Conceptam, eius nomen è thesauro Diuinitatis euolutum manifestat.

ADNOTATIO I.

I

PAcit quidem pro Mariæ immunitate, eius nomen de thesauro diuinitatis euolutũ vti dicebat S. Petrus Damianus serm. de *Annunciatione* Habet enim pulchram in hanc rem emphasim: Mariam, cum primum diuinæ menti formanda occurrit, de nomine signatè cognoici; & peculiarẽ id beneuolentiam Numinis erga ipsam in primà conceptione manifestè indicat: sic enim Moysi Exod. 33. ver. 12. affatus dicitur Dominus: *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam corã me*: Ad quæ verba nemo non exinterpretibus adnotat, ad specialẽ Dei beneuolentiam pertinere, ipsum de nomine aliquem cognoscere, cum ipsemet Moyses sese explicauerit ex ore Dei subdens, *& inueniſti gratiã coram me*: Do tibi pro pluribus vnũ Oleastrum, ea verba sic elucidãtem.

S.P.Da

Exo. 33. vers. 12.

Oleaſter

A

B

C

Noſſe aliquem ex nomine, est illum familiariter cognoscere. Solent enim nostri, cum suam familiaritatem apud Regem significare volunt dicere. Scit Rex nomen meũ, ideſt me familiariter cognoscit. Vnde scite subdit, *& melius vertas*: Ex nomine: *quàm* cũ nomine: *aut* in nomine: *Vt sit sensus. Non solum te noui ex facie; sed etiam ex nomine. Multos enim ex facie nouimus, quorum nomina ignoramus: miniſtros verò frequenter nobis miniſtrantes nouimus ex nomine, quoniam oportet eos, frequentius vocare nominando: & fortè hoc vult Dominus significare, cũ dicit*: Noui te ex nomine: *ideſt, noui te quasi miniſtrum, quo frequenter vtor, quem per nomen, sæpius vocare oportet*: Hæc ille: Sed melius, & omnino ad rem Aug. q. 153. *in Exodum*, ad peculiarẽ Dei dilectionem hæc refert, hunc in modũ. *Numquid Deus aliqua scit, & aliqua minus? an secundũ quod in Euãgelio di-*

Auguſ.

citur quibusdã: Nõ noui vos: *secundũ hanc scientiam, qua Deus dicitur scire, quæ illi placent, nescire, quæ displicent; non quia ignorat ea, sed quia non approbat, sicut ars rectè dicitur nescire vitia, cum improbet, & præ omnibus Moysen Deus sciebat, quia Deo præ omnibus placebat.* Sic Augustinus.

II *Ma.* 29 *vers.* 18. *Hilariu*

Cui obseruationi fauet pulchra Hilarij obseruatio ad ea Domini verba apud Matth. cap. 26. vers. 18. *Ite in ciuitatem ad quemdã, & dicite ei Magister dicit Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis:* Premit enim ipse illud, *ite ad quemdam,* sic ambigens: Oportuerat eos scire, quo *pergerent, & de hominis nomine edoceri: alioqui incerti ad quem mitterrentur, quomodo missi, quæ præcepta fuerant exsequerentur?* Sed dubitationi statim opportunè occurrit, quasi nomen denotet dignitatem hominis Christiani, & ad specialẽ Dei beneuolentiã, & familiaritatẽ spectet, quãhomo ille non fuisset adeptus: sic enim Hil. *Hominem enim, cũ quo Pascha celebraturus esset non nominat: non dum enim Christiani nominis honor creditibus erat præstitus, qui verè sunt Deũ mentis ac fidei oculis contuentes:* Ita ille: Pro quà obseruatione plura sunt in scripturis, quæ cõcinãt: dixit quippè Dominus apud Luc. cap. 10. vers. 20. *Gaudete quoniam nomina vestra Scripta sunt in cœlis,* & Exod. 1. ver. 1. pro iustorũ signo, & tessera dicitur: *Hæc sunt nomina filiorũ Israel, qui ingressi sunt Ægyptum cũ Iacob, Rubẽ, Simeon, & Leui,* &c. Ad quæ verba si ambigas: cur Sacer Scriptor duodecim solũmodo Patriarcharũ nomina scripserit, cũ statim dixerit septuaginta admodũ hominesin Ægyptũ descendisse? respondet inibi S. Stephanus Cantuariens. in allegorijs Gotfridi Tilmani. *Hæc sunt nomina filiorũ Israel: idest bonorũ: soli enim boni habent nomen: Vnde diues non nominatur, quasi ignotus Domino* (Luc. 16. v. 19.) *pauper vero tanquam familiaris, Lazarus nominatur. De malis dicitur:* Vocauerunt nomina sua in terris suis Psal. 48. v. 12. *é contrario de bonis:* Gaudete, quoniã nomina vestra scripta sunt in cœlis. Vnde in confirmatione Baptismo, *& Circunciſione puero nomen imponitur, ac si dicatur Soli interius mũdi nomen habent:* Hactenus scitè, & opportune Stephanus Cantuariens. edoctus, opinor, a Hier. qui hoc omnino sensu in epitaphio Nepotiani inquit. *Ab eo tempore cẽsemur, ex quo in Christo renascimur* Ita ille pulchrè, *censemur,* idest in cẽsum, & albũ hominũ, qui vere homines sunt redacti: nã soli interius mũdi nomẽ habent, & verè sunt: cũ signatè de idolatris dicatur, nõ esse, vt apud Esther. 14. ve. 11. *Ne tradas Domine sceptrũ tuũ ijs, qui nõ sunt.* Nec pigebit, quãuis tantisper pudeat) his adiungere Virgilianũ in hanc rẽ acumen, dũ poeta perpetuo dissertissimus, cũ Reginã Didonẽ inducit indigna se nece perimẽtẽ, de industrià eã, nec Didonẽ, quod propriũ nomẽ erat, & viraginem sonat; nec Riginã, quę honoris appellatio est, sed *illã* sic nominat lib. 4. Æneid.

Illam media inter talia ferro
Collapsam adspiciunt comites

sic idibi obseruãte bono Scholiaste. *Nec Reginam dixit, nec Didonẽ, sed* illã, *cũ præ amore impotens sui pectus ferro transuerberat:* Vt dixerit, nec propriũ nomen, nec regale meretur, cũ nec regio animo, nec virili se gessit: sed intemperanti, & abiecto: *illa* ergo dicatur; quæ nobilibus titulis seu fletur indigna, dum admittit abiecta.

Ecce ergo tibi dum è thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ipsam vt de nomine notam ita in sua Conceptione Deo charam, atque dilectam, cui iam tunc honor Christiani nominis (vt dicebat Hilarius) præstitus est: cuius nomen,

Luc. 10. *vers.* 20.

Exod. 1. *vers.* 1.

Stheph.

Psal. 48 *vers.* 12.

Hierony

Esth. 14 *vers.* 11.

Virgil.

non

non modo in cœlis, ſed in ipſo Dei corde,& ſinu Scriptum erat: vt quẽ admodum, *bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum* (Matthæi 12. veri. 35.) ita *de theſauro Diuinitatis eructaret cor Dei verbum bonum*. Mariæ nomen: vt exinde potiori ratione, Mariæ, quam Moyſi dixerit Deus. *Noui te ex nomine tuo, & inueniſti gratiam coram me:* Quod videtur Angelus expreſsiſſe cum Mariam ſalutans ipſi ſuggeſsit. *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum*. Lucæ 1. verſic. 30. cum notanter ad primam nominis Mariæ expreſsionem ſubiecerit: *Inueniſti enim gratiam apud Deum:* Vt dixerit (quod de Moyſe Auguſtinus) præ omnibus te de nomine Deus ſcit, quia Deo præ omnibus à primo tuæ Conceptionis inſtanti placuiſti: Vnde bene notatum eſt à Cardinali Toleto accuratâ locutione dictum fuiſſe ab Angelo, *inueniſti gratiam apud Deum*, quod nulli alij dictum eſt: Audi illum: *Eſt autem aduertendum multo excellentius, & ſingularius dictum eſſe de B. Virgine inueniſſe gratiam, quam de cæteris omnibus, quorum ſcriptura meminit hi namque inueniſſe gratiam pronunciantur*, coram Domino, *aut* ante Dominum, *aut* in conſpectu Domini, *aut* in oculis Domini: *his enim quatuor locutionum modis Scriptura de alijs locuta eſt, at noua eſt hæc forma loquendi*, apud Deũ, *vt enim Græci Auctores rectè tradunt, præpoſitio* ſoaſa *caſui dandi iuncta, vti nunc legitur, idem ſignificat, quod Latinè* iuxta *ſeu* prope, *quaſi dictum ſit, inueniſti gratiam prope Deum*: Sic Toletus. Sanè, vt cuius nomen theſauro Diuinitatis euolutum nouam ipſius, & immaculatam Conceptionem denotabat, noua formâ loquendi eam gratiam prope Deum inueniſſe diceretur, quam nulla alia creatura fuiſſet adepta: Quod vero ſubijcit ſtatim Cardin. Toletus premens eum dicendi modum: *Apud Deum non apud Dominum, quia cum omnes ſimus ſerui, Deumque Dominum habeamus, ipſa conſecuta eſt, vt Mater etiam eſſet*: Eodem etiam referri poteſt, vt Maria ex nomine nota, etiam ſi naturâ fuerit ſerua, ab ipſo tamen conceptionis exordio, dignitate naſcendi, liberalem, & regiam cõditionem adepta, Deum potius cuius nomen benignitatem ſignificat, quã Dominum, quod imperium ſonat, experta ſit.

Quò iã referas ipſummet Mariæ nomẽ hoc eſt eius ſignificationẽ, de quo quidẽ verius, quã de Victorello cuius meminit Ennodius dict. 2. dicemus. *Futuræ annunciatrix innocentiæ, diuinitus nomen impoſuit*: Quod vt præclare de eo S. Methodius M. in *Hypapantem*, inquit, *Iuum Dei genitrix nomen diuinis benedictionibus, & gratijs eſt refertum*: Nimirum Maria (vt docent Hieronymus lib. de *nominibus Hebraicis*, Eucherius lib. 2. *inſtituit*. Beda lib. 1. in *Lucam*, Chriſolog. ſerm. 142. Iſidorus lib. 7. *Æthymologiar.* Arnoldus Carnotenſis tractatu de *laudibus Virginis* Damaſcenus lib. 4. de *Fide Orthodoxa*, cap. 15. propriè interpretatur *Domina*: Quod ſic expreſsit præter alios Damaſcenus: *Anna genuit Mariam, ideſt gratia, Dominã*, Vt dixerit. Quid enim gratia conciperet, & pareret niſi Dominam, ſiue Reginam, regium ſcilicet, & nobiliſſimum fœtum, ſui omnino iuris, nec alij niſi Deo ſubditum? vel vnde Domina, quæ ſolo vocis ſono imperium & maieſtatem deſignat, niſi à gratia, quæ Dei participatio eſt, & diuinam benebolentiam præferret, ortũ duxerit? Sanè vt poſsimus hoc in loco nõ abſre cõtẽplari, non aliter Annę hoc nomen Mariæ filiæ ſuæ ex Dei prę-ſcripto (vt Hieronymus, & alij PP. docebant) imponenti eueniſſe, ac Elizabeth in Ioannis filij ſui nuncupatione, dum ipſa affirmante;

IV

Lucæ 1. verſ. 30.

Ennod. Meth. Hieron.

Toletus.

Beda. Eucher. Chriſol. Iſidorus Arnol. Damaſ.

vocabitur Ioannes: dixerunt ad illam. Quia nemo est in cognatione tuâ, quæ vocetur hoc nomine: Lucæ 1. vers. 61. Nulla quippe in tota Adę cognatione, & generatione creatura, *Domina* appellata est: cum omnes omnino præter ipsam sint, *naturâ filij iræ*, ad Ephes. 2. vers. 3. idest (vt explicat Bernard. serm. 1. *de Purificatione*) *filij captiuitatis*, & vt August. tract. 44. in Ioan. *Filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ*: Hoc est omnes omnino peccato originali obnoxij, ac proinde, vt serui, & vilia diaboli mancipia concipiantur: Sed pro vero Annæ sensu iam olim egregie Regiũ Vatẽ fideiussisse Psal. 44. v. 11. vbi primum prophetico ore Mariam, & Reginã, ac Dominã appellat, & à dextris Dei sic collocat: *Adstitit Regina à dextris, in vestitu deaurato circũdata varietate*: his verbis significantissimè confirmans, Mariã ab aliorũ sorte, & conditione in sua cõceptione, & formatione fuisse alienissimã, dũ cæteri mortales cum concipiũtur, à Dei sinistris tanquã filij captiuitatis, siue dæmonis mancipia filij iræ, filij pœnę, filij gehennæ collocantur: Maria vero no nisi *à dextris* quæ electorũ sedes est, tanquam filia gratiæ, & Domina, quæ prę omnibus mortalibus gratiam, & misericordiã est consecuta, signatè cõstituitur, itidemque eadem locutione, monente Vate ipsam in Cõceptione sua peculiari Dei ope præuentam, ne cõmuni lapsui subiaceret: Prædixit quippe eodem dicẽdi modo Vates de Christo Domino Psalm. 15. vers. 8. (vt explicant Apostolorũ Princeps Actuũ 2. vers. 25.) *à dextris est mihi, ne commouear*: hoc est, ne titubem, ne labar: Sitne vllo modo de loco, & statu gratiæ dimouear.

Luca 1. vers. 61. Ephes. 2. vers. 3. Bernard. August. Psal. 44 vers. 11.

V

Deinde verò hylum, & orationẽ ad eandem Virginem statim conuertens Propheta, vt ipsam de sui nominis, & felicis status dignitate admoneret, subijcit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum*: his verbis per speciem monitionis id ipsum, quod futurum erat prædicens Vates, ea videlicet ratione, quod Maria præter communem sortem, & conditionem cæterorum hominum ab omni originali labe futura esset immunis, quod quidem ad eximium decorem pertinet, in Matrem Dei, ac proinde in hominum Dominum, & Reginam electam fuisse: tantum non ei suggerens Vates: Habeto, ò Filia, nomen regiæ dignitati conueniens, quo à cæterorum mortalium sorte, & conditione discrimineris tanquam à subditis Regina, à famulis Domina, à captiuis libera, à seruis filia, cum omnes quot quot à primo parente originem ducunt, ob contractam ab eo noxam subditi captiui serui, atque mancipia sint: Tu verò non ab Adami vitiata conditione, sed à Dei gratiâ originem ducens, Domina, & Regina verè censeris: hanc his verbis explicationem affigente Imperatore Leone Augusto Oratione de *Annuntiatione*, hunc in modum. *Audisti verè, ò filia commendationem, & oblita es populi tui, & sortis, & domus paternæ, sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi destribuit infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulo, quasi hæreditario relicto: at nihil horum tu in domum tuam intulisti*: Hæc pulcherrimè Leo, quibus omnino Deiparam extra cõmunem mortaliũ sortem, & conditionẽ peccato originali obnoxiã posuit, itidemque explicuit, neminẽ in cognatione sua vocatũ hoc Dominæ nomine, quod omnes ab Euâ genus ducentes, *filij iræ, & captiuitatis*, nascantur, ipsa verò nihil horum in domum suam intulerit, quæ ab Anna, ideſt gratia, *Domina* concepta, procul à noxa,

Psal. 44 vers. 12.

Leo Im.

& forte Euæ nomen diuinis benedictionibus, & gratijs refertum (vt dicebat Sapiens Idiota) præferat.

VI

Habebat quidem hæc omnia ob oculos Ambrosius in lib. de institutione Virginis, cap. 5. nec nō primę- A
uam illam subiectionis sententiam, cui mulier ob præuaricationem imperio viri subdita fuit: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:* Genes. 3 ver. 16. Genes. 3. ver. 16. Itidemque Mariam in vmbra Saræ (cuius nomen *Dominam* sonat) de quâ Abrahæ à Deo dictum fuit: *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 21 ver. 12. Gen. 21. ver. 12. cum notanter dixit: *Veni Eua iam Sara, de qua dicatur viro,* B
Audi Saram vxorem tuam: *Si tu licet viro subdita, quia esse te deceat: cito tamen soluisti sententiam, vt vir te audire iubeatur:* Ita ille, & quidem pulchrè, vt in Mariâ totum Euæ statum, sortem, conditionemque cum nomine mutata nouerimus: quæ adeo non sit sub lege communi, vt potius supra legem, & supra humanum genus sit: Preme illa veni *Eua iam Sara:* Vt dixerit cum Leone: *Oblita es populi tui, & sortis, & domus paternæ, sortis videlicet illius, quā Eua progenitrix toti generi distribuit:* Quę ad Regnum nata ab Euę impulsu minime cōmota fueris: Quare pergit Ambrosius: *Si typum Christi illa pariendo, à viro meretur audiri, quātum proficit sexus, qui Christum, salua tamē virginitate genera uit?* Bene illud, *quantum proficit sexus?* In Maria: Sanè, vt quemadmodum primitus e costa viri educta est mulier, quę peccato obnoxia, & propter ipsum subdita viro fuit, ita proficiente in Maria sexu ab ipsa vir (de quo Zachar. 6. vers. 12. *Vir oriens nomen eius:*) conceptus, & generatus sit, ad cuius dextram ipsa consederit tanquam Domina, & Regina, vt omniū dominetur, adeoque primæuæ infirmitati non sit obnoxia, vt potius ab illa decorem, & fortitudinem tota humana natura receperit, de quo vide, quæ diximus occasione verborum Sapientis: *Immuta mirabilia:* ex Card. Hail. graino.

Ambr. C

Zach. 6 vers. 12.

Quod si obijcias etiam de Mariæ nomine fuisse appellatam sororem Moysis, vt iam aliqua fuerit, quæ in humani generis cognatione Maria appellata fuerit? Respondebo, etiam plures in Scriptura de nomine IESV fuisse appellatos, & tamen nomen IESV adeo proprium Filij Dei fuisse, vt tanquam nouum ipsi fuerit impositum, dicente Vate: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit:* Isaiæ 62. versicul. 2. Nimirum cæteri nudum nomen, & in figura tantum præferre, non vero nominis proprietatem, & munus implere poterant: ad quem modum, vt soror Moysis in Mariæ Dominæ vmbram, atque figuram Maria appellata sit, quod in educendo populo Israelitico ab Ægyptiacâ captiuitate Moysis soror, & coadiutrix fuerit, at ipsam nominis sui vim, & notionem minime implesse, lepra illa, quâ infecta fuit arguit, vt ab ipsa tanquam ancilla ab Adam genus trahens, à verâ Maria, & Domina, quæ nihil horum in domum suam intulit discriminetur: opportune id obseruante Hugone à S. Victore in ea Canticorum verba, cap. 4. vers. 10. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata,* quę Deiparæ hunc in modum aptat: *Tu ad iucunditatem vnguenta accepisti, vnguenta ad speciem: vnguenta ad odorem: Antiqua illa Maria nominis tantum, non lepræ te reliquit hæredem, quæ nec rugam habuisti, quā vnguenta tergerent, sed vnguenta accepisti, vt speciem, & formam tuam gratius commendarent:* Hæc Hugo: Preme illa: *Non lepræ te reliquit hæredem:* Quæ videlicet sortis, & domus paternæ expers fuisti,

D

E

VII

Isai. 61. vers. 2.

Cant. 4. vers. 10. Hugo à S. Victo.

& noxiam Adæ hæreditatem tanquam à te alienam repudiasti, & maculæ cuiusvis, aut rugæ exors à cœli Spõso audire meruisti: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* Cant. 4. vers. 7. Vnde opportunè dixit Hugo: *Vnguenta accepisti, vt speciem, & formam tuam gratius commendarent*: Ac si dixerit, tam Mariã illam sororem Moysis, quam nos, vt Adæ hæredes, opus habere vnguento gratiæ ad lepræ originalis sortes abstergendas, Mariæ verò non ad curationem, sed ad nitorem, & nouã speciem vnguentum vsui esse, cui salus, & gratia perpetuo ad fuerunt vnde pergit Hugo in hanc sententiam. *Alij vnguntur ad curationem, alij ad stabilitatem, omnes vnguenta ad necessitatem accipimus. Tu filia delicata, & omni gratiâ plena Vnctum paritura vncta quoque es, vt ipsum in te vnguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in vtero tuo singulariter acciperet.* Hæc Hugo à Sancto Victore. Cum quibus componas velim, quæ in superioribus de Mariæ Conceptione, vt de roscido Margaritæ conceptu diximus, è quo subinde ros natiuitatis Christi flueret: dicente Vate: *Ros natiuitatis tuæ ex vtero Auroræ est.* Psalm. 109. vers. 4. iuxta Hebræum fontem: perinde enim fuerit, quod inquit Hugo, *vt ipsum in te vnguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in vtero tuo singulariter acciperet.*

Cant. 4. vers. 7.

Ps. 109. vers. 4.

VIII

Sed & his etiam opportunè adiunxeris, quę de osculo Diuini Spiritus Mariæ in eius Conceptione impresso alibi dicimus, committentes pro hoc immunitatis Mariæ sensu verba Cant. 1. vers. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, cum illis sub eiusdem Dominæ persona: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnẽ creaturam.* Ecclesiastici 24. vers. 5. vt Maria humanæ, & diuinæ vitæ spiritum simul, & vno hausto accipiens inducatur, hoc est cum spiritu vitali Sanctum Spiritum gratiam infundẽtem: Nimirum scitè dicebat Gregorius Nyssenus hom. 1. *In Cantica* de Sacrà Sponsa. *Anima volens ori vitam scaturienti os suum admouere:* Obsculetur me (*inquit*) osculo oris sui. *Quam obrem videtur hoc Dominus exprobrare Simoni leproso:* Lucæ 7. vers. 45. Osculum mihi non dedisti *Re verâ enim fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attraxisset puritatẽ*: Ita Nyssenus. Ecce tibi, quod intersit inter vtramque Mariam discrimen: dum vetus illa, *nominis tantum non lepræ*, Mariam Dominam nostram, *reliquit hæredem*: Cum hæc ingrediens in mundum in primo vitæ instãti osculum vitæ, & gratiæ à cœlesti Sponso acceperit, cum quo nulla hæreditariæ lepræ macula, nulla labes potest consistere.

Cant. 1. vers. 1.

Eccl. 24 vers. 5.

Nyssen.

Luc. 7. vers. 45.

IX

Firmat hæc omnia illa potissima ratio cur Mariæ nomen à Deo signatè impositum fuerit: quippe, vt Scriptura meminit, & dissertê tradit Nicephorus lib. 14. Historiæ Eccles. cap. 24. vetus fuit consuetudo, vt ijs qui in aliam familiam transibant, vel qui de nouo in aliorum dominorum possessionem deueniebant, noua affigeren tut nomina illi nouæ familiæ, aut nouo domino congruentia: ita quidem apud Danielem cap. 1. ver. 7. Propositus eunuchorum ex præscripto Regis tribus illis egregijs pueris noua nomina, sublatis antiquis imposuit, vt ex nominum mutatione in alterã ditionem, & imperium iam se translatos fuisse dignoscerent: Ideò ergo Deo peculiari curæ fuit futuræ Matri nomen Mariæ indere, non modo, quod vt Idiota: *In contemplatione B. Mariæ*, inquit: *Vocabitur tibi nomen nouum, ò Beatissima Virgo, quod os Domini per Angelum nominauit. Dedit tibi tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen super benedicti Feilij tui, est super omne nomen:* Et Hieronymus, siue Au-

Niceph.

Dani. 1. vers. 7.

Idiota.

ctor

Hieron. ctor de ortu Deiparæ Angelum Ioachimo sic loquẽtẽ facit: *Anna vxor tua pariet tibi Filium, & vocabis nomen eius Mariam: hæc enim erit, vt vovistis ab infantia Domino consecrata:* Sed potissimum, quod Mariæ nomen de thesauro Diuinitatis euolutum fuerit, vt ante quam ipsa sortis, familiæ, & cognationis Euę particeps esset, in familiam, & possessionem Dei à conceptu suo nõ tam trãsiret, quam primum veniret, fieretque eius sanctorum, & domestica Dei, vt quæ ex humanæ natiuitatis conditione attentâ communis naturæ lege, seu pacti generalis cum Adamo initi, in illius domo, & familiâ erat censenda, quia tamen concupiuit Rex decorem Mariæ, vt sibi in Matrem deligeret, ideo à primo vitę instanti ad regiã familiam vocans Do-

S. Thom. minæ, & Reginæ nomen indidit: vt hîc omnino locum habeat, quod S. Thomas in epist. ad Romanos lectione prima docuit: *Nomina diuinitus imponuntur quibusdam à principio natiuitatis ad designandam gratiam quam à principio consequuntur.*

X Enim verò hæc cogitatio, è Salomonis pharetrâ videtur ad litteram deprompta: dum ipse sub persona cœlestis Sponsi Mariam ad vitam simulque ad regium diadema euocantis Cant. 4. vers. 7. & 8. inquit. *Tota pulchra es amica mea: & macula nõ*

Can. 4. v. 7. & 8. *est in te. Veni de Libano Sponsa mea: veni de Libano: veni; coronaberis:* Et priori quidem versu, qui de immunitate Virginis expressissimus est, vt & PP. & Interpretes obseruant, in commodiorem locum elucidando transmisso, modo expendo Deiparam regio diademate coronandam signatè vocari à monte Libano, qui quidem mons erat pertinens ad sortem Domini; quippè à quo incipiebat funiculus dimetiens eius hæreditatem, & possessionem, vt planum hinc fieret, Mariam nunquam pertinuisse ad alienam à Deo possessionem siue hæreditatem, nec ab alia familia priusoccupatam, subinde in Dei familiam transijsse; sed in ipsamet Dei familiâ, & hæredi rate conceptam, atque inuentam: & pacifica possessione occupatam, quin pro ea pugnare, vt de hostis manibus extorqueretur, fuerit opus: Sapienter hæc omnia excogitante, & diffundente ad ea verba P. Gaspare Sanctio: Qui cum adductis Sapientis Idiotæ verbis priorem versum de immunitate Mariæ à peccato originali explicãtis, dixisset. *Vt enim Virgo in ipso Conceptionis articulo sponsa fuit Dei, sic à Deo sponso in eodem articulo tota pulchra, & sine maculâ vocari potuit:* Subijcit ad rẽ: *Quorum ego cogitationi addo, Sponsam cum tota dicitur pulchra, vocari de Libano, qui mons est, à quo incipit Dei funiculus, & hæreditas, quique pertinebat ad Israelis sortem. Quare non ab alienâ possessione vocat sponsus, sed à suâ ad arctiorem nempe complexum, sacrasque connubij mystici delicias:* Et statim luculẽtius: *De Libano vocatur, quia in Libano concepta, in Libano nata, neque vnquam in alienâ regione pedem posuit, aut Cananæo, id est alieno Domino seruiit:* Hæc P. Sanctius, quibus pro instituto, quod persequimur nihil, aut magis fundatum, aut magis opportunũ afferri potest. Quid namque accommodatius excogitaueris, quam Mariam ab eo monte vocari, qui cum Cananæę ditioni esset vicinus, ipse tamen non ad eius sortẽ, sed ad Dei funiculum, & hæreditatem spectabat? vt ipsa à gratia in gratiam, & à dignitate iustitiæ originalis, ad fastigium sponsæ Dei ab ipsomet euocetur, quin vnquam in aliena regione fixerit pedem.

Sanctius.

XI Nec hinc discessero, quin pro coronide adiecero, frustra à non nullis inquiri, cur Maria, postquã Dei Filiũ concepit, & in altissimũ Matris Dei solium collocata est, nomen non mutauerit, cum solemne sit Dei serui, à

nouis

nouis muneribus, ad quę ab ipso Deo deputantur, noua itidem nomina accipere, vt eorum siue in honore, siue in virtute profectus designetur; quēadmodum, & antiquis Regibus, & Summis Pontificibus modo consuetudo est, cum noua imperij maiestate non vestes solum priuatorum, sed nomina etiam exuere: ita quidem Abrahamo Deus pro re nata nomen immutauit, vt & Iacobi, & Iosue, & in nouo testamento Petro ad apicem dati muneris designandum, & filijs Zebedæi, vt ipsorum fortitudinem, & res præclare gestas prænunciaret, noua nomina imposuit: Nimirum, vt alia Mariæ conditio ab alijs, ita alia nominis Mariæ, & aliorum ratio est: quippè, vt Hieronymus in cap. 23. Ieremiæ inquit: *Vocabula commutata significant rerum mutationem*: Maria autem ab ipsa sui Conceptione, siue potius ab æternà Dei prędestinatione, qua in Matrem Dei electa est, vt Domina, & Regina facta, ita Dominæ nomine perpetuò nuncupari debuit, quin inuariato munere posset nomen variari: vt quemadmodum de Dei Filio dixit Paulus ad Hebræos 13. vers. 8. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*: Ita, & Maria Domina heri, & hodie, ipsa, & in sæcula sit: Cum fundaret eam Altissimus (vt aiebant PP. Concilij Basilienſis) ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset eius Mater in terris: Quo refero Rupertum lib. 8. in Genesim cap. 14. obseruantem, Deū qui se ipsum Deum Abraham Isaac, & Iacob appellauit, cum Abrahamo & Iacob nomina immutauerit, vni Isaac, nomen intactum, & inuariatū reliquisse: *aliter nāque* (ait ille) *Abraham, aliter Isaac, atque aliter Israel Deus ipse nuncupauit. Si quidē nomen Abraham tantummodo adauxit: nomen Isaac totum, ante quam nasceretur immutabiliter posuit, nomen Israèl totum pro nomine Iacob commutauit*: Sanè, quod Isaac typus & viua imago Christi Iesu fuerit, qui heri, & hodie, ipse, & in sæcula semper Dominus mutationis expers est: Quà itidem ratione, vt Sara mater Isaac, Domina interpretatur, ita Maria veri Isaac Mater, Domina, *heri, & hodie, & ipsa in sæcula*, appellari debuit; dicente Chrysologo serm. 146. *Et quando non Maria Mater?* Pro re verò immunitatis ipsius dictis adiunge, quod in prefato loco Canticorum adnotauit P. Sanctius post illa verba: *Veni coronaberis*, subiecisse cœlestem sponsum: *De capite Amana*, pro quibus LXX. reponūt: *venies à principio fidei*: Quod ad Deiparæ immunitatem sic ille refert *illud autem, quod dicitur*, De capite Amanà, *Magis ad Conceptionem Virginis immaculatam facit. Pro capite reddunt LXX.* à principio fidei. *Fidem enim sonat Amana. Quasi Sponsus dicat, nullo vitæ momento Virginem non fuisse fidelem.* Sanè, vt semper Maria, semper Mater: semper Domina.

Can. 4. 8 Sanctius. LXX.

Hieron.

Hebr. 13 vers. 8.

Rupert.

MARIAM Immaculatè conceptam, ipsius nomen euincit, quo Domina Angelorum prędicatur.

ADNOTATIO. II.

BENE quidem Sapiens ille Idiota Mariæ suggerebat. *Vocabitur tibi nomen nouū, ò Beatissima Virgo, quod os Domini per Angelum nominauit. Dedit tibi tota super Sancta Trinitas nomen, quod post nomen super benedicti Filij tui est super omne nomen*: Nempe

I Idiota

Maria, siue Domina: Nam si vere æstimas, nullum aliud maius potest excogitari nomen: quam *Dominus*, cũ id absolutè, & sine addito prolatum Diuinitatem sonet, siue ad exprimẽdam Diuinitatem vsurpetur, de quo plura diximus in epist. ad Philippenses, tàm cap. 1. vers. 2. ad verba salutationis: *A Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Quam c. 2 vers. 11. ad id. *Quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris:* Vbi ex Græco textu vidimus fore legendũ: *Quia Iesus Christus est Dominus:* Nec tamen inde nõ nulla desumere (meũ salem lingẽs, vt est in Prouerbio) modo grauabimur, aliqua illis de nouo adiungens: & quidem ex ibi appictis illa sunt primùm ex Orosio, & Suetonio opportuna monumenta quibus Imperatoris Augusti Cæsaris modestia, siue moderatio animi describitur, appellationem Domini quasi diuinam, cui se ille imparem cognoscebat, tanquam maledictum acriter respuentis: Sic enim Suetonius, *in Augusto*, cap. 53. *Domini appellationem, vt maledictũ, & opprobrium semper exhorruit: Cum spectante eo ludos pronuntiatum esset à mimo:* O Dominum æquum, & bonũ! *Et vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes, comprobassent, statim manu, vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissimè corripuit edicto, Dominumque se post hæc appellari, ne à liberis quidẽ, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est:* Hæc Suetonius, quę Tertullianus in Apologetico, cap. 34. Sub sensu Diuinitatis à nobis indicato omnino accepit, & hunc in modum explicuit: *Augustus Imperij formator ne Dominum quidem dici se volebat. Hoc enim Dei est cognomen:* Sic ille: Et quidem Paulus Orosius non modo id probauit, sed etiam signatè retulit ad tempus aduentus Christi veri omnium Domini, vt eam mentem Summus Pater gentili etiam Principi iniecerit, quo suus honor verò Deo & Domino omnino seruaretur, sic nam ille lib. 6. Historiæ cap. 22. *Eodem tempore hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se hominum appellari passus non est, immo non ausus, quo verus Deus totius generis humani inter homines natus est.* Ità Orosius. Sed & hâc etiã mente Tiberius ille æque superbus, ac immittis Imperator Augusti vestigia premẽs *Dominus appellatus,* (ità Suetonius in Tiberio, cap. 27.) *à quodam, denunciauit, ne se amplius contumeliæ caussâ nominaret:* Ita Suetonius, quibus similia sunt, quæ habent Cornel. Tacitus, & Dio, quamuis Tiberio Auctores semper intensi; & Simocatta lib. 3. Historiæ c. 16. de eodẽ Tiberio: *Pater magis à suis ciuibus, quam Dominus audire maluit:* De Alexandro vero Seuero Lampridius. *Dominum se appellari vetuit, epistolas ad se quasi ad priuatum scribi iussit seruato tamen nomine Imperatoris:* Quæ omnia valide firmat, quod Victor de Imperatore Diocletiano scribit, primum omniũ post Caligulam, & Domicianum adorari, & appellari, vti Deum passum fuisse, quod explicãt illa. *Dominum se palam dici passus est.* Cui concinit, quod de Domiciano agens Martialis inquit

Et dictum Domini, Deique nostri.

Parco alijs, dummodo non omittam Sanctissimum M. Polycarpum constantissimè recusasse hæc verba *Domine Cæsar:* quæ illi Æthnici dicere suadebant, affirmantes nihil esse in illis mali, vt Auctor est Eusebius Cæsariens. lib. 4. Historiæ.

Prophanis, siue externis Sacra omnino adstipulantur. Certè Christus Dominus apud Matthæum cap. 22. vers. 44. vt Pharisæos reuinceret & ad diuinitatem eius agnoscẽdam vrgeret, ex Domini appellatione, quam Prophetico spiritu Vates Psal. 109. vers. 1. iam olim ipsi tribuerat:

II

Phil. 2. vers. 11. *Suet.* *Tertull.* *Oros.* *Suet.* *Cor. Tac. Dio. Ca. Simocat* *Lampri. Victor.* *Eusebi.* *Ma. 22 vers. 44. Psa. 109 vers. 1.*

argu-

argumentationem confecit: nam cũ ab ipsis prius interrogasset: *Quid vobis videtur de Christo: cuius filius est?* Ipsique respondissent. *Dauid*: sic ipsos Dominus concluſit: *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Quibus in verbis omnes pene PP. verbo *Dominus* diuinitatem subesse affirmant: sic enim Chryſoſtomus diſſertiſsimè. *Puto hanc interrogationem non solum contra Phariſæos ſed etiam contra Hæreticos posuit: nam ſecundum carnem verè erat filius Dauid: Dominus autem ſecundum Diuinitatem:* Ita Chryſoſt. ad cuius guſtum Didymus lib. 1. de *Spiritu Sancto*. Tertullian. lib. 4. *contr. Marcion.* c. 38. & lib. *aduerſus Praxeam*, Theodoretus, Euthymius, & Caſiodorus in id Pſalmi loquuntur: Sub quo itidem ſenſu Princeps Apoſtolorũ Actuum 10. verſ. 36 Chriſti Diuinitatem Centurioni annuncians dixit: *Hic eſt omniũ Dominus*: Vt inibi obſeruarunt Athanaſius, Chriſoſtomus, & Ioannes Maxẽtius apud Lorinum: & Paulus 1. ad Corint. 12. verſ. 3. ait: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu Sancto*: Quam ſententiã ita enucleauit Lectio Syriaca: *Nemo poteſt dicere Dominum eſſe Ieſum, niſi in Spiritu Sanctitatis*: Hoc eſt: Nemo poteſt confiteri Ieſum eſſe Deum, niſi Diuino Spiritu illum illuminante: quæ Petri, & Pauli locutiones ſenſum communem habent cum illâ ad Philipp. iuxta lectionem Græcam: *Et omnis lingua confiteatur, quia Ieſus eſt Dominus*: Vide plura, quæ ibi dedimus, & illis adde modo Baſilium Magnũ, epiſt. 141. obſeruantem, hîc omnino de cauſſa Chriſtum ante Paſſionem ſuam, vt à diſcipulis aliquando Dominum ſe appellari permiſerit; at ab illis Dominũ publice prædicari noluiſſe: Audi illum. *Vnde, & ante Paſſionem ſuam Dominus Ieſus Chriſtus ſe prædicari detrectauit, &c. Propoſitum enim illi erat poſt abſolutã œconomiam, ac Reſurrectionem ex mortuis, inque cœlos aſcenſionem, tum demum mandare illis, vt prædicarent eſſe Dominum eſſe Chriſtũ illum*: Sic Baſilius omnino ad mentem Pauli citato loco ad Philipp. Adde etiam Amoſ. 5. verſ. 8. *Qui vocat aquas maris & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomẽ eſt eius*: & Carthuſianum in Pſal. 66. dicentem: *Dominus eſt nomen proprium Dei*: Pro quo ex lingua Hebræa fideiubet Rabbi Moyſes lib. 1. perplex. cap. 60. docens: *Adonai eſt agnominatio alterius nominis ſimplicis ſumptum ab hoc nomine Adon, quod eſt Dominus.*

Et vero eadem ſignificatio, quam nomini *Dominus* Æthnici adhibebant, itidem apud illos nomini *Domina* inerat, vt de Domiciano Suetonius memorat, libenter audire ſolitum acclamationem iſtam: *Domino, & Dominæ feliciter*: Sed quorſum, hæc? inquis: Ideo ne, quod Mariæ nomen è theſauro Diuinitatis euolutum fuerit, vt Domina ab omnibus appelletur, & ſit (ita enim apud omnes gentes abſolute appellatur Domina noſtra, vt abſque alio nomine, aut cognomine addito Deiparã intelligamus) Diuinitatem ipſi aliquam adſcribere licebit? Abſit: Alia enim eſt claritas Solis, alia Lunæ, & ſtellarum: Sed ex nomine *Dominæ*, tùm Mariæ regnum, & Imperium ſupra omnes omnino creaturas, ſignatè vero, vt ex Eccleſiæ ore *Domina Angelorum*, appelletur, tum etiam omnimodam ipſius puritatem, quæ maior Angelica, & diuinæ proxima ſit, liquido euincimus: Et vt quidem confirmemus, in primis huc adiiocamus S. Bernardinum Senenſem tom. 1. ſerm. 61. art. 2. cap. 4. Deiparæ nomen, & munus iiſdem verbis quibus Apoſtolus Filij Dei nomen, & dignitatem commendauit ſic ex tollen-

A B C D E

Chriſoſt. Didym. Tertull. Theodo. Euthym Caſiodor Act. 10 verſ. 36. Athan. Chriſoſt. Io. Ma. Cori. 12. verſ. 3. Lect. Sy.

Ba ſilius

Amoſ. 5 verſ. 8.

Carthuſ. Ba. Mo

III

Suetrn.

S. Bern.

tem

tem: *Nam vt dicitur ad Hebræos 1. sicut Filius Dei, sedet à dextris maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hęreditauit: Quod nomẽ est, vt sit Deus per gratiam vnionis: sic, & Mater Domini nostri Iesu Christi gloriosa Maria tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditauit, vt obtineret dignissimæ Matris nomen:* Sic ille: Et vero, quamuis Bernardinus potius vim faciat in nomine Matris, quam in nomine Mariæ, de quo statim agemus, nos eandem etiam argumẽtationem pro nomine Domina modo vsurpauimus, vt tanto melior Angelis Maria sit effecta, quantò differentius præ illis nomen hęreditauit: cum ipse *Omnes administratorij spiritus sint in ministerium missi pro ijs qui hæreditatem capiunt salutis:* ad Hebræos 1. vers. 14. ipsa verò Regina cœlorum, & Domina Angelorum vocetur, & reapse sit, vti Athanasius serm. 1. de *Annunciatione*, sic opportunè inquit. *Dicimus iterum, atque iterum, & semper, & vndequaque beatissimam: Sicut ergo cum ad ipsum respicimus, Regem Dominum, & Deum appellamus, ita quoque cũ ad eam oculos reijcimus, Reginam, Dominam, Deiparam esse animaduertimus:* Ita Athanasius, vt hinc merito argumentemur tanto meliorem Angelis effectam, quanto differentius Dominæ, quam seruorum nomẽ hęreditauit: Vnde S. Ephræm in ser. de *Santissimâ Deiparâ:* Cum allusione ad id discrimen Dominæ, & famulæ sic Mariam consalutat: *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, sublimior cœlicolis, purior Solis radijs & splendoribus, honoratior Cherubim, & multoculis spiritibus, sanctior Seraphim, & nullâ comparatione cæteris omnibus supernis spiritibus glorioſior:* Sic ille: Ergo hinc primũ: quam liquido constat, Mariam, quæ vt Domina Angelorum tãto melior, & honoratior illis effecta est, ab omni omnino labe originali fuisse immunẽ: cum nullo modo melior, aut honoratior fuisset effecta si in ipsa sui effectione, aut Conceptione peccato originali fuisset obnoxia: immo vero tunc, & meliores, & honoratiores Angeli sese iactare possent, qui sese Dei Filios, Mariam vero filiam iræ, seruam peccati esse videbant: Melior igitur Angelis effecta? Ergo ipsis purior, innocentior, iplẽdidior: honoratior illis. Ergo absque vllâ omnino labe, aut debito peccati, quod cum vero honore filiorum Dei pugnet. Cui argumentationi hc omnino subscripsit Ludouicus Blosius eximiæ pietatis, & doctrinæ Auctor. *in dictis Patrum*, cap. 5. *Pias aures offendit quisquam modò efferre non veretur, præcelsam illam Heroidem, quæ spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiã fuisse peccato originali, quod hominem efficit filium iræ, & membrum diaboli:* Sic ille.

Sed redeo ad verba S. Bernardin. *Quanto præ omnibus creaturis hæreditauit, vt obtineret dignissimæ Matris nomen:* In quibus negotium tortian alicui faceſſat, quâ ratione Bernardinus dignissimę Matris nomẽ ad ius hæreditarium retulerit? nam vn de (inquis) locus? vt Mariæ tanquam hæreditas Matris Dei nomen obtigerit? Sed ad manum est expeditissima responsio: Mariam ab vtero, & a conceptu Matris Dei nomen hæreditasse, quod ab Anna, idest à gratia, Domina, & diuinitati proxima concepta fuerit: dixit quippe Sapienter Bernardus. *Talis decebat Virginem partus, vt nõ pareret nisi Deũ:* Vt dixerit talibus gratiæ donis à cõceptione sua Virginem fuisse ornatã atque prẽuentam, vt velut hæreditario gratiæ iure, & Dominę, & Matris Dei nomen hæreditauerit, quin alius ei partus, alia ve dignitatis conditio apte congruerit. In quã quidem sententiam magnus Athanasius in serm.

de

S. Bernardin. *Hebr. 1. vers. 14.* *Athan* *Blosius* IV *S. Bernardin.* *Bernar.* *S. Ephr.*

de *Santiſsima Deipara*, ingenti ſenſus, & verborum pondere dixit: *Spiritus Sanctus in Virginem deſcēdit cū omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus quæ illi per rationem diuini Principatus adſunt, imbuēs eam in gratia, vt in omnibus gratioſa eſſet, atque id circo*, gratia plena, *cognominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret*: Hæc Athanaſius, quæ non ſunt accipienda de obumbratione Spiritus Sancti in Conceptione actiua, qua Mariâ Filium Dei concepit, hæc enim non primus Spiritus Sancti in Mariam aduentus, ſiue deſcenſus, ſed ſuperaduentus fuit, vt accurata locutione dixit Angelus ei: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*: Lucæ 1. verſ. 35. ſed omnino referenda ſunt ad ipſam met paſsiuam Mariæ Conceptionem, & ad eam gratiam qua ab *Anna*, ideſt gratia Concepta, *Domina*, inaugurata, & appellata eſt: quod manifeſte oſtendit Athanaſius, tùm cùm affirmat idcirco gratia plenam cognominatam fuiſſe quod iam in ipſam deſcendit Spiritus Sanctus, & tamen cum gratia plena ab Angelo ſalutata fuit, Spiritus Sanctus nondum in ipſam ſuperuenerat: tum etiam quod ſtatim de hac Mariæ gratia ſubijcit: *Neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tēpora hoc illi datum fuiſſe, quemadmodum, & nunc, & in præſentiâ, & in æternum vſque habet*: Omnino adſtruens Mariam per omnia tempora gratam Deo fuiſſe, eo quod ad impletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret: His poſitis præcipuam iam Athanaſij ſententiā pende, dicentis Spiritum Sanctum in Virginem deſcendiſſe cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adſunt: Nam ſi attendis ſignatè in hoc deſcenſu diuini Spiritus in Virginē meminit Athanaſius diuini illius Principatus, vt innueret Mariam, cum à gratia concepta fuit, conſtitutam fuiſſe Dominam, atque Reginam ſuper omnem Angelicam dignitatem, vt Mater Dei, & proxima Deo eſſet, in quem ſenſum ſic inclinat S. Bernardinus ſerm. 3. de *Natiuitate Virginis* inquiens: *Quippe ipſa Virgo verè Sara, quæ Princeps interpretatur, quæ verum genuit Iſaac, ſcilicet Filium Dei, in cuius ſemine benedictæ ſunt omnes gentes, & per quem omnis creaturæ principatum habuit*: Sic ille.

Prædictis verò PP. verbis, quibus Mariam ſublimiorem cœlicolis, honoratiorem Cherubim, Sanctiorem Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſupernis ſpiritibus glorioſiorem affirmant, Epiphanius in ſer. de Laudibus Deiparæ aucto cenſu ſubcribit, hunc in modum: *Solo Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis: natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico*: Ita ille: Vbi obſerua auctum ab Epiphanio cenſum, & ſenſum, dum Mariā, non vtcumque ſuperiorem, & glorioſiorē Angelis facit, ſed notāter naturā formoſiorem dicit, ſignatiſsimà quidem, & emphaſi plenà locutione: in qua non poſsis non ambigere, quà ratione Maria formoſior naturà quā Cherubim fuerit? cum humana natura non ſolū in Maria, ſed etiā in Chriſto inferior ſit Angelica dignitate, & natura, quæ à Deo excellentior, quā humana creata eſt: dicēte Vate Pſal. 8. verſ. 6. de homine, immo; & de Chriſto ſecundum humanam naturam, vt plerique volunt: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*: Fuerit tamen per opportuna reſponſio id circo Mariam naturà formoſiorem cœleſtibus ſpiritibus dici, quod quēadmodum nos *Eramus naturâ filij iræ* (vt idquit Paulus ad Epheſ. 2. ver. 3. ſortè, & conditione naſcendi, dum nobilitas humanæ naturæ in Adamo infecta, iræ, & damnationi obnoxia manſit, ita Maria pulcherrimam con-

Athan. *Lucæ 1. verſ. 35.* *S. Bernardins.* *Epiph.* *Pſalm. 8 verſ. 6.*

ceptionis

ceptionis, & nascendi sortem adepta natura formosior, purior scilicet, & splendidior quam Cherubim, & Seraphim, & omnis Angelicus chorus dicatur: vt Epiphanium intellexere, quotquot immunitatem Deiparæ a peccato originali feliciter tuentur, signatè verò sapientissimus P. Benedictus Iustinianus in commentarijs in epist. 1. Ioannis cap. 1. numer. 55. Et ipsemet Epiphanius semet ipsum post modum luculenter explicat subijciens. *Lætabantur Angeli quasi ipsi dumtaxat Deum haberent, quibus Beata Virgo superior nata Deum habitantem in cœlis concepit in terra:* Vbi obserua illud: *Superior nata*, ac si dicatur superiorem nascendi conditionem adepta, excellentiorem sortem, & digniorem in natura statum, & ordinem. Quo in loco frustra, & ridiculè offendas, non dixisse Epiphanium: superior conceptam; sed *superior nata*, quasi illi fuerit curæ, inter Conceptionem, & Natiuitatem distinguere, cum hæc verba ad eum sensum referenda omnino sint, quo prius dixerat Mariam naturâ formosiorem Cherubinis esse, quæ tam de Conceptione, & Natiuitate, quàm de tota Deiparæ sorte, & conditione accipiēda sunt. Quid? quod, vt aliàs à nobis ex P. Gabriele Vazquez tom. 2. in 3. part. disp. 114. num. 35. obseruatum est, in Scriptura, & apud PP. nascendi locutio Conceptionē etiam significat, vt ex Matth. 1. ver. 20. liquido constat: dicente Angelo de Dei Filio à Maria conceptio, necdum nato, sed adhuc in purissimo eius ventre commorante. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Pro quo etiam lectio Syriaca fideiubet, quæ reponit: *Quod enim in ea genitum est:* De quo alibi.

Iustinia *Epipha.* *P. Gabr Vazqu.* *Mat. 1 vers. 20.* *Let. Syr*

VI. Verùm enim verò, vt ad immensam Mariæ dignitatem, quæ *Dominæ* nomine significatur, & omnimodam à peccato originali immunitatē arguit, redeamus, itidemque, vt hæc Epiph. verba peculiari luce illustremus, placet in illis denuò ambigere, cur Maria, eà potissimū ratione, quod integrā atque à labe originali incorruptā naturæ sortem fuerit adepta, *naturâ formosior Cherubim*, atq; Seraphim esse dicatur? cum ad hanc immunitatem exprimendam satis superque fuisset, dicere, ipsam naturā supparem illis fuisse, vti dictum est ab Ignatio M. epist. 1. ad Ioannem his verbis: *Sicut nobis â fidedignis narratur, in Maria Matre Iesu, humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur:* Porro, & si Michael ordine superior Gabriele sit, non equidē merito, quod procul à peccato fuerit creatus, eò natura superiorem, aut formosiorē dixeris, sed tantū illi supparem in pulchritudine, cum par fuerit hæc gratia, & pulchritudo in vtroq; Huic tamē dubio non vnā tantum solutionē, quæ nostro sit instituto opportuna, paramus. Nam in primis, cū iuxta eam, quam persequimur sententiam Mariæ, vt extra pactū, extra legem, & transgressionē, ita extra omne discrimē, & (vt prouerbio dicitur,) *extra telorū iactū*, semper exstitit, cuius nimirū nomen nunquā in albo Adæ, peccato obnoxij inuentū est, sed è thesauro diuinitatis fuit euolutū, ipsaque non nisi, vt Mater Dei foret, digna digni, vnica vnici, electa, atque formata fuit, eo quidem modo, quo sancta Mater Ecclesia, aurea, & emphaticà oratione Deum demulcet inquiens: *Omnipotēs Sempiterne Deus qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur Spiritu Sancto cooperante præparasti:* Nota verba, obserua mysteria; dum Deum Omnipotentem Spiritus Sācti adiutorio innixum inducit Ecclesia Mariæ corpus, & animam, totis benignitatis, bonitatis, & Sapientiæ manibus præparantem, vt ipsa Dignum Filij Dei habitaculū nō

Ign. M

modo efficeretur; sed notâter efficimereretur: Quod habens ob oculos S. Petrus Damianus serm. *de Natiuitate Virginis* ingenti verborum põdere inquit: *Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem*: Anselmus vero ad ipsam Virginem conuersus exclamat lib. *de Concept. Virginis*. *Nihil tibi, Domina, æquale, nihil comparabile: omne, quod est, aut supra te, aut infra te est: supra te solus Deus: infra te omne illud quod Deus non est*: Pergit autem S. Thomas 1. part. q. 25. art. 6. & hâc ratione Mariæ dignitatem infinitam esse non dubitant affirmare: nam dum in controuersiam vertit, potuerit ne Deus, meliores, præstãtioresque condere creaturas, quam effecerit? respondet: licet si vniuersim loquamur, meliores creaturas condere valuerit, quasdam tamen ita insignes ita præstantes effecisse, vt meliores facere minimè potuerit, ita, vt neutiquam habuerit, quò vltra progrederetur infinita eius potentia: Tria verò eiusmodi a Deo condita fuisse sic affirmat argumentum quartum dissoluens: *Dicendum quod humanitas Christi ex hoc, quod est vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc, quod est Mater Dei habent quamdã dignitatem infinitã ex bono infinito, quod est Deus: & ex hâc parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut nõ potest aliquid melius esse Deo*: Sic S. Thomas. Hinc iam Bernardus Deiparã dignitatis suæ sic omnino admonet: *Ne sileteris, vel inter Angelos, Virgo sancta, sublimius aliquid tuo ministerio propinandũ terra sitiens præstolatur. Transi ergo Virtutes, & Dominationes, Cherubim quoque, ac Seraphim, vt ad eũ perueniat, de quo vociferantur ad inuicẽ. Sãctus, Sãctus, Sãctus Dominus Deus Sabbaoth.* Hæc Bernardus: vbi non possum me cohibere, quin adscribam, quod alibi adduxi ex S. Sabba in Menæis Græcorũ die 30. Ianuarij Ode 9. Angelum Mariam salutantem præ ipsius excellentiã, & splendidiori luce, proprij splendoris fuisse oblitum, ac proinde cum tremore salutationem peregisse: ita enim ait ille: *Equidem fulgens tibi Angelus adstitit, sed puritatis tuæ fulgoribus adeo repercussus, vt tui splendoris admiratione gloriosæ lucis suæ obliuisceretur: Vnde cum tremore salutationem peregit*: Hæc ille, vt expresserit Petrum Damianum affirmantem ad splendorem dignitatis Mariæ omnem omnino creaturam contremiscere, quin audeat fixis oculis aspicere tantæ dignitatis immensitatem.

Vnde quidem ex hâc quam contemplantur Patres, Mariæ formatione, ipsam naturâ licet humanâ præditam merito dixeris, *naturâ formosiorem Cherubim*, quod Omnipotens Deus Spiritu Sancto cooperante pro sua sapientia, potentia, bonitate, & benignitate Mariæ corpus, & animam tali puritate, sanctitate, & gratiæ abundantiâ præparans, qualis Matri Vnigeniti sui conueniebat, nec essaria ratione multo excellentiorem, ac sublimiorem cęlestibus spiritubus ac proinde sibi multo propinquiorẽ effecit; vt supra illã sit solus Deus infra illã omne quod Deus nõ est, quæ sane mens fuerit S. Ioannis Damasc. Orat. 1. *de Natiuitate Virginis*: Vbi cum Mariam allocutus dixisset. *Tota pelagus: Tota pulchra, tota Deo propinqua* Hæc statim subijcit: *Ipsa nopinãque Cherubinos superans, ac supra Seraphinos euecta propinqua Deo exstitit*: Vnde admiratus exclamat! *O miraculum omnium miraculorum maximè nouum! Mulier Seraphinis sublimior effecta est. Deus visus est paulo minus ab Angelis imminoratus. Sileat Iapientissimus Solomon, nec iam nihil sub sole nouum esse affirmet*: Hactenus Da-

S. Sabb.

Pet. Da

Anſel.

Dam. ſ.

S. Thom

Bernar.

mas. af-

nus Damascenus. Apud quem obserua primum illam consecutionem: *Cherubinos superans, ac super Cherubinos euecta propinqua Deo exstitit:* Omnino pendens hæc à Damasceno non in die Assumptionis Mariæ, sed in die Natiuitatis illius de prima eius formatione dici: Itidemque ipsum affirmare eo sublimiorem Cherubinis, & Seraphinis effectam, quò Deo proximior, ac propinquior exsistit: vt ex his appareat, nihil præter Deum Mariâ purius, candidius, innocentius, ac magis ab omni labe alienum, etiam si Angelos numeres inueniri, aut excogitari posse (vt statim firmo) Vnde opportune exclamat Damascenus: tantam Mariæ puritatem, & propinquitatem ad Deum in primâ eius formatione (id enim omnino significat illud: *Mulier Seraphinis sublimior effecta est*) miraculum esse omnium miraculorum maximè nouum: quod excipi omnino debeat ab illa generali Salomonis thesi. Nihil sub sole nouum, quod de omnimoda Mariæ abmni labe immunitate capiendum est; cum pręter omnem rerum ordinem & caussarum seriem fuerit: vti hoc sensu Ecclesia Græca in Menæis 9. Matij in vesperis, *de S. Canone*, Mariam hunc in modum salutauit: *Salue, quâ nihil vnquam magis peregrinum inter mortales auditum!* Vt vero appareat, tantam nouitatem ad immunitatem à peccato originali fore referendam, subdit maioris explicationis gratiâ. *Salue Sacrosanctum paradisi lignum ab ipso Deo plantatum:* Nimirum nihil à Deo vitiatæ originis in paradiso plantatum est: de quo nos alibi, sed hæc adhuc plus plus explicanda sunt.

(§)

MARIAM Immaculatè Conceptam, quod vt Angelorum Domina, ita illis naturà formosior exstitit.

ADNOTATIO III.

ENim verò vt ex præexcellentissima Deiparæ dignitate, & noua sorte nascendi, quâ super Seraphinos euecta propinqua Deo extitit, satis, superque euincatur, ipsam naturà formosiorem cęlestibus spiritibus esse, adhuc tamen oportet omnino vim verborum Epiphanij pro immunitate Mariæ exhaurire, quin vllus in illis scrupulus, aut ambigendi locus supersit: Et quidē vt hoc præstem, premo præfata Damasceni verba, quibus Virginem in Conceptione sua, quod Deo maximè esset propinqua, superiorem Cherubinis sic faciebat, *ipsa namque Cherubinos superans, ac supra Seraphinos euecta, propinqua Deo exstitit.* Et verò Mariam Deo esse proqinquam siue proximā iam in superioribus vidimus ex verbis Cant. 2, v. 11. *Surge propera amica mea columba mea, & veni*, & statim nulla interposita morà vers. 13. *Surge amica mea speciosa mea, & veni*, Vbi LXX. vtrobique pro *amica mea*, reposuere, *proxima mea*, idest, quæ proprius ad me accedis: Quid autem sit, aut quid valeat Mariā in Conceptione sua Deo proximiorem Angelis esse, fere explicauerit Æthnicus Tullius lib. 1. de legibus monens: *Id habendum est Deo propinquū, quod optimū est:* vt Deipara purior, sanctior, & melior Angelis à Deo sit effecta, vt dicebat Dam. *Mulier Seraphinis sublimior effecta*

Damas.

Canti. 2 v. 11. 13

LXX.

Æthnic. Tullius.

est: Sed opportunius, & omnino ad rē, hanc propinquitatem ab statu peccandi in capace eruemus ex Gregorio Nazianceno Oratione 40. sic Theologicè loquente. *Nazian* *Quoniam enim omni peccati labe carere, Dei est, primæque, & incompositæ naturæ (simplicitas enim pacata est, atq; e ab omni dissidio remota) audacter a Adam, & Angelicæ, quæ aut prorsus extra peccandi aleam est, aut ad ea certè ob eam propinquitatem, quam ad Deum habet proximè accedit: peccare autem humanæ, ac terrenæ compositionis, &c.* Hæc Nazianzen. Apud quem duo obserua. Alterum: non omnino tribuisse Nazianzenum Angelicæ naturæ, vt prorsus extra peccandi aleam fuerit, sed disiunctiuè affirmasse, aut illam extra peccandi aleam esse, aut ad id proxime accedere: Quod perinde capiendum est, vt Angeli præfinito ipsis viatorum tempore potuerint peccare, sicut reapse plures ex illis peccasse certum est: post modum verò firmati in gratia extra peccandi aleam omnino sint. Alterum: Angelis extra peccandi aleam esse, prorsus aduenire, *ob eam propinquitatem, quam ad Deum habent:*

II Ex his ergo vide iam omnino Mariam natura formosiorem Cherubim non modo ab excellentiori illius dignitate, sed etiam ab ipsa conditione origine, & sorte nascendi: Nam si aduertis non æque nobilis atque secura extra telorum iactum Angelorum origo, atque conditio, ac Mariæ fuit, cum in primo, aut secundo conditionis suæ instanti, vt liberum illis fuit à sanctitate, & gratia recedere, quemadmodum apostatæ Angeli reapse recesserunt, ita quidē ipsos extra telorū iactum, siue (vt inquit Nazianzenus) *extra peccandi aleam*, prorsus fuisse non apte dixerimus. Vnde sapienter affirmauit Bernardus auxiliarem tunc illis manū Deū adhibuisse, *Bernar.*

A B C D E

ne præcipites laberentur, ita enim ille ser. 22. in *Cātica* de munere Redēptoris à Filio Dei siue in homines, siue in Angelos exercito opportunè disseruit. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hūc à captiuitate defendens, & hāc ratione fuit vtrique redemptor, soluens illum, & seruans istū:* Sic ille, vbi obserua illud. *dedit stanti Angelo, ne laberetur*, quippe qui sibi vni relictus nec auxiliari Dei manu detentus labi potuit; quin ex vi suæ naturæ extra peccandi aleam prorsus fuerit. Ecce ergo tibi Mariam natura formosi orē Cherubim, & Seraphim, quæ vt etiā præseruata; immo, & redēpta à Deo per Christum dici possit, & debeat (vt inseqq. adnotationibus quā latissime vidimus) multo tamen excellētiorē præseruationis, siue Redeptionis modum est consecuta) dum pulchriorē illam, & nobiliorē nascendi sortē habens, qua non nisi in Dei Matrem formata est, prorsus extra peccandi aleam semper constitit, quin vlli noxę, nec debito, nec discrimini illius fuerit vnquam obnoxia, cū hæc pulchra sors Angelis non obtigerit: vt apud Iob 4. v. 18. *In Angelis suis reperit prauitatē:* Quod non solū de Apostatis Angelis, sed etiā in vniuersum de omnibus accipiunt plures Caietanus Vatablus, Eugubinus, & alij: iuxta Hebræam lectionem, quæ habet apud Vatablum: *Nec in Angelis suis posuit lucē exactissimā:* eā scilicet, qua extra peccādi aleā fuerint, quamque in Maria in ipso Conceptionis instanti posuit dum progressa est, *sicut Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol:* Cant. 6. versicul. 9. *Iob. 4. v. 18.* *Caietan Vatabl.* *Cant. 6. vers. 9.*

Quæ quidem mens è pharetra Sanctorum PP. videtur desumpta, in hunc sensum conspirantibus Sancto Ildephonso, & Hieronymo, siue Sophronio: dum ille lib. de *Virginitate S. Mariæ*, cap. 10. Deiparam III *Ildeph.* *Hieron.*

super-

ſupernis ſpiritibus ſic præfert: *Nam Angelicæ forma naturæ ante ſolidi-*
tatem fragilis, ante firmamentum labens, ante ſtabilitatem ruens, an-
te robur titubans, atque nutans. Hæc fœmina ſanctificationis baſis eſt, æter A
nitas Virginitatis eſt: Mater Dei eſt Sacrarium Spiritus Sancti eſt. Tem-
plum ſingulariter vnicum factoris ſui eſt. Verum Angelicæ beata con-
ditio naturæ poſt ſtabilitatem indeficiens in amore Diuinitatis, poſt ſir-
mamentum perennis in aſpectu Dominicæ viſionis, poſt robur inſepara-
bilis à conſortio Deitatis. Hęc Ildephonſus firmans inde naturæ formo-
ſiorem Mariam Cherubim, quod e- B
ius forma adeo firma ſemper exſti-
terit, vt ipſa, & ſanctitatis baſis eſ-
ſe videatur: Angelicæ vero naturæ
forma, antequam à Deo ſolidè ſub-
ſiſteret, fragilis, labens, & titubans
fuerit. Ad Ildefonſi verò guſtum So-
phronius in ſermone de *Aſſumptio-*
ne Virginis, de Angelorum ſtabili-
tate cum Sanctiſsimæ Virginis per-
petua ſanctitate compoſita apte diſ- C
ſeruit: Nimirum cum præmiſiſſet.
Nam omnis ſplendor, & gloria quan-
to illuſtratur fulgore ſuo ſublimius,
Sophron *tantò apparet præſtantior claritate*
quorumlibet ſubiectorum. Sic & bea-
ta Deigenitrix, cuius plantatio qua-
ſi roſæ in Iericho ſpeciali refulſit. Sub-
mittitur illi Sanctorum claritas,
vt eius amplius ſplendor, & gloria D
commendaretur, quæ ſuper Angelo-
rum choros eleuata iam beata, &
beatiſsima prædicatur: Subijcit op-
portunius noſtro inſtituto. *Nam An-*
gelorum quamuis celſior natura ſit,
non tamen gratia maior, quia ipſi
gratuitâ gratiâ ne corruerent ſalua-
ti ſunt. Vnde Dauid ait. Verbo Do-
mini cœli firmati ſunt, & ſpiritu o- E
ris eius omnis virtus eorum: Ex qui-
bus ſic concludit Sophronius. *Quod*
ſi ſpiritu oris eius omnis eorum virtus
ſubſiſtit, conſtat beatam, & glorio-
ſam Virginem ampliora promeruiſſe
virtutum priuilegia, & gratiam
percepiſſe ab ipſis Angelis collauda-
tam. Id eſt, vt explicat P. Salazar (qui
prior, & hęc Sophronij, & illa Ilde-
phonſi verba occupauit) cap. 23. §. *P. Sala.*
10. num. 139. gratiam accepiſſe (Re-
demptionis) quam vel ipſi Angeli
ſuſcipere, & admirari poſſēt: Eam ſci
licet gratiam, qua a gratiâ concepta
tanta puritate Deo appropinquauit
vt extra peccandi aleā fuerit, ita id;
ſingillatim cenſente B. Albert. Mag.
in Mariali cap. 137. vbi dum omni-
no tribuit Mariæ, *Summā puritatem,* *Al. M.*
quæ ſub Deo poteſt intelligi, ad hanc
puritatem reducit immunitatē a pec
cato, & impoſsibilitatē peccandi ob
ſummā approximationem ad purita
tem Dei, hunc in modum: *Ad ſum-*
mam puritatem, quæ ſub Deo poteſt
intelligi, reducitur immunitas pecca
ti, impoſsibilitas etiam peccandi eſt
ſumma appropinquatio ad puritatem
Dei, & ſic etiā ad puritatē in ſummo
reducitur. Hęc Magnus Albertus ſatis
dilucide pro Mariæ immunitate.

Vt autem hæc cogitatio vndequa IV
que ſolidè ſubſiſtat operæ pretiū fue
rit ipſammet Angelicæ naturæ ſupra
humanam excellentiam explicare;
vt abillā omnino appareat Mariam
Angelicâ naturâ formoſiorem, atque
excellentiorem eſſe. Et vero, vt ali-
bi ex PP. vidimus eā de re penſicula-
tius differentes in lib. de *Optimo Prin-*
cipe, ad Pſalm. 100. in expoſitione
litterali, & morali verſ. 1. lect. 4. ideo
Dionyſius lib. de *Diuinis nomini-* *Dioniſi.*
bus, cap. 4. Angelum homini præfere
bāt, quod illa, *imago Dei eſt, mani-* *Didym.*
feſtatio inuiſibilis lucis: Didymus ve
ro in poſteriorē epiſt. Petri, quod *ex*
preſsior imago Deitatis: Sic, quippè *Nyſſen.*
in Angelica puritate potius quam in
humana diuinitas, tanquā in lucidio
ri, & mūdiori ſpeculo ſplendidius e-
micat, & lucet; dixit enim Sapienter
Greg. Nyſ. Or. 6. de beatitudinibus à
nobis bis, & ter tāquā pulcher ſenſus
adductus. *Puritas enim, & vitiorū,*

affectuũq; vacuitas, & abomni malo alienatio Deitas est: Hinc ergo, vt purior Maria, atq; ideò propinquior Deo; ita Angelo formosior, atque diuinior relucente in speculo puritatis ipsius multo micantius, atque splendidius Diuinitate, subsistit, quippe illam puritatem, quam describit Nyssenus, quæ à Deitate vix differt, Mariæ tribuit S. Ephrem. Orat. de *Sanctissima Deipara:* Dum illam sic exorditur. *Immaculata, & intemerata, incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni sorde, ac labe peccati alienissima:* Similiter eâ puritatem, qua alia sub Deo maior nequeat intelligi, in Virgine, vt opportuna Deigenitrix esset prærequisitam, & inuentam fuisse, satis manifestè docuit Anselmus lib. de *Conception. Virginis, & peccato originali*, cap. 18. præclaris illis, quæ in ore omnium natant, verbis: *Sed quia decebat, vt illius hominis Conceptio de Matre purissimâ fieret: nempe decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filiũ suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat dare disponebat:* Ex quibus puritatis præmissis; cum S. Thomas nõ ad mẽtem Mauritij illius Parisiensis Episcopi, sed ex proprio, & pacatissimo sensu (vt suo loco videro) locutus est, tẽpe in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. Mariæ immunitatem dissertissimè asseruit. Nimirum cum primum ad mentem S. Gregorij Nysseni puritatem à vacuitate, & alienatione ab omni malo inferentis: & Sancti Ephrem, qui Deiparam ab omni sorde, ac labe peccati alienissimam dicebat idem Sanctus Thomas de puritate dixisset. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati inquinatum sit:* Inde opportunissime infert. *Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.*

S. Ephr. Anſel. S. Thom

Inde verò hæc Deiparæ puritas Angelica excellentior apparet, eiusque natura formosior, non in spirituali naturâ, sed in humanâ, non in naturâ simplici, sed terrenę cõpositionis, *cuius est peccare*, vt Gregorius Nazianzenus, ab omni labe alienissima & Deo propinquior, quam Cherubim, & Seraphim fuerit concepta, ad eum modum, quo Bernardus humanam castitatẽ Angelicæ videtur præferre epist. 4. inquiens. *Differunt quidem interse homo pudicus, & Angelus; sed felicitate, non virtute, & si illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur.* Sed enim Mariæ puritas, & fortior, & felicior Angelicâ puritate perpetuo fuit, ob quam sane rationem S. Ioan. Damascenus præfata Orat. 1. de *Natiuitate Virginis*, exclamabat? *O miraculum omnium miraculorum maximè nouum! Mulier Seraphinis sublimior effecta est. Deus paulo minus ab Angelis minoratus est. Sileat Sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub sole nouum esse affirmet:* Vt dixerit: quid maius omni admiratione potuit excogitari, quam Christum Dei Filium subsistentem in personâ diuinâ paulo minus ab Angelis minoratum factum fuisse; mulierem verò carne mortali, & natura humanâ prędità sublimiorẽ ipsismet Serephinis, & propter summam puritatem Deo proximiorem effectam? *Quâ nihil vnquam magis peregrinum inter mortales auditum* (vt inibi Ecclesia Græca dicebat) quare pergit Damascenus denuo exclamans: *O Virgo diuinitus gratiâ donata: templum Dei sanctum, quod ille pacis Princeps Salomon spiritualiter construxit, & habitauit, nõ auro, & inanimis lapidibus ornatum; verùm auri loco Spiritu fulgens, pro lapidibus autem pretiosis, margaritã ingentis pretij Christum habens:* Hæc ille, & verò quamuis opportuna ad Deiparæ immunitatem asserendam

Bernar. Damaſ. Eccl. Gr Damaſ.

dum

dum ipſam facit Damaſcenus templum ſanctum à verò Salomone funditus conſtructum, auri loco ſpiritum Sanctum habens, illa tamen noſtro inſtituto opportuniora ſunt, quę idē Pater habet in Menæis Græcorum 12 Auguſt. Ode 7. de *SS. Potio, & Aniceto*, hunc in modum: *Equidem videbaris, ò Virgo, eſſe Filia Adami collapſi; at re ipſa eras tu genitrix Dei eundem reſtituētis in integrum.* Vbi obſerua primum quam differtè Virginem ab Adami collapſi familia, & contagione ſecernat: inquiens ipſam ad faciem quidem viſam fuiſſe filiam Adami cadentis; at re vera minimè fuiſſe. Deindè nota antitheſim, quà negat Damaſcenus Mariam fuiſſe filiam Adami collapſi: *At re ipſa eras tu genitrix Dei*: Nimirum, vt immediatam aduerſatiuam poneret: dicere debuiſſet, videbaris eſſe filia Adæ, at re ipſa non eras eo quod eſſes Mater Dei: ipſe verò multo elegantius immediata illa aduerſatiuà ſub intellecta occurrit illi apparenti ſpeciei, quod eſſet filia Adæ collapſi, inquiens, *at re ipſa eras tu genitrix Dei* vt tanti muneris celſitate; quidquid ab Adamo collapſo Virgini poterat in hominum cogitatione obtingere prorſus deſtrueret, & quam longiſſime amoliretur: vt dixerit, at tu re ipſa ſupra omnem naturę legem, ſupra omnem caſum, maior omni diſcrimine eras, quæ rerum omnium Domina in Matrem ſuperni Numinis electa excelſior cœlis Seraphinis ſublimior effecta es.

VI *S. Iacob.* Enim verò pro ijs, quæ hucuſque diximus egregie fideiubere videtur S. Iacobus Apoſtolus in ſuà Lithurgià dum Deiparam notanter honorabiliorem, & glorioſiorem, quam Cherubim, & Seraphim, prædicat hiſce præclaris verbis: *Dignum eſt, vt te verè beatam dicamus, Deiparā ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem Dei, honorabiliorem quam Cherubim, & glorioſiorem, quam Seraphim, quæ ſine corruptione Deum Verbum peperiſti, re vera Deiparam magnificamus:* Vbi vides inter præclaras Mariæ laudes quibus, & ſemper beata, & omnibus modis irreprehenſa aſſeritur, vt eius immunitas, & à tempore dum *ſemper beata*, & à modo, quo peccatum, ſiue origine, ſiue actu contrahitur, dum *omnibus modis irreprehenſa*, dicitur, ſingillatim honorabiliorem quam Cherubim, & glorioſiorē quam Seraphim prædicari, quod Mariæ honos perpetuo ei affixus, & eius gloria ſine vllo diſcrimine fuerit, cū ſemper extra peccandi aleam exſtiterit: Quare pendè ingentem honorem, & gloriam, quam ipſa præ omnibus creaturis in acie cum hoſte cōmuni decertantibus mirum in modum conſecuta ſit ex victoria, quā de antiquo ſerpente retulit apud Ioan. Apocalypſis 12. ſic illam deſcribente Ioanne vers. 1. *Et ſignum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta ſole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*: & ſtatim ver. 3. *Et ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram, & draco ſtetit ante mulierem:* Vbi omnino vides Mariam cū primum apparuit victrice iam corona redimitam, nec ſolum potuiſſe dicere, quod ille cæſar: *Veni: vidi: vici:* Sed etiam ipſummet eius aduentum victoriam fuiſſe: priuſque deuictum, triumphatumque draconem, quam ille Mariæ bellum inferre parauerit: Vt Deiparæ propria ſit *Victoria*, illa *Virgo*: de qua nos, & multis egimus in lib. de optimo Principe lib. 1. adnot. 17. num. 5. & inferius latius diſſeremus, cum quis tanta eſt, ſiue corporis ſiue animi fortitudine prędituſ: vt nō ſit ei opus gladium è vagina educere ad tantum aduerſario incutiendum timorem, vt illum adoriri non præſumat:

Apocal. 12. ver. 1.

mat: vti in pudica Virgine hunc immo dum explicabat Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 287. *Pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens eorum qui in ipsius pulchritudinem irrumpere cupiunt, spes excindit:* Et in bellica Stiliconis gloria Claudianus

Isidorus

Claudia

Miramur rapidis hostem sucumbere bellis
Cum solo terrore ruant: non Classica Francis
Intulimus: iacuêre tamen, non Marte Sueuos
Contudimus: quêis iura damus: quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania seruit.

Nimirum sic draco stetit ante mulierem, vt cum ipsa iam coronata subsisteret, ille omni spe excissa solo terrore ruerit, & ante tubam postratus bello, & trophęo Mariæ succubuerit: cum tamen alia omnino ratio gerendi bellum cum Angelis fuerit, imo videlicet certamine, & dū tertia parte stellarum de victa, & à proprijs sedibus reuulsa fuit, cęteræ pauentes contremuerūt: dicente Iob. 26. vers. 11. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius:* Quod de Angelis omnino accipiunt S. Gregor. S. Thom. Philippus, Nicolaus de Lyra, Hugo, & Latini interpretes, vt iensus fuerit ipsos ante firmitatem nutasse, siue casui obnoxios fuisse, vt nuper citatus Ildephonsus dicebat, aut de ruina sua timorem habuisse per illud temporis momentum, in quo eorum salus velut in æquilibrio fuit.

VII

Pergit verò Ioannes in Deiparæ victoriâ celebranda inquiens vers. 14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ: vt volaret in desertum locum:* Vbi si primum inquiras, quæ sint istæ duæ alæ, regiæ Mariæ datæ? Respondet S. Bernardinus tom. 4. serm. 13. artic. 2. cap. 3. per eas significari, *auctoritatem Imperatricis, generositatem genitricis:* Deinde discet ex Gregorio Magno hom. 24. in Euangelia desertum, in quod Deipara euolauit, cœlum esse: Sic enim ille: *Cur autem cœlum desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem homo cœlum deseruit cum peccauit:* Ergo vnde Maria in Conceptione sua adeo gloriosè draconem vicit, & de eo triumphū egit, vt propter exactissimam puritatem, & lucem veluti in cęlo concepta videretur, quod Dominæ, siue imperatricis auctoritatem, & generositatem genitricis habuerit, atque id circo is de draconе triumphus maiestate, & auctoritate plenus fuit, dum ipsa capite cœlum tangente, & draconе in terram proiecto, ipsa caput eius fortiter, & glorioſe contriuit. Cui cogitationi opportunè subscripsit Damascenus præfatâ oratione 1. de *Natiuitate Virginis:* componens Mariam immaculatè cōceptam cū celebri illa Scala à Iacob visa Genes. 28. vers. 12. de qua Sacer Scriptor ait: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum:* Nam primum Scalam sic elucidat. *Hodie illud omnium Artifex Dei, qui per ipsum omnia condidit Verbum, partu editur forte illud excelsi brachium, obtusum naturæ ligonem Spiritu Sancto tanquam digito suo exacuens, viuam scalam sibi ipsi condidit: cuius ima pars in terrâ firmata est: summa autem ad cœlum, vsque porrigitur, in quâ Deus requieuit, cuius locum Iacob cospexit, per quam Deus sine vllâ migratione descendens, vel vt rectius loquar, indulgenter se demittens, in terrâ visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Obserua illa: *Spiritu Sancto tanquam digito suo exacuens viuam scalam sibi ipsi condidit,* quæ pro immunitate Mariæ expressissima sunt, dum scalam ipsemet Deo conditam viuā à Spiritus Sancti operationē gratiam in instanti Conceptionis tribuente,

Gr. M.

Damasc.

Gen. 18. vers. 12.

Ap. 12. vers. 14. Bernardin.

omnino

omnino facit. Sed deinde id ipsum sic plus plus explicat, atque exornat: *Spiritalis scala, hoc est Virgo in terrâ firmata est (ex terrâ enim ortum habet) caput autem ipsius ad cœlum pertinet: Huius quippe mulieris caput, Pater exstitit.* Hęc Damascenus pulchrè, & differtè: iterum differtè, & pulchrè. Pendet id: *Caput autem ipsius ad cœlum pertinet*, vt videas quo modo Maria, & si ex terrâ ortum habuit, tamen ante quam draco, ante ipsam præliaturus consisteret, iam in cęlo apparuit, in illud regijs Imperatricis, & genitricis Dei alis sublata. Vnde in idem eodem sensu inquit: *Hodie ex terrenâ naturâ cœlũ interrâ ille condidit, qui olim firmamentũ ex aquis fixerat, atque in altum extulerat, ac sane hoc illo longe diuinius est.* Sed, quod Damascenus vt dictorum rationem reddat pro coronide subijcit. *Huius quippe mulieris caput Pater exstitit:* mire totam cogitationem exornat. nec enim cõtentus dixisse caput scalæ Mariæ ad cœlũ pertinere tanquam proximum Deo caput, quod ob summam propinquitatem extra peccandi aleã esset, subijcit Summum Patrem caput Mariæ exstitisse, vt videlicet ipsa procul esset ab Adamo, à quo tanquam à capite in totum humani generis corpus peccati venenum influit, quæ Deum pro capite habebat.

VIII Iam verò egregium Marię de dracone triumphum gloriæ, & maiestatis plenum cum ipsa in cœlum sublata illius in terram proiecti caput contriuit, illa Dei ad draconem verba manifestant: *Ipsa conteret caput tuũ & tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. 3. vers. 15. quæ vt de Deipara fore accipienda munitissima PP. & interpretum phalanx euincit (sic enim Augustin. lib. 11. de Genesi ad litter. c. 9. Leo magnus serm. 2. *de Natiuitate* Prudentius hymn. 3. *Chatemerinon*, Epiphanius, *aduersus Antidicomarianitas*, Cyprian. lib. 2. *Testimoniorum*. Theodoret. Hugo Victorinus, Beda, & Rupertus ibi; ex interpretibus vero, & recentioribus P. Canisius lib. 5. de *Maria Deiparâ*, cap. 9. Martin. del Rio tom. 1. Adagior. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 5. Viegas Apocalyp. cap. 12. sect. 4. n. 3. Spinellus in *Maria Deiparâ* cap. 7. num. 12. & alij in numeri) ita celebris, & frequentior explicatio est, vt Maria significetur caput serpentis contritura, quod à peccato originali immunis, & libera futura esset: in quam interpretationem tàm eruditum, quàm rude vulgus cursu vadit. Habet verò peculiarem vim ad gloriam triumphi significandam, quod non vtcumque hostem victura Maria dicatur, sed signatè caput eius contritura, & pedibus protritura: id namque, & auctoritatem Imperatricis, & generositatem genitricis portendit: vt ipsa cum dracone tanquã Regina, ac Domina, cuius pedibus tartareæ legiones subiectæ sunt, tota maiestate, ac potestate ageret, & sine pugna vinceret. Quare obserua quã alia locutione expresserit Thaddæus Apostolus in epistola vers. 9. pugnã Michaelis cum diabolo super Moysis corpore, inquiens: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputãs altercaretur de Moysi corpore no est ausus iudicium inferre blasfemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus:* Vbi mirum quidem videtur, Archangelum cum dæmone, iudicem cum reo, potentem cum prostrato decertantem: totum certaminis momentũ ad disputationis acumen, & ad altercationis vim, retulisse, quin ausus fuerit iudicium inferre blasfemiæ, siue illum pedibus proterere, & cõculcare, sed causam ad Dei tribunal deducens, eius auxilium, & imperium implorauerit: Quod scite expendit Iobius Monachus in Commentarijs *de Verbo incarnato*, lib. 3. cap. 12. apud Photium in Bibliotheca vbi cum interrogasset: *Quare no per Angelos facta*

Theodor. Hugo Beda Rupert. Canisius del Rio. Suarez. Viegas Spinell.

Taddæi. vers. 5.

Iobius Monac.

Genes. 3. vers. 15. Augus. Leo Pruden. Epipha. Cyprian

fuerit

fuerit ſaluatio? reſpõdet: *Neque Angeli vllius erat, ſi illi cõmiſſa fuiſſet incarnatio, Principatus, & poteſtates in triumphum ducere, & palam traducere. Quomodo enim iubente conſeruo dæmonia, eorũque princeps in tenebras mitterentur, quando quidem Michaæ Archangelus pro ſolo Moyſis, & quidem iuſti corpore cũ diabolo diſputans, per ſe ei non eſt auſus iudicium ei in ferre blaſphemiæ:* Hæc ille: Ex quibus pende auctoritatem Mariæ imperatricis aliam omnino ab auctoritate Archangeli, cuius non erat principatus, & poteſtates in triumphum ducere: cum ipſa draconis caput glorioſè contriuerit, & pedibus conculcãs in triumphum ducens, palam, & confidenter illum traduxerit; quippe, quæ Cherubinis, & Seraphinis ſublimior Reginæ, & Imperatricis perſona gerebat: Quo in loco non poſſum, non expendere in verbo, *conteret*, quod omnino ſignificat in puluerem reducere, quanto illuſtrius, quanto magnificentius de Mariæ gloria, pia de ipſius immunitate opinio, quam cõtraria ſentiat, dum hęc de Mariæ ab originali peccato liberatione ſic ratiocinatur, vt ipſam non prius erectam, atque ſtantem conſiderat, quam antè ſolo, & cœno illiſam, non prius abſolutam, quam antea in tenebricoſo carcere incluſam, non prius viuam, & Deo gratam, quam antea mortuam, ipſique infenſam, pia vero opinio non aliter Mariam in hunc mundum ingredientem facit, quam imperatoria maieſtate hoſtem conculcantem, & regio, ac robuſto pede eius caput, ita conterentem, vt in puluerem redactus fuerit.

IX Nec pigebit aliam ſubinde afferre rationẽ immunitati Deiparæ cõſentaneam, quæ ipſam naturâ formoſiorem ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico eſſe firmat, illam ipſam dico, ob quam Angelica natura iure humanâ ſuperior habetur: neque a beneficentia, & auxiliari manu, quippe homo ideò Angelo minor eſt, quod opem ei ferre nequeat: Angelus verò homini auxilia, & ſolatia præſtare poſsit, vt nuper allatus Didymus his verbis affirmat. *Didym.* *Angeli manentes in ſanctitate, quam habent à Deo, ſunt potiores hominibus, licet excellenter beati ſint homines: Angeli ſi quidẽ cuſtodiunt Sanctos uiros, & eis auxiliantur, dũ homines nequaquam valent Angelis præbere ſolatia.* Sic ille. Vide ergo hinc Mariam naturâ Angelis formoſiorem, & præſtantiorem, quæ in Conceptione ſuâ feſtiua Angelis ſolatia, exſultationem, & gaudium præbuit; immo quod maius eſt munditiæ ſplẽdoribus eos reſperſit: Audi de primo S. Vincentium Ferrerium in ſermone *de Conceptione Virginis*, ſic feſtiue loquentem: *S. Vinc. Ferrer.* *Sancti Angeli cõceperunt Virginem in eorum mentibus, per quam eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudiare, & facere feſtũ magnum*, & iterum in ſerm. *de Natiuitate Virginis*, poſt alia verba à nobis alibi adducta ſubdens: *Ideo fit feſtum de eius Conceptione: quia facta eſt lux ſanctificationis in eâ: & ſtatim Angeli in cælo fecerũt feſtum Conceptionis:* Ita ille: Quò it S. Petri Damiani ſenſus ſcitè affirmantis à Mariæ præſentia Angelos peculiari gaudio beari, ita enim ille ſerm. 45. *Pet. Da* *Felices Angelici Spiritus, qui beatæ Virginis habent præſentiã. Nos interim memoriã abundantiæ ſuauitatis tuæ eructamus, illi præſentiã nos memoriam: Si ſic dulcis eſt memoria, quid erit præſentia?* Pergit vero Richardus à S. Laurentio lib. 1. *de Laudib. Virg.* cap. 2. nec à præſentiâ ſolum, ſed à ſolo Mariæ nomine audito, inſigni lætitia Angelos perfundi ſic affirmat: *Ricar. à S. Laur.* *Ter ad minus in Canticis in perſonâ Angelorum quæritur.* Quæ eſt iſta? *Non tantum, quia perſonæ mirantur excellentiam, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere*

bere ſequentem: ſed forſitan, quia dulce nomen ſibi deſiderant reſpondere. Sicut enim antiquis Patribus Iſaac, & cæteris, nomen *Domini* in deſi-
Iſaiæ 26 derio animæ *erat* (Iſaiæ 26. verſ. 8.)
verſ. 8. *Vt ſcilicet inter homines nominaretur Chriſtus, qui notus erat in cœlo effunderetur in terrâ, ſic Angeli nomẽ Mariæ deſiderabant nominari:* Ita Richardus, ac ſi dixerit optabant Mariæ nomen de theſauro Diuinitatis euolui, vt facerent feſtum puriſsimæ Conceptionis.

X Sed multo illuſtrius, & ad Deiparę immaculatæ Conceptæ gloriam opportunius eſt, quod S. Ioſephus Cõ-
S. Ioſeph feſſor in Menæis Græcis XI. Februarij poſt Oden. 3. de S. Baſilio M. affirmat, per Mariam omnium creaturarum mundiſsimam, & ornatiſsimam totũm cœli, & terræ ornatum perfici & Angelorum bene ordinatam mũditiam in eius perſona mundiorem effici: Audi illum pulcherrimè, hæc ita diffundentem: *Vt ſingulariter emundares hunc mundum, vtque ſupernis etiam ordinibus ornatum afferres, in mundo genuiſti munditiarum mundi Artificem: Ante huius enim aduentum ſupera, & infera ca-*
A
B
C
ruerunt tantâ Munditiâ, nempe Mortalium, nec oculis, nec mentibus ad Dominum ſuum cognoſcendũ erectis: Quo circa, tu palam cœleſtiũ atque terreſtrium emundatio longè mundiſsima exſtitiſti propter partus tui excellentem munditiam. Per hũc enim partum primigenia planè mũditia Mundum emundas: Vnaque Angelorum benè ordinatam Munditiem in tuâ perſona longe mundiorem efficis. O mundi totius ſeruatrix: Hæc omnia S. Ioſephus, nec ſunt longa, quibus nihil demere poſsis: ſed obſerua peculiarem illam Mariæ appellationem, *emundatio longe mundiſsima:* Maximè vero extrema hæc verba *Angelorum bene ordinatam munditiem in tuâ perſonâ longè mundiorem efficis:* Sed quâ ratione? Planè, quod quantumcumque mundi Angeli fuerint, tamen à Mariæ conſpectu, & famulatu longe mundiores efficiantur, peculiarem hanc munditiem, & ſplendorem illis præbente Deo, vt Mundiſsimę Deiparæ pro dignitate famulentur, vti in humanis magnæ Reginæ non niſi mundiſsimi pueri deſeruiunt, atque miniſtrant.

IHS

DISSERATIO TERTIA.

De MARIAE Immunitate ab originali peccato cum Dominicæ Incarnationis Sacramento connexà.

MARIA M ab omni labe originariâ immunem, cauſſam, atque illicem fuiſſe, cur humanam carnem Dei Filius voluerit ſuſcipere.

ADNOTATIO I.

I REDEO ad præfata verba Canticorum, quibus Dei Filio puriſsima ipſius Mater poſt tranſactã peccati Adæ hyemem, ſiue meridiano calore tranſacto, velut aura diei ad refrigerium inducitur obuiam ire, ipſumque tanquam feſtinantem, & optantem iam ad eſſe materiam carnis ab illà ad humani generis Redemptionem ſuſcipiendã tanquam præſenti locutum: *Surge propera Amica mea: columba mea: formoſa mea:* In quibus denuo obſeruo: pro illo epiteto *Amica mea* LXX Græcoſque PP. notanter repoſuiſſe, *proxima mea:* Quod eò opportunius refertur, vt Mater Filio ſuo in Conceptionis puritate, & ab originali peccato immunitate proxima, & affinis ſit, vt quemadmodum ipſe *Sanctus, innocens, impollutus, & à peccatoribus ſegregatus eſt:* Ita ipſa, vt idonea eius Mater cenſeatur itidem ſancta, innocens, impolluta, & à grege peccatorum ſegregata fuerit: Quã quidem cogitationem in lilij imagine Chriſto, & Mariæ communi, & omnem candorem, ſplendorem, pulchritudinem, ac venuſtatem repreſentãte expreſſam videris: Nimirũ, vt cœleſtis Sponſus de ſe ipſo ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium:* Cant. 2. verſ. 1. ita & de Maria ſtatim ſubijcit, *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea* (vbi LXX. etiam, *proxima mea*) *inter filias:* Cant. 2. verſ. 2. Vbi omnino vides Filium, & Matrem æque lilium dici: nec non Matrem ideo tãta puritate nitentem, atque ipſi proximam eſſe, quod ad Filij dignitatẽ maximè ſpectarit, & lilium eſſe, & Matrem lilium habere: ſcite id adno

A

B

C

Cant. 2. *verſ.* 10.

LXX.

Cant. 2. *verſ.* 1. *Cant.* 2. *verſ.* 2. *LXX.*

tante

tante Origine hom. 3. in Cant. his verbis: *Cum flos fuisset in campo, nullum dicit ex ipso campo florem ad imitationem sui, & similitudinem processisse: Vbi verò factus est in conuallibus lilium: continuo etiam efficitur Proxima sua, sponsi videlicet eius imitatione lilium, vt operæ pretium fuerit, quoniam ipse effectus est lilium, vt etiam Proxima sua, quæ ei appropinquat, & exemplum illius, imitationemque sectatur, lilium fiat.* Hæc Origenes. Apud quem obserua egregiam illam consecutionem: *Vbi vero factus est lilium continuo etiam efficitur Proxima sua lilium:* ac si dicat, Dei Filium, vt opportune lilium fieret, hoc est *Pontifex sanctus Innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus:* operæ pretium fuisse, vt à Matre, quæ lilium itidem omnimodâ puritate, & candore circumfulgens esset, originem duceret. Quem quidem sensum optimè expressit Dionysius Cartusianus, lib. 1. de *Laudibus Virginis*, inquiens *Sicut Christum decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ in termino excellentissimo præfulgere propter vnionem hypostaticam, sic etiam Mariam, quia post illum non est alia tàm vicina vnio, quam Matris Dei cum Deo suo;* sic Dionysius omnino exprimens Sanct. Bernardinum Senens. serm. 1. de *Natiuitate Mariæ* affirmantem: *Virgo fuit viciniſsima Filio Dei per carnis identitatem, quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris, fuit caro Filij Dei*: Ita ille: Opportunè ergo Filius lilium: opprtunè etiam Mater lilium, *omni perfectione naturæ, & gratiæ*, præfulgens, quæ ob oculos habens S. Iosephus Confessor in Menæis 13. Ianuarij Ode 5. de *SS. Hermylo, & Stratonico*, pulchrè Mariæ suggerit. *Vt pulchra, vt florida, vt tota puritatis nitore circumfulgens: Sermonem diuinum pulchritudine singulari florentem corpore ex te sumpto cinxisti*: Hæc ille, quæ adeo clara, & præclara sunt, vt nec elucidatione, nec discussione indigeant.

Origen. — A

Dio. Car — B

Bernar. — C

S. Ioseph — D

E

Firmat quidem hæc omnia S. Sabbas apud eadem Menæa Græca die 29. Ianuar. Ode 6. *de translatione S. Ignatij M.* Mariam sic affatus: *Ex te solâ tanquam purissimo lilio in medio spinarum inuento, vterum incolens tuum, Sponsus ille tuus processit.* Ita ille pulchrè coniungens Deiparæ immunitatem cum munere Matris Dei, vt quoniam Dei Filius inuenerit Mariã purissimum lilium omni candore nitens, & omni næuo carẽs in medio spinarũ, hoc est, mulierũ conceptarũ in peccato originali, ideo vterũ ipsius incoluerit: Quod vero dixit S. Sabbas solã Mariam *inuentam* lilium à Filio Dei, pulchrã habet epitasim: tum quia sensus est, ipsam semper fuisse lilium: & in ipso Conceptionis instanti lilium exstitisse, & à Dei Filio *mulierem fortem*, & omni puritate nitentem quærente, inuentam fuisse lilium; non vero ex spina lilium factum, vt cæteri Adæ posteri, qui in peccatis concepti, & spina originariæ labis prius cruentati, lilia subinde fiunt per gratiam regenerationis lauantes, & dealbantes stolas suas in sanguine Agni: Tum etiam, quod ea quæsitâ locutione *inueniendi*, velit exprimere accuratum, & nouum operandi modum quo Deus tanquam peritissimus Artifex in Marię formatione vsus est: Nimirum, quod Artifices multâ curâ, & vigiliâ excogitant, inuenire dicuntur: Ergo inquit Sabbas Dei Filium Mariam lilium inuenisse, siue singulari prouidentia lilium fecisse, vt eius vterum decenter, & pro maiestate incoleret: Quod si lilij pulchritudinem, & formam pensiculatius velis cum Ambrosio considerare, Mariæ immunitatem in illo opportunè adumbratam, inuenies: Etenim Ambrosius lib. 3. Exameron

II S. Sabb.

Pro. 31. *vers.* 1.

cap. 8. cum lilium describens dixisset *Considerate lilia agri: quantus sit cădor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imò ad summum videantur assurgere, vt scyphi exprimant formam, vt auri quædam species intus effulgeat:* Subijcit opportunè: *Ambr.* *Quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ:* Vt in hac lilij imagine eximia, & singularis protectio diuina erga Mariam in eius Conceptione appareat, cum hæc Dei gratiæ excubijs circumvallata nulli peccati iniuriæ patere potuit: Nec pigebit his addere, vel hàc signatè de causa, quod in lilio Mariæ immunitas præsignificata fuerit, hunc florem Dei Filio tantopere placuisse, vt (quod nulli alij ex floribus contigit) ab ipso egregia orationis pompa ab hoc sensu non dissidente laudatus fuerit illis verbis apud *Luc. 12. vers. 27.* Lucam cap. 12. vers. 27. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut vnum ex istis.* Vt allusione à Domino factâ ad id, quod de se ipso dixit Salomon: *Mat. 6 vers. 28.* *Sum quidem, & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, &c. Et ego natus accepi communem aèrem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis:* Sapientiæ 7. *Sap. 7. vers. 1.* vers. 1. & sequentibus de Maria dixerit: Ecce plusquam Salomon hæc, quæ in sui Conceptione non laborauit, neque neuit, nec primam vocem eiulatus edidit, quæ vallo gratiæ in circuitu obiecta nulli patuit iniuriæ.

III His aucto quidem censu adstipulatur in præcedenti adnotatione adductus S. Iosephus Confessor in Meneis Græcorum die 17. Martij Ode. 1. dum non contentus dicere (sicut Rupertus inquiebat) Dei Filium præoptasse Mariæ in carnem aduentum, vt ipsi materia foret assumendæ carnis, pergit vlterius signatè affirmans Mariæ immunitatem caussam, & illicem ipsi suscipiendę humanæ carnis fuisse, sic Deiparam affatus: *S. Ioseph* *Filius æque increatus, vt Pater in te sola reperit caussam, cur similem nobis naturam indueret: Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem:* Sic S. Iosephus opportunissimè: Apud quem obserua, & osculare præclara illa verba: *In te solâ reperit caussam:* quibus differtissime adstruit ab omnimoda Mariæ puritate tanquam à pulcherrimo candore lilij, Dei Filium allectum fuisse, vt humanam carnem susciperet: Sanè, quasi inducatur carnem originali macula corruptam tanquam fœdam, & graueolentem auersatus: Mariam vero tanquam purissimum lilium in medio spinarum inuentum, adeò ipsi placuisse, vt ipsam tanquam sibi proximam intuitus non tantum conuenientem materiam, sed etiam legitimam caussam duxerit; cur similem nobis naturam ex ipsa induerit. Certe, si attendis, nihil Deo similius, siue proximius, quam homo recenter à Deo ad imaginem, & similitudinem ipsius in institia, & sanctitate veritatis formatus: nihil verò dissimilius, quam creatura obnoxia peccato originali, quod est habitus dissimilitudinis ad Deum, vt alibi ex Dionysio Areopagita sumus persecuti. Pulchrè ergo ait S. Iosephus Dei Filium in solâ Maria inueniisse caussam, vt humanam carnem susciperet, quod ipsa sola inter omnes omnino creaturas post Adæ lapsum Deo maximè proxima, & ad similis fuerit quippe, quæ omnimodà puritate super omnes fulgeret, & *ab ipso vitæ suæ principio tam omnino exsi-*

sieret

ſteret pura, (vti docebat Eccleſia Græca) *quam eſſe puram decebat illam, quæ tanto Bono, ideſt Chriſto digna exſiſteret.*

IV Vt verò horum Patrum Græcorum ſenſus, Hieronymi auctoritate firmetur, audi quam ipſe difficultatem moueat ſuper ea Pauli verba ad Hieronymi Epheſios capit. 1. verſicul. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati:* In hũc modum ambigens: *Quæritur, quomodo ſanctus quis, & immaculatus ſit coram Deo, cum Prophe-*
Pſ. 124. *ta teſtetur dicens:* Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens? *Aut enim ſancti, & immaculati corã Deo Epheſij ſunt, & falſum eſt hoc, quod dicitur:* Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: *Aut ſi nemo iuſtificatur in conſpectu Dei, falſum eſt, quod præceſſit ſanctos, & immaculatos eſſe in conſpectu Dei:* Audi etiam, quomodo difficultati occurrat, ſic reſpondens: *Non ait Paulus elegit nos ante conſtitutionem mundi, cũ eſſemus Sancti, & immaculati; ſed elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati: hoc eſt qui ſancti, & immaculati ante non fuimus, vt poſtea eſſemus: Quod & de peccatoribus ad meliora conuerſis dici poteſt, & ſtabit illa ſententia:* Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, *ideſt in tota vitâ ſuâ, in omni, quo in mundo iſto conuerſatus eſt, tempore:* Hæc Hieronymus: Ex quibus capé diſcrimen inter lilium, & ſpinas, inter ouem errantem, & Mariam ſolam repertam puritate ſuper omnes creaturas fulgentem: Nimirum omnes Adæ filij electi ſunt, vt è ſpinis, quod videlicet in peccato originali concepti, & actualibus peccatis obnoxij eſſent, fierent lilia, immaculati ſcilicet, & in conſpectu Dei: itidemque inuenti ſunt tamquam oues errantes, vt ad caulas veri paſtoris redacti paſcua vitæ, & verum iter carperent: at verò Beata Virgo nunquam ſpina, vt fieret lilium nunquam ovis errans, vt rediret ad iter vitæ, ſed ſemper lilium ſemper puritate nitens, cum Dei præuenta gratiâ eſſet Sancta, & immaculata, tanquam puriſsimum lilium in medio ſpinarum inuentum electa eſt, vt eſſet digna Mater Dei: *In ipſa ſi quidem ſolâ Dei Filius reperit cauſſam, cur ſimilem nobis naturam indueret: ipſam enim reperit ſolam puritate ſuper omnes creaturas fulgentem.*

Iam verò huic *proximæ* epiteto quo cœleſtis ſpõſus Deiparam à peccato immunem aſſeruit proximũ eſt, id quod ſubiicit *columba mea:* et vt ea omnia omiſerimus, quæ frequentius in hanc rem de columbæ naturâ interpretes meditantur: damus Lectori pro huius epiteti elucidatione, & Mariæ immunitate egregia S. Ioann. Damaſceni verba apud Menæa Græca 22. Iannuarij *in fine diei.* Sunt iſta pro Deiparæ ſalutatione. *Salue columba electa, quæ mentem habes pennis inauratis ſpectabilem,* vbi præterquam quod Deiparam non qualemcumque columbam; ſed ſignatè columbam electam appellat: quod è re noſtra eſt: obſerua in his verbis alluſionem fieri ad illa Pſalm. 67. verſ. 14 *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ; & poſteriora dorſi eius in pallore auri:* mutatione tamen alarum facta dum Damaſcenus pro pennis deargentatis peculiari additâ epitaſi ex Hebraica lectione, *inauratas* ſubſtituit: ſed de ſententię ſenſu, qui aptiſsimus eſt, primum cogitemus: et verò is verborum vatis ſenſus eſt: Deum in ſummo, & præſentiſsimo diſcrimine ſalutem ſuis allaturum adeò, vt ſi inter mèdias ſortes (id enim eſt *inter medios cleros*:) dormiant, cum videlicèt milites de eorum capitibus ſortiuntur, cuius mancipia futuri ſint; tunc adeò tuti, & ſecuri ſint futuri, vt videantur habere pennas columbæ

V

Damaſ.

Pſal. 67 verſ. 14.

Lect. He

argenteo candore, & aureo pallore conſpicuas, quibus ſupra omnia diſcrimina ſeſe efferentes gloriosam de illis triumphum agant, & gratiſsimum intuentibus, ſpectaculum præbeant: ita prorſus Beatiſsimam Virginem, cum obnaturæ humanæ conditionem, hæreditario diſcrimini originariæ labis obnoxia videretur, futura inauratis columbæ pennis, ideſt Diuinitatis præſidio tecta, cum maximâ gloria ab illo diſcrimine euaſiſſe: vt vero is ſenſus columbæ electæ appictus vndequaque ſubſiſtat, quid rurſus de eadem columbâ dixerit Sponſus, audire eſt operæ pretium: Sic nãque Canticor. 1. verſic. 14. *Oculi tui columbarum*: Et omnino ad rem Canticor. 5. verſicul. 12. *Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*, huic imagini eam adhibente ſignificationem S. Cyrillo Alexand. lib. 3. in Leuiticum: *In ijs enim Spõſæ deſcribitur pulchritudo: Ferunt hoc genus auis, cum ad aquas venerit quia ibi ſolet accipitris inſidias pati* veniente *deſuper inimicum* volantis *vmbrâ in aquis inſpectâ deprehendere, & oculorum perſpicacia fraudem periculi imminẽtis euadere*: Hæc ibi: Deiparæ in Conceptione ſua peroportuna, in quâ illa ſerpentis caput mira dexteritate cõtriuit, oculorum perſpicacia fraudem periculi imminentis euadens, & extra telorum ictum, & accipitris vngues ſeſe propipiens.

VI

At enim vero huius columbæ pennas recognoſcere oportet, & quare inauratæ, ſiue auro tectæ ſingillatim eſſe dicantur: Et quidem ſi Origeni fidem habes, non obſcurum Diuinitatis veſtigium hìc adeſt, ait enim ille homil. 2. in Cant. *Aurum enim ſæpe oſtendimus, inuiſibilis, incorporeæque naturæ figuram tenere. Vnde Sponſa Chriſti Diuinitatem in ipſo principantem laudare volens dicebat.* Caput eius aurum optimum.

Origen.

A

B

C

D

E

Cant. 1. verſ. 14.

Cant. 5. verſ. 12.

S. Cyr. A

Cant. 7. *Quod myſterium declarauit Apoſtolus*: Caput Chriſti Deus: Vt argumento fuerit Mariæ quã Deigenitrix fuit, Diuinitus pennas datas fuiſſe, quibus ſeſe ſupra humanam conditionem, & naturam peccato vitiatam extolleret; quin ad illam peccati originalis virus perũgere poſſet: Nimirum S. Bernardin. tom. 4. ſerm. 13. articul. 2. capitul. 3. per alas Mariæ datas Apocalyp. 12. verſicul. 14. Signare intelligit, *auctoritatem Imperatricis: generoſitatem genitricis*: Dedecebat ſi quidem Deigenitricis generoſitatem, quæ Deo proxima eſt humi repere, & peccati ictui obnoxiam eſſe, ideo in altum ſublata, & auro Diuinitatis tecta, & protecta inducitur: Vbi ſimul obſerua: pulchrè his pennis deauratis innui celatum fuiſſe diabolo auctori peccati id myſterium; nec ſine cauſſa à Damaſceno Mariam nõ vt cumque columbam, ſed *columbam electam* fuiſſe appellatam: Sanè in columbâ neſcio quid inanis gloriæ, quæ ipſam prædæ accipitris obnoxiã reddit ſic arguit Pliniuslib. 10. *natur. hiſt.* cap. 36. *Columbis ineſt quidam, & gloriæ intellectus, noſſe credas ſuos colores, varietatẽque diſpoſitam, quin etiã ex volatu quæritur plaudere in cœlo, varieque ſulcare: Quâin oſtentatione, vt vinctæ præbentur accipitri implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarũ humeris eliditur, alio quin ſoluto volatu in multũ velociore. Speculatur occultus frõde latro & gaudẽtẽ in ipſâ gloriâ rapit*: Hæc ille. Quæ quidem primorum parentum peccato, quod in nos noxia hæreditate tranſtuſum eſt, non incommode aptaueris. Quid namque fuerit voluiſſe Euam (huc trahente maritum) eſſe ſicut dij, quam velut columbam (non electam) noſſe ſuos colores varietatemque diſpoſitam, & plaudere in cœlo, varieque ſulcare? eaque in oſtentatione ſeſe vinctam accipitri præbuiſſe? qui oc-

Cant. 7.

Ap. 12. verſ. 14. S. Bernard.

Plinius

cultus fronde latro gaudentē in ipſa gloria rapuit: Quā ſane ſtultitiā e parentū paterā mortales omnes in mūdum ingredientes peccato obnoxij ebibunt, ab ſpeculatore occulto in ipſo in mūdū ingreſſu rapti: Sed enim vt ſimplicibus colūbis iſta calamitas obvenit, quaſi quod Euæ filij ſint inani oſtentatione ſtrepitum edant, ad quē ſtrepitum excitatur accipiter, ita colūbæ electæ inauratis pennis ſtrepitū nō edentibus, volanti longe euenit: nam illud auri propriū eſt, nullū aut leuiſſimū ſonitum reddere, vti alibi ſumus perſecuti ex Ven. Galfrid. in allegorijs Gotfridi Tilm. ad lib. 3. Reg. c. 7. dicente: *Aurū percuſſum ſilet:* Vnde Iob 3. verſic. 9. de Marię Conceptione occulta diabolo, & peccato velut latronibus fronde occultis, notanter dicitur: *expectet lucē, & non videat, nec ortum ſurgētis Auroræ*: vel vt oportunus reponit ex Hebræo Pagninus. *Nec videat ſplēdorē Auroræ*, vt hæc verba accepit P. Spinellus ex S. Thom. 3. p. q. 27. ar. 2. ad 2. cū Bonauent. in ſpeculo Virg. c. 9. ſic explicante, *expectet lucē, id eſt Chriſtū, & non videat nec ortum ſurgentis auroræ, id eſt Virginis, quæ in ſuo ortu, ſeu Natiuitate à peccato originali fuit immunis:* Vbi vides columbā electam in ſua Conceptione ſtrepitum non edentē, ad quem occultus latro excitaretur. Quia (vt dicebat in ſuperioribus Eccleſia Græca hæc omnia firmās, ſimul, & explicās) *decretū hoc ſuum, cū ab ipſo Satana, tū à cœlorum quoque Virtutibus ignorari voluerat, primò quidē prouidentiâ ſingulari perfecit, vt Sacra Virgo ab ipſo vitæ ſuæ principio tàm omnino exiſteret pura, quàm eſſe puram decebat illam, quæ tanto bono, id eſt Chriſto digna exiſteret.*

VII Sed, vt manifeſtius aliquid in hāc rem afferamus, & illud, *Proximæ* epiteton ab ſponſo Marię attributum iuxta eam Originis expoſitionem. *Operæ prætium fuerit, quoniam ipſe effectus eſt lilium, vt etiam proxima ſua, quæ ei appropinquat, lilium fiat:* Vnde quaque firmemus. audi iterum cœleſtem Sponſum Mariam his verbis caſtiſſimè demulcentem: *Pulchra es amica mea: ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem.* Cant. 6. verſ. 3. Sed aduerte LXX. interpretes ex editione Vaticana legere: *Pulchra es Proxima mea ſicut Beneplacitum:* Apud PP. vero Græcos ſignatè haberi. *Pulchra es Proxima mea ſicut ipſa Beneuolentia.* Beneuolentię autem, ſiue Beneplaciti nomine, Gregorius Nyſſenus homil. 15. in Cant. omnino affirmat, ipſummet Dei Filium intelligendum eſſe in ſinu Patris exiſtentem, qui propter nimiam charitatem ſuam, quā dilexit nos humanam carnem ſuſcipere dignatus eſt: Eamque Sponſæ ſuæ præclariſſimam laudem eſſe, vt formoſiſſimam puritatis eius imaginem in ſe expreſſam circunferens, tanquam ipſa Beneuolentia in immunitate à labe originali pulchra ſit: vt *quoniam ipſe effectus eſt lilium, etiam ipſa tanquam Proxima eius lilium fiat:* Ne vero aliquid ex ijs quæ in tota hāc adnotatione diximus à Nyſſeno indidem confirmatum deſideres, pergit ipſe, & poſtquam multis confirmauit Sacras litteras tàm veteris, quam noui teſtamenti Naturæ diuinæ paſsim alas tribuere: ſubijcit, naturam humanam ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factam quaſi alatam conditam fuiſſe, dum ſtatum omnis interitus expertem, & ab omni labe immunem, quo ſeſe ſuper terrena omnia ſubſtollebat, accepit: quem quidē, vt in Protoplaſtorū peccato perdidit, ita in Sponſa Diuini intuitus beneficio recuperauit, quæ alatam Dei ſimilitudinem adepta in pulcherrimam quandam columbam euaſit: de qua ipſe magna cum emphaſi dixit: *Vna eſt columba mea: perfecta mea: Vna eſt Matris ſuæ: electa genitrici ſuæ.*

Galfrid. *Iob. 3. verſ. 9.* *Lec. Heb* *Spinell.* *Ec. Grec* *Cant. 6. verſ. 3.* *Gr. Nyſſ*

Cant. 6. vers. 8. Nec contentus id affirmasse Nyssenus addit, eãdem spõsam in sese, ipsius Spiritus Sancti, (qui columba est) imaginem ad instar Filiæ patrem oris decore referentis, expressisse: Vnde tandem cõcludit: *Regiæ dignitatis particeps effecta est sponsa, & capax gloriæ Spiritus Sancti, per puritatem, ac si atum quemdã à vitijs omnibus alienum euadit vna illa, & perfecta columba.* Hæc Gregorius Nyssenus. Quæ opportunè firmauit Damascenus apud Menæa Græca 9. Martij Ode. 6. de SS. MM. Sebastenis affirmans in Virgine symbola, & imagines ipsius Diuinitatis elucere: sic enim Mariæ suggerit, *representans in temet ipsâ imagines, siue symbola ipsissimæ Diuinitatis:* Hæc ille: En quam proxima in immunitate à labe originali, Maria Filio suo sit, quę ab ipso, & lilium effecta est, & inauratas columbæ pennas accepit, quibus accipitris vngues euaderet, & serpentis caput contriuerit.

Cant. 6. vers. 8.

Nyssen.

MARIA Mab omni labe immunem, quod concepta adhærens Deo, & vnus spiritus facta cum eo, tantà in hunc mundum puritate ingressa fuerit, quantà electi in cęlum ingrediuntur.

ADNOTATIO II.

I Electę huius columbę inauratis pennis volantis speculatio eò nos cum Gregorio Nysseno adducit, vt Mariam primariæ columbę qui est Diuinus Spiritus, Filiam confirmemus: eaque ratione tantâ in Conceptione sua puritate nitentem, quanta Dei Filij vnus spiritus cum Deo facti, cœlum, siue Ierusalem illam cœlestem, in *quâ nihil inquinatum*, potest introire (Apocalyps. 21. vers. 27. Deo fruituri ingrediuntur: Et vt hinc tractationẽ exordiamur duo obserua. Alterum: bene ab Hilario Canone 33. in Matthæum expensum fuisse illum Filij Dei clamorem in cruce animam exhalantis cuius meminit Lucas cap. 23. ver. 46 nec non Paulus ad Hebræos. 5. vers. 7. tum etiam acetum illud ab ipso Domino tunc ebibitum; hunc in modũ: *Spiritum cum clamore, & voce magnâ emisit dolens non omnium se peccata potare:* Nimirum, vt obseruauêre Ambrosius lib. 10. *in Lucam*, & Prosper, *in resp onsione ad articulos falso impositos Augustino:* in respõs. ad primum: acetum illud significabat humanam naturam à pristinâ dignitate, velut acetum à vino, degenerantem, à Christo per calicem passionis ebibitum, in pristinam dignitatẽ restituendam, si tamen homines, *communicantes Christi passionibus*, itidẽ acetum pœnitentiæ cum hyssopo (qui *in ministerio mundandi cordis positus est*, vt inquit Augustinus in Psal. 50.) ebiberint: Audi vtrumque Patrẽ sic enim Ambrosius: *Ergo acetũ bibitur, hoc est corruptæ per adam immortalitatis aboletur in calamo, vt de corpore absolueretur humano: Nos quoque vitia nostra per incuriam mẽtis, corporisque concreta trasfundamus in Christum, transfundamus per baptismum, vt crucifigamur cũ Christo: transfundamus per pœnitentiam vt ab illo nobis vini, sanguinisque cœlestis incorrupta sinceritas refundatur:* Ad quem modũ Prosper sic ait: *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuinâ habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur non proficit:* Ergo ijs tantum incorrupta

Hilar. Luc. 23. vers. 46. Hebr. 5. vers. 7.

Ap. 21. vers. 27.

Ambr. Prosper.

Augus.

since-

ſincerıtas a Chriſto refunditur, qui per pœnitentiam, & cordis munditiam ſeſe transfundunt in Chriſtum, vnus cum ipſo ſpiritus fiunt; ideo dū Spiritum ipſe ſuum in manus Patris commendauit, clamauit cum lacrymis, *dolens ſe non omnium peccata potare.*

II Cui obſeruationi proximum eſt alterum obſeruatu dignum: nempe Chriſtum in manus Patris Spiritum ſuum ponentem: illis verbis: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum* Lucæ 23. verſ. 46. locutione illa Spiritus ſui: electos omnes, ſiue *Filios Dei*, quos ipſe congregauerat Ioan. 11. verſ. 52. & quorum peccata in aceto cum hyſſopo biberat intelleXiſſe: pluribus PP. in hunc ſenſum cōfluentibus; vt apud interpretes videre eſt: quorum verbis, quod frequentiora ſint omiſsis, peculiaria tantum appingam ex S. Bernardino Senenſi tom. 2. ſerm. 51. art. 1. ca. 3. ſunt iſta: *In animâ Chriſti vnitâ per omnia Deitati certâ notitiâ ſcriptæ erant omnes animæ ſuo ſanguine redimendæ, quas vt animam ſuam ad æternā gloriam diriget: Has ſiquidem Patri animam ſuam commendans, in ipſâ omnes Patri ſuo Altiſsimo commendabat, atque omnes ſaluandas animas velut ſuam vnam animā fecit: de quâ Patri dixit*: Commendo Spiritum meum. *Facit enim veriſsima Charitas, quod eſt alterius eſſe ſuum: Proinde ſuper eminens Charitas Chriſti omnem ſaluandam animā ſuam animam faciebat:* Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eò. Sic S. Bernardinus, pulchrè ſtatim componens ipſam Chriſti Domini animam cum latiſsimâ charitatis ſagena electos tantum piſces congregante, quos ad Paterni pectoris littus reduceret. Sic enim pergit: *Quæ in mare præſentis ſæculi à Diuinitate iacta ad littus tandem paterni pectoris reducitur cum totâ electorum multitudine, quos omnes ſibi vnitas intra paterna viſcera collocauit:* Hæc omnia S. Bernardinus.

Ecce tibi Filios Dei priſtinæ Adæ dignitati, & ſinceritati reſtitutos, & per omnia immaculatos, vt qui vnus cum Deo ſpiritus effecti ſunt, in Patris manus reductos, vt mundo corde, & corpore eius cōſpectu perfruātur: Ergo ſic cogita Mariam Conceptam in hunc mundum ingredientem, tanquam Dei Filiam, & vnum cum Deo ſpiritum effectam: de ipſa affirmante cœleſti Sponſo præfatis Canticorum verbis cap. 6. verſ. 8. *Vna eſt columba mea perfecta mea, vna eſt Matris ſuæ: electa genitricis ſuæ:* Quibus in verbis illa ſolummodo pendimus: *Vna eſt Matris ſuæ: electa genitrici ſuæ:* Non immerito ambigentes cuius Matris, & cuius genitricis occaſione iſta dicātur: Quæ ſcilicet Mariæ Mater, & genetrix aſſeratur? Et quidem huic interrogationi ſic reſpondent Gregorius Nyſſenus, & Philippus Abbas, vt dum ſimul conueniat, & ſimul diſſideant; vterque tamen pro Mariæ immunitate cauſſam luculenter dicat: quippe Nyſſenus hom. 15. in Cant. Matris, ſiue genitricis Mariæ appellationem, & munus ad Spiritum Sanctum, cuius character, & imago columba eſt, hunc in modum refert: *Neque verò eſſe nobis obſcurum poteſt, quænam ſit colūbæ huius Mater, cum ex fructu cognoſcere arborem liceat. Vt enim homine conſpecto, eum non dubitamus, ortum eſſe ab homine, ſic cum electæ huius Columbæ Matrem quærimus, non aliam ſanè quàm Columbam eſſe intelligimus. In filio enim Parentis natura omnino conſpicitur. Quare cum id, quod ex ſpiritu gignitur ſit Spiritus, & Filia hæc Columba ſit; Mater huius etiam Columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem deuolauit, ſit neceſſe eſt:* Hæc Gregor. Nyſſenus. Philippus verò lib. 6. Cant. cap. 8. verbis, non ſenſu à Gregorio diſcordans Mariæ Matrem, gratiam fuiſſe affirmat, ſic enim

Luc. 23. *verſ.* 46.

Ioan. 11 *verſ.* 52.

Bernardin. Sen

Cant. 6. *verſ.* 8.

Nyſſen.

Philipp.

primum

primum: *Vna est igitur Matri suæ quia Mater gratiæ, nec primam visa est habere similem, nec secundã, quæ sese rmâ pari exhiberet pariter fœcundam, & Virginem: non aliam tantis virtutum titulis honorauit, hanc vnã vel vnicam singulari decorauit priuilegio.* Deinde, quod nam sit priuilegium istud, ita opportunè diffundit

Phi. A. *Sed ne quis putet eam huiusmodi priuilegium meruisse, & non prius elegisse, sed eam potius elegisse, sicut vna Matri suæ, sic & genitrici electa perhibetur, vt eiusdem non solum perfectio, sed etiam præuia simul electio cõmendetur: Hanc nimirum gratia elegit, & quasi genuit, cum non esset, suscepit, & aluit, promouit, & adiuuit cum iam esset, in eligendo, vel gignendo vicem obtinens genitricis, in alendo, & promouẽdo fungens officio matris, vel nutricis:* Hæc modo Philippus: alia subinde in hanc rem non minus opportuna allaturus.

IV Vide ergo Mariam primariæ columbæ filiam, tàm a Philippo Abbate, quàm à Gregorio Nysseno assertam, ac proinde ab originaria labe, quam longissimè immunem? Quid aliud enim fuerit apud Philippum ipsam gratiæ Filiam, quam Columbæ Diuinę, siue Spiritus Sancti (vt aiebat Nyssenus) filiam esse, cum Dei Filij non nisi per gratiam ipsius efficiamur: dum ab illà, *diuinæ consortes naturæ*, efficimur 2. Petri 1. vers. 4. Habet ergo peculiarem epitasim Mariã non, vtcumque Spiritus Sancti Filiam esse; sed signatè a Diuini spiritus gratia velut à semine: vt vel inde in primis necessaria argumentatione firmetur ipsam in Conceptione sua nec originale peccatum contraxisse, nec potuisse contrahere, notantissimè dicente Ioanne epist. 1. cap. 3. vers. 9. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est:* Qui sanè locus, & si magnam difficultatem, & ideo varios explicatus habere videatur, à nobis tamen haud difficile expositus est in epist. ad Philipp. vt qui *natus est ex Deo*, reduplicatiue, vt aiunt, quatenus ex Deo natus est nec peccet, nec peccare possit, quoniam, *semen Dei*, hoc est gratia, *in eo manet* quæ ipsum à peccato sic reddit immunem, vt vel non peccet, vel si peccauerit Dei Filius iam non sit, Dei semine, hoc est gratiâ in eo non permanente: Quam sententiam elucidabamus ex Seneca lib. 6. *de beneficijs*, cap. 21. affirmante: *Vir bonus non potest non facere, quod facit: non erit bonus nisi fecerit, quod debet:* Sic ergo Maria in Conceptione suâ Diuini Spiritus Filia fuit, vt semine ipsius hoc est gratia, in ipsa manente peccare non potuerit: Quod quidem signatè ex ipso nomine Matris eius, corporali nempe sanctæ Annæ, vt suo in loco videbimus, satis dilucidè confirmatur: Sed hoc in loco pro peculiari luce verborum Philippi Mariæ immunitatem in Conceptione eius asserentis, obserua ipsum, cum discrimẽ inter Matrem, & genitricem constituit, quasi genitricis munus ad Conceptionem filiæ referatur, matris vero nomen, tum parientem Matrem, tùm nascentem Filiam denotet, singillatim, & de industria asserere, *vnã Matri suæ*: Electam verò genitrici fore peculiariter, assignandam, *sicut vna* (inquit) *Matri suæ: Sic, & genitrici electa perhibetur:* Quare? respondet, *vt eiusdem non solum perfectio; sed etiam præuia simul electio cõmendetur:* Vt explicatius dixerit, vt non solum eius Natiuitas, & vita sanctissima esse dicatur; sed etiam ipsiusmet Conceptio, quæ præuise electio fuit, pura, & immaculata prædicetur, subijcit maioris explicationis gratiâ: *Hanc nimirum gratia elegit, & quasi genuit cum non esset: suscepit, & aluit, promouit, & adiuuit, cum iam esset:* Sanè, vt Maria, *per primum sui esse*, (vt inquiũt Philosophi)

2. Pet. 2 vers. 4.

Ioan. 3. vers. 9.

Seneca

Phi. A.

gra-

gratiam habuerit, immo à gratia genita fuerit: post modum vero, ab eâdemmet gratia velut obstetrice nata, & vt nutrice alta, & educata in immensam perfectionem excreuerit: Quod iterum, atque iterum inculcat, & repetit subdens: *In eligendo, vel gignendo vicem obtinens genitricis, in alendo, & promouendo fungens officio Matris, vel nutricis:* Quoniam verò de industria vsus sum illa locutione, *per primum sui esse:* quâ Mariæ immunitas opportune explicatur, placet illi ad similē ex Cardinale Cusano, qui ante ducentos annos floruit adiūgere: ipse enim lib. 5. exercit. de illo dicto: *Cœlum, & terra transibunt:* hæc habet. *Sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit, puta quod in creatione rationalis anima in corpore, & separatione à corpore, in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur glorioſissima Virgo non reperitur tempore vllo peccato originali subiacuisse:* Hæc ille notanter vsus illo dicendi modo, *in initio essendi.*

Car. Cus.

V

Sed illud quidem Mariæ immunitatem, & immaculatissimam Conceptionem mirè confirmat, quod aiebat Nyssenus, minime obscurum nobis esse posse columbam Sancti Spiritus Mariæ Matrem esse, *cum ex fructu cognoscere arborem liceat:* itidemque, *quod in Filio, Patris natura omnino conspiciatur:* Vt à Maria tanquam à fructu arbor Sancti Spiritus dignoscatur: Et verò cum de ipso pronunciet Salomon in lib. Sapientiæ cap. 7. vers. 22. *Quod sit Spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, incoinquinatus:* Græce, *impollutus immunis à sordibus:* et vt legit Vatablus, *incontaminatus:* vt Ambros. in Symbolo ca. 7. *immaculatus:* quod ipse mihi explicat, *omnium sordium incapax:* Dum à Maria tanquam ex fructu cognoscendus est, omnino euincitur, ipsam dum Filia Spiritus Sancti est in conceptione sua esse omnino incoinquinatam, immaculatam, & omnium sordium incapacem. Quas sanè appellationes Deiparę Græca Ecclesia frequentissimè attribuit in Menæis Grę cis, nam die 4. Iannarij Ode 9. ipsam ita salutat: *nullis vnquam maculis inquinata,* & S. Iosephus Confess. die 8. Ianuar. Ode 7. *te intaminatissimam Matrē elegit.* & 20. Maij Ode. 9. *Tu næuorum expers, ò Domina!* & 13. Iulij Ode 5. *Quæ sola maculam in te omnem ignoras:* & die 11. August. Ode 8. *vnica ab omnibus næuis intacta:* & S. Sabbas die 1. Januarij in precibus matutinis, *ò næuo nulli subiecta:* & ibi Ode 9. *maculārum omnium expers,* & S. Sthephan. Sabaita die 1. Ianuar. Ode 9. *ò benedicta, & ab omnibus maculis munda!* Et S. Theophanes die 23. Febru. Ode 4. *ò à cunctis sordibus incontaminata,* & S. Ioann. Damascen. die 9. Martij in vesperis: *O ab omnibus næuis intacta!* Quæ omnia libentius congessi, quod hæ voces quibus Mariæ pūritas significatur idem tinniant, ac illę quibus Salomon Diuinum Spiritum adumbrabat, vt omnino subsistat sententia Nyssemi, *ex fructu arborem cognoscere licere:* tanta quippè Deiparę in Conceptione munditia, & immunitas à sorde fuit, vt in ipsa tanquam in Filiâ Spiritus Sancti natura conspiciatur.

Ec. Græ S. Ioseph S. Sabb. Theoph. Sthoph. Damas.

VI

Nec pigebit ipsimet Conceptioni in mente diuinâ excogitatæ tantisper immorari, inherens cumprimis per vulgatis ipsius Deiparæ verbis Prou. 8. vers. 24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram:* Quibus hunc sensum feliciter reddidit Salazarius: *Quasi dicat, tunc cū aliæ creaturæ haud stimulabāt Dei mentem, vt illas crearet, iā ego creaturarum omnium eximia, pulchritudine meâ vrgebam, vt me ab æterno conceptam pareret, formaretque:* Illa

Prou. 8. vers. 24. Salazar.

Sap. 7. vers. 22. Gr. Lect Vatabl. Ambr.

vero. *Non dum erant abyssi*, &c. in eum sensum inflectit, vt Mariæ Conceptio ex Matre Annà ante abyssos, & fontes à Deo præuisa dicatur, hoc est mente, ac iudicio Dei abyssis, ac fontibus anteposita: quod cum præclaros fontes imitetur, perennitate tamen, ac claritate eos superet: Et enim inquit ille. *Sicut in fontibus accidit: vt quò prius ad caput venitur, eò puriores, ac clariores sint aquæ; sic planè accidit in Mariâ, nam cum alij homines, etiam si alias valde impuri non sint, nihilominus tamen, cũ ad eorum originem, caputque redimus sordidi, atque impuri apparent ob traducis culpã, & sordes: Mariæ verò Conceptio limpidissimos fontes imitatur, quæ cum semper pura fuerit, tamen cum ad caput: initiumque recurrimus, nescio quâ ratione purior, atque limpidior apparet*: Hæc omnia ex P. Salazar: Cui acceptum rependimus censum ex Damasceno eam reddente rationem; quam ille nescire se dicebat, cur cum ad caput, initiumque Mariæ recurrimus purior ipsa, atque limpidior appareat? quod videlicet Mariæ caput ad cœlum pertineat, dum à Deo signatè concepta est: nimirum Damascenus Or. 1. de *Natiuitate Virginis*. Deiparam cum scala Iacob componens de qua Sacer Scriptor inquit: *Viditque in somnis scalam stantem super terram; & cacumen illius tangens cœlum*. Genes. 28. ver. 12. sic ait: *Spiritalis scala, hoc est Virgo in terrâ firmata est (ex terrâ enim ortum habet) caput autem ipsius ad cœlum pertinet*: Redditque rationem: Huius, *quipe mulieris caput Pater exstitit*, &c. Sed ipsum Genitorem Mariam iam tunc mẽte pulchram puramque concipientem scitè Rupertus velut indice ostendebat cum Boetium imitatus dixit

Gen. 28. vers. 12.

Damas.

Rupert.

Matrem mente gerens pulchram pulcerrimus ipse:

tantum non exprimens ipsam: *Non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram*: quippe in mente diuina, vt Dei Filio opportuna, & idonea Mater parabatur, ita omni ex parte pulchra, & ab omni labe immunis versabatur; Sane inurdus ero nisi hunc pulcherrimum Dei conceptum expressero pulcherrimo carmine Baptistæ Mantuani Carmelitani, suique Ordinis Generalis, qui lib. 1. *Parthen* Mariæ formationem per partes describens, cum primum desucessiuâ membrorum formatione cecinisset:

Baptist. Mant.

Sic noua progenies, vtero congesta Parentis
Emersit, non tota simul; sed singula certo
Discreuit formans Opifex Deus ordine membra.
Cor primùm, ex illo quoniam descendit in artus
Vitalis calor, â pleno ceu flumina fonte:
Illic prima Domus vires, postrema per illud
Discedens terris animus, vestigia ponit

statim Summi Parentis de purissimo Virginis corde seruando sollicitudinem sic describit

Tum superum Pater, illius procul ire caducas
Iussit ab hospitio curas, habitacula dixit
Spiritibus, dulcemque mihi seruatè recessum

Nec his contentus immaculatam tãdem Conceptionem disserte canit; cum prius velut addubitans perquirit:

Ante tener sacra, fætus quam viueret albo
Conceptus, ne prima nouos exordia pullis
Induerent maculis? mens, ne sincera, nitensque
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora lethæo fierent, quæ lactea magno

Tabula, & amplexus fuerant latura Totanti.

Statim verò absolutissimè respõdet

Semine confussas sordes, & virus inustum
Dissecuit: felici animæ mox imbuit artus.

VII

Vides, vt Deus Matrem pulchram mente pulcherrimus ipse concepérit? audi iam ipsam vno omnino verbo hæc omnia præstingentem apud Ecclesiasticum cap. 24. vers. 5. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*: Obserua accuratum dicendi modum, quo Maria ex ipsomet Altissimi ore, tanquâ eius halitus, & spiritus prodijsse dicitur: Sanè quasi iam tunc exprimẽs Paulum 1. ad Corint. cap. 6. vers. 17. dicentem: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus sit cum eo*: Pura omnino, & immaculate concepta, tanquam purissimus, & mundissimus Dei halitus euaserit: Nec quidquam aliud (quantumcumque aciem mentis intenderis) ad omnimodam Mariæ puritatẽ exprimendam opportunius, aut significãtius afferri potuit, quam ipsam, è Dei ore prodijsse. Qua enim ratione in hâc imagine labes aliqua, aut sordes Mariæ Conceptioni potuit subesse? Vnde quidé sapienter Ioannes Gerson contemplatur: Summum Opificem, statim ac mente concepit Mariam, in illa, sibi maximè complacitum dixisse: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: Etenim ille part. 4. serm. de *Mariæ Conceptione*, cum dixisset. *Tantum operatus est Deus, & natura cum virtutibus superius nominatis, quod Domina hæc concepta fuit, & viuificata, tàm in corpore, quàm in animâ sine hoc, quod vllum peccatum auderet accedere.* Subijcit. *Quid vultis dicam vlterius? Apparuit adeò pulchra, adeò munda, & pura, quod verus Deus sancti Amoris, mox incensus fuit amore suo & imagine suâ (sicut de Pygmaleone fingunt poetæ) nec cõtinere se potuit quin iucũdè caneret amorosum illud supra dictum Canticum:* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hæc Gerson: Quæ Angelus apud B. Brigittam, *in sermone Angelico*, pulchre confirmat sic exclamans: *O Maria Virgo purissima, &c. Sic namque, & talis ab æterno diuino aspectui increata adstitisti, ac deinde de supradictis tâm puris, & claris elementis materiam tui benedicti corporis habuisti. Talis vtique coram Deo ante creationem tuam increata assistebas, qualis post modum effici meruisti.* Ita ibi: En omnino, vt opportunè Deus dicatur

Matrem mente gerens, pulchram pulcherrimus ipse.

Sed iam vt titulo adnotationis satisfaciamus compone quaso hæc verbà de Mariâ prodeuntè, siue in instãti suæ Conceptionis. *Ego ex ore Altissimi prodiui*, cum illis Domini animam exhalantis, & cum ipsa electos omnes in manus Patris deponentis: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: Vt videris, atque puram, & immaculatam in Conceptione suâ Mariam, mundum fuisse ingressam, ac electi quique iam a Christo ebibiti, *vnus spiritus*, cum ipso facti, cœlum ingrediuntur, vt beatas sedes occupent: Et verò quoniam Virgo ex ore Altissimi prodiens suauissimum, & odoratissimum eius halitum refert: Vide, vt de ipsa cœlestem halitum habere dixerit sponsus Cant. 4 vers. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum*: Vbi Hebræa vox respondens voci *emissionis*, propriè significat halitum oris: vt dixerit Sponsus. Benè quidem est, ò Sponsa, quod nihil cõmune habes cum Adamo terreno, & è paradiso eliminato, nihil cum contagio peccati originalis, & corruptionis humanę, quæ paradisum spiras & cuius halitus cœlestis est: diuinum spiritum exhalat. Quem itidem sensum adhibuit ex Hebræorum doctissimis Petrus Galatinus lib. 7. de arca

VIII

Ec. c. 24 vers. 5.

Cor. c. 6. vers. 17.

Gerson

Cant. 4. vers. 13.

Pet. Gal

nis

nis, cap. 5. ijs eiusdem Sponsæ verbis Cant. 1. vers. 11. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis*, hunc in modum: *Dùm esset in accubitu suo, hoc est in incarnatione suâ, Nardus mea, id est Conceptio mea absque peccato originali effecta dedit odorem suum puritatis, scilicet, & innocentiæ*: Sic ille: vt hic omnino locum habeat, quod in superioribus adductus dicebat S. Iosephus Confessor in Menæis Græcis die 15. Ianuarij Ode 3. de S. Ioanne Calybita: *Te integer ille, ac purus, ô vndique intaminata! velut Rosam instar vnguenti flagrantem in conuallibus reperit, atque habitans in medio tui totum genus humanum flagrantiâ suaui repleuit*: Hæc Iosephus.

Cant. 1. vers. 11.

Pet. Gal

A

B

C

D

E

Ec. Græ

Humano generi MARIÆ ab omni labe originaria immunitatem per necessariam fuisse, quod hæc cum Dominicæ Incarnationis Sacramento coniuncta fuerit.

ADNOTATIO III.

I QVOD Seneca alio intentus de parentibus terrena cõmoda, & florentem fortunam filijs suis exoptantibus scite dicebat: *Bono animo ipsis male precãtur*: vereor ne quodammodo ingeri possit ijs, qui Deiparam ab originali peccato immunem fuisse negant: Bono quidem animo male humano generi precari. Nimirũ si plura Scripturæ, & PP. monumenta, quæ in superioribus adduximus attentius inspiciantur, vt Filij Dei è sinu Patris in terras aduentum propter nos homines à peccatis redimendos, & propter nostram salutem adstruunt, ita etiam ipsum non nisi ex Matre ab originali labe immuni, & vndequaque incontaminata carnem susceperum valide cõfirmant, vt hâc ratione aditum ipsi venturo intercludere videretur peccatum originale, quod omnes mulieres stirpem, & vitiatam originem ab Adamo ducentes, infelici sorte contraxerant: quod Dei Filium omnimodæ puritatis sortem maximè dedeceret ex inquinatâ turpi maculâ Matre, hominem fieri, & carnem sumere: Quæ quidem mens Ecclesiæ Græcæ altissimè insedit, vt habetur in Menæis Græcis die XXV. Martij homilia de *Annunciatione*: Etenim cũ prius de Dominicæ Incarnationis Sacramento dixisset. *Ille misericors, & amator hominũ Deus, cui perpetua de mortalium commodis cura. Ille, inquam, ceu Genitor perculsus amore liberorum, cum opus manuum suarum â diabolo tyrannicâ seruitute oppressum, atque ad rerum turpium desideria, & ipsam denique idolatriam abreptum videret*, statuit Filium suum Vnigenitum mittere, qui genus humanum è diaboli manibus vindicaret, illud statim, tanquam rem seu conditionem necessaria ratione ad hanc œconomiam prærequisitam statuit, vt eam Dei Filius Matrem esset habiturus, quæ ab originaria labe omnino immunis tanto muneri idonea, & tanto Bono digna existeret: Sic enim pergit. *Quoniam vero Decretum hoc suum cum ab ipso Satana, tum à cœlorum quoque Virtutibus ignorari voluerat, primò quidem prouidentiâ singulari perfecit, vt Sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio tàm omnino existeret pura, quam esse puram decebat illam, quæ tanto Bono, id est Christo digna existeret*: Hęc Ecclesia Græca. Ad quem modum passim PP. loquuntur, vt iam vidi-

S. Ioseph

mus, signatè verò S. Ioseph. Cõfess. in Menæis die 17. Martij Ode 1. Mariam sic allocutus. *Filius æque increatus, vt Pater in te solâ reperit causſam, cur ſimilem nobis naturam indueret. Te enim reperit ſolam puritate ſuper omnes creaturas fulgentem:* Ita S. Ioſephus: differè affirmans in vna, & ſola Marrâ Filium Dei cauſſam reperiſſe ad ſimilem nobis naturam induendam, ea omnino ratione, quod ipſa ſola omnimoda puritate ſuper omnes creaturas, ſiue viſibiles, ſiue inuiſibiles niteret. Sanè quaſi hâc vnâ cauſſa (per impoſsibile, vt aiunt) deficiente, Dei Filius humanam carnem non foret ſuſceptturus: vt hinc videris, non omnino ingratijs à nobis dictum fuiſſe eos qui Dei paræ immunitatem negãt, bono animo, male precari, dum venienti Dei Filio ad hominem ſalutem remotam injicere, ſiue oſtium præcludere videntur.

II

Enim verò cum Vincentius Bandellus in tractatu de *Conceptione B. Virginis*, in ſuperioribus à nobis non ſine caſtigatione adductus eam expoſitionem verbis Eccleſiaſtes capitul. 7. verſicul. 31. *Ecce hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes: vnum, & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni: Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni:* importunus adhibebat, vt vno Chriſto excepto, & tanquam è millibus electo, nulla omnino ex omnibus mulieribus, ne ipſa quidem Maria a cõmuni originalis delicti labe excepta fuerit, vt bono ille animo ſit locutus, malè tamen humano generi precatus, cum hac expoſitione adhibita ipſum etiam Chriſtum, qui non niſi de Matre immaculatè concepta, & vndequaque incontaminata, & ſuper omnes creaturas puritate fulgente erat naſciturus, è medio nobis tollere videtur, vt iſta de cauſſa poſsit non nemo Bandellum ijſdem fere verbis caſtigare, quibus Marcionem veram Chriſti carnem, in qua mortem ſubiret, negantem monebat Tertullianus lib. de *Carne Chriſti* cap. 5. *Parce vnicæ ſpei totius orbis, qui deſtruis neceſſarium decus fidei*, cum deſtructa immunitate Mariæ non inueniat Dei Filius cauſſam cur ſimilem nobis naturam induat. Certe communi nobiſcum ſenſu Anſelmus ſermone qui habetur in officio Conceptionis à Summo Pontifice Sixto IV. approbato in 2. lect. Matutini quintæ diei infr. Oct. dicebat. *Qui diem Conceptionis Mariæ tollit Eccleſiæ, aut non bene attendit, aut attendere negligit, aut neſcit bonum, quod inde proceſsit omni creaturæ Dei*: Hæc ille, quæ lector expendat. Quare alium omnino ſenſum a Bandelli mente quam longiſſime euntem præfatis Salomonis verbis afferebamus, vt videlicet ex Hebræa, & Græca LXX. lectione: *Mulierem autem rectam in omnibus his non inueni*. Illud ſibi vellet Sapiens, nullam ex his mulieribus, quę ſibi ab Adamo vitiatam originẽ ducentes occurrebant idoneam videri, vt ex ipſa Dei Filius carnem ſumeret, atque id circo anxium, & hæſitabundum de ratione, & modo parandæ nobis ſalutis ambigere, illud ſibi certo perſuaſum, aliunde Dei Filio Matrem fore quærendam, quæ tanto Bono, ideſt Chriſto digna exſiſteret, & ea propter alibi dixiſſe: *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius:* Prouerb. 31. verſic 1. Quorum, verborum occaſione de Mariâ exclamauit Bernardus hom. 2. in Miſſus eſt: *O admirandam, & omni honore digniſsimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandam! ſuper omnes fœminas admirabilem! parentum reparatricem poſterorum viuificatricem: nec nouiter, nec fortuito inuentam; ſed â ſæculo electam, ab Altiſsimo præ-*

Tertull.

Hebræa LXX.

Ecclſ. 7. verſ. 31.

Bandell

cognitam, & ſibi præparatam. Hæc Bernard. & alia iam appicta.

III. *Luc. 1. verſ. 28. Gregor. Thaum.* Sed & in hunc ſenſum inflexit S. Gregorius Thaumaturgus Angeli verba, *Aue gratia plena*, Luc. 1. verſ. 28. vt Maria Dei gratia opportunè fuerit præuenta, vt ab omnimoda puritate, & ab originaria labe immunitate, quam Dei Filius vehementer expetebat, digna eius habitatio eſſet: ita enim Gregorius ſerm. 2. *de Annuntiatione*, Angelum cum Maria loquentem inducit. *Tuum enim eſt verè auere, & gaudere, quoniam tecum Diuina gratia, vt nouit, habitationem elegit: cùm ancillâ Rex gloriæ: cũ ſpecioſâ ſpecioſus præ filiis hominum, cum impolluta, qui ſanctificat vniuerſa.* Hæc ille: Apud quem obſerua accuratè dictum *Diuina gratia, vt nouit, habitationem elegit*: vt dixerit eam habitationem in Virgine elegiſſe: quam ſibi opportunam, & conuenientem nouerat; quæ videlicet omnimoda puritate niteret: vndè ſubiecit: *cum impollutâ, qui ſanctificat vniuerſa*: tàm vt mundiſſima Matris puritas Sanctitati Filij reſponderet: quàm vt omnis de Mariæ immunitate dubitatio tolleretur, cum is, qui vniuerſa ſanctificat cum illa foret habitaturus: cui quidem cogitationi appoſitè ſubſcripſit Nizetas lib. 3. *Theſuari* cap. 38. vbi cum dixiſſet, *Iam ante mundi conſtitutionem, vt Deus humanam carnem aſſumeret, præfinitum erat*: Subiicit ad rem: *nunquam autem ante ſanctiſsimam Mariam diuinæ carnis aſſumptione repertum eſt domicilium*: tantum non dicens cum Salomone nullam in his mulieribus à vitiata origine Adam ortis idoneam Dei domicilio fuiſſe repertam; atque ideò aliunde quæſitam: Vndè tandem concludit: *vbi autem repertum eſt, humanam carnem aſſumpſit Deus.* Quid autem fuerit? *Vbi autem repertũ eſt*: niſi cum in cœlo *Mulier amicta ſole* apparuit (Apocalyſ. 12. verſ. 1. cum (Maria inquam) ab omni labe immunis inuenta eſt: in quem ſenſum ingens pondus habet Oratio Miſſæ pro Virginis Conceptione, qua Eccleſia Romana vſa eſt, vt habetur in Miſſali cui titulus *Miſſale ad vſum ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ recens diligenti ſtudio recognitum Lugduni anno* 1545. quam refert, & in ea vim facit Ambroſius Catharinus lib. 2. diſputation. *pro immaculata Virgin. Conception.* hunc in modum: *Audi, quæſo, orationem, quam conſultò, & ex certâ ſcientiâ recepit iam olim Eccleſia, & agnoſce, quam perſpicuè declaret, quod dicimus. Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, &c.* Obſerua ſeriem dictionis, qua per immaculatam Mariæ Conceptionem dignum à Summo Patre Filio ſuo præparatum habitaculum dicitur: quaſi alitèr non fuerit dignum. Tolle ergo immaculatam Virginis Conceptionem, tolles & dignum Filij Dei habitaculum, tolles etiam & Dominicæ Incarnationis Sacramentum. Pone verò immaculatam Mariæ Cõceptionem, & videbis ſtatim cum impolluta eum, qui ſanctificat vniuerſa: nam vt *nunquam ante ſanctiſſimam Mariam diuinæ carnis aſſumptione repertum eſt domicilium*: ita *vbi repertum eſt humanam carnem aſſumpſit Deus*: in quam ſententiam aurea ſunt hæc Sancti Ioſephi Confeſſoris verba in Menæis Græcis die 15. Ianuarij Ode 3. de *S. Ioanne Calybitâ* ad Mariam: *Te integer ille, ac purus. O vndique intaminata! tamquam Roſam inſtar vnguenti fragrantem in conuallibus reperit; atque habitans in medio tui totum genus humanum fragrantia ſuaui impleuit.* Hæc ille appoſitè inquiens, Mariam tamquam Roſam ſuauiſsimum odorem præ puritate effluentem à Dei Filio repertam, vt in illâ pro dignitate, & merito ipſe habitaret: et ab illâ totum genus humanum

S. Ioſeph

Apo. 12 verſ. 1.

fra-

IV

flagrantiâ ſuaui impleret.

Iam verò illud pro hâc cogitatione opportuniſsimum teſtimonium eſſe videtur, quòd ab ipſamet Deipara deſumitur cum Cantic. 5. verſ. 5. Filio Dei in mundum venturo oſtium aperuiſſe ſic affirmat: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſsimâ*: vbi primum obſerua Dei Filio ingreſſuro obſtare imbi oſtium, peſſulo benè munitum, vt tam ex translatione LXX. ſtatim afferenda, quam ex verbis immediatè ſequentibus: *Peſſulum oſtij aperui dilecto meo*, ſatis cõſtat: Deinde non eſt dubium quin oſtium, & peſſulum quæ aditum Filio Dei interclude bant; omnino ſignificent, tùm originale peccatum, & cætera actualia ab ipſo ortum ducẽtia: dicente Domino Iſai. capitul. 59. à verſ. 1. *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat; neque aggrauata eſt manus eius, vt nõ exaudiat. Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis nè exaudiret. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine; & digiti veſtri iniquitate*: Quibus verbis humano more dictis affirmat Dominus ad eum modum quo homines, cũ murus aut, aliqua moles intercedit, neque alteri, auxilij gratia, manum, porrigere, immo neque clamantẽ audire poſſunt; itidem inter Deum, & homines peccata eſſe interpoſita quominus ipſe ad auxiliandũ dexterã extenderet: ſignate verò infenſum ſibi eſſe originale peccatum mulieres cũctas corrumpens; eaſque propterea minimè idoneas reddens, vt ab illis humanam carnem ſuſciperet: Talis quippè erat peccati natura, quæ inter Deum, & humanam naturam molem ingentem interponebat, quæ nõ patiebatur inter Deum, & hominem carnis commercium, & ſanguinis cõiunctionem intercedere. Obiiciebat aggerem affluentiſsimo flumini: nè aquas Redemptionis, & indulgentiæ exundare geſtientes, terram irrigarent, & fæcundam redderent interponebat murum, nè Sol inſidentem intus, & in ſuo quaſi Regno cõmorantem caliginem depelleret: ob firmabat chaos medium, atque immenſo ſpatio diffuſſum, ne quà hinc inde commeatio fieret: Quæ omnia præſtrinxit ad id loci Hieronym. inquiens. *Oſtendit, quod fœtorem peccatorum, & iniquitatem eorum ferre nõ potuerit*: vt humano videlicet ſenſu, ac modo loquatur de Domino vates, vt quemadmodum ſi quid terrũ occurrat, & aſpectu horridum, oculos: etſi quid quod grauem habeat halitum, nares auertimus; ſic quia peccatum omni cæno, ac ſanie graueolentius eſt, Dominus à naturâ humanâ faciem auertebat: et tamen bonus Dominus, & ad benefaciendum, & opitulandum maximè pronus cuius benignitatem nulla peccati grauitas exhaurit, eius murum euertere; & peſſulum, oſtium occludens, remouere decreuit, cum *prouidentiâ ſingulari perfecit* (quemadmodum affirmabat Eccleſia Græca) *vt ſacra Virgo ab ipſo vitæ ſuæ principio tàm exſiſteret pura, quam eſſe puram decebat illam, quæ tanto bono, ideſt Chriſto digna exſiſteret*. Hæc iam videt opportunè præfatis verbis ſpõſa expreſſerit a venerabili Honorio in ſigillo ſic expẽſa: *Sacra Virgo oſtiũ fuit, per quod Chriſtus in mũdum introiuit; peſſulũ autẽ erat moles peccatorum, quod ideò ab eâ apertum dicit, quod à Spiritu Sancto præſeruata, non ſicut cæteri, in peccato creditur concepta*: *Sicque dilecto ingreſſus patuit: quia per ipſam ipſa miſericordia in Eccleſiam venit*: Hæc Honorius per opportunè, vbi vides oſtij peſſulum, hoc eſt, peccatorum molem, a Maria remotũ fuiſſe, *quod à Spiritu Sancto fuerit à peccato præſeruata*: eo videlicet, quem perſequimur ſenſu, vt dum ipſa à peccato ori-

Cant. 5. verſ. 5. LXX.

Iſai. 59. verſ. 1. & 2.

Hieron.

Honor.

ginali immunis exſtitit grauem peccati halitum Deo remouens, opportuniſsimum ipſius habitaculum fuerit, vt *per ipſam ipſa miſericordia*, in Eccleſiam veniret.

V. LXX. Sed enim vt hic ſenſus ex ipſamet imagine, quæ verbis ſubeſt, omninò ſubſiſtat obſerua lectionem LXX. quæ ſic habet: *Exſurrexi ego aperire fraterno meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham digiti mei myrrham plenam ſuper manus peſſuli:* vbi pulchrè peſſulo (quamuis ad ſpeciem videatur imaginis proprietas repugnare) manus adſcribuntur: illæ videlicet, quas Dominus paulò ante apud Iſaiam memorauerat. *Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate:* quibus appoſitè peccatorum murus, & moles exprimitur: ſuper quam myrrha præſeruationis Mariæ diſtillans, ipſam amoliebatur, quippè ſubhoc ſenſu (vt alibi vidimus) dicebat ſponſa Canticor. 1. Cant. 1. verſ. 13. verſ. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* quod qui aliis *oleum effuſum* curationis à peccato fuerit, Mariæ myrrha præſeruationis a lapſu fit: ita hæc hoc in loco confirmante Philippo Abbate: Philipp. Abb. *Myrrha molles, & fluxas carnes dicitur confirmare, & nè lege naturali putredini ſubiaceant, conſeruare:* ergo opportunè LXX. vt exprimerent Mariam ſuauiſſimo immunitatis ſuæ odore locum feciſſe cœleſti ſponſo, vt humanam carnem ſuſcipiens mundum ingrederetur accurate repoſuerunt *digiti mei myrrham plenam* (ſiue vt vulgatus noſter *probatiſsimam*) *ſuper manus peſſuli*: vt videlicet digiti, & manus Mariæ myrrham ſtillantes manibus & digitis peſſuli, quæ pollutæ erant ſangnine, & iniquitate opponerentur: et ad aperiendum Deo valentiores eſſent. Quare denuò obſerua quomodo in Hebræo iuxta translationem Pagnini hæc verba legantur: Pagnin. *Et digiti mei myrrham tranſeuntem ad cardines peſſuli*: quibus planè innuitur totam aduentus Filij Dei oeconomiam eo in cardine verſari, vt Matrem haberet ab originariâ labe immunem; ideò myrrham præſeruationis Mariæ ſtillare, ſiue tranſire *ad cardines peſſuli*, in quibus ſumma rei, ſiue totius cauſſæ noſtræ erat; vt dum aliquis admirabundus de obſtaculis Dei ingreſſui ablatis, neſcio cuius verba vſurpans, interrogauerit: *Quis tàm vaſto impetu has fores toto convulſit cardine?* illico reſpondeamus Mariam digitis ſuis diſtillantibus *myrrham tranſeuntem ad cardines peſſuli*: de qua myrrhâ mihi inquit denuo Philippus Abbas. *Probatiſsima eſt, quæ omnibus vitiis aditum prorſus negat, quæ verſutias hoſtium obſerato mentis oſtio ſic relegat, vt non ſolùm non permittat conceptam duci nequitiam ad effectum, ſed profectu fortiori, nec laxet ianuam in conceptam:* Nimirùm hanc omnimodam puritatem ambiebat puritatis amator, vt opportunum domicilium haberet: *Vbi autem repertum eſt, humanam carnem aſſumpſit Deus:* vt poſsit non nemo dicere, videri odoratos hæc fuiſſe Romanos, apud quos fuit dea Cardea, ſiue Cardinea, quæ cardinibus præerat: Præfuit quippe Maria cardini, in quo ſumma totius cauſſæ noſtræ fuit; cum incorruptibilitatis, & immunitatis ſuæ myrrhâ oſtium Deo aperuit auertens molẽ, & murum, qui inter ipſum, & humanâ naturam intercedebat.

Plaut. Philipp. Abb.

VI. Hùc opportunè aduoces ea ipſiusmet Filij Dei in ipſomet oſtij aditu, ſiuè in hunc mundum ingreſſu ad Patrem, dicta verba: referente Paulo ad Hebræos 10. verſ. 5. hunc in modum: *Ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi:* ad quæ non ſemel obſeruaui verbum *aptari* accuratè poſitum à Paulo dum eo ſignificatur

Ad Hebræ. 10. verſ. 5.

rem

rem apte,& concinnè alteri conueniens,vt Dei Filius de corpore à Maria suscepto sibi gratulari,&Patri gratias agere videatur, quod sibi maximè aptum,& conueniens fuerit propter omnimodam Deiparæ puritatem & ab omni sorde munditiam, vt qui antea humanam carnem auersabatur propter grauem peccati originalis halitum, atque fœtorem: ad præfata Isaiæ verba dicente Hieronymo: *Ostendit, quod fœtorem peccatorum, & iniquitatem eorum ferre non potuerit:* Iam in carne Mariæ libentissimè conquiescens mirâ suauitate reficiatur: vti superius adductus S. Iosephus dicebat. *Te integer ille, ac purus, ô vndique intaminata! tanquam Rosam instar vnguenti flagrãtem in conuallibus reperit, atque habitans in medio tui totum genus humanum flagrantiâ suaui repleuit:* Vbi vides Mariam tanquam Rosam instar vnguenti flagrantem oppositam fœtori peccati originalis, qui Dei Filio aditum, siue ingressum in mundum intercludebat. Quem itidem gustum eiusdem cœlestis sponsi verba habent, quibus Mariam cum suauissimo lilio in medio spinarum inuento sic componebat. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias:* Cant. 2. vers. 2. scitè hæc verba sic elucidante S. Sabba apud eadem Menæa Græca Ode. 6. de trãslatione S. Ignatij M. *Ex te sola tanquam purissimo lilio in medio spinarum inuento, verum incolens tuum sponsus ille tuus processit.* Quid enim lilio suaueolentius? quid purius? candidiusve?

VII Ne verò in ijs quæ hucusque diximus aliquid desideres, quod non sit omnino exactum ad amussim, illud in præfacto Canticorum loco de manibus sponsæ stillantibus myrrham, opportunè obserues ex Genebrardo, & Martino del Rio, hanc myrrham non ab ipsa omnino sponsa profectam,& quasi in ipsius manibus ortam, aut natam, sed à manu sponsi primitus distillatam: nam vt veri. præced. habetur: ipse, *misit manum per foramen* seræ, atque, illam, ea, quam in manibus ferebat, myrrha perfudit: vnde cum statim ad ostium sponsa manus applicuit, eàdem myrrhâ iuncta est: quam ratiocinationem inuenies apud P. Ludouicum de Alcazar 2. tom. in Apocalypsim ad ea Canticorum verba: hunc in modum: *Sequor in Grammatico sensu Genebrardum & del Rium. Vterque ex Camio dicunt, illud hìc planum esse, vt cogitetur, cum sponsus, seræ digitum inseruit, attactu eum solo pessulum cũ serâ liquore myrrhæ probatissimæ perfudisse. Portam itaque, & seram, quas aperire inchoauit sponsus, reliquit vnguento myrrhino delibutas. Quare cũ ad portam, & seram manus applicauit sponsa, illis solum cõtactis, ita fuit vnguento delibuta, vt id per digitos stillaret:* Hæc ille: quæ eò reuoco, vt quidquid gratiæ præseruationis,& immunitatis Mariæ subesse consideremus, totum id a Christo Domino, & à Passionis eius myrrha prouenisse nouerimus, vt ipsa disserti simè affirmauit allatis iam verbis. *Fasciculus meus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea cõmorabitur,* nec eà imagine contenta, (quam iam elucidauimus) alteram in eundem sensum sic immediate subijcit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi:* Cantic. 1. vers. 14. ea si quidem botro Cypri frequentior à PP. & interpretibus adhibetur significatio ex voce Hebræa *Copher*, vel *Cipher*, à qua Cyprus, vt sit fructex oppobalsami (sic Ambrosius in Psalm. 118. serm. 3. Bernard. Honorius, Aponius, Beda, Guillelmus, & Hailgrinus.) Iam verò de Oppobalsamo apud omnes omnino Auctores constat, quod affert Del Rio: *Oppobalsamum, siue gutta balsami odore suauissimum corruptioni resistit:* Vbi cum vides Mariam præseruatam ab omni sorde peccati,

Hierony — *Alcaz.* — *S. Ioseph* — *Cant. 2. vers. 2. S. Sabb.* — *Cant. 1. vers. 14. Ambr. Bernard. Aponi. Beda. Honor. Guillel. Hailgr.*

& à corruptione alienissimam, & tãquam rosam instar vnguenti flagrantem in conuallibus, atque eapropter dignum Dei Filio habitaculum factã simul aduertis ipsammet totum id Diuinæ Gratiæ attribuere: ijs verbis omnino exprimens, quod posteà diuina Psaltes facta pronũciauit: *Quia fecit mihi magna qui potens est:* Lucæ 1. vers. 49.

Lucæ 1. vers. 49.

VIII

In quem plane sensum opportunè inflectas cum Philippo Abbate ferculũ Salomonis, de quo dicitur Cãt. 3. vers. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani,* Vt prẽter expositionem, quam his lignis alibi damus, quod non dicantur arbores, quasi radicibus innitentes, & succum à terra trahant, sed notanter ligna, quæ ad opus fabrile perpolita, atque dolata, à naturali situ abscissa, ac detrũcata terrenum succum, siue alimentũ à terra non sugunt, vt argumẽto fuerit Virginem a parentibus, & progenitoribus, è quibus excisa est, nullum originis læthalis succum suxisse, quæ quamuis communi generationis modo genita fuerit, respectu tamen peccati originalis, quod in generatione & cõceptione quasi per radicem trahitur, ita fuit à diuina gratiâ præuenta, & eius vlnis effecta, exceptaque ac si communi generationis modo Concepta non fuisset: perinde fuerit de lignis imputribilibus Libani fuisse formatam, ac de Christi virtutibus compactam, vt ab illis omnis originalis peccati vermiculo aditus intercluderetur. Audi Philippum in id loci hæc ita diffundentem: *Ex his lignis asserunt Sodales ferculum fabricari, vt rectè videatur opus commẽdari à materiâ, quia sanctitas Virginis ex Christi virtutibus est compacta, & ad nostros profectus in omnium mensam redacta est: Quam quia potens Salomon ex forti, & imputribili materiâ sic compegit, non sensit vermiculum, non admisit illa cariem, sed abegit:* Hæc Philippus: vt apud illum videris myrrham e Mariæ manibus distillantem è fasciculo myrrhæ Sponsi sui esse, à quo habuit, ne carnẽ, aut vermem peccati sentiret, sed a se longius abigeret, vt inde dignum Filij Dei habitaculum foret.

Ph. Ab

Philipp.

A

B

C

D

E

MARIAM Immaculatè conceptam, quod Mater Dei futura, vt Patri æterno adsimilis, ita omni prorsus labe carere debuit.

ADNOTATIO. IV.

I

ESt quidem iam operæ pretium certam, atque constãtem rationem reddere, quã ob rem tam exacta in Matre Dei puritas, & ab omni labe immunitas adeò fuerit prærequisita, vt ad id munus nulla omnino ex mulieribus vitiatam ab Adamo originem ducentibus, quantumuis illa virtutibus, & sanctitate excelluerit, idonea censeatur? Et vero illa ratio videatur per opportuna, quam huius immunitatis & omnimodæ puritatis, huc intenti, reddidere Augustinus, & Hugo de S. Victore, vt nimirum humana Dei Filij ex Matre natiuitas, æternæ generationi ex Patre responderet, vt quẽadmodum Dei Filius in cœlo, siue potius in sinu Patris, à Patre luminũ immortali, æterno, & incorruptibili apud quem nõ est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Iacobi 1. vers. 17. generatur, ita in terris à Matre mundissima, pulchrâ, vt luna, electâ, atque splendente, vt Sol conciperetur: Sic namque ipse serm. 20.

Iacob. 1. vers. 17.

ad

ad fratres in eremo. hàc de re disserit. *Propterea Maria mater electa est, super omnes creaturas præelecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissimâ Matre mundissimus Filius nasceretur. Et sicut in cœlo Filius habet Patrem immortalem, & æternũ, sic & in terrâ haberet Matrem omni corruptione carentem*: Vnde statim argumentationem aliâ ex parte versâ concludit. Igitur in cœlo qualis est Pater, talis est Filius, & in terrâ, qualis est Mater, talis est secũdum carnem Filius: vt videlicet adeò certum constansque futurum, quod quemadmodum in cœlo à mundissimo Patre; ita & in terrâ à Matre mundissima esset nasciturus, vt ex ipsa Matris munditia; & ab omni labe immunitate, talis esset secundum carnẽ Filius Dei censendus. A quo sensu; & oratione Augustini, nec hilum discrepat Hugo in Apologia de *Verbo Incarnato*, cap. 3. sed non ideò eius verba appingere fuerit otiosũ: quod cum verbis Augustini apositè connectuntur: ait ergo: *Propterea à Matre Virgo electa est, vt de mundâ immaculatus nasceretur, vt sicut in cœlo Deum habet Patrem immortalem, æternus, sic in terrâ haberet Matrem Virginem, incorruptus. Igitur in cœlo qualis Pater, talis Filius: in terrâ, qualis Mater, talis Filius. In cœlo autem cum Patre æternus, & immẽsus; & in terrâ cum Matre immaculatus, & mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus, & sublimis, in terrâ cum Matre Virgo, & humilis. In cœlo imago Patris, in terrâ imitator Matris*: Hæc PP. vtrãque Christi à Patre, & Matre generationem eleganter interse, & opportune nostro instituto committentes, vt iam explico.

Augus.

Hug. à S Victore.

II Sane in hunc sensum non immerito possumus in primis aduocare Christi generationem à Matthæo sic cõscriptam cap. 1. vers. 18. *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*, non immerito ibi ambigentes cur Euangelista signate dixerit: *Sic erat*: qui commodius dicturus videbatur. *Sic fuit?* Cum de generatione loqueretur, quę iam trãsacta fuerat, aut *sic est* cum secundum Paulum. *Iesus Christus heri, & hodie, & vsque in sæcula*: ad Hebræos 13. vers. 8. Sed dubitationi occurrit Paschasius, in ea Matthæi verba, respondẽs: *Sic erat: Quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Verum enim verò maiorem ille difficultatem sua responsione videtur nobis obtrudere, cum nobis de temporali, non de æternà Filij Dei generatione sermo fit: aliàs dixisset Matthęus diuinam Christi generationem se suscepisse narrãdam. Subsistit tamen, & Euangelistę locutio, & Paschasij responsio, quod æterna Filij Dei à Patre generatio, tàm dilucida, & expressa temporalis nativitatis ipsius à Maria Matre idea fuerit, vt hæc ab illa luculentissime explicata, & delineata videatur; opportuneq; dictum à Matthęo fuerit: *Generatio Christi sic erat: Quare sic erat? Quia Mater Iesu Maria*: Quia videlicet extra lineã Adæ, & vltra naturæ terminos, & à lege naturali exempta, mundissimum generans Filium suũ, Summum Patrem æternà generetione eundem vnicum Filium suum gignentem referre, & exprimere videatur: hęc omnia ibidem confirmante Paschasio hunc in modum: *Itaque, vt altius dicamus: Non dixit: sic facta est sed, sic erat: quia Christi generatio erat apud Patrem, quando per hanc præscriptam genealogiam generabatur ex Matre*. Ita ille. Pulchre. *Christi generatio erat apud Patrem, &c.* Non equidem, quod Christi à Maria generatio æterna, siue ab æterno fuerit, sed quod in illa æterna Patris generatione, temporalis hæc à Maria generatio præscripta, viuacique penicillo

Mat. 1. vers. 18.

Paschas.

nicillo delineata fuerit, dum idem-met Filius, vt ab æterno a Patre immortali, & æterno, ita in tempore à Matre omni corruptione carente generatus est. Quem itidem sensum vide, vt expresserit Ambrosius serm. 16 de *Natiuitate Domini*, inquiens: *Videamus, hic Sol noster nouus de quo fonte nascatur? Sic est verum. Deo oritur auctore. Diuinitatis Filius est, Diuinitatis, inquam, integræ, incorruptæ, illibatæ. Intelligo plane mysterium: ideò enim secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem constiterat illibata, vt cui prior Natiuitas gloriosa exstitit, ei secunda contumeliosa nõ fieret:* Hæc Ambrosius opportunissimè: cum quo nos itidem eodem sensu dicimus: *Intelligo ergo plane mysterium eur generatio Christi sic erat:* nempe, *ideo secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem constiterit illibata:* puritate scilicet Mariæ, Diuinitati Patris quodam modo respondente, quasi alias indecens Dei Filio secunda natiuitas foret, quæ non esset à Matre omnimoda puritate nitente: Ergo à Maria, vt à Sole immaculata Christus oritur, ne ipsi secunda natiuitas dedecori fuerit, si à Matre aliquando maculæ obnoxiâ ipse nasceretur.

Ambr.

A

B

C

Subest quidem hic sensus ex mẽte PP. illis Pauli verbis de Melchisedech *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei:* Ad Hebræos 7. vers. 3. Etenim dum à Patribus ambigitur, qua ratione Melchisedech, quod nulla patris, aut matris ipsius in sacris litteris mentio fiat, neque genus, aut progenies eius describatur, speciem quandam, ac similitudinem referat Filij Dei, cum ipse, & Patrem quidẽ in cœlis, & in terra clarissimam, & omnium hominum laudatione notissimam, & gloriosissimam Matrem

III

Hebr. 7. vers. 3.

D

Mariam habere dicatur? Respondemus ideò assimilatum Filio Dei Melchisedemum dici, quod vt patris, & matris eius nulla mentio in sacris fit, ita & Christus in terris patre careat: eamque habeat Matrem, quæ tantæ sit puritatis, & tam aliena à communi labe, vt quamuis humana sit natura, & carne prædita, non tam in terris nata, quam cœlo genita, & cœlo delapsa esse videatur, sic hæc in primis perstringente Theophylacto ibi: *A Virgine autem Mariâ, & solâ secundum carnem est natus, & matre quidem secundum supernum illum, & cœlestem ortum:* ita ille, pro immaculata Virginis cõceptione bellissimè & expressissimè: etenim hæc: *Et matre quidem secundum supernũ illum, & cœlestem ortum*, non eò referenda sunt, quasi ijs affirmet Mariam non viri femine, sed ex Spiritu Sancto concepisse: nam id iam præmiserat Theophylactus de Christo ex matre nascente inquiens: *Et solâ secundum carnem est natus:* Sed perinde accipienda fuerint, vt de nouo addens (id quod ex illa particulâ, *et* satis liquet) quod ad laudem Deiparæ omnino spectabat, de eiusdem Mariæ ortu dixerit, ab ea Matre natum fuisse Dei Filium, quæ non ex vitiata Adæ naturâ, & ex carne maculis Adæ infectâ sed Dei manu ad gratiæ leges fabricata fuerit, atque vt ille Melchisedech ingentem laudem assecutus, dicitur, quod nihil dedecoris à parẽtibus traxerit, ita Dei Filio egregiæ laudi, & gloriæ cesserit, quod à Matre purissima, & omnis labis experte fuerit progenitus, vti dicebat Ambrosius, *vt cui prior natiuitas gloriosa exstitit, ei secunda contumeliosa nõ fieret:* Sed totam cogitationem sic expressit, & Pauli verbis aptauit Origenes hom. 3. in diuersa loca Matthæi ea Angeli verba ad Ioseph Matthæi 2. 13. *Accipe Puerum, & Matrem eius*, sic premens: *Hunc Puerum accipe, & Matrem eius.*

Theoph.

E

Origen.

Non

Non tu huic Puero pater: ſed hæc ſola Virgo huic Puero Mater. Non indiget patre ſuper terrã: Incorruptibilẽ enim Patrẽ hab et in excelſis: Non indiget Matre in cœlis, immaculatã, & caſtam Matrem habet in terrâ, hanc multum beatam Virginem Mariam; ſine patre, & ſine matre ſimilis Filio Dei, vt ait Apoſtolus: Hęc Origenes: omnia valde opportuna: vbi in primis obſerua Epitheton, *immaculatam*, quod non appoſuit Origenes, vt eo puritatem Virginis Mariæ ſignificaret: id enim ſequenti vocabulo: *& caſtam*, ſignatè expreſsit ſed vt immunitatem à macula Adæ dilucide affirmaret: deinde vero amplexare ea verba: *non indiget Matre in cœlis: immaculatam, & caſtam Matrem habet in terrâ*, quæ oppoſuit illis: *Non indiget Patre ſuper terram, incorruptibilem enim Patrem habet in excelſis:* Sed quid, inquies, terrę, & cęlo? Quid creaturæ, & Creatori? Quid ęterno Patri, & Matri tẽporali? Plane videtur Origenes ſic eã Mariæ puritatem, & dignitatem æſtimare: vt ipſam Summi Patris, quà incorruptibilis ille eſt, ſpeciem, & ſimilitudinem Filium ſuum gignentis, in terris referre videatur; in ſuper innuens, ſi (quod nefas eſt dicere) Filius Dei fuiſſet habiturus Matrem in cœlis, ſatis ſuperque eius vicem expleuiſſe in tetris Mariam; quin alià cœleſti Matre indigeret.

IV

Concinit his vates, æternam, & tẽporalem Verbi Dei generationem, vt & à Patre, & vt à Matre eadem lucis, ſiue diei imagine, quinvna ab alia vel hilum differat ſic explicans: *Dies diei eructat Verbum:* Pſal. 18. 2. vt eadem horum verborum ſententia ſit cum illa Anſelmi lib. de *Excellentia Virginis*, cap. 3. & lib. de *Virginali conceptu à peccato originali*, cap. 18. *Hunc igitur ſibi tàm vnicum, quàm dilectiſsimum Filium ſuum non eſt paſſus manere tantummodo ſuũ, ſed eundem voluit in rei veritate eſſe Beatæ Mariæ vnicum, & naturalem Filium.* Die, ſcilicet Patre, eructante Verbum ſuum diei Mariæ, vt pulchre hanc diei imaginem ex his vatis verbis ſic illuſtrat Bernardus in ſerm. de Natiuitate Marię *de Aquæ ductu* hunc in modum: *inſupernis plane, & vltra Angelos, quæ Verbum ex ipſo corde Patris ſuſcepit, vt ſcriptum eſt:* dies diei eructat Verbum. *Vtique dies Pater, ſi quidem*, dies ex die ſalutare Dei. *An non etiam Dies Virgo, & præclara. Rutilans planè Dies, quæ procedit ſicut Aurora conſurgens: pulchra, vt Luna, electa, vt Sol.* Hæc ibi Bernardus & eodem ſenſu ſerm. 5. *ex paruis*, inquit, *Dies diei eructat Verbum, Deitas Virginitati, de vtero paternæ maieſtatis, in vtero maternæ integritatis.* Quid illuſtrius? quid opportunius? vt Mariæ clariſsimam puritatem, & puriſsimam claritatem, cũ Summi Patris luce, & ſplendore pę nè iuſta ſimilitudine compoſuiſſe videatur Bernardus. Nec enim ovo ovum magis ſimile, quam dies diei. *Vtique ergo dies Pater. An non etiã Dies Virgo, & præclara?* Igitur, vt Verbum à Patre die ſempiternà, & candidiſsimà luce pleno, gignitur, ita ab ipſo die in Virginem eructatur: quæ dies præclara eſt, vt de mundiſſima Matre mundiſsimus naſcatur Filius, qui vt à Patre, & à Matre candor lucis ſit, dicente de Maria Ambroſio. lib. *de inſtitutione Virginis*, cap. 7. *Generauit Orientem, peperitque ſolem iuſtitiæ:* & exclamante Epiphanio ſerm. de Laudibus Deiparæ. *O Virgo Sancta lucis æternæ Mater: lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: lucis: quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum: lucis, quæ illuminat ſplendidis facibus Solem.* Hæc ille.

Cui cogitationi mire applaudit Salomon, cum Sapientiæ 7. verſ. 25. primario quidem ſenſu (vt alij etiam de Beatiſsima Virgine, quos, & ſupe-

V

rius

Bernard

Ambr.

Epipha.

Pſ. 18. 2

Anſel.

Sap. 7. verſ. 25.

rius perſecuti ſumus, & inferius perſequemur per opportuni ſint) de Dei Filio verbo Patris, & Sapientia increatâ inquit. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis Omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit:* Si tamen obſerues cum Cardin. Hugone Carenſi notanter Dei Filiũ, & vaporem, & emanationem a Salomone dici, vt vtraque ipſius generatio æterna, & temporalis velut ſuis coloribus depingatur: In vapore ſcilicet ſurſum tendente, Diuina, *quâ exore Altiſſimi prodiuit primogenita ante omnem creaturam.* Eccleſiaſtici 24. verſ. 5. & *in ſinu* Patris conquieſcit Ioan. 1. verſ. 18. In emanatione vero, quæ ſumptâ ſimilitudine ab aquâ à fonte profluente hortum irrigaturâ, humana, & temporalis, qua Dei Filius deſcendens de cœlis, incarnatus eſt ex Maria Virgine, & homo factus eſt, vt quemadmodum ipſe dixit, rigaret *hortum* ſuum *plantationum.* Eccli. 24. verſ. 42. quæ ſic perſtringit Hugo: *Riuus enim emanans â fonte, deorſum tendit: Vapor vero ab igne veniens aſcendit ſurſum:* Ita ille: Iam verò in ſumma vtriuſque originis diſparitate, dum Dei Filius, quâ vapor, a bigne diuinitatis prodit quâ emanatio à Mariæ ventre procedit: obſerua ſummâ in puritate ęqualitatem: cum & *Vapor virtutis Dei,* & emanatio itidem *claritatis Omnipotentis Dei ſincera*, eſſe aſſeratur, quia Spiritus Sancti virtute à puriſſima Mariæ carne, carnẽ ſuſcepit: Deinde vide: vt in emanatione temporali Immaculatiſsima Marię Conceptio adumbretur, cũ ipſa dicatur, *Claritas Omnipotentis Dei ſincera:* Ideſt vt alibi ex græco expendo: *pura, mera, non fucata,* at dum omnibus titulis, & nominibus omnimoda Deiparæ puritas, & a næuo originali immunitas aſſeritur, iuſtâ ſimilitudine generatio temporalis Chriſti è Mariâ cum æterna *ex ore Altiſſimi,* compo-

Eccl. 24 *verſ.* 5. *Ioan.* 1. *verſ.* 18. *Eccl.* 24 *verſ.* 42.

natur: & dum diuina ad terram deſcendit, humana cœlis inferatur: Scite id penſitante Georgio Nicomedienſi, Orat. de *Oblatione Mariæ:* in hũc modum: *O Summam pietatẽ! Quales ſcalas honeſtatis ſtatuit per quas Verbum deſcenſu nouo ad nos aſcendit! per quas, quod inferius erat ſitum terrenum naturæ tabernaculũ aſcendit ad cœlos.* Sic ille. *Geo. Nic*

Iam his ipſummet Dei Verbum aſſenſum præbet, quod cũ primis à Virgine conceptum, & in mundum ingreſſum ſe conſpexit, hac de re cum Patre notantiſsimè locutum à Paulo inducitur ad Hębræos 10. verſ. 5. ſic enim ibi: *Ingrediens in mundum ſacrificium, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi:* Vbi (quod ſæpius obſeruaſſe me memini) græcum verbum *Catartizo*, proprie ſignificat rem rei ita apte, & concinnè aptare, vt tota toti, & ſingulę partes ſingulis cõcinnant: ex qua græci verbi proprietate, à qua nec Latinum abit: videtur Dei Filius illo pro nomine, *mihi*, quod ad diuinam perſonam referendum eſt, dixiſſe: corpus ſibi vndequaque aptiſsimum ex puriſsimâ Virgine præparatum fuiſſe, quod Diuinæ perſonæ ſingulari quadam concinnitate coaptaretur: dum à die diei eructabatur. Nimirum Matris puritas, vt dies præclara Summi Patris diem, & claritatem perpetuam omnino referebat: cui cogitationi eàdem phraſi retenta omnino ſubſcribit Simon de de Caſsia lib. 2. de *Beatâ Mariâ*, ca. 2. vbi cum præmiſiſſet: *Diuina Virgo Filia Patris æterni plus habet in occultis ſuis, quam capiat hominũ mens quam poſsit ſermo perficere, quã ſcribi membranis:* ſubijcit opportunè: *Quam ſibi totam coaptauit ille, qui condidit ad nihil aliud, quam diuina perſtruens, vt Dei Mater eſſet*: Sic ille. Apud quem obſerua illud. *Quã ſibi totam coaptauit ille, qui cõdidit:* Vt videlicet corpus ab ipſa ſumptum Dei Filio vndequaque aptum, & cõ-

Hebr. 10 *verſ.* 5. *Gr. Lect.*

Simõ. de Caſsia.

cinnè

cinnè conueniens foret: Et verò quoniam tota de immunitate Virginis à peccato originali dissertatio in vnius tantum instantis, siue momenti cardine vertitur, & si in æterna claritate Summi Patris asserenda otio abvti videamur, tamen, vt quam contendimus similitudinem adornemus, la-
Iacob. 1. *vers.* 17. cobum, cap. 1. vers. 17. de Patre luminum Filium suum lumen de lumine gignentem in medium afferre placet: ergo inquit ille: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis, obūbratio:* Vt dixerit æterna illi lux tanquam perpetuo diei affulget, quin vlla vnquam in eo esse potuerit lucis obvmbratio, sed sempiterna diei claritas: vbi obserua Augustinum lib. 11
Augus. de *Ciuitate Dei*, cap. 21. signatè legere: *nec momenti obvmbratio*, vt ex hàc lectione enucleatius eliciamus; *nec momenti* obumbrationem in Mariæ die cogitari posse, quippe, vt subsistat Filij Dei locutio *corpus autem aptasti mihi*, vt Dei Filius à Patre luminum: *Apud quem non est lucis transmutatio, nec momenti obumbratio*, lumen de lumine oritur, ita vt generatio generationi respondeat, & corpus diuinæ personę concinnè aptum fuerit, ab ea Matre, quæ dies præclara est, cui nulla lucis trãsmutatio: *Nec momenti obumbrato*, subsit: Quæ quidem cogitatio inde plene subsistit, quod vt Summus Pater, quod fons lucis sit, à quo Filius, vt splendor lucis procedat cum sole componitur, qui lucis principium est; ita Maria Filium suum concipiens, & pariens Sol dicitur à vate. Palm. 18.
Ps. 18. 4. 4. illis verbis. *In sole posuit tabernaculum suum* quę inibi Hieronymus (& ab eo plures) ad Virginis vterum sic retulit: *In Sole, ideſt in vtero S. Mariæ Virginis. Maria interpretatur Stella maris. Sol iustitiæ Dominus. Illuminauit Sol iste, Stellam, ideſt, Mariam, vt esset sicut Sol: ideò posuit tabernaculum suum in Sole, quãdo corpus assumpsit de vtero suo.* Hæc Hieronymus. Nec minus opportunè Philippus Abbas, cap. 17. *in Cantica.* Virginem ita salutans: *Tu es ergo omni claritate, & splendore Solis clarior & splendidior, omni lapide pretioso longe incomparabiliter pretiosior. Tu super omnem stellarum fulgorem, vt pote stella maris fulgentior inueniris.* Sic Philippus: vt iam omnino cum Ambrosio dixeris: *Videamus hic Sol noster nouus quo fonte nascatur: Sic est verum. Deo oritur auctore: Diuinitatis est Filius: Diuinitatis in quam integræ, incorruptæ illibatæ: intelligo plane mysterium, ideo enim secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem cõstiterat illibata:* Vbi placet obseruare in Ambrosio, quantum Mariæ puritati, & claritati deferat: dum ipsam cum Patris diuinitate compositurus non fuit contentus dicere: *Diuinitatis est Filius*, quin simul diuinitatis proprietates, siue colores nobis non reticijs singillatim obijceret, inquiens: *Diuinitatis in quam integræ, in corruptæ, illibatæ:* vt videlicet ex illis Mariam pensitares, vndique scilicet integram, incorruptam, atque illibatam. Iam verò totam hanc cogitationem præfatis Pauli verbis: *corpus autem aptasti mihi.* Vide vt opportunissimè, & differtissime aptauerit Anselmus à nobis iam in superioribus adductus in serm. de *Conceptione*, quem officio Conceptionis à Sixto IV. approbato affixũ inuenimus his verbis: *Si aliqua alicuius peccati maculâ Conceptio Virginis corrupta fuit: fundamentum habitaculi Sapientiæ Dei non congruebat, ipsi structuræ nõ cohærebat.* Hæc ille. Quid aptius? quid illustrius ijs dicendi modis? *non cohærebat: non cõgruebat*, ad exprimendam vim verbi græci, significantis rem rei, ita aptè, & concinnè aptatam, vt tota toti; & partes partibus cohæreat.

Hieron. Ph. Ab.

Ambr.

An sel.

VII

Sed huc etiam facit accuratũ verbum *gignendi*, quo Matthæus in to-

ta generationis serie, quam præscripsit, notanter vsus est: nec enim, vt vides, dixit Abraham genera uit Isaac: Isaac genera uit Iacob: & sic de reliquis: sed potius, *Abraham genuit: Isaac genuit, Dauid genuit,* & tandē *Iacob autem genuit,* vt videlicet adstrueret eius modi, siue similem ab origine lucis vtramque generationē Christi esse, cum æternam Deus Pater eomet verbo expresserit Psalm. 2. vers. 7. inquiens, *Filius meus es tu: ego hodie genui te:* ita id obseruante Paschasio lib. 1. in Matthæum ad hūc modum: *Et notandum, quod Matthæus* genuit: *non generauerit, dixerit, fortasse, vt cum recognosceres, de quo Pater dixerit:* Filius meus es tu: ego hodie genui te: *hoc itaque quasi proprium illi verbum, & quasi familiarissimum ponitur;* ita ille, vt videris Patrem, sic Filium suum ab æterno gignere, & Matrem itidem Filium suum in tempore gignere, vt ipsemet iure dixerit: *Corpus aptasti mihi,* humana diuinæ generationi, ita respōdente, vt à Patre lumen de lumine, à Matre, vt à Sole Dei Filius lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ortus fuerit: Quò aduoces quod ad Salomonis verba Prouerb. 28. 11. *Mala aurea in lectis argenteis. Verbum dictū in tempore suo,* siue vt habent LXX. *Malum aureum in monili Sardio, sic dicere Verbum:* ex proprietate lapidis Sardij qui humanam carnem refert, siue translucidæ carnis imaginē præfert, vt affirmat Plinius lib. 37. c. 6. inquiebat Philippus in superioribus adductus. *Tu es tabernaculū in Sole positum, de quo vtique tabernaculo Filius Dei processit, tanquam sponsus de thalamo suo. Viscera tua sunt lecti argentei, in quo malum illud aureum est, de quo Salomon ait:* Mala aurea in lectis argenteis, verbū prolatum in tempore suo. *Non enim potuit digniori, & clariori comparatione pronunciari natiuitas specialis vnigeniti Filij Dei. Malum quippe prolatum in lectis argenteis Verbum est caro factum in visceribus Virginis:* ita Philippus. Iam pende vim humilitudinis, huc imaginis, qua Salomon rem summa concinnitate, & consonantia alteri aptatam, & conuenientem explicare voluit, vt inde videas diem diei eructantem Verbum, vt ipsum a Patre procedens tām apte, & conuenienter purissimis Mariæ visceribus eructaretur, *vt malum aureum in monili Sardio.* A quo peculiarem venustatem, & decorem accipit, vt quemadmodum in cœlo habet Patrē immortalem, & æternum, sic & in terra habeat Matrem omni corruptione carentem.

Adstipulatur his omnino Bernardus serm. 3. de *Circumcisione,* vbi purissimam Christi Domini innocentiam, & sanctitatem, quæ circumcisionis remedio nullatenus indigeret eademmet rationis, & orationis serie à Matris puritate, atque à Patris Diuinitate elicere videtur: nam cū dixisset: *Iam minoratus est multo minus Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris infigitur velut quodam cauterio latronis. Quid est enim circumcisio, nisi superfluitatis, & peccati iudicium?* Subijcit opportunè. *In te Domine Iesu, quid est superfluum, quod circūcidatur? Non ne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus sine omni peccato de Virgine Matre:* Sic ille. Vides, vt à Bernardo ad excludendum à Christo originale peccatum Mater cum Patre cōponatur: Vt quēadmodum Pater dies est, *apud quem nō est momenti obumbratio,* sed perpetuæ sanctitatis lux à quā Filij splendor oriatur, ita & Mater dies sit ab omni tenebrarum consortio alienissima, à qua velut à Sole Christus *Oriēs* dicatur, Zachar. 6. vers. 12. luce ipsa scilicet purior, & clarior à totā benedicta totus benedictus, & ab immaculatā immaculatus, & Bernardo quidem

Psalm. 2 vers. 7.

Paschas.

Pro. 28. vers. 11.

Plinius Philipp

Bernard

Zach. 6 vers. 12.

dem egregie concinit Stephanus Sabaita apud Menæa Græca die 1. Ianuarij Ode 9. de *Circunciſione*. Strophá 1. Deiparam hunc in modum cõſalutans. *O quæ lucem diuinam progeneraſti, quâ luce Sol quoque ipſe poſterior eſt, quæ etiam lux in forma corporea ad nos homines appulit (quippè cui tu corpus è Virgineis viſceribus tuis in effabiliter ſuppeditaſti) Te inquam, ô benedicta, & ab omnibus maculis mundam velut Deiparam, magnificis extollimus verbis:* Ita S. Stephanus: Apud quem vides Mariam, & diem lucem progenerantem, & lucem ipſa clariorem, quæ omnibus ſcilicet maculis munda tanquam Dei Mater fuit. In quem etiam ſenſum itidem inflexit Ricardus a S. Laurentio lib. 1. de laudibus Virginis verba Eliſabeth, quibus Ieſum Benedictum fructum ventris Mariæ appellauit. Luc. 1. verſ. 42. hunc in modum. *Congrue appellatur Chriſtus fructus, quia ſicut fructus bonus arborem, vel terram, de quâ naſcitur, commendabilem reddit ſic et Chriſtus Virginem gloriosam, de quâ totâ benedictâ totus eſt natus benedictus. Vnde & ei dicitur:* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: *Quia fructus facit cognoſci, qualis ſit terra, vel arbor vnde oritur.* Vnde Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Hęc Richardus. Apud quem obſerua illa, *de qua tota benedictâ totus eſt natus benedictus*: quibus non tantum adſtruit Mariam totam, & ex omni parte benedictam, cui nulla vnquam maledictionis pars, nec vmbra potuerit obtingere, ſed etiam quodammodo euincit, vel inde quidem Chriſtum totum benedictum natum, quia aliqua benedictionis pars ei (& ſi non in ſe ipſo, in hominum tamen exiſtimatione) nõ fuiſſet aſſutura, ſi à Matre quæ non tota eſſet benedicta naſceretur: Concinit huic cogitationi Regius Vates. Pſalm. 84. incipiens: *Benedixiſti Domine terram tuam*, & verſ. 12 Diuinum Incarnationis opus inter Deum, & Patrem, & Mariam Matrẽ, ſic partitus: *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* & vero cum hanc terræ imaginem ad Mariam referant quotquot pleno pectore ſapiunt. ſignatè Ricardus à S. Laurentio lib. 8. de *Laudibus Virginis*. multis eam perſequitur, & quidem cum præmiſiſſet: *Terra noſtra beata Virgo, quæ ex dono Dei facta eſt noſtra.* Vnde Ezechiel. 20. *Dedit eis terram fluentem lac, & mel, præcipuam omnium terrarum*, poſt non nulla, quæ in ſuperioribus dedimus, ſubdit: *bene* ſuum, *ideſt benedicta benedictum, ſicut terra maledicta in opere Adam fructus dedit maledictos, videlicet, ſpinas, & tribulos.* Genes. 3. ſic ille, vt dixerit, aliam Mariæ terram a terra ob peccatum Adæ maledictioni obnoxiâ, & fructus ſpinoſos proferente, quippe, quæ omnium gratiarum pluuijs irrigata Dei benedictione ſemper potita eſt.

Lucæ 1. verſ. 42.

Ricær. à S. Laur.

Pſal. 84

Ezec. 20

Geneſ. 3

A
B
C
D
E

MARIAM adeo, omnimodo, & ratione puram, atque immaculatè conceptam, vt ex eius puritate, & dignitate, Chriſti Diuinitas dignoſcenda venerit.

ADNOTATIO V.

I

EXtrahimus præſens argumẽtum ex libro noſtro iam elaborato, & propediem (Deo auſpice, & Maria Deipara auxiliatrice) dando de *Maria forma Dei*, cuius illud quidem proprium eſt adſtruere, Mariam adeo perfectam Dei formam, ex qua ſcilicet factus homo Deus, ſiue formatus fuerit (de cuius locutionis ſignificatione fuſius ibi agimus) exſtitiſſe, vt

Christi Diuinitas ex Mariæ dignitate non leuiter confirmetur: firmissimâ hac argumentatione subsistente, non posse nõ Deum esse eũ qui ex Maria, tanta nempe Virgine, cœlesti prodigio, & virtutum, ac perfectionum domicilio, ac pulchitudinum omnium sacrario ortus fuisset, illa videlicet Bernardi sapienti thesi innixi: *Talis decebat Virgini partus, vt non pareret nisi Deum:* Iidemque illi peculiari ethymologiæ, quã Ambrosius lib. de *institutione Virginis*, siue peculiares libros, & antiquiora volumina nactus, siue diuino afflatus Numine, & signatissima eius luce perfusus voci Mariæ adhibebat, vt perinde esset, ac *Deus ex genere meo*, quam Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus Vir excellenter doctus, & S. Theologię professor eruditus, & ob miram in B Virginem pietatem magnificiendus lib. 2. *in Magnificat*, cap. 22. sic exprimit: *Sicut enim Deus ex Deo est, sic Deus ex Maria: & sicut Deus Deũ generat, sic Maria generat Deum:* Non quidem, quod Mariæ productio diuina sicut Patri, aut natura diuina subsit, sed quod accuratissimâ Dei manu talis, tantaque effecta sit Spiritu Sancto corpus, & animam ipsius tam immensâ Diuinitatis affluentiâ præparante, vt reapse digna, & opportuna Dei Mater à quâ ipsemet Dei Filius congruè, & pro dignitate genus duceret, effici mereretur: Porrò S. Athanasius lib. de *Incarnatione Vnigeniti*, hæc non modo firmat, sed aucto censu pergit affirmare Christum à Mariæ dignitate se Dei Filium esse asseruisse, à tantâ videlicet Matris maiestate, & puritate euidens pro sua Diuinitate argumentum conficiens: ita enim ille: *Propterea ad nos descensurum* (Dei verbum) *ex Virgine corpus sibi fabricat, vt non exiguum omnibus Diuinitatis suæ præberet argumentum: ex quo facile esset colligere, eum qui sibi corpus hoc formasset, cæterorum quoque esse conditorẽ:* Hæc Athanas.

Bernar. *Benzon.* *Athan*

Iam verò præfatæ ratiocinationi, atque his Athanasij verbis duplex pro Mariæ immunitate inest acumen: alterum dum ex Matris perfectione, Christi Diuinitas euincitur *vt sicut Deus Deum generat, sic Maria generet Deum*: Nimirum hinc omnimoda eius puritas, & intaminatissimus candor subinfertur: cum Deus qui generat Deum sit omnis expers maculæ, & lux in quo tenebræ non sunt vllæ: itidemque, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ac proinde si Mariam aliunde labi alicui facis obnoxiam, non dices opportunè sic eam Deum generare, vt Deus generat Deum, cum desit ipsi ille splendidissimus cãdor qui Deo generanti adest: nec non, cum non subsistat vndique ab ipsa argumentum pro Christi Diuinitate: Etenim, qui à Matre Filij Diuinitatem à posteriori (vt aiunt) probare vellet: eam mihi Matrem repræsentare deberet, quæ omnis omnino maculæ expers fuisset, ne si labi obnoxiam viderem, statim mihi negotium faceſſeret, contractam aliquando maculam non bene hærere cum ea, quæ vera, & digna Dei Mater esset, à qua ipse Diuinitatem suam, quę incontaminatissima puritas, & ab omni labe alienatio est, planam facere vellet. Vel dicito, si duæ tunc sibi mulieres obijcerentur altera, omnimodæ labis perpetuo expers, & in Conceptione sua Solis radijs splendidior, altera vero originali culpæ, & dæmonis seruituti addicta, vt collatione inter vtramque facta, illarum alteram, vt opportuniorem eligeres, vel ad dignitatem & munus Matris Dei, vel vt ex ipsa iam Mater facta Diuinitatem Filij colligeres: non ne tibi statim veniret indubitatio in mentem, ad-

II

vtrumque magis idoneam, magis aptam eam fore, quæ nulli vnquam inquinamento fuisset obnoxia?

III Dixerim ego quidem confidenter esse hunc omnino ipsius Filij Dei sensum ieſe notanter, & de industria appellantem Filium hominis apud omnes Euangelistas: Quod sanè argumentum, & si libro 2. cum de hæreditate Patris à Dei Filio ob sanguinis claritudinem, & Matris immunitatem obtinendà differimus, latius pertractamus: illud modo inde sumimus: Christum Dominum aliquando cum Phariſæis disceptantem, & Abrahæ mentionem facientem, & si ipsum patrem suum agnouerit, eo tamen, vt patre gloriari noluisse, sic enim ipse apud Ioan. 8. verſ. 56. *Abraham pater vester exsultauit, vt videret diem meum:* Vbi vides accuratâ locutione declinasse appellationem filij Abrahæ, ne de ipso gloriari videretur; scitè id adnotante ibi Maldonato ad hunc modum: *Pater ergo vester, quo vos gloriamini: nam ego, & si patrem meũ illum agnosco: tamen eo non glorior:* Iã si ambigas, cur noluerit Dominus Abrahamum qui tantus vir, & tàm eximiæ sanctitatis, & nobilitatis Patriarcha fuit, patrem ibi suum appellare, nec de eo gloriari? respondet rursum idem Maldonatus: *Propterea vt opinor, non dixit Abraham pater meus, aut pater noster, quamuis, vt homo loqueretur, posset que iure patrẽ suum appellare (vt Matthæus vocat) vt ostenderet se plus esse, quam hominem, quando quidem Abrahamo maior esset, & non decebat patrem vocare eum, quo se maior esse significaret:* Hæc ille: Cui obseruationi aliam adiunge similem, quæ vna cũ illa non importunè Mariæ immunitati inseruiet: Cum videlicet Phariſæis Apoſtolos accuſantibus, quod Sabbatho ſpicas ad manducandum euellerent, Dominus cauſſam pro illis dicens, reſpondit: *Nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid cum esuiret ipſe, & qui cum eo erant:* Luca 6. verſ. 3. pro ſcuto nimirum diſcipulorum Dauidis exemplum accuſatoribus obiciens. Cum tamen ipſidem alibi calumniatoribus ipſum violati Sabbathi arguẽtibus, ipſe magna verborũ emphaſi, ac maieſtate obiam ierit inquiens: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor:* Vt dixerit: cur ego, qui ad Patris mei exemplum me compono, cum ipſum Sabbatho operantem videam, non itidem operabor? Vbi facile vides, quam aliter eidem accuſationi pro ſe, & pro diſcipulis ſatisfecerit, dum hos ex Dauidis facto ſolummodo defendit: ſe ipſum vero non niſi Patris exemplo protexit, quod non modo è Maieſtate ſuâ, ſed etiam è re Diuinitatis aſſerendæ eſſet, Summum Patrem pro exemplari habere, & ſui ſimilem in operibus oſtendere ita ad id loci Ioannis obſeruante Chryſoſtomo: *Quando pro diſcipulis reſpondebat, eorum conſeruilis Dauid teſtimonio vtebatur: pro ſe verò ad Patrem confugit, cui ſe in omnibus ſimilem indicat:* Sic Chryſoſtom. Quibus ita conſtitutis, infer legitimè ex illis, cum qui vna ex parte, vt ſic Dei Filium oſtenderet, & Diuinitatem ſuam aſſereret, Filium Abrahæ ſe ipſum appellare renuit: nec niſi Patris exemplo ſeſe voluit communire; ex alia vero quoties de ſe ſermonem fecit, apertiſsime, & gloriantèr Filium Mariæ ſeſe prædicauit, omnino ex hàc appellatione Diuinitatem ſuam confirmare voluiſſe, quippè MARIA, perinde eſt, ac Deus ex genere meo, vt ſicut Deus ex Deo eſt, ſic Deus ex Maria; & ſicut Deus generat Deum, ſic Maria generat Deum, atque id circo qui filium Mariæ ſe nominabat, Deum intelligi, & haberi volebat.

Luc. 6. verſ. 3.

Chryſoſt

IV Concinit huic alterũ Athan. acumen ex corpore Chriſti ab eo fabricato ipſum mundi opificem, ideſt,

Deum de Deo sic inferentis: *Ex quo facile esset colligere, eum qui sibi corpus hoc formasset cæterorum quoque esse conditorem.* Obserua vim locutionis, & consecutionis, *cum* (inquit) *qui sibi*, hoc est Diuinitati, siue personæ diuinæ *hoc corpus formauit*, tàm purum, tam exactè mundum, tàm Diuinitati proximum, & consentaneum, vt ei omnino congruum, & cõcinnè aptatũ fuerit, dicente Paulo ad Hebræos 10. vers. 5. sub persona Dei Filij: ingrediens in mundum dixit: *Sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi*: id est congruum, & aptissimè conueniens: Iam vero vide quomodo, siue potius ex quâ præsuppositâ materia hoc corpus sibi formauit? Respondet huic interrogationi idem Paulus ad Galatas 4. vers. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere: factum sub lege*, vt quidquid puritatis, & candoris in corpore hoc splenderet, signatè, è carne Mariæ extractum censeretur: atque inde necessaria illa Athanasij argumentatio subsisteret, eum qui sibi corpus hoc formauit, mundi opificem fuisse. Tum è materia puâ, & intaminatâ corpus Adami formauit: Salomone affirmante: *Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij*. Sap. 1. v. 14. quæ sub hoc sensu fusius explicamus; tum etiam omnipotentiâ, suam qua in orbis formatione vsus est, in Mariæ formatione demonstrauit: dum ipsam præter rerum naturâ, & humanæ generationis seriem, peccato originali obsistente, ab omni labe expertem puram, & immaculatã esse voluit. Quam cogitationem ipsa met non obscurè cecinit inquiens: *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen eius*. Luc. 1. v. 49. Quia verò hic locus, & illustris est pro Mariæ immunitate, & pro sensu quẽ persequimur opportunus, eum pensiculatius explicare placet: Primum ergo obserua notanter à Deipara dictũ *fecit mihi magna*: nempe pro voce, *magna*, ea græce habetur, qua LXX. interpretes (ita inibi adnotante Maldonato) solent miracula vocare ea videlicet opera, quæ præter seriem caussarum, & ordinariam rerum exigentiam à Deo perficiuntur: Vnde hac Græcæ vocis vi punctus Augustinus in expositione huius Cantici dixit: *Magnum miraculum erat, vt sine viro Deum hominemque Virgo conciperet*. Sed enim, cum Deipara non dixerit fecit mihi magnum, siue miraculum, sed *magna*, siue miracula, hæc non tantum de Cõceptione actiua, qua Deum hominẽque concepit, sed etiam de passiua, qua præter rerum ordinem, seriemque caussarum ab omni labe immunis concepta est, capienda videntur: præsertim dicente Maria *fecit mihi*, quasi velit miracula inflectere in se ipsa ornanda: & glorioſa efficienda, & huc signatè aduocet potentiâ Dei quæ nullis limitibus circumscribitur: Vnde ibi Augustin. *Quia credi posset eius potentia, potentem confessa est: Sed quanta, aut qualis comprehendi non potest*. Verũ enim vero illud pro hac re maiori est obseruatione dignũ quod subiungit Virgo, *& sanctũ nomen eius*: Vbi tria obserua: primũ particulã, *et* ex frequenti Scripturæ vsu, de quo sæpius egi, & in mea Isagoge ad scripturã latius differo, caussalis vim omnino habere, vt sẽsus sit, ideò fecit mihi magna, quia sanctũ nomen eius. Secundum: *nomen*, Domini in veteri testamento arcanà locutione significare Filiũ Dei, vt tam ex pluribus Scripturæ locis, quam ex Ambrosio, & Rupert. alibi ostendo. Tertiũ: vocem *Sanctum* à Theophil. efferri mundũ impollutũ, in contaminatum quod Verbum Dei in Virgine, & à Virgine contaminatũ non fuerit: *ex quibus* pulcher, & facilis se prodit totius orationis sẽsus, vt dixerit Maria: ideo præter caussarum seriem potenti

Hebr. 10 vers. 5.

Galat. 4 vers. 4.

Sapie. 1. vers. 14.

Lucæ 1. vers. 49.

Gr. Lect.

Augus.

Theoph.

Dei virtute egregium miraculum immunitatis eius ab omni labe patratum fuisse quia ab ipsius carne Dei Filius corpus sibi fabricaturus esset, quod adeò mundum impollutum, & incontaminatum foret, vt & omnipotentiam suam ostenderet, & diuinæ personæ conuenientè congrueret, atque coaptaretur: Firmat hunc sensum eorum Patrum opinio, qui hæc verba causſam præcedentium reddere sic affirmant. *Mald.* *Alij causſam reddere existimant: cur eius anima, vt ante dixit, magnificaret Dominum, quasi dicat: ideo*, magnificat anima mea Dominum, *idest magnum prædicat, quia fecit mihi magna, vt Bernardus docet in sermone quodam de B. Virgine:* Hæc Maldonatus, vt videlicet Maria totas animi vires in agendis gratiarum laudibus offerat, quod sese idoneam Dei genitricis muneri à Deo factam agnoscat ob puram, & ab omni labe immunem Conceptionem suam.

V Sunt mihi hæc adeò firma, & indubitata, vt crediderim à sensu litterali non abire, atque id circo hunc locum inter egregia Scripturæ monumenta, quæ Mariæ immunitati fauent fore censendum: Quod si hęc verba: *Magnificat anima mea Dominum*, de nouo splendore accidentali qui à Mariæ puritate, & sanctitate magnificè accessit cum Origine inflectamus, peculiarem epitasim præfatæ cogitationi addemus: Nempe ipse, & ab eo Venerab. Beda cum dubitasset: *Quomodo magnificet Dominum? Si enim Dominus, nec augmentum, nec decrementum recipere potest, & quod est, est: quâ ratione nunc Maria loquitur.* Magnificat anima mea Dominum? interrogationi respondet, eum huic locutioni subesse sensum, vt à perfectiori munditia, & Sanctitate animæ, quæ ad similitudinem Filij Dei, qui est imago inuisibilis Dei facta est; Diuina etiam imago crescat, quod dum maior in nobis fit, ab hoc incremento maior etiam Dei imago extrinsecus in hominum existimatione pensitari videatur: Do Origenis verba homil. 8. in Lucam. *Si consideremus Dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem Conditoris, vt imago esset imaginis; neque enim anima specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: tunc videbo quoniam (in exemplum eorum, qui solent imagines pingere, & vno (verbi causſa) vultu Regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam, artis industriam commendare) vnusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem: vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis.* Hæc Origenes, quæ statim recolligens, ex illis sic infert. *Quando igitur grandem fecerō imaginē imaginis, idest animam meam, & magnificauero eā opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in nostrâ animâ magnificatur:* Hæc omnia ex Origine, quæ Deiparæ aptata, & piam opinionem omnem omnino labem ab ea remouentem, & Athanasij sensum Dei Filium a corpore ex Maria accepto Diuinitatem suam confirmante, mire iuuant: quippè sub hoc sensu Mariæ anima adeò clara, lucens, atque splendens ad effigiem imaginis principalis esse intelligitur vt nulli vnquam labi subiecta fuerit quando ab illâ ipsamet Dei imago creuit, & grādis effecta est: quod quidem locum non habuisset, si quuis in eâ exstitisset næuus: subdit namque post citata verba Origenes: *Origen.*

Et quomodo crescit Dominus in nostrâ imagine, sic si peccatores fuerimus minuitur, atque decrescit. Porro originalis macula Mariæ animam commaculans præfato argumento cuius meminit Athanasius obsisteret, quominus Christus Dominus, quà Virginis Filius, Diuinitatem suam firmaret, dum quantumuis posteà sanctificata de contracta tamen aliquando noxâ iure diceretur: hæret lateri læthalis arundo, quà pura illa, & non fucata Dei facies, quæ lux est, configeretur: adeoque imago Dei à Maria non creiceret, & magnificaretur, vt potius minueretur, atque decresceret.

VI Iam pro tota Athanasij ratiocinatione mire fidebubent tam Theodoretus, quam Alcuinus: ille, vt Arrianam, iste vt Felicianam hæresim conuellerent, hac eadem argumentatione vti sunt, vt ex Mariæ inde signatè Christum Dei Filium assererêt, quod ex Maria factus fuerit. Et vt ab Alcuino opportunè incipiam, sic ille lib. 6 *contra Felicem Vrgelitanum* ratiocinatur: *Ergo si ille, qui natus est ex Virgine, totus est proprius Virginis Filius, æquum est, vt credamus, eumdem esse Dei Patris proprium Filiũ.* Ita Alcuinus. Cui sub eodem sensu contrariâ viâ expresso, hunc in modum subscribit Theodoretus. Qui ergo ex Patre natum esse negant, *Iesum, & proprium eiusdem substantiæ filium negent, etiam eum veram carnem, & humanam sumpsisse ex Mariâ Virgine.* Hæc Theodoretus. Vbi manifeste vides, Filij Dei Diuinitatem ex Mariæ ortu ab vtroque Patre pensitari. Sed vniuscuiusque argumẽtationẽ singillatim expendere, fuerit operæ pretium: Ait ergo Alcuinus. Si proprius Virginis Filius est, æquum est, vt credamus, eũdem esse Dei Patris proprium Filium. Sed vnde locus, inquis, vt qui Mariæ fuerit Filius, Dei etiam Filius necessaria cõsecutione sit? Habet ne Maria cum ipsa Diuinitate aliquid tàm proprium aut commune, vt quod ab ea sit, iisdem à Deo sit? Ait etiam Theodoretus, eum qui negat, Christum verum, & consubstantialem æterni Patris esse Filium, eodem errore ductum ne sibi non constare videatur, necessariâ ratione affirmaturum veram carnem à Maria non accepisse. At quare? Tanta ne societas Diuinitatis cũ carne Mariæ, siue à Maria sumpta, vt nisi Deus, & Deus, Marię filius esse non posit? nec ex ipsa carnem suscipere? Subsistit tamen egregiè vtriusque Patris facta argumentatio: dum *talis Deum decebat natiuitas, vt non, nisi à Maria nasceretur: talisque debebatur Mariæ partus, vt non pareret nisi Deum:* Vti aiebat Bernardus, tantum non vnus, & alter Pater Haereticum sic reuincens: si semel Mariam habuisse Filium adstruis: & hũc Dei Filium verum & naturalem esse teneris adstruere: & de ipsius Diuinitate minime dubitare debes quia ea est Mariæ dignas, & conditio, vt non posit parere nisi Deum: itidemque, si hunc Vnigenitum Dei Filium Arrianâ temeritate Deum verum, & Patri consubstantialem negare præsumis, eâdem stultitiâ imbutus dicendum tibi erit, eum nec Mariæ Filium esse, cum ab ipsa alius quispiam, qui Deus de Deo non esset, nasci nõ posset: quippe, quæ porta erat, vt vni Deo peruia, ita cuicumque alij qui Deus non foret clausa, & vectibus, pluisquã adamantinis obserata: Ezechiel. 44. vers. 2. vnde iterum Bernar. homil. 3. *in Missus est:* premens Angeli verba *Dominus tecum.* Lucæ. 1. vers. 28. inquit. *Pater tecum, qui suũ Filium fecit, & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & sibi reseruat genitale secretum, & tibi seruat Virginale signaculum.* Vides, vt hi, Patres à Mariæ dignitate Diuinitatẽ Filij Dei comprobent, & quam alta, & secura de eius puritate & omnimo

Alcuin
Theodor

Eze. 44. vers. 2.
Bernard
Lucæ 1. vers. 28.

da

da ſanctitate, atque munditia exiſtimatio ſit, quaſi ipſa Deo nata, & facta, immo & Dei Filius, vt ex ipſa, ita & ipſi factus ſit.

VII

Neque hinc diſceſſero quin his adiunxero Sanctiſsimum Martyrem Zenonem Veronenſem eamdem argumentationem vrgere aduerſus hæreticos de Chriſti Diuinitate ambigentes, quod ex muliere natus fuerit ita enim ille ſerm. 1. de *Natiuitate Chriſti* in eos inuehitur: *Nec vos moueat ſæcularis, ac vere puerilis incõſideratorũ hominum diſputatio, ideò iſtum patiuntur errorem, quia Chriſtum non ex Deo conſiderant hominẽ factum, ſed ex homine: cæterum ſi ſpiritualiter ſaperent in ipſo, quod infirmiſsimum putant, hoc potiſsimum prædicarent:* Ita ille, & quidem pulchre illud, & ſapienter, *ſi ſpiritualiter ſaperẽt*, ſi vera ſcilicet lux obiecta illis fuiſſet, nec carnis oculis, ſed ſpirituali obtutu res perpenderent, hoc eſt ſi Marię puritatem, dignitatem, Maieſtatem, & ſanctitatem Deo: & Diuinitati proximam vndequaque, conſiderarent: ab ipſa, *potiſsimum*, Chriſti Diuinitatem cognoſcerent, quippè Maria non potuit parere niſi Deum. Nec Deus aliunde, quam ex Maria homo fieri, Diuinitate cũ carne Mariæ mire concinente: Quæquidem omnia pro Mariæ immunitate opportunè fideiubent. Nimirum, vt hæc argumentatio, quæ Chriſti Diuinitatem ex Maria adſtruit, plene ſubſiſtat, ipſam vndequaque ſanctam, puram, & ab omni labe expertem perpetuò fuiſſe neceſſe eſt, ſecus enim hæretici illi obſtreperent, qualemcumque labem, ſiue præſentem, ſiue præteritam cum Diuinitate non bene cõuenire, nec illis Dei Filium opportune hominem factum videri, qui ex Matre aliquando commaculatà ortum duxiſſet.

VIII

Addiderim pro coronide huic cogitationi, adeo proximam Diuinitati Mariam eſſe, vt qui in ipſam peccauerit, nec de eius dignitate pro meritis cenſuerit, ipſi met Diuinitati Chriſti iniurius ſit; & inſidias in illam ſiue apertas, ſiue occultas moliri videatur. Ita quidem Sanctiſsimi PP. Concilij Epheſini Neſtorium impiè negãtem Mariam Dei Matrẽ, & Theotocõ dicendam, nouum Iudam quæſito vocabulo appellarunt: Sic namque Cõcilium cap. 11. illum caſtigãs inquit: *Sancta Synodus iuxta religioſiſsimorum, Chriſtianiſsimorum Imperatorum noſtrorum præſcriptum in Epheſiorum metropoli per gratiam Dei coacta Neſtorio nouo Iudæ*, &c. Sed quid (inquis) Neſtorio, cũ Iuda communè fuit? vt de illius nomine à Concilio appellaretur; cum Iudas Chriſti traditor: Neſtorius verò aſſertor fuerit; ille in Matris perſonam nihil peccauerit, hic pro Filio Dei pugnare videretur, ille Chriſtum Iudaïs pretio denariorum vendiderit, hic ipſum palam confeſſus fuerit, & adorandum aſſeruerit? Verum enim verò ſi apertas Iudæ fraudes, atque impietatem attendis: & occultas Neſtorij artes calles, vtrumque de eodem nomine & officio merito cenſebis, dum tàm hic, quam ille de Chriſti Diuinitate male ſenſit: Iudas quippè, ſiue cum Chriſtum prodidit ſiue cum proditionis pœnituit, in ipſum non niſi, vt in hominem peccaſſe credidit, inquiens *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*: Matthæi. 27. verſ. 4. Magno Leone in Catenà S. Thomæ in hæc verba ſic adnotante: *Dicendo tamen*: peccaui tradens ſanguinem iuſtum. *In impietatis ſuæ perfidiâ perſtitit, qui Ieſum non Dei Filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis hominem etiam inter extrema mortis ſuæ pericula credidit: cuius flexiſſet miſericordiam, ſi eius omnipotentiam non negaſſet*: Ad quem ſanè modum Neſtorius Mariã veram Dei genitricem negans Diuinitati Chriſti inſidias molitus videtur, *qui Ieſum non Dei Filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis homi-*

S. Zen. — *Concil. Epheſi.* — *Ma. 27 verſ. 4.* — *S. Leo.*

nem credit: At qua ratione (inquis) id cum rei gestæ historia hæreat, cum Nestorius Christum apertè appellauerit emanuelem, hoc est, nobiscum Deus? Equidem: quod qui Mariam idoneam, atque opportunam Dei Matrem negabat, & hominis tantum genitricem esse putabat, ipsimet Dei Filio Diuinitatem videbatur eripere, cum ipse in suę Diuinitatis argumentum corpus sibi ex Maria fabricasset, vt eminentissimè obseruatum est ab Eminentissimo Cardinali Baronio tom. 5. Annalium ad annum 431. præfatę sententię damnationis ab Ephesina Synodo in Nestorium prolatæ hæc subijciente. *Huncita* *Car. Bar* *que finem acceperunt acta Concilij Ephesini primæ diei. Sic igitur proiectus est draco ille magnus, qui insidiabatur Virginis partui inuidens illi Diuinitatem* (Apocal. 12. ver. 11.) *Ap. 12. ver. 11.* *Et sicut in cœlo magnũ pertigit gaudium Angelos omnes easdem voces victoriæ iterum repetentes*: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum: *Ita, & in Ecclesiâ Dei Fideles exsultantes gloriam, & laudem Deo dederunt, & Christo eius cum* *Baron.* *Spiritu Sancto, qui vindicasset per Sanctos Patres Santissimam Virginem Mariam Deiparam â Nestorij portentosâ calumnia*: Hæc Cardin. Baronius omnia sapienter, & per opportune. Sed inter illa; lauda in primis, & osculare hæc verba: *Qui insidiabatur Virginis partui inuidens illi Diuinitatem*: Quibus tantum nõ dicit: Diuinitatis Christi argumentum adeo peculiariter Mariæ dignitati inniti, vt ipsam minus idoneam, atque opportunam ad fastigium Matris Dei affirmare perinde esse, ac Dei Filio Diuinitatem velle inuidere, & in dubium reuocare, immo vero eripere, qui quantus quantus est, Mariæ Filius est, ac proinde illa talis & tanta, vt quidquid in ipsa sit adeò Diuinitati aptum, & conueniens esse videatur, vt inde Diuinitatem suam firmare Dei Filius iure posit. Quod planè pro Deiparæ immunitate egregie facit, vt consideranti, & superius dicta expendenti facile patebit.

MARIAM Immaculatè concepram; quod benigniori Dei manu, & meliori luto formata fuerit.

ADNOTATIO VI.

TOTVM nostri instituti scopum de Diuina similitudine per Dei Filium *factum ex muliere*, ad Galat. 4. vers. 4. meliori quidem sorte homini restituenda, itidemque de ipsamet Deipara extra pactum, extra culpam, extra debitũ & pœnam illius omnino constituenda, videor mihi videre adumbratum in ea duplicati vasis structurâ de qua Dominus Ieremiæ locutus dicitur apud ipsum Vatem cap. 18. vers. 2. *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea, & descendi in domum figuli: & ecce ipse faciebat, opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat, è luto manibus suis: conuersusque fecit illud vas alterũ, sicut placuerat in oculis eius, vt faceret*: Quibus in verbis primam hominis formationem simul, & deformationem, tum etiam mirabiliorem ipsius reformationem viuaci penicillo depictam videris. Quid enim opportunius figulo faciente opus suũ super rotam ad significandum Deum facientem hominem de limo terræ, & inspirante, *in faciem eius spiraculum*

I *Galat. 4 vers. 4.* *Iere. 18. vers. 2.*

lum vitæ? Geneſ. 2. verſ. 7. quæ deinde melior imago, quam vaſis diſſipatio, ſiue confractio, quæ ipſo velut impetu rotæ accidit, vt perceler, & quaſi repentinus hominis lapſus, qui ad inſtar vaſis ex ipſis opificis manibus ſeſe præcipitaſſe videtur, nobis ob oculos ponatur, præſertim cum apud LXX. interpretes pro illis verbis, *& diſſipatum eſt vas*, &c. habeatur, *& cecidit vas, quod ipſe faciebat.* Iam vero ſecundam hominis inſtaurationem, ſiue reformationem mirè adumbrat is nouus modus formandi vas: *Conuerſuſque fecit illud vas, alterum, ſicut placuerat in oculis eius, vt faceret:* Vbi duo obſerua; alterum non dixiſſe vatem: fecit vas alterum ſed notanter, *fecit illud vas, alterũ:* vt eo pro nomine *illud*, ſignificet eiuſdemmet hominis, non alterius factam inſtaurationem. nec enim hæc ſecunda vaſis formatio perinde accipiẽda eſt, quaſi alterius maſſæ, aut alterius luti nouum vas, nouumque figmentum: ſed vt eiuſdẽ vaſis, quod ecciderat, & diſſipatum eſt, reformatio fuerit. Ea quippe vis ſubeſt huic dicendi modo: *fecit illud vas, alterum*: Vt ſit ſenſus, illudmet vas, quod fractum eſt, fecit vt eſſet alterum, melius ſcilicet, honorificentius, & pulchrius vti poſtea adducendus ad rem Bernardus ſerm. *de verbis Apocalypſis*, dixit: *Sic nimirum prudentiſſimus, & clementiſſimus Artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtilius omnino refecit*: Alterum obſeruatu dignum id fuerit: de hac ſecunda vaſis formatione ſignatè additum fuiſſe à Propheta, *ſicut placuerat* (ſiue, vt Theodoretus legit, *ſicut placebat*) *in oculis eius, vt faceret:* vt omnino ſignificaret ab hac vaſis inſtauratione, ſiue reformatione, primum illud Dei propoſitum de homine ad ſimilitudinem ſuam efformando, vt eſſet vas electum, vas honoris & vas miſericordiæ capax (vt Paulo loqui ſolemne eſt ad Roman. 9. ver. 21. & 23.) omnino ſubſtituiſſe cum iã eodem Apoſtolo monente, *ipſius factura* (Ambroſius *figmentum*) ſimus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Dominus, vt in ipſis ambulemus ad Epheſ. 2. verſ. 10 vt veriſsimum ſit, quod dixit Poeta Sacer:

Sors melior de clade venit

Iam verò omnia à gloſſa ordinariâ præſtricta audire eſt operæ pretium. ait enim. *Per figulum iſtum intelligitur Deus, cuius ſpeciale opus eſt homo ad imaginem Dei factus, & præſidens aliis creaturis inferioribus, & ideo dicitur factus ſuper rotam, ideſt creaturis corruptibilibus præſidens:* & diſſipatum eſt vas: *Scilicet ipſe Adam, cuius corpus erat vas animæ, & anima ſcientiæ quia factus fuit perfectus in ſcientiâ:* Conuerſuſque fecit illud vas, alterum, *ideſt Chriſtum, qui dicitur* nouiſsimus Adam 1. ad Corint. 15. ſicut placuerat in oculis eius: *de Chriſto nãque dicitur:* Matthæi. 3. Hic eſt Filius meus dilectus. Hactenus gloſſa:

Sed, & hanc vaſis iſtius inſtaurationem, ſiue reformationem, qua vt dixit ille

Quibus arte benignâ
Et meliore luto finxit præcordia Titan:

Ad leges, & normam artis factam ſic deſcripſit Sapiens Eccleſiaſticus cap. 38. verſ. 32. *Figulus ſedens ad opus ſuum conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſollicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum: & in numero eſt omnis operatio eius: in brachio ſuo formauit lutum, & ante pedes eius curuabit virtutem ſuam: Cor ſuum dabit, vt conſummet linitionem, & vigiliã ſuã mundauit fornacẽ.* Vbi vel ipſis oculis noſtris graphicè depictũ obijcitur totum noſtræ redemptionis ſiue reſtaurationis à Dei Filio Aſſertore, & reformatore noſtro ſuſceptũ opus, in quo ipſemet Dominus non modo manibus, & pedibus laborãs,

Geneſ. 2. verſ. 7.

LXX.

Bernar.

Theodor

Ro. 9. v. 21. et 23

Ephes. 2 verſ. 10.

Gl. Ord.

Iuvenal ſaty. 14.

Eccl. 38 verſ. 32.

ſed

sed etiam corde, & animo anxius, & in solicitudine esse dicitur: quemadmodum apud Isaiam 43. vers. 24. ipse met Dominus fateri minimè erubuit dum gemitum grauiter imò de pectore ob mortalium ingratitudinem ducens inquit: *Seruire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*: Omnino significans, seruilem se formam, & pluisquã seruilis conditionis pondus propter nos homines, & propter nostram salutem assumpsisse, & labores acerbissimos indubitanter subijsse. Sed peculiariter obserua illud. *Qui insolicitudine positus est semper propter opus suum*, nec non, & hæc: *curuabis virtutem suam*: idest vt exponit ibi Cornelius Iansennius: *flectit fortitudinẽ suam incuruando se: & incuruando robur suum, & dorsum suum ad operis perfectionem*, vt argumento fuerit posteriushoc secunda formationis opus multo operosius, & laboriosius, quam prius illud creationis hominis fuisse, dum prima hominis creatio inspirante Deo in faciem hominis, velut flatu perfecta est: Secunda vero instauratio quodammodo totã Dei potentiam expostulasse, eãque quasi pondere suo inflexisse, atque exhausisse videtur, vt ipsemet Dominus imagine parturientis fœminæ quam sibi (Chrysostomo interprete) aptauit, satis explicuit illis verbis apud Ioann. 16. vers. 21. *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius*: quę verba Chrysostomus in Catenâ Grecâ Corderij sic explicat: *Significat autem hìc & mysterium, quoddam, quod nimirum mortis dolores soluerit: & nouum hominem fuerit regenerari*: Itidemque Nostra Domina in Cantico suo opportunissimè confirmauit inquiens: *Fecit potentiã in brachio suo*: Lucæ 1. vers. 15. cum omnimoda allusione, vt omnes omnino interpretes adnotarunt ad verba Isaiæ c. 51. v. 9. Dei Filiũ adferendam humano generi opem stimulantis hunc in modũ: *Consurge, Cõsurge: induere fortitudine brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum: Numquid non tu percussisti superbum? Vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati?*

Isaiæ 43 vers. 24. *Ioa. 16. vers. 21.* *Isaiæ 51 vers. 9.* *Iansen.*

Iam, vt hinc ad rem nostram proprius accedamus, cum in his Isaię verbis, quæ tam cum præfatis Deiparæ, *Fecit potentiam in brachio suo*: quam cum figuli imagine flectentis virtutẽ suam, & curuantis robur suum, sensum communem habent, mens vatis sit, à Dei Filio, qui inuictum Dei Omnipotentis brachium est, humano generi salutem, & redemptionem tanquã confracti vasis instaurationem postulare, atque ad id opus, vt maximè arduum, ita diuinâ fortitudine, atque constantia dignum, cum quasi confricatà memoria prodigiorum, quæ olim in caussa populi sui potenter ediderat, acriter vrgere, duo videntur obseruatione digna: primum, Vatem non modo à Dei Filio hoc in loco exposcere, vt consurgat, *sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum*; sed etiã ignatè, vt induat fortitudinem, quasi ad opus multo magis arduum, atque excelsum, quã ea, quæ antea patrauerat: Qui sanè dicendi modus, siue induendi imagorem, quasi nunc de nouo Dei Filio aduenientem, quemadmodum vestimentum, quod homini super imponitur, prorsus significat. Quę vero ea fortitudo de nouo a Deo induta sit, omnino explicatum habemus in Regio Psalte Psalmo 92. vers. 1. dissertissimè affirmante: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*: tantum non dicens Dei Filium ex Mariâ hominem factum, atque abipsa carnis humanæ decorem, & fortitudinem susceptisse: Sapienter, & robustè hæc verba explicante Epipha-

Psal. 92 vers. 1.

nio

Epipha. nio lib. 2. contra hæreſes hæreſi 59. aduerſus *Ariomanitas*, hunc in modum: *Dominus regnauit, decorem induit, quo oſtendat ingreſſum Dei verbi à cœleſtibus in mundum, induiſſe decorem, hoc eſt carnem ex Virgine natam, quando quidem videbatur vilis videntibus, ipſi vero decor reputabatur.* Hęc ille. Quæ luculenter diffudit VVerricus Abbas ſerm. 1. *de Annũciatione*, inquiens: *Venientem à Regali ſede Patris, Regalis etiam thronus in aulâ Virginali Regina ſuſcipit Mater, in eâ quippè, & ex ipſa Sapientia ædificauit ſibi domum, in ipſa, & ex ipſa parauit ſibi thronum: cum in ea, & ex eâ corpus aptauit ſibi ita ad omnia perfectum, & congruum, vt domus ſit ei ad quieſcẽdum & thronus ad iudicandum, quod primò tabernaculum ei fuit ad pugnandum.* Hæc ille carni a Deipara ſuſceptæ inter cœtera pulchrè aſsignans bellicam virtutem, & robur ad pugnandum. Vbi quidem cum Deus ad hominis inſtaurationem decorem, & fortitudinem indutus, faciensque potentiam in brachio ſuo inducitur: omnino apparet, quod Eccleſiæ affirmare ſolemne eſt, Deum, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidit, mirabilius quidem reformaſſe, quod vt operoſior, & laborioſior, ita & magnificentior, & glorioſior reformatio fuerit.

VVerric

IV Sed pro Deiparæ immunitate, & noſtri inſtituti ſcopo in primis obſeruanda in præfatis Iſaiæ verbis: Hebræas voces, quæ tàm nomini *brachium*, quam verbo, *conſurge*, reſpondent eſſe in genere fœmenino, vt doctiſsimus Scholaſtes P. Gaſpar Sanctius Hebræi idiomatis peritiſsimus inibi adnotauit, vt argumento fuerit ſecũdam hominis inſtaurationem à Maria etiam initium ducere, vt quemadmodum ad humani generis primam formationem facti ſunt Adam ſimul, & Eua, ita eodem modo noua reformatio à Chriſto, & Maria auſpicaretur, ſapienter dicente Bernardo ſerm. *de Verbis Apocalipſis* (vt iam vidimus) *vehementer nobis dilectiſsimi vir vnus, & mulier vna nocuêre, ſed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam, omnia reſtaurantur, nec ſine magno fœnore gratiarum, neque enim ſicut delictũ, ita & donum; ſed excedit damni æſtimationem beneficij magnitudo:* Ex quibus pro diſsipati, & inſtaurati vaſis imagine concludit: *Sic nimirum prudentiſsimus, & clementiſsimus Artifex, quod quaſſatum erat non confregit, ſed vtilius omnino refecit, vt nobis nouum formaret Adam ex vetere, & Euam transfunderet in Mariam.* Sic Bernardus. Ergo cum Domini brachium ad auxilium humano generi ferendum vrget Iſaias, ſimul cum Filio appellat Matrem, & à maſculino, & fœmenino brachio opem expoſcit, vt & ipſa per Filium ad bellandum cõſurgat, & Filius accepta à Maria carnis fortitudine, atque decore. *Salutem operetur in medio terræ.* Pſal. 73. verſ. 12. Ad quem ſane modum Geneſis 3. verſ. 15. victoria de ſerpente relata, & Filio, & Matri ſimul adſcribitur: etenim cum in vulgata habeamus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*: in Hebræo omnino eſt: *ipſe conteret caput tuum*: hoc planè quẽ perſequimur ſenſu, vt Dei Filius ſuſcepta à Maria carne, cui decor, & fortitudo ſubeſſet, diabolum foret debellaturus, eaque ratione Deipara ex qua corpus ipſe ſibi congruum, atque ad omnia perfectũ aptauit, quod ei ad pugnandum tabernaculum eſſet, itidem caput ſerpentis contritura diceretur: Ex quibus illud videtur euinci, Mariam non ſumet cauſſa, ſed ad ſalutem humano generi à Dei Filio carne ab ipſa ſuſcipiente, dandam, à Deo factam fuiſſe, ac proinde extra pactum, extra legem, extra la-

Bernard

Pſal. 73 verſ. 12.

Geneſ. 3. verſ. 15.

He. Lect P. Sanct

bem,

bem, & debitum fore cenſendam. Quo aduoco Rupertum hæc Geneſis verba peropportunè elucidantem, *Rupert.* lib. 2. de *Victoria Verbi Dei*, cap. 16. vbi cum dixiſſet. *Non ad ipſam Euã; ſed ad alteram eiuſdem ſexus perſonã, videlicet ad Beatam Virginem Mariam intendebat ipſe, qui loquebatur. Rectè igitur non ad mulierem malè meritam facta eſt auxiliatrix gratiæ promiſsio, ſed potius ad ſerpentem hoſtilis, & bellica comminatio:* Subijcit pro eâ quã in hoc libro perſequimur cogitatione. *Quid autem hoc dicto Deus, niſi ſemetipſum in propoſito ſuo manere velle teſtabatur: ſerpens namque inſidiabatur, ne fieret, quod propoſuerat Deus dicendo:* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: *Viciſſe, & hoc propoſitum auertiſſe gloriabatur. Deus autem eiuſdem propoſiti ſui victoriam in poteſtate habens, ſerpenti commina batur:* Sic Rupertus. Apud quẽ planè vides tum primum illud, & perpetuũ Dei propoſitum de homine ad ſimilitudinem ſuam formando, in quo ipſe itidem poſt Adæ lapſum ſe velle permanere teſtatus eſt illis de Maria verbis, quibus ſerpenti gloriabũdo comminatus eſt: tum etiam, tunc primum de Virgine à Deo cogitatũ fuiſſe, cum poſt Adæ peccatum Deus in ſuo propoſito perdurãs vas diſsipatum reficere, & ſuam denuo ſimilitudinem per Chriſti merita, & exempla aucto cenſu reſtituere decreuit, vt ea propter Dei Filius humanam carnem aſſumeret, & in plenitudine temporis ex Mariâ homo fieret, vt ipſa elatum, & ſuperbiens ſerpentis caput potenter, & glorioſe contereret, & Euę, quæ humani generis exitialis nouerca fuerat, opportuna correctrix eſſet, vti de ipſa Damaſcenus, *Damaſ.* Orat. 1. de *Natiuitate Virginis* loquitur. *O Deo digna filia humanæ naturæ venuſtas primigeneæ matris Euæ correctio.*

Et verò quamuis hinc Mariæ immunitas à peccato originali plane ſubſiſtat vide etiam, vt hæc clare eluceat, dum, & *brachium Domini* apud Iſaiam vocatur, & caro ab ipſa ſumpta decor, & fortitudo a Dauide dicitur: Quibus adiunge accuratiſsimam Artificis in vaſe reficiendo operam, & induſtriam, vt non modo Chriſtus ſed Maria, ex quâ ipſe decorẽ, & fortitudinem erat ſumpturus opus omnibus numeris abſolutiſsimum euaderet, vt ei etiam omnino illud apta ueris: *Ad opus ſuum conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſollicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum:* vt notanter *ſemper* ſollicitus de Maria fuerit, ne vllo vnquam tempore, nec temporis inſtanti ex ipſius manibus dilaberetur: Cui cogitationi aptiſsima ſunt verba, quæ ipſamet Domina, cum primùm è rotâ figuli euaſit dixiſſe fertur Cantic. 2. verſ. 6. *Læua eius ſubcapite meo, & dextera illius amplexabitur me:* Tantum non dicens, vtraque manu à Deo fuiſſe factam, vt in ipſam quidquid eſt iuſtitię candoris, & innocentiæ procul ab omni labe conferret, in quem ſenſum Origenes hom. 3. *in Cantica* cum læuam Sponſi de diuitijs ſpiritualibus, quibus Sponſa ob Paſsionis Chriſti merita ab ipſo ornata eſt, accepiſſet: dexteram omnino refert ad eam exactiſsimam innocentiam, quæ ab omni labe, & lapſu expers eſt: *Vbi nihil* (inquit ille) *de peccatorum noſtrorum miſerijs, nihil de fragilitate lapſus cõtinetur, vbi tota lux: totus ſplendor eſt Dextera namque putanda ſunt eſſe omnia, vbi nihil de peccatorum miſerrijs, nihil de fragilitatis lapſu continetur:* Sic ille: Vbi vides ingens diſcrimen, quod inter formationem Marię, & cæterorum mortalium fictionem interuenit, dũ cæteri læuâ Chriſti manu effecti ipſius videlicet Paſſione redempti, *lauerunt, & dealbauerunt ſtolas ſuas*, tàm originali, ſorde, quàm actualibus peccatis infectas, *in ſanguine Agni*. Apocal. 7.

Cant. 2. verſ. 6.

Origen.

Apo.7. verſ.14. verſicul. 14. eodemmet Ioanne eodem lib.capitul.1. verſicul.5.dicente:*Qui lauit nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo*;Maria verò non tantum ſeuæ huius diuitijs, & gloria excellentiſsimè potita eſt: Sed etiam

Apo.1. verſ.5. felicisſimis dexteræ amplexibus ornata: *Vbi nihil de peccati miſerijs, nihil de fragilitate lapſus continetur:Vbi tota lux, totus ſplendor eſt:* Immaculatè concepta, & extra omnem telorum iactum ab omni labe

Bernar. immunis euaſit. Quæ omnia ſic diſſertiſsimè confirmat S.Bernardinus Senenſ.tom.4. ſerm.49. *Non eſt credendum, quod Filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere eius carnem, quæ eſſet maculata peccato originali, immò credendum eſt, quod voluit ſumere carnem ex carne puriſsimâ: & quod eius Mater fuerit pluſquam Eua, & Adam, qui creati fuerunt ſine peccato:* Hæc ille. O belle! ò peropportunè! quando Mariam in ſua Conceptione mundiſsimam, *pluſquam Eua, & Adam*, facit Bernardinus, vtpotè à Deo cum ſollicitudine,& brachioforti,& potente factam.

VI Vides vas prius diſsipatum,& velut pedibus confectum,iam vtrâque Dei manu,& quidem dextrâ, ita refectum,& decore,ac fortitudine præditum,vt lapſui,& fragilitati non fuerit obnoxium:planè,*ſicut placuerat*

Eccl.36. verſ.6. *in oculis eius*:Enim vero huc videtur adſpexiſſe Sapiens cum(Eccleſiaſtici 36.verſ.6.) exorans à Deo Vnigeniti eius in mundum aduentum ijs verbis.*Miſerere noſtri Deus omnium,& reſpice nos,& oſtende nobis lucem miſerationum tuarum:* ſubinde prophetico Spiritu intendens in admirabilem fortitudinem,qua Dei Filius ex carne Mariæ erat induendus, notantiſsimè cum alluſione ad primum illud vas confractum, ideſt ad Euæ formationem inquit: *Innona ſigna,& immuta mirabilia:glorifica manum, & brachium dextrum*: Sane, vt videatur Sapiens quemadmodum nuper adductus Iaias Deum tum potentiæ,&magnificentiæ ſuæ,tum gloriæ, & bonæ exiſtimationis brachij ſui admonere, vt in reformatione humani generis talem de nouo formaret Euam,quæ glorioſa ipſius manu, & dextro brachio, in quo tota lux, totus ſplendor eſt digna omnino cenſeretur, quæ nihil de priſtina infirmitate,nihil de fragilitate lapſus traheret; immo vero, quæ humani generis luto, virtutem, & fortitudinem inderet: is quippe ſenſus ſubeſt ijs petitionibus Sapientis,*in noua ſigna, & immuta mirabilia:* Vt videlicet aliter, ac humanæ naturæ in primâ formatione accidit, dum mulier ab oſſe viri educta,infirmitatem, & lapſum mundo intulit, modo in ſecundâ reformatione de carne mulieris factus vir oſſeum robur, & fortitudinem humanæ infirmitati præſtaret: ſcitè id *Ca.Hail* penſitante Cardin.Hailgrino apud P.Martin. del Rio in capit.4.Canticorum his verbis:*Mirabile ſi quidem fuit de coſtâ viri formare mulierem: immutatio mirabilium eſt: quod de ſolâ carne mulieris formatus eſt homo. Cæterum cum de oſſe viri formata eſt caro mulieris, ſignum fuit, quod per mulierem humana infirmaretur natura; facta eſt autem ſignorum immutatio, cum de carne mulieris factus eſt vir: per quod ſignificatum eſt, quod per hanc generationem humana natura ab infirmitate reuerteretur ad firmitatem.*Hæc Card. Hailgrinus,quibus nihil elegantius, opportunius nihil potuit dici pro decore, & fortitudine carnis Mariæ dextero brachio Dei formatę, vbi nihil de peccatorum miſerijs, nihil de fragilitate lapſus continetur, quippe, quæ fortior, & robuſtior ipſomet oſſe Adæ fuit, & Euæ

fragilitatem, ita correxit, immo, & compensauit, vt humanæ naturæ vas tamquam luteum, & fragile confractum, & dissipatum, a Maria firmum & forte euaserit sicut Diuino fictori placuerat in occulis eius: vt merito, & opportunè de ipsa Bernardus homil. prima *in Missus est*, dixerit: *Hæc hor or luti nostri*: quippe, quæ luto fragili decorem, & fortitudinem præbuit: Quæ sanè omnia visus est Anselmus in alloquijs cœlestibus ob occulos habuisse cum præmittens: *Mira res in quam sublimi contemplor Mariam locatam. Omnis natura à Deo est creata, & omnis Dei natura ex Mariâ est nata, Deus omnia creauit, & Maria Deum genuit. Deus, qui omnia fecit, vel creauit, ipse se ex Maria fecit, & sic omnia, quæ fecerat, refecit. Qui potuit ea de nihilo facere, noluit ea violata, sine Mariâ reficere*; ex his ita intulit: *Deus igitur est Pater rerum creatarum, & Maria Mater rerum creatarum. Deus est Pater constitutionis omnium, & Maria est Mater restitutionis omnium, Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta, & Maria peperit illum per quem omnia sunt saluata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est, & Maria peperit illum, sine quo omnino nihil benè est*: Vnde tandem concludit: *O vere Deus tecum, cui dedit Dominus, vt omnis natura tantum tibi deberet secum*: Ita ille: debuit enim, vt è vase contumeliæ, vas honoris esset.

An sel.

VII. Porrò, vt in sequentibus adnotationibus libri, siue voluminis imaginem, Marię ex scriptura, & PP. latissimè simus aptaturi, modo tamen, vt præfatam vasis dissipati meliori sorte reformati plusculum elucidemus, placet illam componere cum libro illo ex Ieremiæ ore ab eius scriba Baruch conscripto, cuius ipsemet Ieremias capitul. 36. versicul. 32. sic meminit: *Ieremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ, qui scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Ioachim Rex Iuda igni, & insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant*: Vt videlicet in Maria, & à Maria diuinæ similitudinis characteres olim deperditi, denuo melius, & opportunius fuerint inscripti, vt tum multo elegantior ipsa, atq; formosior primis parentibus fuerit, in quæ à primo sui instanti speculum, sine macula, & imago diuinæ bonitatis exstitit: tum ab ipsa ditior, & fortior humana natura substiterit, cum magno gratiarum fœnore quidquid amiserat in Adam recipiens: sub hoc sensu præfata Ieremiæ verba inflectente Richardo à S. Laurentio, lib. 12. *de Laudibus Virginis*, hunc in modum. *Hic est liber, quem scripsit Baruch ex ore Ieremiæ: Baruch scriptor Spiritus Sanctus Scriptor Patris. Ieremias est Pater, os Ieremiæ filius est: quasi diceretur à totâ Trinitate, in Beata Virgine bona nobis data destructa per Ioachim Regem Iuda, ideſt per Adam reperta sunt, & etiam plura, & meliora bona, quam prius.* Reddit rationem nostro instituto congruentem. *Multo enim beatior fuit Maria quam Adam, & quidquid per Adam amisimus, nobis per Mariam restitutum est cum multo fœnore gratiarum*: Hæc Ricardus. Ecce tibi in primis humanæ naturæ vas in Adam olim dissipatum, iam per Mariam pristino splendori aucto censu felicius restitutum, quemadmodum in libro Ieremiæ, *Additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant*: Sed deinde pro Deiparæ immunitate pende ea Richardi verba: *Multo beatior fuit Maria, quam Adam,*

Iere. 36. vers. 32.

Ric. à S. Laureu.

quæ

quæ nullatenus subsisteret si ipsa originali culpæ, à qua Adam creatus est immunis, obnoxia fuisset: Maria ergo beatior, quæ Adamo in iustitia, & sanctitate in sui Conceptione antecelluit, quæque nos beatiores effecit: Cum his vero Richardi verbis compone sensum Andreæ Cretensis Orat. 2. dormitione Virginis: Deiparam hunc in modum consalutantis. *Andræ Cretens.* *Tu sola es noui testamenti volumen à Deo scriptum quod Deus ante fecit cum hominibus. Tu es Scopus Dei, qui excogitatus fuit ante sæcula:* Quibus in verbis expende tum Dei ante sæcula excogitatum Scopum: qui quidem is omnino fuit, vt hominem ad similitudinis suæ perfectionem faceret: vt videas in Maria scopum suum Deum collimasse, & illud vas effecisse, *sicut placuerat in oculis eius:* Tum etiam signatè Deiparam appellari volumen noui testamenti, siue pacti Dei cum hominibus, quod ab ipsa noua hominis instauratio, nouumque pactum ab illo Adæ longe diuersum (neque, *Enim sicut delictum, ita & donum.* Roman. 5. versicul. 15) pro æterna humani generis felicitate à Deo cum ipso scriptum: Vbi obiter cum Maria volumen à Deo conscriptum dicitur, ipsa ab omni labe originali immunis asseritur, quasi calamo spiritus Sancti, non vero Adę manu exaratum. *Rom. 5. vers. 15.* Sed de hoc multis inferius nobis agendum est.

(§)

MARIAM immaculatè conceptam, quod meliori luto, terra scilicet Domini, & à Domino benedicta formata fuerit.

ADNOTATIO. VII.

PErstamus in præfata dissipati vasis, iterum refecti imagine elucidandâ, vt ab ipsa denuo Mariæ immunitatem confirmemus: & illam quidem vt præcedenti adnotatione benigniori manu Artificis, ita modo è meliori terrâ formatam fuisse intendimus: Et quidem hâc de re pulchrum, firmumque habemus Concilij Franco Fordiensis testimonium in epistolâ *ad Episcopos Hispaniæ, & omnes alios Christi fideles:* Sic eos de Christi Domini incarnatione admonentis: *Meliore quidem terrâ, quam ea ex, quâ conditus fuerat Adam, animatâ, & immaculatè Spiritu Sancto operante factus est homo dicente Apostolo. Primus homo de terrâ terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis* 1. *ad Corint.* 15. *versicul.* 47. Hæc Concilium: obserua, & pensiculatius æstima illa verba, *Meliore, quidem terra*, quin cortici imaginis hærendo credideris, ideò Mariam meliorem terram extitisse, quam ea, ex quâ conditus fuit Adam, quod hæc inanimis Maria vero animata fuerit, reperet quippè humi *Concilij sensus*, sic expensus: nec multo quidem altius is assurgeret, si ea de caussa Mariam terræ illi antecel-

I. *Con. Frã* *1. Co. 15. vers. 47.*

lere vellet, quod cum Dei Filium concepit, gratiâ plena fuit: cum multæ matres prolem concipientes per gratiæ Deo fuerint. Ergo meliorem terram ex mente Concilij Deiparam appellari existima, quod signatè *immaculata*, hoc est nulli vnquam labi obnoxia in Conceptione suâ fuerit: Eam enim vim vox *immaculata* in verbis Concilij habere debet, vt iusta sit collatio inter Deiparam, & terram è qua formatus fuit Adam: & quidem de hac signatissimè Hebræus Philo in libro *de Opificio*: Hæc inquit: *Cum terra tunc recens exstitisset secreta ab aquarum mole, quod mare appellatum est, sequebatur, vt materia rerum sincera; & infucata, puraque esset, ex qua quidquid conficiebatur, merito erat iuculpabile*: Vt ex his videris, quam differte pro Mariæ immunitate Concilium, vel collatione solummodo Deiparæ cum terra de qua formatus est Adam facta fuerit; quippe ista sincera infucata pura, & inculpata esset: Vbi etiam tacite probat, atque confirmat eam argumentationem, quam pro Mariâ immaculatè concepta fecisse Andræam Apostolum præsbyteri Achaiæ meminerunt, & ab ipsis edoctus Sanctissimus Pater Dominicus posteà repetijt: *Sicut primus Adamus formatus est ex terrâ antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terrâ Virgineâ nunquam maledictâ.*

II. Sed pergũt quidem vlterius Concilij Patres, nec contenti Mariæ terram tupparem terræ de qua formatus est Adam facere, ipsam meliorem affirmare non dubitant: Sed quomodo inquis melior fuerit? cum illa pura sincera, & inquinata, & maledictioni minime fuerit obnoxia? vis nosse? Sanè, quod vt terra illa sincera, & pura fuerit; at enim, nec signatè à Deo benedicta, nec peculiari appellatione Dei terra appellata fuit: cum tamen de Maria dissertissimè pronunciarit Regius Vates, & terram Dei, & ab ipso in benedictionibus dulcedinis præuentam fuisse: Sic enim ipse Psalm. 84. versicul. 1. *Benedixisti Domine terram tuam*: eique applaudente Gabriele Lucæ 1. versicul. 28. *Benedicta tu in mulieribus*, & pulchre, vtraque verba interse committente, & inflectente Ruperto lib. 1. de Operibus Spiritus Sancti, capit. 12. hunc in modum. *Dicit Scriptura*: Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ: *Hominem illum terrenum cum isto cœlesti homine conferentes; hoc primum in facturâ illius abesse perspicimus, quod terram istam, cuius de limo formaret eum non benedixit Deus: Ecce autem, in istâ cœlestis hominis facturâ nouâ dicit Archangelus, immo qui in Archangelo loquitur Spiritus Sanctus.* Benedicta tu in mulieribus, *& Psalmista per propheticam hùc adductus gratiam succinit, & dicit*: Benedixisti Domine *terram tuam*: Et statim premens extrema hæc Vatis verba *terram tuam*, subijcit: *Amplius autem, & in hoc terra ista præpollet, quia terra Domini est: non enim illic dixit Scriptura: Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ suæ; sed tantum*, de limo terræ: *hic autem non tantum: Benedixisti Domine terram: Sed* benedixisti (ait) Domine terram tuam: Hæc, & alia Rupertus ibi: Optimè ergo subsistit Concilij sententia. *Meliore quidem tera, quam ea ex qua conditus fuerat Adam, animatâ, & immaculatâ*: Cum Maria non modo maledictioni minime obnoxia sed etiam peculiaris Domini terra fuerit, quam omni benedictione in sui formatione cumulauerit.

Philo

Psal. 84 *vers.* 1. *Lucæ* 1. *vers.* 28.

A B C D E

Habet

III. Habet vero in hanc rem vim magnam, & efficacitatem probatio huius sententiæ, quam ex Paulo sumit Cõcilium cum subijcit: *dicente Apostolo: Primus homo de terrâ terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis*: In quibus ex mente Concilij, vt cœlum terræ, antecellit, ita Maria terræ, de quâ formatus est Adam: siue potius eum sensum edidit Concilium in suæ sententiæ confirmationem verbis Apostoli, vt: Adam ex terrâ, quæ vt pura, & immaculata fuerit, mera tamen terra erat, sit formatus: Christus vero ex Maria, quæ quâ terra Domini erat: cœlum potius propter omnimodam puritatem dicenda fuerit: opportunè hanc thesim firmante Damasceno apud Menæa græca die 26. Ianuarij. Ode 6. de S. Xenophonte in Clausula hunc in modum: *Qui vnus, & vnicus cœlum extendit, ille quoque aliud cœlum, & quidem animatum elaborauit. Te nimirũ, ô Deipara! Ex quo ille cœlo inter medias tenebras degentibus, tanquam Sol Oriens prodijt, intequippe ignis habitauit Diuinitatis.* Sic Damasc. cui in hac cœli appellatione plures PP. subscribũt: Epiphanius Orat. *de Deipara*. Gregor. Neocesarien. Orat. 3. *de Annunc.* Proclus Orat. de *Transfiguratione*. Rupert. lib. 5. in Cant. Philipp. Abb. l. 6. in Cantica Richard. à S. Laur. lib. 7. de *Laud. Virginis* initio, Andræas Cretens. Orat. in *Annunciatione Virginis* Methodius Orat. in *Hypapantem*. S. Athanasius serm. de *Sanctissima Deipara*: Chrysostom. serm. de *Annunciatione*. August. serm. 18 *de Sanctis*. S. Antoninus 4. par. titulo 15. cap. 4. §. 2. Bonauentura in speculo cap. 5. Ambrosius lib. 5. de *institutione Virginis*; sic pulchrè cum Concilij sensu, & cum Damasceno coniurante: *Isaias exsultans dicit*: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filiũ, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus: *Vnde hoc munus? non de terrâ vtique; sed de cœlo vas sibi hoc, per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris*: Sic Ambrosiam & in Damasceno illa: *aliud cœlum, & quidem animatum elaborauit*: & in Ambrosio obserua hæc: *Non de terrâ vtique; sed de cœlo vas sibi hoc per, quod descenderet Christus elegit*: In quibus vides Mariam in prima sui formatione ideò in sua conceptione à Deo, vt cœlum elaboratam, vt cœlum puritate claritate, splendore, & incorruptibilitate electam: Quibus Patrum verbis sic adstipulatur Bonauentura: *Cœlum est Maria, tum quia cœlesti puritate, cœlesti claritate, cœlestibus alijs virtutibus abundauit, tùm quia sedes Dei Altissima fuit, teste Propheta qui dicit*: Dominus in cœlo parauit sedem suam. Hæc Bonauentura ibi. Ecce ergo tibi Concilij mentem efficacemque rationem ex Paulo adductam, cur Maria melior terra fuerit? quod videlicet ijs gratię donis, atque benedictionibus in sui formatione, vt Dei Mater, & sedes esset prętenta fuerit, vt cœlum potius, quam terra videri debeat.

Damas. Epipha. Gr. Neo. Proclus Rupert. Philipp. Richar. An. Cr. Meth. Athan Chrysost Augus. Antoni Bonaue. Ambr.

IV. Enim verò tam alte hæc mens Ruperto insedit, vt huic vni rationi fidens dum componit Christum Dominum Sanctum, innocentem, impollutum, & segregatum à peccatoribus Spiritus Sancti virtute conceptum, cum Adamo à Deo Patre creato, & tamen humanis affectibus obnoxio, & in peccatum sponte ruente, vt vnum ab altero iusto discrimine secerneret, quin melior Artifex Spiritus Sanctus, cuius opera Christus factus est, quam Deus Pater Adami effector videri posset, totam discriminis, & excellentiæ rationem ad materiam ex qua vterque formatus est, ad præstantiorem scilicet, & meliorem Mariæ, quam Adami terram sic omnino

Rupert.

retulit. *Non ergo melior, aut ſapientior eſt Artifex Spiritus Sanctus, quã Deus Pater, licet iſte nouus Adam, qui de Spiritus Sancti operatione cõceptus eſt, melior, atque dignior ſit Vetere Adam, quem fecit Pater: ſed melior terrâ melior, & diuinæ Rationi vicinior à Spiritu Sancto materia ſumpta eſt:* Hæc Rupertus peropportune: vide ergo, vt Mariæ terra puritate, claritate, & ſplendore, & diuinarum benedictionum præuẽtione cœlum dici poſsit, de quo ſecundus homo, cœleſtis euaſerit: Hæc igitur Pauli, hæc Concilij mens fuerit Chriſtum Dominum *de cælo* cœleſtem hominem appellantium non tàm reſpectu diuini, & cœleſtis ſuppoſiti, quàm quod, & cœleſti virtute ſupra totum naturæ ordinem homo factus, & quia ex ea Matre conceptus, quę nihil è terrâ peccati corruptioni obnoxia in ſua formatione traxerit; immò verò velut alterum cœlum inferiora hæc excedens Concepta fuerit. Sed preme ea Rupertiverba: *Melior terra, & Diuinæ Rationi vincinior à Spiritu Sancto materia ſumpta eſt:* quæ videtur expreſsiſſe Sacro Santa Mater Eccleſia accuratà hac oratione Deũ deprecans. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum eſſici mereretur Spiritu Sancto cooperante præparaſti:* Notanter quidem corpus, & animæ Mariæ mentionem faciens, quæ Spiritus Sanctus ad dignum Filij Dei habitaculum præparauerit: quin dubiũ ſit, quod de prima ſui formatione, Eccleſia loquatur: ne tardus prępara-
V tor habitaculi, Spiritus Sãctus fuiſſe videatur, qui peregrinum hoſpitẽ, & quidem ferum hoſtem, prius habitaculum intrare, & conſpurcare permiſerit.

Sed deinde ſubeſt mira epitaſis ijs verbis Ruperti *Diuinæ Rationi vicinior:* Vt hæc de cauſſa Maria cœlum, & Chriſtus ab ea cœleſtis dicatur: verum oportet eorum meminiſſe, quæ in primis adnotationibus de diuina ſimilitudine homini à Verbo Dei, ſiue Ratione diuina (quod idem eſt cũ Dei *logvs*, & verbum, & Verbũ, & Ratio Dei ſit) homini aduenięte dico, vt perinde fuerit hominem Deo ſimilẽ, ac rectà ratione vtentem eſſe, quin à lege ęternà Dei, & rationis præſcripto, vel latum vnguem diſcedat: Vnde quidem fit, perinde eſſe Mariam, Diuinæ rationi terram viciniorem dici, ac ipſam accuratiſsima Dei manu, & vſibus opportuniſsimè factam, vt (quemadmodum eodem loco dixit Rupertus) *Spiritus Sancti, & ſeminis Dei perceptibilis*, gratiarum, & benedictionum plenitudinem in ſe ſuſciperet, vt *Diuinæ Rationi vicinior:* In quà videlicet nihil omnino diſſonum, ſed omnia cõſentanea Rationi eſſent, dignum Diuinine Rationis habitaculum foret, vt proinde *de cælo cæleſtis*, merito Chriſtus dici debeat, vt videtur intellexiſſe hæc Pauli verba Oecumenius explicans hunc in modum: *Sublimis totus, ac cœleſtis nullaque terrenorum notâ grauatus.* Vbi notanter non dixit terrenis; non grauatus, vt dictionis ſeries, & antitheſis exigebat, ſed *nullâ terrenorũ notâ grauatus.* qualis omnino fuiſſet à Matre aliquando terrena labe infectà ortum duxiſſe: Ecce ergo tibi Chriſtum inter alias rationes à Maria cœleſtem ſignatè fuiſſe, totumque ſublimẽ ſuper terrena hæc, & *excelſiorem cœlis factum.* Ad Hebræos 7. verſ. 26 quin vlla ipſi nota de Adę cõtagio Matri inhęrente iniuri potuerit immò vero à carne ab illa ſuſcepta in ęſtimabilis ipſi gloria acceſſerit: Quo aduoco S. Sabbæ verba hùc tranſmiſſa, quibus Mariam cœleſte firmamẽtum inæſtimabilis gloriæ facit: Etenim ille in Menæis Græcis 2. Julij Ode 4. Canonis 2. de Virginis veſte Conſtantinopoli aſſeruata, ſic ipſam ſalutat. *Te Conditor noſter ceu inæſtimabilis gloriæ firmamentum à ſeſe con-*

Hebr. 7. verſ. 26.

ſolida-

ſolidatum, ò Deipara, Diuinarum virtutum ſplendoribus, velut Aſtris perornauit: quibus tu Lucem tuam propagas vſque ad fines vniuerſi: ita
S. Sabb. S. Sabbas: Apud quem obſerua Mariam, non vtcumque cœlũ dici, quod
A aliquando tranſibit; quodque opus
Pſal. 8. verſ. 4. *digitorum* Dei ſit: Pſalm. 8. verſ. 4. ſed inæſtimabilis gloriæ firmamentum à Deo totis manibus conſolidatum, nè cui externæ impreſsioni, ſiue noxiæ exhalationi pervium, aut penetrabile eſſet.

VI. Illud verò omniũ maius eſt; quod de inæſtimabili Mariæ gloriâ in hâc Pauli locutione Chriſtum cœleſtem
B de cœlo affirmantis latet; quodque Mariam multo meliorem terram, & Diuinæ Rationi viciniorem, quam ea de qua formatus eſt Adam, manifeſtè euincit: Nimirum ipſam tanquã cœlum cœleſtes qualitates Chriſto impertiiſſe, à quibus (vt alia non eſſent, quæ ipſum fortiori ratione cœleſtem, & diuinum reddidere) merito cœleſtis diei potuit: cum tamen
C terra, de qua primus homo plaſmatus fuit: etſi ſincera, & infucata, puraque eſſet, nullam tamen ipſi virtutẽ, aut ſolidit atem indere potuerit: imò verò a terra terrenus dicatur ab Apoſtolo: ideſt fragilis, a fragili, nec conſiſtente materia factus: Qui quidem ſenſus ineſt verbis illis Archangeli ad Mariã: Lucæ 1. verſ. 35. *Ideò-*
Lucæ. 1. D *que, & quod naſcetur ex te Sanctum,*
verſ. 35. *vocabitur Filius Dei:* vbi primum obſerua cum P. Maldonato græcũ verbum pro quo Noſter poſuit naſcetur: quod omnino ſignificat concipi, aut
Gr. Lect generari: deinde premeid, *quod generabitur ex te Sanctum:* quod perinde eſt, ac ſi ex præcedentibus verbis: *Spiritus Sãctus ſuperueniet in te:* quibus tùm priorem aduentum Spiritus
E Sancti in Virginem cum primum cõcepta eſt (vt alibi expendimus) tùm nouum aduentum: quo verbo ſuperueniet hoc eſt de nouo aduenier ſignificatur, inferat Archangelus eam Mariæ ab vtero, & conceptu ſanctitatem eſſe, vt quemadmodum cœlũ cœleſtes qualitates impertit; ita ab ipſa quidquid foret generandum Sanctum futurum: Quæ planè vis ſub eſt voci *Sanctum* ſub neutra ſignificatione poſitæ, vt ſapienter Bernardus homil. 4. in *Miſſus eſt* hunc in modum obſeruauit: *Attende quæſo, quam reuerenter dixerit:* Quod naſcetur ex te Sanctum: *vt quid enim ita ſimpliciter* Sanctum, *& abſque additamento? Credo: quia non habuit quod propriè, digneve nominaret illud eximium, illud magnificũ, illud reuerendum, quod de puriſsimâ videlicet Virginis carne cum ſuâ animâ vnico Patris erat vniendum:* vbi videsideò notanter *Sanctum*, quod de puriſsima Mariæ carne Spiritus Sancti operatione Chriſtus erat generãdus: omninò adſtruens, & quidem veriſsimè, & Theologice Bernardus, Chriſtum ex Maria, ſine viro concipiendum; etſi alias Dei Filius nõ foret; aut quòd vt homo peccato careret, etſi ea etiam vtraque ratione foret ſanctiſsimus, ſanctum omninò neceſſaria ratione futurum. Talis quippè ac tanta Mariæ puritas, & ſanctitas ſuberat: vt qnidquid illud fuiſſet, quod ipſa ab Spiritu Sancto concepiſſet omninò futurum eſſet Sanctũ: ita id ſtatim diffundente Bernardo: *Si diceret ſancta caro, vel Sanctus homo, vel Sanctus infans, quidquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinite* Sanctum: *quia quidquid illud ſit, quod Virgo genuit: Sanctum proculdubio, ac ſingulariter ſanctũ fuit:* Hactenus Bernard. Quod alibi fuſius explicamus. *Bernard*

VII. Cui cogitationi non obſcure ſubſcribunt Damaſcenus orat. 1. *de Dor-* *Damaſ.*
mitione Virginis, & Amedeus homil. prima *de laud. Virginis:* aurea vterque verba in hanc rem loquuti ſic namque primum ille Deiparam reuerenter, & ſuauiter demulcet: *Ex te illa Diuinitatis flamma, ille Patris*

terminus, ac Ratio: suauissimũ illud & cœleste manna, nomen illud nominis expers, atquè omne nomen exsuperans, lumen illud sempiternum, & in accessum corporeo modo pullulauit: ita ille quem ad speciem non ominò aptè, & proprie locutum fuisse dixeris: cum Diuinitatis flammam pullulantem, quod germinum, aut florum est; non vero erumpentem, quod igni potiùs congruit, descripsit: sed subsistit egregiè Damasceni locutio; si tamẽ ad sensum rei, quã ad sonum vocis te exerceas: etenim vt Diuinitati flamma merito tribuitur: quod *Deus noster ignis consumens* sit Deuter. 4. vers. 24. ita vt hæc a Maria erumpit; opportunissimè pullulare dicitur: tãquã fructus ab arbore, tãquã ramus a radice, à qua vitalem succum trahit: vt argumento sit, Mariam adeò plenam esse, adeòq; Diuinitati affinem, atquè propinquam vt ipsemet Dei Filius homo factus ex ea candorem puritatem, & sanctitatem trahere videatur. Quod pulchrè confirmat Amedæus Sturpis imagine retẽta, dum felicis illius mulieris verba: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, Lucę 11. vers. 27. sic premit: *Omnis arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propriâ vbertate pensatur, vt palma ex dactylorum suauitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex oliuæ pinguedine, ita nimirùm laus nati genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus diuinus accumulat*: ita ille: pende ergo ex fructu arborẽ; & ex partu diuino, quid tandem Maria fuerit collige, vt iure dictum ei sit ab Angelo; *quod ex te nascetur sanctum*: bona arbore bonos fructus faciente; quin dactylorum suauitas ex palma aliquando deuicta, aut amaritudinis succum trahente prouenire possit; Verùm enim vero omniũ opportunissimè in hanc rem locutus videtur Vigilius lib. 3. *contra Eutychem*, dum ea Geneseos verba capit. 1. vers. 11. *germinet terra herbam virẽtem, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*: Mariæ partum diuinum edenti hunc in modum accommodat: *Si ergo generis sui naturæ germina, & fructum propriè qualitatis ex sese ligna producunt; ô dubium est Iesseicæ radici virgã Beatam videlicet Mariam naturæ suæ germen, id est Dominum Iesum ex suæ carnis materiâ protulisse*, ita ille: obserua, & oculare locutionem istam *naturæ suæ germen*: vt à Deipara quasi propriæ qualitatis fructus: quasi naturæ eius germen Christus: *Sanctus innocens impollutus, & segregatus à peccatoribus* pullulauerit. Certè si in Virgine maculam originalis delicti specularis, & *in scirpo nodum quæris*, & germini à natura Deiparæ pullulanti, aliquid innocentiæ, & natiuæ puritatis minuere timendum videtur. Quam sanè cogitationem pie affixit illis Angeli verbis apud Lucam: inuenisti enim gratiam apud Deum: Lùcæ 1. vers. 30. Aluertus Magnus in Mariali cap. 237. inquiẽs: *Apud Deum dico propinquissimâ similitudine, dignitate familiaritate, naturæ identitate*. Sic ille: Apud quem vides Angelum Mariæ annunciantem inuenisse gratiam apud Deũ tùm fuisse locutum de gratiâ familiaritatis, & dignitatis, qua Mater Dei, tunc renunciabatur; tùm vel maximè de gratia in sui Conceptione, & formatione, qua Deo propinquissima similitudine, & naturæ identitate ea videlicet, quæ omni puritate niteret, prædita fuit. Sed hanc naturæ Mariæ cum Filij Dei naturæ identitate penitiùs pro ipsius immunitate in sequenti adnotatione expendemus.

Modo vt ipsam è meliori terrâ, & Diuinæ Rationi viciniori, quam Eua formatam videris, audi Gregorium Thaumaturgum orat. 2. *de Annunciatione*: vbi Angelum Mariæ suggerentem. *Aue gratia plena*, sic explicat: *Quoniam & tu sancta, omni humanâ*

Deut. 4. vers. 24.

Luc. 11. vers. 27.

Vigil. lib. 3. Genes. c. 1. ver. 11

Lucæ. 1. vers. 30

VIII. Gregor. Thaum.

mana natura glorioſior, ac purior, ſanctiorque effecta es, ac niue quidem candidiorem habens mentem, quocuis autem auro, quamtumuis probato purificatum magis corpus: Vbi obſerua verbum illud *effecta es*, vt ex illo ad immaculatam Mariæ conceptionem referas tum omnimodam ſanctitatem, & ſupra omnem humanam naturam puritatem, niueumque candorem, tum etiam illius ſupra Euam excellentiam, quæ ſignificatur illis Gregorij verbis, *quouis auro quamtumuis probato purificatum magis corpus*: quæ quidem Euæ non bene aptaueris, quæ primæ probationi, ſiue examini, tanquam aurum non ſatis purificatum, immo vero velut vas fictile cõtractum maligne reſpondit, & infeliciter ſuccubuit: Porro de venę examine, ſiue probatione à Lydio lapide ſumpta ſic loquitur Plinius lib. 33. cap. 8. His cotulis periti, cũ è vena, *vt limâ rapuerint experimentum protinus dicunt, quantum aurum ſit in eâ, quantum argenti, vel æris ſcrupulari differentia mirabili ratione non fallente:* Quod ſi Euæ accommodes, videris in tentationis examine plus æris, quam auri habere ſe oſtendiſſe. Cum beatiſsima Virgo, *quouis auro, quamtumuis probato purificatum magis corpus*, habuerit: de quo non nihil etiam in ſeq. adnot. dicendum.

Gr. Taũ

Plinius.

A

B

C

D

E

MARIAM immaculatè conceptam, & è melioris luto formatam, quod eius caro, Dei caro erat futura.

ADNOTATIO VIII.

I VErſamur frequens argumentum pro Mariæ immunitate à carne Chriſti confectum, quod hæc vna ex parte, omni puritate nitens, omnique næuo carens, ex alia eadem cum carne Marię fuerit, vt apud PP. in confeſſo eſt, omnibus applaudentibus Arnoldi Carnotenſis tractatu de *Laudibus Virginis Mariæ* egregiæ locutioni: *Chriſti, & Mariæ eamdem carnẽ eſſe*, ſed enim, vt illi Quintiliani monito obſecundemus, *noua communiter nouiter dicantur:* peculiaribus rationibus, ſiue imaginibus id inſtitutũ perſequi conabimur, quin àpręfatis Ruperti verbis: *Melior terra, & Diuinæ Rationi vicinior*, diſcedamus: Cur enim ipſe ſignanter dixerit, Mariam formatam fuiſſe Diuinæ Rationi vicinniorem, niſi, vt adſtrueret ipſius carnem, Diuinæ Rationis carnem eſſe futuram? ac proinde talem excogitandam, formandamque Matrem fore, quæ Diuinæ Rationi maximè conformis, conſentanea, atque vicina foret, ac proinde ab originali labe omni modo, atque ratione, immunis, cum nihil in rebus creatis à Diuinâ Ratione longius eat, quam peccatum originale, quod eſt, *habitus diſſimilitudinis ad Deum*, vt ex Dionyſio Areopagita lib. de *Eccleſiaſticâ hierarchia*, cap. 2. *de ijs, quæ in illuſtratione fiunt*, ſuo loco obſeruamus. Et vero de vtriuſque Filij, & Matris carnis puritate tàm ſacræ paginæ, quam veteres PP. diſſerentes ſub imagine indumenti, ſueveſtis eximiæ claritatis, & diuinis decoris, ipſam explicarũt. Nimirũ corpus, ſiue carnem, animi indumentum, ſiue tunicam eſſe tam diuinæ, quam profanæ litteræ teſtantur, vt mediocriter tincti nouerunt: modo ſatis ſit Iobum audire, cap. 10. verſ. 11. Deo dicentem: *Pelle, & carnibus veſtiſti me* & de carne, & corpore Chriſti Domini ipſum met cum in mundum ingrediens, & ſeſe humano corpore cõſtantem vidit, Summo Patri ita locutus dicitur à Paulo ad Hebræos 10. verſ. 5. *Hoſtiam, & oblationẽ nolui-*

Dionyſ. Areop.

Iob. 10. verſ. 11.

Hebr. 10 verſ. 5.

ſti,

sti, corpus autem aptasti mihi: pro quibus Lectio Syriaca habet: *corpore autem induisti me*: Ecce tibi Dominum corpore, siue carne à Maria susceptâ indutum, splendidiorem, & pulchriorem esse dicente Vate: *Dominus regnauit decorem indutus est*: Psalm. 92. vers. 1. carnem Christi indumentum decoris appellante, vt Epiphanius lib. 2. *aduersus Ariomanitas* docet his verbis, *quo ostendat ingressum Dei Verbi à cœlestibus immundum induisse decorem, hoc est carnẽ ex Virgine natam, quando quidem videbatur vilis videntibus, ipsi verò decorem putabatur*. Vt vel hinc planum fiat ipsiusmet Deiparæ carnem solaribus radijs splendidiorem fore futuram: Nam *quid nobili*, vt Dei Matre (inquit Ambros. lib. 1. *de Virginibus*:) *Quid splendidius ea, quam splendor elegit*: Enim vero hac signatê ratione de Virginis primo in vitam ingressu cum emphasi dixit sacer Sponsus Cantic. 7. vers. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui incalceamentis Filia Principis*: Vti hæc verba pensitauit Venerab. Guillielmus apud P. Martinũ Del Rio hunc in modum: *De sua carne dedit Principi substantiam carnis, & ab eo accepit vicissim prærogatiuam gratiæ amplioris*, obserua aduerbiũ, *vicissim*: itidemque prærogatiuam gratiæ amplioris, vt videlicet mutuâ vice a Filio ampliorem, quam vlla omnino creatura gratiam acceperit vt, quæ de sua carne dedit Principi substantiam immaculatè carnis, ab ipso carnem omnino puram, immaculatam, & sole splendidiorem accipiat: Vnde pergit Guillielmus: *Id circo non dicuntur simpliciter pulchri gressus eius, vt cæterarum filiarum Principis, sed quam pulchri, ideſt quã puri, & mundi*: Ita ille, vt videlicet Marię puritas, & munditia supra omnem admirationem sit.

II. Quod sane non nostrum inuentũ, sed præclarus Ioannis sensus fuerit: Apocalypsis 12. vers. 1. Etiam cum emphasi, & admiratione tanquam de re prodigiosa supra omnem naturam affirmantis: *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole*: Vbi vtrumque vides, & Mariam de sua carne dantem Principi substantiã carnis, & ab eo *vicissim* accipientem prærogatiuam gratiæ amplioris, ita id ad hæc verba adnotante Bernardo serm. *de Verbis Apocalypsis*, hũc in modum: *Quantam inueniſti gratiam apud Deum? in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo*: Sed enim, vt videris Dominum à Matre vestitum, & *vicissim*, ipsam vestitam: primum compone cum prętatis Dauidis verbis: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, quibus Christi caro à Maria tanquam indumentum decoris accepta describitur: persimilem dicendi modum quo corporis Deiparæ indumentum ita designat Salomon cum mulierem fortem, ideſt Mariam suis coloribus delineandam, & depingendam susceperit, cap. 31. Prouerbiorum. *Fortitudo, & decor indumentum eius*: Prouerb. 31. vers. 25. vt videlicet, qui à Maria indumentum decoris, & fortitudinis accepit *vicissim* eam in sua Conceptione indumento decoris, & fortitudinis vestiret, vt nullus in ipsa næuus, nullus fragilitati, siue contumeliæ carnis locus esset: Et verò ne in hac obseruatione desideres solis imaginem Mariam vestientis (vt ait Ioannes) vt ipsa vicissim Filium suum splendido lucis, & decoris indumento vestiat, audi quid Ambrosius serm. 16. *de Natiuitate Domini* de Maria Christum Dominum in lucem edentem hunc in modum cogitauerit: *Videamus hic Sol noſter nouus, quo fonte nascatur. Sic est verum. Deo oritur auctore. Diuinitatis est Filius. Diuinitatis, inquã, integræ, incorruptæ, illibatæ*. Sisto, quin prius quã in Ambrosio pergam, perquiram ab ipso: Quænam hæc vocum, siue epitetorũ

Lect. Sy. *Epipha.* *Cant. 7. vers. 1.* *Guillel.* *Pro. 31. vers. 25.* *Ambr.* *Ap. 12. vers. 1.*

redun-

redundantia, ſiue ſuperfluitas fuerit? dum Diuinitatem integram, incorruptam, illibatam dicit: qui Diuinitatem omnino memorans, quinaliud aliquid addi diſſet, ipſam ſtatim omnes integram, incorruptam, & illibatam abſque vlla hęſitatione concepiſſemus, non ſecus, ac audita hàc voce *Homo* intelligeremus animal rationale, quod ipſi eſſentiale eſt: Sed occurrit Ambroſius ſubdens: *Intelligo planè myſterium: ideo enim ſecunda Natiuitas per immaculatam Mariã quia prior per Diuinitatem conſtiterat illibata, vt cui prior natiuitas gloriosa exſtitit, ei ſecunda contumelioſa non fieret:* Hæc Ambroſius: Opulchrã mentem! O aurea, & opportuna verba! quibus Ambroſius mira epitaſi Mariam in ſua Conceptione integrã illibatam, & incorruptam oſtendit, ne Dei Filius à Patre glorioſe genitus ſecundam à Maria de generem natiuitatẽ haberet, ſi ipſa alicui fuiſſet maculæ obnoxia: Pẽde ergo tum ea verba: *Cui prior natiuitas glorioſa exſtitit, ei ſecunda contumelioſa nõ fieret:* Ea videlicet, quæ à Matre peccato originali maculata eſſet: nec enim tunc ipſe iure dici poſſet *ſegregatus à peccatoribus:* Tum etiam Ambroſium, vt vtramque Dei Filij natiuitatem glorioſam faceret ipſum cũ Oriente Sole componere, vt Maria Sole amicta illum veſtiat, & veſtiatur ab eo. Quo aduoco Richardum à S. Victore in Cantica cap. 39. alibi à nobis adductum appoſite dicentẽ. *Talem fecit Virginem, qualis ex Virgine fieri voluit.*

Ambr.

Ricard.

III

Verum enim verò illud hoc loco pro Mariæ immunitate teſtimonium, omnino euincens, & iſti veſtis imagini valde accomodatum non poſſum non denuo repetere, quod è verbis Vatis Pſalm. 44. verſ. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis inueſtitu deaurato circundata varietate,* in ſuperioribus attulimus veſtitum hunc deauratum, qui videtur implicitus, explicãtes, & cum Solis amictu à quo nec hilum differt, componentes. Et quidem cum Hieronymo auctore in cap 10. Ieremiæ ſeptẽ ſint apud Hebræos auri nomina, hoc in loco Hebræa vox *Chathem Taz*, quæ reſpondet latinæ *deaurato*: eadem eſt omnino cum illa, quà Caput Sponſi exprimitur Cãt. 5. ver. 11. caput eius *aurum optimum* de quo auro ſic ibi inquit Gregorius Nyſſenus: *Quoddam ſincere purum, aurum, intactum, quodque omni miſturâ careat:* Nec aliter Caietanus. 3. Regum. 10. *quod ſit in ſuâ puritate ſicut de minerâ trahitur:* à quo non id, quod Hebræorum Magiſtri docẽt de radice huius vocis: nempe eſſe, *roborare ſolidare forte eſſe*, vt huius auri bonitas in eo conſtituatur, quod fortitudinem, duritiem, & ſoliditatem inſignem, & impenetrabilem habeat: Vide ergo iam, vt ſese vicissim Mater, & Filius ea carne veſtiant, quæ ſolaribus radijs purior, & ſplendidior ſit: Nimirum cum ex eodem auro, illoque quod ſincere purũ & intactum, quodque omni ſcoria, & miſturà careat, tàm Marię, quam Dei Filij humana veſtis cõfecta ſit: *Intelligo planè myſteriũ:* Eandẽ Filij, & Matris, carnẽ eſſe (Hiſpane dicemus ſignificanter, *ſe corto â Madre y à Hijo de vna miſma tela de oro el veſtido*) eamque, quæ ſincerè pura, & intacta, quæque omni labis originalis miſtura careat: Quid enim aliud potuit ſibi velle Diuinus Spiritus, cũ ex ſeptem auri nominibus Hebræis, illud ſignatè Mariæ attribuit, quod, & Chriſto, & id quidẽ vtrique, quod ſincere purum, atque intactum eſſet quam omnimodam Deiparæ puritatem manifeſtam facere? vt videris, quam opportunè ex perſona Angeli Deiparam ſalutantis dixerit Gegorius Taumaturgus Orat. 2. de Annunciatione. *Quoniam, & tu ſancta omni humana naturâ glorioſior, ac purior, ſanctiorque effecta es, ac niue quidem cãdidiorem ba-*

Pſal. 44 verſ. 10.

Lect. Hc

Hierony

Nyſſen.

Caietan.

Ga. Tau.

bes

bes mentem, quouis autem auro quãtumuis probato purificatum magis corpus: Sic Gregorius Apud quem iterum, atque iterum obserua, & oscula re hæc: *Tu sancta omni humana naturâ glorioſior, ac purior, ſanctiorque effecta es*, quibus ille non de tota Mariæ vitâ, aut de eius Natiuitate, ſed ſignate de prima effectione, & conceptione, in qua ſancta pura, & donis gratiæ glorioſa effecta eſt, loquitur.

IV *Andræ*

In quem omnino ſenſum inflexit Andræas Hieroſolymitanus, Angeli verba: *Aue gratia plena:* vt hæc gratię plenitudo ad originalem etiam innocentiam ſignate referenda foret: Sic enim ille premit hæc verba: *Gratioſam dixi, quod ſtola tua ſit gratioſa diuinorum donorum ſplendore* Vbi omnino obſerua ſplendentẽ Mariæ ſtolam, eodẽ planè ſenſu, ac *amictam Sole*, in verbis Apocalypſis, vt duplicata quidem ſit in eâ pro Marię immunitate alluſio, altera ad eumdem Ioannem Apocalypſis 7. verſ. 14. de Chriſti Martyribus ab Angelo interrogantem. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt?* Et ab ipſo tale reſponſum accipientem. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni:* Dum Deipara ab omnibus mortalibus, quamtumuis ſanctiſsimis diſcriminatur, quod hi licet ſanctitate prædi ti in vitâ ſuâ fuerint, maculatam tamen carnis ſtolam, & in conceptione ſua acceperint, & ipſi aliquibus ſaltem leuibus peccati nævis, ſiue ſordibus commaculauerint, dicente Iob. c. 15. verſ. 14. *Quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere?* Siue vt ex LXX. S. Leo ſerm. 1. *de Natiuitate Domini* legit: *Nemo mundus â ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*, ac proinde ipſam in ſanguine Agni lauare, & dealbare illis neceſſe ſit. Maria vero ab initio

Apo. 7. verſ. 14.

Iob. 15. verſ. 14.

S. Leo LXX.

ſuæ Conceptionis ſtolam acceperit gratioſam diuinorum donorum ſplẽdore: ad eum modum, quo in eodem libro Apocalypſis cap. 19. verſ. 7. Eccleſiæ, vt digna eſſet vxor Agni: *datum eſt, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido: Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum:* Vt videlicet Deipara ſemper Dei ſponſa innocens, & iuſta, & Sole purior, ac cãdidior exſtiterit, ê qua nullam vnquã maculam eluere fuerit opus. Cui cogitationi Andreæ Hieroſolymitani, egregiè adſtipulatur S. Sabbas in Menæis Græcorum 30. Ianuarij Ode 9. de S. Hyppolito Epiſc. & M. *in clauſula:* Vbi Angelum Mariam ſalutantem præ ſplẽdore puritatis illius, ſuæ lucis oblitum, & trementem, ſic induxit: *Equidem fulgens tibi Angelus adſtitit, ſed puritatis tuæ fulgoribus adeo repercuſſus, vt tui ſplendoris admiratione glorioſæ lucis ſuæ obliuiſceretur. Vnde cum tremore ſalutationẽ peregit:* Sic ille: Vbi obſerua quantâ ratione Angelus fulgore puritatis Mariæ repercuſſus dixerit (vt contemplatur Andræas) *gratioſam dixi, quod ſtola tua ſit gratioſa diuinorum donorum ſplendore*, quippè qui cum diuinorum donorum Mariæ ſplendorem percepit, lucis ſuę debuit obliuiſci: quaſi Mariæ puritati, Angelica puritas comparata, velut obſcura, & ſordens obliuioni mandanda fuerit, & vero cum Angelus abſque vlla peccati labe ſit creatus, dum puritatis Mariæ fulgoribus reperculſus eſt: neutiquam ipſam peccati ſordibus aliquando inquinatam videtur agnouiſſe.

Ap. 19. verſ. 7.

S. Sabb.

V

Nec fuerit minus opportuna poſterior alluſio, quæ in hoc diuinorum donorum Mariæ ſplendore fit ad Dei veſtimentum, quod lucis eſſe, monemur à Regio Vate Pſalm. 103. ver. 2. canente: *Confeſionem; & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento:* Planè, vt vel hinc melior Mariæ terra, & diuinæ Rationi vicinior

Pſ. 103. verſ. 2.

appareat,

apparcat, quæquandam cum Diuinitate affinitatem, & veluti sanguinis coniunctionem habere videatur: dum Deus *amictus lumine*, ipsa verò *amicta Sole* inducitur: Christi caput hoc est eius Diuinitas (nã *caput Christi Deus*) aurum optimum esse dicitur, & eodem plane auro Mariã vestitam nouimus: Vt planum fiat Mariam Diuinam puritatem, & originalem iustitiam habuisse. Nimirum, vt ex Gregorio Nysseno orat. 6. de *Beatitudinibus*, non semel vidimus: *Puritas, & vitiorũ, affectuũque vacuitas, & ab omni malo alienatio Deitas est:* Itidemque lucis amictus innocentiæ symbolum habetur apud Paulum ad Romanos 13. vers. 12. vbi inquit: *abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, siue vt legit versio Syriaca *induamur amictu lucis:* Quẽ sensum opportunè expressit S. Methodius M. in Hypapantem Deiparã hunc in modum allocutus: *Tu impollutum illius indamentum, qui luce velut vestimento circũfunditur*: pulchre Mariam *impollutum indumentum* appellans, vt ei congrueret, qui lucis vestimento circũfunditur, quod tuisti ipsa vndequaque impolluta, & ab omni labe esset aliena, non apposite illi hæreret: nam *quæ conuentio lucis ad tenebras?*

Nyssen. Rom. 13 vers. 12. Lect. Syr. Metho.

VI Cant. 7. vers. 2.

Concinit huic cogitationi Salomon Cant. 7. vers. 2. de Maria inquiens. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum:* Quæ quidem verba ab interpretibus multiplici ratione ad puritatem originariam Mariæ asserendam: nempè ex imagine turris hostium insidias prouidentis, & prouidentis, & ex significatione vocis Libani, quę est Candidatio, nec non ex oppositione ad Damascum, qui interpretatur sanguis, qui peccatum adumbrat, sapiẽter, & appositè expenduntur, fideiubente pro illis Bernardo serm. 4. super *Salue Regina* hunc in modum: *Tu nasus Ecclesiæ similis es turri, cel*

Bernar.

se videlicet dignitate, firma grauitate. Turris es Libani, Libanus mons, qui dicitur dealbatio, *altam præ omnibus designat innocentiam, innocẽs fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis. Nemo ita præter te.* Hæc ille: Sed enim illud nostro instituto videtur peropportunum quod ad id loci notatum video à P. Martino del Rio Hebraici idiomatis peritissimo ad hæc verba Canticorum: nempe vocem *Damascus* Hebraicè perinde esse, ac *Ruber saccus*, qui bellissimè designat contumeliosum illud vestimẽtum, quo primi parentes in notam transgressionis, & peccati originalis, symbolum, à Deo vltore induti sunt dicente Sacro Scriptore. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos:* Vt videlicet per externum nuditatis illorum amictum interna animi nuditas, & maculosa turpitudo manifesta fieret: quod satis indicat ea acerba Domini ad illos statim facta initio: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*, idest ecce hominem amictu diuino locis nudatum, & amictum sicut diploide confusione sua, vti ex Gregorio Nysseno, & Philippo Abbate alibi expendimus modo audi Gregorium Thaumaturgum, qui opportunissime in hunc sensum Angelucũ Deipara sic loquentẽ facit. *Tu vero, quæ reverà gaudio sunt digna agis, quoniam immaculatã indusa es veste:* Vbi si verè æstimas notanter Thaumaturgus perfectissimas Mariæ virtutes, & præclarissimas sanctitatis actiones omni laude dignissimas à purissima ipsius Cõceptione tanquã fluenta à fonte, & origine sapienter deriuat, vt dixerit, quẽ admodũ in nobis omne prauũ, atque distortũ à maculata tumcapeccati originalis inquo sumus concepti originẽ ducit, dũ per gratiã Dei non renouamur secundũ interiorẽ hominẽ, ita, ò Deipara, nihil fuerit mirandũ, omni se virtutũ ornamento præditã esse, quæ cũ Adamo

Gen. 3 vers. 21. & 22.

Gregor Thaum.

Cassiod.

nullũ commertiũ habuisti, sed in Cõceptione tua, *immaculatã induta es vestẽ*. Nimirũ, ovtà nobis non semel adductus dicebat Rex Thedoric. apud Casiodrũ lib. 2. epist. 15. *Bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahũt: dũ origo nescit deficere, quæ consueuit radicitus pullulare:* Quod apposita imagine illustrat. *Fertur enim cursu perenni fontium vena vitalis: & hãc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit forte vitiatus, nesciat riuulis abnegari:* Sic Rex

VII *Isaiæ 61 vers. 10.* Sed ille huic rei signatissimus locus fuerit apud Isaiam cap. 61. vers. 10. vbi Vates Prophetico spiritu audiens Mariam psallentem. *Magnificat anima mea Dominum, & exsultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Lucæ 1. vers. 46. eadem pene verba eius nomine ita cõscripsit: *Gaudens gaudebo in Deo, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me: quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatã monilibus suis:* Quæ verba de Deiparâ in primis capit Amedæus Episcopus Lausensis hom. 2. de *Laudibus Virginis*: eaq; pro ipsius immunitate componit cum illis Cãt. 3. vers. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata*, inquiens: *Quid est* de albata. *Nisi albis vestibus ornata? ornata scilicet ornatu decoris, & honestatis: iustitiæ, & Sanctitatis:* Ita ille: Sed deinde in illis obserua duo: alterum ex P. Gaspare Sanctio vestimentum salutis inibi esse vestimentum triumphale: sic enim ille: *Vestimentum salutis idem esse existimo, quod triumphale, aut nuptiale. Nã salus, vt cap. 60. diximus ad illud:* occupauit salus muros tuos: *victoriam significat, & laudem, ab illa vestimentum hoc triũphale:* Sic ille alterum, vocem, quæ in Hebræo respondet voci salutis, omnino significare Iesum; esseque eãdem, quæ Habacuc 3. vers. 18. habetur, *exultabo in Deo Iesu meo*: Ideoque Petrum Galatinum lib. 7. de *arcanis*, cap. 5. omnino legere *vestimẽtis Iesu*: a quo non abit Hieronymus in commentario exponens: *Quotquot enim in Christo baptizati sumus, induimur Christo, & habemus tunicam iustitiæ, qui factus est nobis Sanctitas, iustitia, & redemptio.* Ex quibus omnino vides Mariam, tum Sole amictam, & indutam amictu locis, & vestimentis Iesu; tum etiam: egregiũ simul de peccato originali triumphũ referentem: nam quæ vestimentis salutis, & indumento iustitiæ, circumquaque amicta perhibetur, quâ ratione aditum vulneri dare potuit? aut quomodo simul, & salute, & morbo, iustitia, & peccato indui? Sed hęc prę fato loco opportunè, diffundit Petrus Galatinus: Nam cũ præmisisset *Propheta videns in spiritu Matrem Messiæ dicturam.* Magnificat anima mea Dominum, & exsultauit spiritus meus in Deo salutari meo: *in personâ eius protulit dicens* Gaudens gaudebo baadonai, *idest in Deo (tetragrãmaton) qui vt ait R. Hibba Deum Patrem significat:* Et exsaltauit anima mea in Deo meo, *qui vt idem dicit, Deum Filium significat:* Subijcit: *Quoniam duplicem gratiam mihi fecit: Vnam quidem quia induit* me vestimentis Iesu: *Quod est me absque originali peccato cõceptam fuisse: Alteram verò*, quia chlamyde iustitiæ, *scilicet originalis*, circumdedit *me*: Hæc Galatinus, & post non nulla premens denuo hæc verba: *Quia induit me vestimentis Iesu*; ait, *Quod perinde est, ac si diceret. Quemadmodum Iesus secundum humanitatem absque originali peccato concipietur, ita quoque ego absque eo concipiar. Quare eius vestibus, quæ sunt puritas, & innocentia induta ero*: Hactenus ex Galatino.

Lucæ 1. vers. 46. *Amed.* *Cant. 3. vers. 6.* *Sãctius.* *Hab. 3. vers. 18.* *Hierony* *Pet. Gal*

DISSER-

IHS

DISSERTATIO QVARTA.

De MARIAE Immaculatè Conceptæ Redemptione per Christum.

Vt MARIAM Immaculatè Conceptam, eius nomen euincit, ita & Christi meritis à peccato originali redemptam.

ADNOTATIO I.

1 TAMVerò, si verè æstimas, huic Marię, idest Dominæ nomini ea subest epitasis, quà commode ei nodo, siue scrupulo possis occurrere, quem nobis contrariæ sentẽtiæ Auctores iniiciunt, de Mariæ per Christum redemptione, quasi cũ hàc non benè hæreat, Deiparam ab omni peccati originalis, nõ modo labe; sed etiam debito fuisse immunẽ. Nimirum cum teneamur asserere Mariã Christi meritis à peccato originali liberatam, siue redemptam substitisse, ne à communi PP. sensu, & ore abeamus qui (inquiunt) hæc omnimoda immunitas, & extra peccandi aleam; & peccati debitum pulcherrima sors, cum verà redemptione, siue sensu, siue verbis componi potest? Cui quidem nodo, cum plures, valde appositas, atque expeditas Nostri Scriptores parauerint solutiones (vt incalce adnotationis videbimus. Felicia Doctorũ nomina quorũ animos, & calamos egregia in Deiparam pietas accendit) latis apertã, & planam viam in ipsomet Mariæ nomine, siue in munere, & appellatione Dominæ, atque Reginæ tum PP. Cõcilij Basilienſis tum S. Petrus Chrysologus nobis velut indice ostendũt: Hic enim serm. 142. argutè premens ea Angeli verba Mariam antequam ei salutationis causſam exposuerit, de nomine suo ipsam salutantis. *Ne timeas Maria* Lucæ 1. vers. 30. sic inquit. *Antecaussam dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricẽ tripidatio deserat seruitutis; quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas.* Hæc Chrysologus, vt videatur expressisse quod Nicephorus libro 1. historiæ

A *PP. Con Basilien S. P. Chr*

B

C *Lucæ 1. vers. 30.*

D *Chrysol.*

Eccles. cap. 7. de Mariæ nomine sic dixit: *Postquam puella è maternis prodijt locis Mariam statim nominauit ænigmate latente acceptam gratiam declarans*: Ita ille pulchrè latès in nomine ænigma appellans immunitatis a peccato originali gratiã ex nomine Dominæ hoc est genitricis Dei consecutam: hoc enim sensu dictum est à Chrysologo: *Quã nasci, & vocari Dominã ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas*: Quod non benè congrueret cùm Filij Dei, qui Dominus dominãtium est, auctoritate à Matre non Domina, & Regina, & quæ omnino sui iuris non esset, nasci, nõ secus, ac generosum germẽ ab arbore syluestri, & infrugiferâ. Quâ sanè ratiocinatione argutè vsus est Anselm. in lib. de Conceptione cap. 6. citante illum Ioanne Bacchõ in 4. dist. 2. q. 2. art. 3. huncin modũ. *Item cap. 6. idem Anselmus probat hoc per comparationẽ ad totã mundi machinam. Deus prædestinauit Matrẽ suam concipiendã, vt esset vniuersorũ scilicet cœli, & terræ, & omniũ, quæ in eis sunt Domina, & imperatrix, & hoc totũ opus ex priuilegio singularis geatiæ. Sed ordinare Conceptionẽ Mariæ per gratiã ad hanc singularẽ præcellentiam, vt esset futura Mater Sancti Sanctorum, & Regina omniũ Sanctorũ in cœlo, & in terrâ, & negare Conceptionẽ eius, quæ Christum erat conceptura corporaliter mox sanctã, & Deo acceptam, est contradicere loco arguendi à maiori, quo vtitur omnis ars* Hæc ille.

Anſel. *Ioa. Bac*

II Quam quidem rationem ad peculiarem, & sublimiorem modum præseruationis, & Redemptionis Mariæ à Filio exhibitæ sic retulerunt PP. Basilienses sessione 36. dum eorum sententiam qui Deiparam ab omni labe immunem asserunt, cui ipsi statim, apertis tibijs subscripsere, sic statuunt: *Alijs autem à contrario dicentibus à principio Creationis suæ Deum ipsam diligendo gratiam eidẽ contulisse, per quam â maculâ originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans sublimiori sanctificationis genere redemit. Cum fundaret eam. Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset Mater eius in terris.* Obserua accuratã illam locutionem: liberans, & præseruans sublimiori sanctificationis genere redemit, quà signatè PP. explicarunt primam illam dilectionem, quà à primo Conceptionis Mariæ instanti Deus impense est ipsam prosecutus; verum immò sublimius Redẽptionis genus fuisse, quam si postquam infeliciter cecidisset, manum lapsæ præstaret. Quà sanè de re multa a nobis suo loco dicenda sunt: modo, vt solum, quæ ad Mariæ nomen spectãt dicamus, contenti erimus, si adscripserimus imaginem, quam adducit Pater Iacobus Granado citatà sect. 25. n. 303. vt ostendat Redemptionem Deiparæ omnino subsistere dum ipsa asseritur exempta à communi lege, & pacto cum primis parentibus inito sub quo ipsa omnino comprehendi debuisset attenta naturà humanæ cõditionis, & legis vniuersalis, quæ solet omnes comprehẽdere, & sub quà, datà hypothesi quod cõtineretur, vere peccasset in Adamo, & fuisset immediatè obnoxia peccato. Est ista. *Si Rex ferret legem, qua integram aliquam prouinciam obligaret, vt sibi tributum persolueret, & in hac ipsa lege aliquem singularem hominem excipiret, verè, & proprie diceretur eximptus à persoluendo tributo, quia cũ iuxta legũ stylum adstringendus, quoque foret ea lege generali totius prouinciæ ob priuilegiũ Regis adstrictus nõ est: sic ergo res se habuit in præsenti. Virgo enim liberata est ab originali, & à debito proximo illud cõtrahendi, cũ alioqui cõprehendenda fuisset sub cõmuni lege, nisi speciale priuilegium Deus illi contulisset.* Hæc P. Granado: Vide tàm illum, quàm cæteros DD. iam citatos. *Granad*

Con. Baſ.

Ergo

Ergo, vt nos ex nomine à Deo Mariæ impoſito (quin aliquis in eius cognatione fuerit, qui vocetur hoc nomine) tam ipſam immaculate Conceptam, quam verè redemptam adſtruamus: obſeruo Deum Virgini nomen imponendo totum ſibi poſſeſsionis in illam ius adſciuiſſe, quin eius parentibus ab Adam ortum ducentibus vel hilum poteſtatis in ipſam fuerit, quaſi iam non tam naturæ filia, quam germana Dei ſoboles, & peculiare gratiæ opus eſſe videretur: etenim ſi Maria aut parentũ nomen, aut a parentibus nomen accepiſſet, non immerito diceretur ad Adæ poſſeſsionem, & ad eius cenſum, atque ad generalem cauſſarum ſenem pertinere quippe nomina rebus imponere, abſolutæ poteſtatis, & dominij argumentum eſſe iam alibi obſeruauimus tam ex Moyſe Barcepha commentario de Paradiſo part. 1. cap. vltimo, quàm ex S. Baſilio Seleucienſi Orat. 2. *de Adam*: Sic namque prior ait. *Penes quos eſt rerũ quarum dam dominium: ijs quibus volunt nominibus, res eas cenſent, ſicut poſſeſſor eaquæ poſsidet:* Similiter Baſilius Deum cum Adamo, vt nomina rebus imponeret loquentem ſic inducens. *Eſto Adam nominum Artifex, quando rerum eſſe non potes. Formentur à me, nominentur à te. Partiamur fictricis huius ſolertiæ gloriam: me cognoſcant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine:* Sic Baſilius: Vbi apertè vides, nominis impoſitionem ad poſſeſsionis, & dominij ius pertinere. Hinc ergo iam, collige Mariam appellationis nomine non alium dominum, quam Deum intelligere, qui eo nomine ipſam cenſuit, quo & ſibi illam acquireret, & ab Adæ poſſeſsione redimeret: hæc omnia ipſamet Dei para de ſe ſingillatim affirmante Prouerb. 8. verſic. 22. & 23. illis ſignatiſsimis verbis: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, ante quam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata ſum*, &c. Quæ penticulatius in hanc rem elucidare placet: Et illud in primis. *In initio viarum ſuarum*, Hiſpano ſermone ſignificanter exprimens: *El primer paſo que dio:* Vt dixerit: continuo ac Filius Dei ad ſalutem homini ferendam ſeſe accinxit me ipſam ex nominis appellatione poſſedit, atque eo quidem me nomine ſignare cenſere voluit, quo ab Adæ ſeruitute ſemper fuiſſe liberam, & cæterarum creaturarum Dominam eſſe oſtenderet: Vbi non poſſum non afferre Auguſtini verba, quæ nemo non norit in tractatu *de quinque hæreſibus*, capitul. 5. dum Dei Filium de Matris ſuæ formatione cum hæretico Manichæo eam ipſi exprobrante ſic loquentem facit: *Ego Matrem de quâ naſcererfeci: Ego viam meo itineri præparaui:* Quæ verba compone cum illis: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*: Vt ex perſonâ Domini dixerit Auguſtinus, viarum ſuarum initium à Matris ſuæ immunitate fuiſſe auſpicatum, quam ſuo itineri idoneam, & aptam, Spiritu Sancto cooperanti, præparauit, vt quemadmodum ipſi maxime indecorum fuiſſet Matrem aliquando maculatam, & peccati ſeruituti obnoxiam habuiſſe, ita humanæ carnis iter à Maria omnimoda puritate nitente, & à communi labe exorte fuiſſe aggreſſum, ſummæ dignitatis, & maieſtatis opus eſſe: opportunè cum arbore concinente germine: *Quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas:* Vnde pergit Auguſtin. *Hæc, quam deſpicis Manichæe, mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt meâ: Si potui inquinari cum facerem, potui in ea inquinari, cum ex ea naſcerer:* Vbi obſerua aduerſatiuam illam;

Moyſes

Baſ. Sel.

Pr. 8. v. 22. et 23

Auguſt.

ſed manu fabricata eſt mea: quæ eum omnino ſenſum habet: ne cum Matrem meam vides ad humanam tantum naturam, qua ipſa conſtat intuearis, ſed introſpice munus ad quod electa eſt, & ſcito, peculiari me ſapiẽtiæ, ac bonitatis manu tantę dignitatis capacem effeciſſe, vti PP. Baſiliẽſes eadem locutione dicebant. *Cum fundaret eam Altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret Filius Dei Patris, vt eſſet Mater eius in terris.* Vnde pulchrè ſubſiſtit extrema illa clauſula Auguſtini: *Si potui inquinari cum facerem, potui in eâ inquinari cum ex eâ naſcerer*: quæ ad eum modum effe renda eſt, ac illud poetæ: *Hunc ego ſi tantum potui ſperare dolorem, & perferre Soror potero*: ideſt nõ potui ſperare, non potero ferre, ac ſi dicat: vt Phidias ſtatuam ex candidiſsimo, & nitidiſsimo ebore effigens inquinari non poteſt, ita nec ego cum conderem manu meâ Matrem, quæ omni ebore purior, & candidior eſt, inquinari potui? ipſammet ſcilicet puritatem, atque munditiam manibus tractans: itidẽque cum ex ea naſcerer, quippe qui in Sole poſui tabernaculum meum, & ipſe tanquam ſponſus proceſsi è pulcherrimo, atque ſplendidiſsimo Marię Matris meæ vtero.

Virgil. lib. 4.

III

Sed redeo ad Mariæ Redemptionem, quæ præfatis Prouerbiorum verbis ſignificatur: Nimirum, vbi nos habemus *Dominus poſſeditme*: Hebręa lectio habet verbum *Kanab*, quod itidem ſignificat, *adquirere*: vnde plures vertunt *Dominus adquiſiuit me*: Iam vero adquirere, & adquiſitionis locutionem perinde eſſe, ac redimere, plura ſunt, quæ planum faciunt: dixit ſiquidem Apoſtolorum Princeps epiſt. 1. cap. 2. verſ. 9. *Vos autem gens ſancta populus acquiſitionis*: ideſt, vt legit Syriacus: *cætus redemptus*, & Paulus ad Epheſ. 1. verſ. 14. *in redemptionem acquiſitionis*, & Actum 20. verſ. 28. *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: Quare perinde fuit Mariam dixiſſe, *Dominus poſſedit me*, ac ab ipſo redemptam ſe fuiſſe profiteri, præſertim ex obſeruatione illa Baſilij epiſt. 141. à Paſsione ſua Domini nomen ſignatè Dei Filium accepiſſe, vt duplicato Redemptionis vocabulo dixerit Dominus, & Redemptor ſanguine, & paſsione ſua me potiſsimum acquiſiuit, atque redemit, quod expreſsit S. Bernardinus ſerm. de *Aſſumptione* inquiens. *Pro Virgine redimenda plus venit, quam pro omni alia creaturâ iuxta illud Cant.* 4. Vulneraſti cor meum Soror mea ſponſa: Vulneraſti cor meum: *Pro amore tuo carnem ſumpſi, & vulneribus primis vulneraſti in cruce cor meum. Nam primogenita Redemptoris filij ſui Ieſu fuit Virgo beata.* Verum enim vero, vt videris ſublimiori ſanctificationis genere Deiparam fuiſſe redemptam, cum in Dei Matrem, & mundi Dominam electa eſt: obſerua hanc omnino ſententiam ænigmate latente contineri in illis Iſaię verbis, cap. 9. verſ. 6. quibus Vates Chriſti principatum, & imperium Cruci, & paſſioni ipſius maxime inniti affirmat: *Et factus eſt principatus eius ſuper humerum eius*: Nimirum hoc in loco Rabbi Haccados, qui inter Hebræorum Magiſtros ſummæ eruditionis, & pietatis eſſe creditur adnotauit (vt auctor eſt Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 13.) ab ijs Hebræis vocibus, quas Vates poſuit, vt moneret Chriſti imperium à Cruce humeris ſuis impoſita auſpicari, illę etiam voces ortum ducere, quę Mariam Dominam ſignificant: Sic namque Magiſter ille Hebręus: *Ab his dictionibus*: Lemarbe hamiſra: *Quod eſt* cuius imperium ſuper humerum eius: *Oritur* Mariam Sara, *quod eſt Maria Domina*: Hæc ille, quibus nihil opportunius dici, aut excogitari potuit ad ſignificandum à Chriſti meritis,

He. Lect

1. Pet. 2 verſ. 9. Lec. Syr Epheſ. 1 verſ. 14. Act. 20 verſ. 28.

Ea ſilius

Bernard

Iſaiæ. 9. verſ. 6.

Pet. Gal

ritis,& paſsione, tum ipſum Dominum,tum Mariam Dominam, ideſt, ſublimiori Sanctificationis genere fuiſſe redemptam,vt videlicet ſimul Domina,atque Redempta conciperetur, & quidquid in ipſa ſanctum, purum,innocens Deo gratum, & ab
S. Bern. omni næuo alieniſsimum à cruce, & Paſsione Chriſti ortum ducere: Vnde rurſus S. Bernardinus ſerm. 8. *de ſeptem flammis amoris Dei*,to.4.Sic premit eiuſdem Dominæ verba. *Exſultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo*:Lucæ 1.verſ.47.*quaſi dicat*(inquit ille)*ſingularis Saluator meus:* ſubijcit. *Quia aliqui DD. ſpeculantes dicunt,quod Deus aſſumpſit carnem potius,vt ſaluaret Virginem ſingularem,quam omnes alias creaturas.*Ita ille.

IV.

Cant. 1. *verſ.* 13. Pro quâ quidem cogitatione ipſamet Deipara diſſertiſsime fideiubet: Cant.1.verſ.13.de Sponſo ſuo egregie, & ſingulariter erga ipſam Redemptoris munus explente inquiens: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*:Quibus in verbis duo obſerua,alterum, Mariam ex myrrhę imagine ſeſe ab Sponſo ab omni labe originali præſeruatã,& omninò immunẽ affirmare,ea ſi quidem eſt myrrhæ notiſsima proprietas,vt corpora à corruptione præſeruet,quam ad cap. 5. Cant.ſic opportunè memorat Philippus Abbas. *Mirrha molles, & fluxas carnes dicitur confirmare,& ne, lege naturali ſubiaceant putredini conſeruare*:& ſimul innuere,quam aliter cum ipſa cœleſtis Sponſus, atque cũ alijs fidelibus ſuis ſeruis ſe geſſerit,quippe qui erga illos oleũ fuderit,quod in vulnerum medicinam adhibetur, (vt Iſaiæ 1.verſ. 6. dicitur:
Iſaiæ 1. *verſ.*6. *Vulnus, & linor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec fota oleo*) hac ratione paulò ante dicente ipſamet ſponſa. *Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te* Cant. 1.verſ. 3. vt dixerit. *Qui dilexit nos,& lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Apocal. 1. verſ.5.hoc eſt,qui ſemet ipſum dedit in redemptionem,& medicinam pro peccatis noſtris, & tamquam oleum ad curanda vulnera nobis inflicta,ſe ipſum effudit velut pius ille Samaritanus,qui *miſericordia motus*, erga hominem à latronibus ſaucium, *appropians alligauit vulnera eius infundens oleum,& vinum:* Lucæ 10. verſ.34.at verò erga Virginem,non inſtar olei inflicta vulnera curantis, ſed inſtar myrrhæ à corruptione præſeruantis fuerit: Vnde emphaticè dixit: *dilectus meus mihi*: nempe,*mihi*, tamquam Matri, tamquam Reginæ honorificentius,quam adoleſcentulis,& ancillis profudit: dum illis poſt vulnera inflicta, mihi anticipato remedio ante *languorem adhibuit medicinam*,vt *prius*(quod habet paræmia vetus) *antidotum, quam venenum*:nempe,vt eleganter,& opportunè dixit Petrus Chriſologus in allegorijs Gotfridi Tilmani ad cap.11 Ioannis:*Gratior eſt medicus,qui anticipat morbos, quam qui in morbis ingerit ſeram,& non ſine dolore medicinam*:Alterum: quod in præfatis verbis obſeruatu dignum videtur,petendum eſt ex imagine faſciculi myrrhæ quâ Chriſtum Filium ſuum notãter deſcribit: vna videlicet fidelia duos parietes dealbans,vt ipſum, & ſui præſeruatorem, & ſimul paſsione ſua Redemptorẽ ſuum eſſe affirmet: Ea quippe emphaſi non ſimpliciter Sponſum, aut dilectum tantum, vt alias,nominauit,ſed faſciculum myrrhæ hoc eſt amariſsimam Paſsionem, & mortem obeuntem: vti ad hæc verba adnotauit Ambroſius,& VVolberò Abbas: qui hæc verba in commentario è veteri Biblioteca nuper edito ſic extulit: *Ipſe,dilectus perſe quoque factus eſt mihi faſciculus myrrhæ quando pro me in corpore ſuo flagella ſputa,alapas,irriſiones,potum fellis, crucem,confoſsiones manuum,pedum & lateris,ipſam denique mortẽ ſuſcipiens,*

*Apoc.*1 *verſ.* 5.

Lucæ 20 *verſ.*34.

Eccl. 18 *verſ.*20.

Chryſol.

Ambro VVolber

cipiens, quasi fasciculum multimodarum elegit passionum: Ita ille. Ambrosius verò serm. 3. in Psalm. 118. eodem modo in fasciculo Christum patientem sic expressit: *Corpus suscipiens Dominus Iesus charitatis se vinculis illigauit, & non solum se membris nostris, & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit:* Hæc Ambrosius: Vbi omnino vides Mariam ab omni labe originaria præseruatâ, itidemque totâ Passionis Christi põpa redemptam.

Ambr.

V

In quem sensum opportunè inflexeris Bernardi, & Andreæ Hierosolymitani locutiones Mariam appellantium palatium seu templum Dei singulariter consecratum: sic namque Andræas Orat. de *Annunciatione* inquit: *Salue consecratum Dei palatium.* Bernardus verò sermone 5. de *Assumptione Mariæ*, dũ agit de gratia Dei in ipsa inhabitante ait: *In Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter definito in Mariâ verò tamquam in templo singulariter consecrato:* Ita Bernardus Apud quem obserua: non vt eum que appellare Deiparam templum Dei consecratum, sed signatè *singulariter consecratum:* Vt eius videlicet consecratio, siue consecrandi modus singularis, & longe alius à consecratione cæterorum templorũ sit: Nam si attendis ad Sacras cæremonias, quibus templa consecrantur: videris per totum illorum ambitum cruces in parietibus depingi, & sub inde oleo inungi, & cõsecrari, vt hominum, quæ viua Dei templa sunt (2. ad Corint. 6. vers. 36.) redemptionẽ à Christi passione representent, vt Bernardus serm. 1. *in Dedicatione tẽpli*, differtè monet: A quâ consecrationis imagine Maria abit, quæ templum est singulariter consecratum: fasciculo scilicet Myrrhę præseruante, & communiente ipsam ab omni peccati originalis vulnere, & ab ipso principio creationis impense diligẽte: *Cum fundaret eam Altissimus ipse, & eam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset Mater eius interris:* Enim verò huc opportunè facit Sanctæ Matris Ecclesiæ ritus in templorum erectione: nam dum primus lapis in eorum fundamentum iacitur: cruce illi insculpta hæ ad Deum preces funduntur, vt in Pontificali Romano habetur: *Pone Domine Iesu Christe signum salutis in loco isto, & non permittas introire Angelũ percutientem:* factâ quidem allusione ad Angelum percutientem primogenita Ægyptiorum, & intactos relinquẽtem Hebræos, quorum super limmaria Agni sanguine in modum Crucis essent intincta. Exod. 12. vers. 12. & 13. sic enim ibi: *Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogenitum in terrâ Ægypti, &c. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos:* Quod S. Bruno in allegoriis, Gotfridi Tilmani super hunc locum, ad peccati originalis destructionem sic retulit: *Quoniam originale peccatum per vniuersum mundum in omnibus illis periit, qui crediderunt, & baptizati sunt, vt peccatum, quod per lignum concupiscentiæ cæpit, per crucis lignum destrueretur:* Pulchrè autem dicitur cum ad Mariæ Conceptionem, (qui primus in huius templi fundamentis lapis iactus fuit) is Ecclesiæ ritus, sermoque refertur, *& non permittas introire Angelum percutientem:* Quod iam ipsa pro salutis signo & redemptionis tesserâ fasciculum myrrhæ, siue Agni sanguinem haberet; qui vastatorem Angelum fugaret.

Pon. Ro

Exo. 12. vers. 12.

S. Brun.

An. Hi

Bernard

2. Cor. 6. vers. 36.

Bernard

VI

Quam aptè verò signum salutis hoc est Dominicæ Passionis tessera Israelitarum postibus insculpta in lapide primario Mariæ apparet Angelo percutienti aditum præcludens cum, & ipsa litteram T. Crucis figurã representans, & littera T. signum vi-

tæ,

tæ,& incolumitatis ſemper fuerit,vt S.Iſidorus Hiſpalenſis lib.1.*Originũ* cap.23.hunc in modum obſeruauit: *Inbreuiculis, quibus militum nomina continebantur propria nota erat apud veteres quâ inſpicerent, quanti exmilitibus ſuper eſſent: quanti qui in bello cecidiſſent. T. nota poſita in capite verſiculi ſuperſtitem deſignabat. Zeta vero ad vniuſcuiuſque defuncti nomen apponebatur:* Ergo omnes quotquot ab Adamo Originem trahimus in vitam ingredientes, nigro,& lęthali Zeta inſcriptos: quod in peccatis cõcepti,& nati ſimus Mariam vero vide,& adora dum in ipſa. T. poſita ſplendet,& eam ſuperſtitem viuamque in ipſomet in vitam ingreſſu deſignat. Quod ſi hunc; Mariæ lapidem, ita contemplare velis, vt ipſa primarius lapis,& fundamentum templi Eccleſiæ ſit (de quo grãdis nobis ſermo in ſequentibus futurus eſt adverba Zachar.4.v.7. *& educet lapidem primarium*) audi Ambr. lib.2. *in Lucam* mirantibus, ſiue dubitãtibus de Mariæ immunitate ſic occurrens: *Nec mirum ſi Dominus redempturus mundum operationem ſuam inchoauit à Matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, fructum haberet ex pignore*: Preme illud. *Operationem ſuam* (Redemptionis) *inchoauit â Matre*, vt lapidi, cui tota Eccleſiæ moles innitebatur ſalutis ſigno,& Redemptionis teſſera ornaretur: fructũ ipſa capiente ex arbore vitæ ſuæ, ab eadem pullulabat: *Quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas:* Cui cogitationi conſonant Anſelmi verba lib. de excellentia Virginis cap. 3. in ſuperioribus adducta: *Nulli denique dubium caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam eius funditus ab omni fuiſſe maculâ peccati, iugi Angelorum cuſtodia protectam, vtpotè Aulam, quam ſuus, & omniu m Creator Deus erat corporaliter inhabitaturus.* Sic Anſelmus: obſerua aduerbium illud, *funditus*, vt noueris iugem, & exactiſsimam Angelorum cuſtodiam à primo templi Mariæ lapide, ſiue fundamento ſuper illam excubias feciſſe, ne vllus Angelo percutienti aditus eſſet, adſtipulante S. Petro Damiano ſerm.3. de *Natiuitate Virginis*, his verbis: *Quidergo vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ inſtar cœli, plenitudinis totius Diuinitatis meruit eſſe ſacrarium?*

Iam vero, vt omnia, ſibi omnino conſonent: vide quid Salomon poſt præfata verba *Dominus poſſedit, acquiſiuit, & redemit me*: ſubijcia. *Abæterno ordinata ſum*: Vbi ex Hebraico fõte habetur: *A ſæculo principatum habui*, vel vt plures verſiones habent: *Coronata ſum*: Vt Deipara his verbis rationem poſſeſsionis acquiſitionis, & Redemptionis Dei erga ipſam reddat: Vt dum eodem ductu à Salomone poſſeſſa, redempta, & coronata dicitur: ipſius redẽptionem à coronatione, & electione in Dominam fuiſſe factam noueri mus: Quod planè tinniunt verba à nobis ſuperius expenſa ex eodem Salomone Cantic.4. verſ. 7. cœleſtem Sponſum Mariam ad coronam euocante ab ipſo conceptionis ſuæ mundiſsimo inſtanti, ſiue ſtatu ſic inducẽte: *Veni de Libano Sponſa mea veni de Libano, Veni coronaberis*: Nimirũ, vt tibi vidimus mons Libanus pertinebat ad ſortem Domini, à quo incipiebat funiculus Dei hæreditatem, & poſſeſsionem dimetiens: vnde bonus Scholiaſtes Sanctius dicebat: *Nõ ab alienâ poſſeſsione vocat Sponſus, ſed à ſuâ adarctiorem complexum, ſacraſque connubij myſtici delicias: De Libano vocatur, quia in Libano concepta: in Libano nata, neque vnquam in alienâ regione pedem poſuit, aut Chananæo, ideſt alieno domino ſeruiuit:* En igitur Mariæ redemptionem, & è Chananęo, ſiue alieno Domino vin-

Ambr. *Anſel.* *He. Lect* *Cnnt. 4. verſ. 7.* *Sãctius.*

VII

dica-

dicationem per coronam, regiamque dignitatem consecutam: *Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deferat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas.* Vt dicebat Chrysologus: Quibus Canticorum verbis illa omnino concinunt, quibus cœlestis Sponsus cum Mariam humanâ sibi carnem allaturam, vt quãtocyus veniret, appellabat amicam speciosam, & columbam dicẽs: *Surge amica mea: speciosa mea, & veni:* Signatè subijciens: *Columba mea in foraminibus petræ, in caueruâ macceriæ.* Cantic. 2. vers. 13. Vbi cum ex omnium fere PP. expositione foramina petræ ad Christi Domini vulnera, & Passionem referãtur (de quo multus est Gregorius Papa. Itemque Bernardus: & cum illis Rupertus, Aponius, & Cassiodorus) his quidem verbis cœlestis sponsus manifeste innuit, Mariæ immunitatem, & omnimodam puritatem (quam in superioribus ex columbæ imagine, quam latissime persecuti sumus) a Passione, & sanguine Christi, ad quem ipsa velut columba accipitrem fugiens se recepit, ortum ducere, vt omnino videatur ei dicere sponsus. Non equidem frustra, aut casu, ò Mater mea, pura vt columba, & immaculatè concepta es, quæ me humanum genus redimente, *fructum ex pignore*, prima habere debuisti, & inforaminibus petræ ab accipitre in conceptione defendi: Quem sensum ita mihi expressit ex PP. Martinus del Rio: *Columbæ, vt accipitrem effugiant, in petræ foramina se recipiunt, & ibi nidulantur: inter has columbas spirituales Maria est columba columbarum:* Ita ille.

VIII

Nec minor epitasis in hũc sensum subest lectioni horum verborũ apud LXX. cui adhærent PP. Græci omnes & ex Latinis Ambros. octonar 6. in Psalm. 118. & lib. *de Isaac, & animâ*, cap. 4. est ista: *Tu columba mea in tegimento petræ iuxta promurale;* Quibus in verbis, vt manifesta allusio fit ad ea Domini ad Moysen: *Ecce locus est apud me, & stabis supra petrã. Cumque trasibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegã dexterâ meâ.* Exo. 33. v. 21. Itaillis opportunè exprimitur Passionis Christi protectio, quâ Deipara in Conceptione sua Dei dextrâ munita fuit: apta singulas singulis, & obserua illud: *Ecce locus est apud me:* Emphatice dictũ pro re tutissima, & extra omnẽ telorum iactum, vt apud Vatem Psalm. 90. ver. 9. *Altissimum posuisti refugium tuum: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquauit tabernaculo tuo:* Vnde Origenes hom. 4. ex quatuor huius tegumenti, siue velaminis (vt ipse reponit) imaginem persecutus inquit. *Ostenditur autem ei iter istud sub velamine petræ agendũ non sub aere nudo, neque vt patiatur Solis ardores, ne fusca fiat.* Pergit Ambrosius præfato loco, *de Isaãc, & animæ* ex Christi personâ inquiens: *Surge secura integumento petræ: id est tuta præsidio passionis meæ, & fidei munimento:* Subijcit. *Hoc integumento animæ piorum indutæ iam nudæ non sunt, & hæc illa præmunitio, ideoque huic animæ ait:* Et veni tu columba mea in tegumento petræ, &c. Hæc Ambrosius Deiparæ Conceptioni peropportuna, quæ *nõ nuda*, siue *sub aere nudo*, sed *amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*, tanquam Regina dextrâ Dei protecta, & a dextris ipsius stans concepta est.

Tandem iam pro coronide ne in hâc piâ sententia, quæ vt Mariam à labe peccati originalis, immunem, ita Christi sanguine ipsam redemptam facit, Theologorũ auctoritatem desideres dabimus tibi non paucos vtrumque singillatim asserentes, & immunitatem cum Redemptione cõciliantes. Hi sunt ex nostris Cardinales

IX

Chrysol. *Cant. 2. vers. 13.* *Gr. PP. Bernar. Rupert. Aponi. Cassiod.* *LXX. Ambr.* *Exo. 33. vers. 21.* *Psal. 90 vers. 9. Origen.* *Ambr.* *Ap. 12. vers. 1.* *Psal. 44 vers. 10.*

Car.Bel. les Robertus Bellarminus, & Ioannes de Lugo non minus pietate, & doctrinâ, quam purpura eminentissimi ille tom.3.cont.lib.4.de *statu peccati*, cap.16. Hic verò, tom.1.in 3.par. disp.7.sect.3.a num.37. P.Petrus Canisius, lib.1.de B.Virg.cap.6.§. *At qui non decet*: Gregor.de Valentia in 3.par.disp.2.q.1.punct.2. *Respondeo secundum scripturæ phrasim*. Franc. Suarez to.2.in 3.par.q.27.a 2.disp. 3.sect.2.& sect.5.§. *Tandem hoc idē*: Gabriel Vazquez in 3.p.tom.2.disp. 117.cap.13. Franc.Turrian. in epist. de *peccato originali ad Episcop. Antisiodor.* à pagina 45. Ludouicus de Torres selectar.disp.par.1.dubit.2. & 5. Petrus Hurtado de *Incarnatione*, disp.13.sect.6.sub sect.5.n.98. Iacobus Granado *de Conceptione* tract. 1.disp.3.sect.25.n.303. Ioan.de Salas 1.2.q.81.tract.13.sect.5. Monc. disp.7.selectar.part.4.cap.4.§. *Alia sunt haud difficiliora*: Amicus de *Incarnat.* disp.26.sect.10.nu.269. Martinon de incarnat.disp.3.sect.9. §.70.fine. Azor.tom.1.instit.moral. lib.5.cap.44.§.vlt.pag.353. Iacob. Gordonus lib.1.Theologiæ Moralis q.44.c.4.§.4.n.23. Et qui omnium primus ob eximiam pietatem in Mariam immaculatè conceptam citari debuit Ferdinandus de Salazar in celebratissima Apologia de Conceptione, cap.24.§.10.toto. Barradas concord.lib.6.cap.3.§. *Neque vero opponas*. Petrus de Morales in cap.1. Math.lib.3.tract.1.n.6.&20. Gueuara to.1.part.2.obseruat.15.sect.2.à §.4.præsertim 7. Baeza tom.1.in Euang.lib.1.c,4.§.19.& 20. Paulus Sherlogus tom.2.in Cantica Vestigatione 10.à n.29. Petrus Antonius Spinellus in lib. cui titulus. *Maria Deipara Thronus Dei*, siue de *Virginis laudibus*, cap.7.n.11. Theophilus Raynaudus in Dypticis Marianis. Andræas Pinto to.de Concept.sæpe & quidem pluribus è nostris præluxit præstantissimus ille pietate ac doctrina vir P.Ludouicus Pontanus to.2.in Cant.lib.7.exhor.20.§.3.nu.3. & 5. Præterea Scotus in 3.dist.3.q.1. §. *Contra primam rationem*, & §. *Sin autem teneatur*. Ovvandus ad 3.Scoti dist.3.q.1.in titulo, *An B. Virgo fuerit propriè redempta?* Faber.lib.3. sent.dist.3.q.1.disp.10.c.3.§.25. Alijque ex assectis. Item Corduba lib. 1.quæstionum q.44.pag.372.&373. Galatinus lib.7.contra Iudæos c.9. Catherinus in 1.tract.de Concept. B.Virg.1.p.c.1.& in 2.tract.lib.2.c. 1. Rursus omnes ferè illi qui piam sententiam sequuntur, vti Argentinas, Almaynus, Maior, Bacon, Mayron, Marsilius, Gabriel, Castro, Driedo, Roffensis, Cusanus, Lyconiensis, Pygius, Budæus, Theodorus Peltanus, & alij, quos refert Valentia 3.p. d.2.q.1.punt.2. atque etiam Chaterinus Opusc.de *Conceptione*. His Accedunt Andræas Duualius Doctor Parisientis Sorbonicus tract.de peccatis q.vlt.art.6. Nicolaus Ysambertus 3.p.ad q.27.d.vnica.artic.2. qui allegat Viguerium Dominicanum in suis instituc.art.3. Sed & aduersariorum non nulli, vt Deiparam præseruatam à labe originali non faciant, redemptam tamen à Christo, defendi posse arbitrantur, vt Caiet.3.p.q. 27.art.2. Durandus 3.sent.dist.3.q. 1. Medina in 3.p.q.27.art.2.& alij. Videatur Ægydius Lusitanus lib.2.de Concept.q.3. art.& §.1.pag.53.& rursus q.4.art.2.propositi.4.pagin. 123.

Pontan. *Scotus* *Ovvand* *Faber.* *Corduba* *Galatin* *Catheri.* *Argen.* *Almay* *Ma.Ba* *Mayr.* *Gab.Ca.* *Dried.* *Cusanus* *Lyncon.* *Pygius* *Peltan.* *Duual.* *Ysamber* *Ca.Du.* *Medin* *Ægy.Lu*

(§)

MA-

MARIAM, vt immaculatè conceptam, ita à Deo opportuno adiutore verè liberatam, & Redemptam fuisse.

AD NOTATIO. II.

I

Arnob. BOnum auxiliatorẽ describẽs Arnobius lib. 7. *aduersus gentes* dicebat. *Bonus auxiliator nunquam rogari se posci t, spontaneâ semper opitulatione subueniẽs*: sicuti perfectam misericordiam diffiniebat Augustinus in lib. *Quinquaginta homiliarum* hom. 19. *Perfecta misericordia est, vt ante occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus*: à quo non abit egregia laus Trajano Principi à Plinio in Panegirico tributa: *Ciuibus tu alimenta daturus, hoc maximè præstitisti, ne rogarent*: Sed Deo adiutori, & benificę ipsius dextræ, circumscripti, & breues isti benignitatis termini esse videntur: cum ipse auxiliarem manum ad opem ferendam plus exstendat, & *adiutor in opportunitatibus*, sit vt inquit Vates Psalm. 9. vers. 10. vbi adiutorem in opportunitate opportune capias, cũ ad ferendam opem non exspectat casum, siue ruinam, vt lapso manũ porrigat, sed lapsus discrimen præueniẽs stantem firmat, vt firmiter stet, quin labatur, aut titubet, vt non solum sit bonus auxiliator spontaneâ opitulatione subueniens, sed etiam spontaneâ opitulatione præueniens, nec cõtenta sit eius misericordia, vt ante occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus, sed vlterius progrediatur & priusquam esuriat, alimenta ei præparet: vti videris apud Matthæum 15. vers. 32. Dominum dicentem: *Misereor super turbam, quia iam triduo perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos, ieiunos nolo, ne defficiãt in viâ*: Vbi significanter lectio Syriaca: *Ne forte præ lassitudine deficiant in via*, obserua bonum auxiliatorẽ, & adiutorem in opportunitatibus in illis verbis: *Ne fortè deficiant in via*: Dum aliam illis opem exhibere parat, ac eã quam sibi Dauid exoptabat Psalm. 70. vers. 9. inquiens: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, vt videlicet ante quam virtus, hoc est fortitudo, & vires illis deficerent, auxiliarem eius manũ præsentirent. Quasi merita supplicum excedens, & vota Dauidis orationem corrigere videatur, eumque largius de bono auxiliatore sperare deceat: nolo inquiens, *dimittere ieiunos ne deficiãt*: vt dixerit nolo parcam, & seram opem ferre, & deficientem virtutem, siue fortitudinem expectare, vt tunc opem ferã, sed ante defectionem vires præbere, & robur indeficiens conseruare, ita pene capiẽte hæc verba Ambrosio lib. 6. in Lucam: dum post illa subdit: *Bonus Dominus studia exigit, vires ministrat. Caussam mihi dicito, quare eos nolis ieiunos dimittere, immo iam dixisti, quia si quem dimiseris ieiunum, deficiet in viâ*: Ergo in re benignitatis, & auxilij vide quam rotunde dixerit Dominus *nolo*, vt opportunum adiutorem sese probet, atque exhibeat.

Psal. 70. vers. 9. *Ambr.*

II

Enim vero eum sensum præseferre hanc Dauidis locutionem, qua adiutorem in opportunitatibus vocat vel à contrario collige, cum se seruis infidelibus opportunum adiutorem futurum Dominus negabat minacibus hisce verbis: *Mea est vltio: ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum*: Deuteron. 32. vers. 35. vbi

Deu. 32 vers. 35.

obserua

obſerua ſiguatè dictũ *in tẽpore*: & Hebraicè, vt ibi adnotat Lorinus eſſe *in tẽpore opportuno*: qualeid? *Vt labatur pes eorũ*: hoc eſt in ipſo lapſus diſcrimine, & inſtante ruinæ periculo vindictã a Deo fore ſumendã. Nimirum Hebraicè, & Græcè, non eſt particula illa cauſalis, *vt*, ſed potius *cũ*: ideo Pagninus legit *Mea eſt vltio, & retributio in tẽpore, quo nutauit pes eorũ*: Et hoc modo legunt Aug. lib. *contra aduerſarium legis, & prophetarũ*, c. 17. & Gregor. Magnus lib. 25. *Moral.* cap. 9. verſ. 13. Ergo non minatur Deus ſe eum, qui ſtaret, fore ſupplantaturum, aut in ruinã impulſurũ; ſed nutanti, aut labẽti, ſiue in lapſum prono auxiliarẽ manum minime daturum: porrò cum ab hâc diuinæ manus ſubtractione, quæ efficacem opẽ ſubminiſtrat, conſecutiue lapſus ſequatur: Vulgatus conſecutionem exprimens dixit, *vt labatur pes eorum*: Ex quibus non ſolum habes, quid ſit opportuna vindicta, cum videlicet nutanti auxiliaris dextera, non porrigitur: ſed etiã omnino vides adiutorem in opportunitatibus, qui ante lapſum firmat, & ante diſcrimen reddit ſtabilẽ, *ne defiat in viâ*, Et quidẽ ab his minacibus Dei verbis nec hilũ illa differunt eiuſdem Domini Leuitici 26. verſ. 26. *Si ambulaueritis ex aduerſo mihi: ego quoque contra vos aduerſus incedam*: pro quibus LXX. repoſuerunt: *Si ambulaueritis erga me obliqui: ego quoque contra vos incedam in furore obliquo*, Siue, vt legit Clemens Romanus lib. 2. Conſtitut. Apoſtolic. *Ego quoque cõtra vos obliquè ambulabo*: Vel vt in emendatiſſimis Codicibus Hebræis habetur. *Si ambulaueritis caſu mecũ: ego incedam caſu vobiſcum in furore fati*. Quæ ad hâc vindictã ſiue retributionẽ in tẽpore opportuno, ſiue in ipſo caſus diſcrimine dum nutanti pedi, auxiliaris manus non porrigitur, eſſe referenda alibi oſtendo ex infelici morte regis Achab, quẽ quidam caſu ſagittã in incertum iaciens percuſſit inter ipſas iuncturas armorum, vt habetur 3. Reg. 22. verſic. 34. hunc in modum: *Vir quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum*: Vbi dum legis *in incertum* ſagittam directam, & *caſu* percuſſum Regem, ſcito LXX. repoſuiſſe: *Vir rectè collimans*: ideſt, ad certum, & deſtinatum ſcopum dirigens ſagittam: Quæ quomodo conueniãt inter ſe, facile conſtat ex præ dictis verbis: *vt labatur pes eorũ*: & *cum labatur pes eorum*: Nimirum ea caſus natura eſt, vt retrahente Deo manũ, cum nutat alicuius pes, certum caſum, & lapſum, ſiue interitum afferat, nec aliud eſſe, a ſalutari Dei manũ, peculiariter cuſtodiente non protegi, quam a dira militis manu ſcopum rectè collimante ad mortem percuti: Quem inibi ſucceſſum ad ſpiritualem animi caſum, ſiue necem transferebam allatis verbis Auguſtini lib. *quinquaginta homiliarum*, homilia 23. cap. 6. iub perſona Domini dicentis. *O tu qui dicis te non multa crimina commiſiſſe. Quare? quo regẽte? Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi: ſeruabam te mihi, vt adulteriũ non cõmitteres, ſuaſſor defuit: vt ſuaſſor deeſſet, ego feci: locus, & tempus defuit, vt hæc deeſſent, ego feci*, vt dixerit Dominus, vt tot periculis obnoxius conſtares, auxiliari manui meæ, quę te protexit, ne nutaret pes tuus, tribuendum eſt: nec enim cum non peccas, caſu non peccas; ſed me regente, & cuſtodiente: neque cum peccas, caſu peccas, ſed me iuſto iudicio in pœnam tuæ ingratitudinis ſalutarem manum retrahente in tempore quo nutabat pes tuus.

Ergo adiutor Dominus in opportunitatibus, ne labatur pes ſuorum, auxiliarem illis manũ porrigens, quà eorum pedes ſupra petram firmiter ſtatuti, caſui, aut ruinæ obnoxij non ſint vti aiebat Vates Pſal. 39. verſ. 3.

Lect. He & Græ. — A

Pagni. Auguſ. — B

Gr. M. — C

Leu. 26. verſ. 26. — *LXX.* — *Cle. Ro.* — D

Lect. He — E

3. Re. 22. verſ. 34. — *LXX.*

III

Psal.36 vers.3. Hieron. Lorin. *Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos*: vbi pro *direxit*. Hieronym. vertit, *stabiliuit*: Alij, *corroborauit*: Lorinus *strauit viã, per quã graderer absq; offensione: fecit ne, deiicerer, aut laberer in lutum, & cœnum ne infirmarentur vestigia mea, vel mouerentur*: Quæ omnia cõplexus videtur Bernard. ser. 61. in Cantica inquiens. *Quid non boni in petrâ? in petrâ exaltatus: in petrâ securus: in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis à casu: & hoc quoniã exaltatus à terrâ: anceps est enim, & caducum omne terrenũ*: Hæc ille: Et vero peculiare hoc diuinę dextræ auxiliũ, & auxiliarẽ protectionẽ tanti faciebat Augustinus, atq; eius energiã, & vim tã acutis oculis introspiciebat, vt nõ modo illi tribueret stabilem in bono firmitatẽ, sed etiam omnino afferuerit, eamet peccata, quæ hac diuina dextrâ protectus nõ cõmisisset, æquè ac ipla, quæ iam commiserat, dimissa sibi fore dicenda: Audi illum in libro *de diligendo Deo* Sic id differtissime affirmantem: *Non enim sola, quæ commisi peccata, sed etiam, quæ te protegente non commisi: totum à te dimissum deputandum est*: Et subinde ita opportunè diffundentem. *Tribus autem modis à peccato memini conseruatum: scilicet occasionis subtractione: resistendi datâ virtute: affectionis sanitate: multa enim, in peccata incidissẽ, si data esset occasio; sed de miseratione nõ me talis opportunitas apprehẽdit: in multaque incidissem, grauiter impulsus violentiâ tentationis: sed virtutem dedisti mihi Domine, vt sub me esset appetitus meus, & ei quã sentiebam concupiscentiæ, minimè consentirem: sed â quibus dã peccatis tam lõge me facit tua miseratio Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla quidem me eorum tentatio molestaret.* Hæc omnia Augustinus, opportunè nobis primum ob oculos ponens bonum auxiliatorem, & adiutorem in opportunitatibus, nõ qui iacentem erigat, aut lapso manum porrigat, sed potius, qui ante lapsum stabiliat, & ne cadat, corroboret, & ne labatur pes, manum extendat, & sagittæ in incertum iactæ scutum interponat: deinde verò sapienter affirmans, adeo esse præstantem, & opportunum hunc auxiliandi modum, vt & indulgentiæ magnanimitatem, & veram miserandi, siue dimittendi rationem præferat: vti dicebat, *totum à te dimissum deputandum est*. Quid quod? venustatem, & opportunitatem singularis prouidentiæ, & eximiæ benuolentiæ ostendit: dum eum quem amat, in cœnum cadere, & peccati carceri, ac vinculis, ægritudini, seruituti, & morti subiacere nõ patitur, spontaneâ, & prouidẽtissimâ opitulatione his malis occurrẽs.

Bernar. *Augus.*

Fuerit vero operæ pretium ad penitius cognoscendum Deum *adiutorem in opportunitatibus*, è regione illius ponere inanes gentium deos, & sæculi idola ad ferendam suis opem omnino inualidos, & negligentes: subijciente post præfata verba Deuteronomij Deo: *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum? surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*: Vt dixerit: videamus, quam opportunam opem suis præbeant? quomodo nutanti, aut labenti manum porrigant, quâ beneficâ vi suorum malis occurrant? Quo in loco cum plura possemus ex humanioribus litteris in huius sententiæ confirmationem afferre, in quibus dij gentium, aut dormientes, aut *in diuersorio* occupati ad subuemendum (vt illos irridens dicebat Elias 3. Regum cap. 18. vers. 27) inducuntur, contentus ero, si in eum magni poetæ locum, comite Donato, excurram, in quo inducit deam Iunonem Reginæ Didoni, quam in suam tutelã receperat, tunc omnino auxiliarẽ manum dantẽ cum iam iam

Deu.32 vers.37. *3.Re.18 vers.27.*

IV

III

animam exhalabat, nec dantem, vt viueret, sed vt citius moreretur: Et enim cum præmisisset Poeta diram Didonis cum morte luctam illis verbis.

Virg. 4. Æneid. *Illa graues oculos conata attollere rursus.*
Deficit: infixum studet sub pectore vulnus,
Ter sese attollens, cubitoque innixa leuauit
Ter reuoluta thoro est, oculisque errantibus alto
Quæsiuit cœlo lucem, ingemuitque repertâ

subijcit tunc illi in tam præsenti discrimine, & diro fato auxilium à Iuno ne hunc in modum præstitum,

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem
Difficilesque obitus. Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus.

Ecce tibi totam Iunonis in necessitate, eaque extrema protectionem, & auxilium: Scite, & cum acerbo morsu id expendente Donato; illo Hieronymi Magistro his verbis: *In hâc parte Iunonis est nota iuuantis morientem, vt celerius vitam efflaret, quæ si quid posset, vitam præstare debuerat aut viuenti subuenire, cui decerneret, mori.* Hæc Donatus: tantum non dicens. Animaduerte, quam manca, & inualida Iunonis ad opem ferendam manus fuerit, dum magna illa Dea iam parcum, & tardum præstitit auxilium, quando Didonis vita cum morte luctaretur Irim demittes Olympo. Nec per se ipsa Didoni subuenit, neque allenuit vulnus, neque refecit moribundam, neque recreauit afflictam, neque illam, quæ

Nec fato merita nec morte cadebat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore

vitæ integræ saluam restituit, cum posset, quæ *omnipotens* dicebatur aut in columem a vulnere seruauit, cum id facere debuisset, immo vero parcam eam opem tunc attulit post longum Didonis dolorem, longumque luctamen, longum miserata dolorem: Sed quam opem, vt luctantem animam, nexosque resolueret artus, citiusque infeliciter animam exhalaret, Vt vitam duceret commodiorem Dido, vt longius à morte, & gladio iret, vt periculis superior esset curare debueras, ò bona Iuno! non vt mortem celerius accerseres. Morientem vrges? cadentem impellis? agenti animam instas, eamque extremis ei, quæ tibi dum vixit, studiose inseruiunt? Ita ne dij gentium opitulantur, & in necessitate eos protegunt, à quibus officia ipsis impensa præstita sunt? ita suos denique iuuare consueuerunt? & melioris status, & leuationis vitæ commoda quærunt? Ita plane: Ita omnino opem ferre solent: eam scilicet opem, vt celerius vitâ effluent ij, à quibus sibi accurate, diligenterque seruitur.

Iam ad rem: Deum erga Mariam adiutorem in opportunitatibus omnino crede, qui ipsi ante discrimen auxiliarem manum præbuerit, ne nutaret pes eius, itidemque supra petram, hoc est in se ipso statuerit, & corroborauerit gressus eius, immo, & laudauerit, inquiens: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis:* Canticor. 7. vers. 1. vt ipsa merito dixerit. Quid non boni in petrâ? in petra exaltata, in petrâ secura, in petra firmiter sto, secura ab hoste, fortis à casu: & hoc quoniam exaltata à terra, anceps est enim, & caducum omne terrenum: Alius quippe Dei in opitulando, ac inanium deorum mos. Scilicet ipse ad morem Iunonis parcam eam opem moribundæ afferentis, Matri suæ dilectissimæ non nisi prius sauciæ, ei vulnere peccati; immo iam mortuę opitularetur? ita genitrici post periculosam luctã, immo post infelicẽ casum longũ miseratus

V

Cant. 7. vers. 1.

dolorem ſubueniret? Et qui non
ſalio, vt Iuno, ſed verè omnipotens
incolumem ſeruare potuit, ſauciæ
vulnus alligare maluit? Non credo:
qui noui adiutorem in opportuni-
tatibus: Etenim niſi Deum ſub hoc A
ſenſu opitulandi ante diſcrimen Ma-
riam in Conceptione ſuâ immunem
à lapſu ſeruaſſe dixero, vereor fatен-
dum mihi fore nunquam ipſum Ma-
riæ adiutorem in opportunitate ex-
ſtitiſſe, præſertim dum hæreo Ange-
lici Doctoris ſenſui, & doctrinæ: Ni-
mirum ſi Deum aliquando Deiparæ
opportunum adiutorem fecero, vt
par eſt, cum ipſe ſæpe ac pius omnibus
omnino ſuis Adiutor in opportuni- B
tatibus eſſe ſoleat: in hâc vna immu-
nitatis à peccato originali opportu-
nitate ipſi maturam opem attuliſſe
fateri debeo, quod cæteræ omnes
omnino opportunitates, in quibus
Dei Filius Matri ſuæ adiutorem, &
bonum auxiliatorem ſe præſtitit, ip-
ſam videlicet omni culpa actuali, ſi-
ue graui, ſiue leui ſuperiorem faciens
ſi attentius rem examines cũ S. Tho- C
ma, & verũ excutias, potius ad eiuſ-
dem Filij dignitatem, quã ad Matrem
ipſam ſpectare, & è re Filij Dei, quã
Mariæ eſſe dixeris: ipſe namque An-
gelicus Doctor 3. p. q. 27. art. 4. *incor-*
S. Thom *pore*: cum hàc de re ſigillatim agens
præmiſiſſet. *Quos Deus ad aliquid*
elegit, ita præparat, & diſponit, vt ad
id, ad quod eligũtur inueniantur ido D
nei ſecundum illud. 2. ad Corinth. 3.
6. Idoneos nos fecit miniſtros noui
teſtamenti: Subdit. *Beata autem Vir-*
go fuit electa diuinitus, vt eſſet Ma-
ter Dei, & ideo non eſt dubitandum,
quod Deus per ſuam gratiam eam ad
hoc idoneam reddidit ſecundum quod E
Angelus ad eam dicit: Inueniſti gra
tiam apud Deum: Ecce concipies:
Non autẽ fuiſſet idonea Mater Dei:
ſi peccaſſet aliquando: tũ quia honor
parentum redundat in prolem: ſecun-
dum illud Prouerb. 17. 6. Gloria filio
rum patres eorum: *Vnde, & per oppo-*
ſitum ignominia Matris ad Filium
redundaſſet: tum etiam quia ſingula-
rem affinitatem habuit ad Chriſtum,
quia ab ea carnẽ accepit: Hæc S. Tho
mas: ex quibus ſic tandem ſtatim cõ
cludit: *Et ideo ſimpliciter fatendum*
eſt: quod B. Virgo nullum actuale pec-
catum commiſit, nec mortale, nec ve-
niale, vt ſic in eâ impleatur, quod di-
citur: Tota pulchra es amica mea, &
macula non eſt in te: Hactenus ex S.
Thoma: Apud quẽ manifeſtè vides,
adeo è re Filij Dei fuiſſe, Matrem ſuã
abomni culpa actuali, quãtũuis leuiſ-
ſima immunẽ facere, propriæ videli-
cet dignitati, & gloriæ cõſulẽs, vt ſibi
ipſi, ſuæque auctoritati, & decori, po
tius quã Virgini, ea in re opportunã
opẽ præſtaſſe videatur: Vnde quidẽ
fit, Dei Filium ſi Mariæ Virginiqua Ma
ria eſt, cuique præter reuerentiam, &
cultũ Matri debitũ, ſingulare amoris
obſequiũ debuit, adiutorẽ in oppor-
tunitate ſe præſtitit, ipſam à peccati
originalis labe, quod vnũ illi omni-
no diſcrimẽ (iuxta præfatũ ſenſum S.
Thom.) imminere potuit, anticipata
ope vndequaque expertẽ reddidiſſe:
Quò denuo aduocare poſsis Ambro
ſij verba toties repetita: *Nec mirũ ſi* *Ambr.*
Dominus redẽpturus mundũ operatio-
nẽ ſuam inchoauit à Matre, vt per
quã ſalus omnibus parabatur, eadem
prima fructũ haberet ex pignore: Vbi
pulchrè dixit Ambroſius prima fru-
ctũ haberet ex pignore: cũ videlicet
per eâ ſalus omnibus, & peculiare ad
iutoriũ in opportunitatibus paraba-
tur: quid enim iuſtius? quid cõueniẽ-
tius? quã vt ipſa eũ ex pignore fructũ
haberet, vt Adiutorẽ in vnico, quod
ſibi poterat imminere diſcrimine op
portunum præſentiret?

Quod ſi verè æſtimas, nec ſolũ ad
ſonũ vocũ, qui huc etiã omnino fa- VI
cit ſed etiã ad ſenſũ rei, te exerces, nulli
bi quidẽ opportunius auxiliũ Dei Fi-
lium Mariæ præſtitiſſe dixeris, quam
quod in illo Conceptionis inſtanti
ipſi maturè prouidus exhibuit: Et

enim

enim vox *opportunum*: vt eius rei periti docent, cōposita putatur à præpositione *ob*, & nomine *portus*: vt quemadmodum nauigantibus, qui in summo vitæ discrimine, *quatuor tantum digitis absunt à morte* (Anacharsi Philosopho apud Laertium teste) nihil optatius, iucundius, & votis accōmodatius, quamfidi portus securitas, & tranquillitas obuenit, ita quod nobis in tempore, & loco optatissimum accidit, aptissime dicitur nobis *opportunum*, quasi votorum, & spei nostrę portus: Sane Ambrosius *in Oratione de obitu Theodosij*, cum infelicem humanæ naturæ in vitam ingressum, ob culpæ originariæ iniuriā, tot casibus, & ærumnis tàm animæ, quàm corporis obnoxium contemplaretur, ipsum cum miserando naufragio cōponens elegantissimè inquit: *Quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluctus expuerit*, & eadem vsus imagine Gentilis Lucretius lib. 5.

Ambr. Lucrec.

Tum porrò puer, vt sæuis perfusus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitali auxilio, cum primum in lumine oras
Nixibus ex albo matris natura profundit,
Vagituque locum lugubri, complet, vt æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum

Quia videlicet in peccatis concepti, & filij iræ nati, tanquam turbulentissimo mari, & ventis, & procellis agitato in humanam vitam proiecti, nō tàm in portum excipiamur, quàm veluti naufragium passi in rupes, & scopulos illidamur: A quâ cogitatione non abit, ipsius naturæ humanę ritus & feralis solemnitas a Plinio expensus libro 7. cap. 8. vt capite nascamur pedibus verò ad sepulchrum efferamur: ita enim ille: *Ritu naturæ capite hominem gigni mos est: pedibus efferri*: Cui ritui eum iam dudum adhibui sensum, vt capite hominem nasci perinde fuerit, ac illius in mundum ingressum à casu, & ruina, siue præcipitio nihil differre, cum tot animæ, & corporis ęrumnas excepturus adueniat: mors verò, quę finem malis imponit, & nostro nos origini reddit, via, & discessus in patriam sit. Et pro Ambrosio quidem, egregie fideiubet Seneca in consolat, ad Polybium capitul. 28. *Si velis credere, altius veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. In hoc profundum, inquietumque proiecti mare alternis æstibus reciprocum & modo alleuans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis deserens assidueque iactans, numquam stabili consistimus loco, pendemus, & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus.* Hæc ille. Apta hæc humanæ vitæ à peccato originali ortum ducēti, apta miseris hominibus capite nascentibus in casum, in ruinam, in præcipitium, quos videlicet naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluctus expuerit: Ergo quod nauiganti, & quatuor tantum digitis à morte absenti securus portus, in quo nullum iam possit timere naufragium, aut discrimen: id prorsus Mariæ opportunum à Deo adiutore auxilium, & benignissimè in opportunitate data dextera, vt quando cœteri mortales in peccatis concepti naufragium faciunt, & in saxa, & scopulos illiduntur, ipsa ab Anna hoc est *gratia* concepta Domina nascatur, & blandissimis, & vrbanissimis Dei manibus excepta, in illis pro communi humanę naturæ naufragio suauissimum, & tutissimum portum inuenerit.

Plinius.

Seneca

VII

Sanè, potentissimus ille æquè, ac sapientissimus Rex Salomon de se ipso in peccato concepto tanquam de naufrago à quodam naturæ fluctu in hanc vitam exputo accurata oratione diceba: *Sumquidē, &*

Sap. 7. v. 1. & 2.

ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, in ventre matris figuratus sum caro, & ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: Sapientiæ 7. à ver. 1. quibus in verbis sapiés Rex omnes pene notas originarij delicti videtur recensere dum se, omnibus similem dicit, & *ex genere terreni*, notanter addens *illius*, vt indice designet malorum originem, & in ventre matris nõ in spiritum ad Dei similitudinem, & virtutes factum, sed in carnem, à quâ prima mali labes, & quidquid est malorum in vitam inuchens, figuratum, vt iam exinde omnium peccatorum imagines, & characteres deduxisse, & secum deferre videatur, in super memorans *communem aerem*, peccato scilicet infectum & pestifero halitu corrumpentem, dicente Augustino lib. 9. de *Genesi* capit. 10. *Quid aliud non dicam nati, sed omnino concepti nisi ægritudinem quamdam inchoamus*, & eodem libr. cap. 31. docente, *corpus hominum duxisse morbidam, & mortiferam qualitatem:* Vbi obseruatu etiam est dignum accurato verbo dixisse Salomonem, *accepi communem aerem*. Nam vt adnotarunt Ausonius lib. de *Differentijs verborum* & Flau. Cap. lib. de *Latinitate* eo differunt, *accipio, & sumo, quod accipimus ab alio, quod datur: sumimus, quod ante positum est:* Sic dixit M. Tull. secunda in Verrem. *Quod mihi abste datur, id accipio:* pergit Caper. *Sumimus ipsi; accipimus ab alio: sic cum dabimus dicẽdum est accipe*, & c. Vbi vides communem hunc, ac infectũ, & corrumpentem aerem non à nobis sumptũ, sed à primo parente acceptum, & noxia hæreditate, & morbidâ qualitate in nos transfusum: addit denique Salomon, in *similiter factam terram*: spinas, & tribulos germinantem deuenisse: Sed enim cum terræ meminit notanter casum, & præcipitium quæsito illo modo dicendi *decidi terram* explicauit, quo nõ quiuis casus, sed ingens, & ab alto significatur. Sic enim Cornelius Franco in lib. *de differentijs vocum decidere* à *cadere* discriminauit inquiens. *Cadere quis dicitur in plano: decidere vero ex alto:* vnde ad grauem ex casu dolorem Salomon opportune subijcit vehementioris luctus, & fletus signum addẽs: *Primam vocem similẽ omnibus emisi plorans:* Nec enim fuit contentus fletum dicere, aut lachrymas, sed ploratum, qui doloris, & luctus exaggeratio est: dixit siquidem scite Seneca epist. 63. *Grauiter fers decessisse Flacum amicum tuum: plus tamen æquo dolere te nolo*, &c. *Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluãt: Lachrimandum est: non plorandum:* Hæc ille affirmans ploratum esse vehementiorem dolorem, & plorare perinde esse, ac plus æquo dolere: Sed enim qui in terram graui casu decciderat non plus æquo indoluit: immoverò

Vagituque locum lugubri complet, vt æquum est,
Cui tantum in vitâ restet transire malorum

ad quem modum Augustinus lib. 21. *de Ciuitate Dei* cap. 14. *Infantia non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat hoc modo:* Imo vero, quid malorum patiatur qui peccato originali, & ira Dei obnoxius est vagitu lugubri declarat: Quò mirè facit, quod de infante recenter nato ratiocinatur Plutharcus in libro de *Amore prolis* dum inter alia ipsum occiso magis, quam nato similem affirmat hunc in modum: *Nihil est ita imperfectum, inops, nudũ, informe, spurcum, vt homo à partu statim conspectus: cui soli ferè ne exitum quidem in lucem, mundum natura concesit, sed sanguine inquinatus, taboque oppletus, & occiso magis, quam nato simi-*

Sap. 7. v. 1. & 2. *Augus.* *Auson. Caper.* *Fronco.* *Seneca* *Augus.* *Plutar.*

A B C D E

lis. Hæc ille, & alia.

VIII Iam vero è regione verborum Salomonis, purissimâ, & omninò intaminatam Mariæ Conceptionem pone, quæ in ventre matris non tàm figurata est caro, quam viua, & spiratis imago Dei, de qua Damascenus Orat. 1. de *Natiuitate Mariæ* exclamat: *O Diuinum, ac viuum Dei simulachrũ, ad quod opifex Deus inuentus est!* quæ nec accepit, *communem aerem*, nec in *similiter factam decidit terram*, cuius Conceptio non casus, sed potius ascensus fuit. Sic enim de ipsa Cant. 3. vers. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* Et Cãtic. 8. vers. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum.* Similiter Cant. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur* (hoc est *ascendit*, vt Genes. 32. vers. 26. *ascendit aurora*) *quasi aurora consurgens*: Quibus in locis phrasis ascendendi duo denotat: alterum Conceptionem Mariæ: alterũ ipsam, puram, & immaculatam fuisse: Etenim eà primum in vitam ingressum significari, ipsa Auroræ imago euincit: tũ ascensus de deserto, siue desertum ad Annam referas cum Damasceno Orat. 1. de *Natiuitate Mariæ* dicente. *Fiduciam terra concipiat, & filij Sion gaudete in Domino Deo vestro, quia germinauit desertum: sterilis protulit fructum suum*, siue ad humanum genus cum Guillielmo ad verba capitis Octaui, sic de Virgine affirmante. *Verè ascendit. Sed vnde? plane de deserto. Per desertũ antè rectè intelligitur genus humanũ, quod nimirum gratiæ Conditoris propter peccatum Adæ deseruit.* Deinde vero ipsa ascendendi imago aliam à cæteris eius Cõceptionem fuisse manifestat: dum cæteris mortalibus a gratiâ Dei propter peccatum Adæ desertis, & in terram decidentibus ipsa Filio suo, eiusque gratię innixa, delicijs donorum Spiritus Sancti affluẽs viua concepta est. Quam obseruatio nem satis firmat, ipsamet ascendendi locutio animabus recenter baptizatis attributa, Cant. 4. vers. 2. de quibus signatè dicitur: *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro*: In quæ verba P. Martinus del Rio ex veterum PP. sensu hæc habet. *Quod autem ascenderunt de lauacro, quid est? nisi quia prius descenderunt in lauacrum? Baptismus in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti consecratus labachrum est animarum. Descẽdunt hædi immundi, sed ascendunt oues mundissimæ.* Hęc del Rio. Ecce Salomonem, & cæteros mortales in eorum Conceptione tanquam hædos immundos decidentes in terram & a Baptismi lauacro, vt oues mundas ascendentes, Mariam verò à Dei gratiâ egregium hunc ascensum ante baptismum consecutam, cui videlicet ea mundities in Conceptione obtigit, quam reliqui fideles in baptismo perceperunt: quos ea propter Concilium Tridentinum sessione 5. canone 5. quæsito vocabulo *immaculatos* appellat. Ecce Deum adiutorẽ Mariæ in opportunitate factum, qui ne caderet, aut nutaret pes eius, auxiliarem manum dedit: Bonus quidem ipse auxiliator alijs fuit, qui iacentes erexit, & descendentibus, & decidentibus, ascensum tribuit: Sed Mariæ signatè opportunus ante langorem, medicinam præseruantem adhibens:

Sed Salomoni in terram decidenti, & *terram similiter factam*: Maledictioni scilicet obnoxiam spinas, & tribulos germinãtem, nudis pedibus prementi, vt animæ vulnus à peccati originali spinà inflictum significetur oppone Mariam in Conceptione sua gratiæ calceamenta accipientem, ne aut spinę peccati, aut serpentis morsui, animæ ipsius pedes essent obnoxij, vti a cœlesti Sponso sic vsque ad admirationem celebratur Cant. 7. vers. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis!* Vbi

Damas. *Cant.* 3. *vers.* 6. *Cant.* 8. *vers.* 5. *Gen.* 32. *vers.* 26. *Damas.* *Guilliel.* *Cant.* 4. *vers.* 2. *Del Rio* *Con. Tri.* IX *Cant.* 7. *vers.* 1.

Alanus apud del Rio: *Non ſimpliciter pulchri ſed cũ admiratione.* Quã pulchri! *quo excellens, & ſingularis greſſuum eius pulchritudo ſignatur:* Quæ opportunius extuleris, ſingularis ingreſſus eius in vitam pulchritudo ſignatur; dum non aliter ingreſſa eſt quam ſingulari gratia protecta non nudo, ſed calceato pede, cui ſerpens inſidiatur: Geneſ. 3. verſ. 5. id nimirum portendit calceamentorum imago, vt ad verba Lucæ 15. verſ. 22. *date calceamenta in pedes eius*, obſeruarunt PP. dixit ſi quidem Auguſtinus lib. 2. qq. *Euangel.* cap. 33. *ad non tangẽda terrena:* Beda vero, ibi: *Vt curſus mentis ad cœleſtia tendens à terrenarum contagio rerum inuiolata ſeruetur,* & ſimiliter Gaudentius Brixienſ. ſerm 15. ad *Neophytos Greſſus noſtrarum mentium munire præcipimur, vt ſerpentum morſui, & ſpinarum reſiſtamus aculeis:* Sed omnino ad rem immunitatis Deiparæ ſine ambagibus aſſerendam Rupertus ad id loci Canticorum affirmãs: *Diſcalceationem calceamentorum ſpiritus, ſeruilitatis eſſe argumentum: Id circo ancillæ (nempe Euæ) calcaneũ à ſerpente admorſum quia diſcalceata erat: Tu verò filia Principis probè calceata caput ſerpentis contriuiſti:* Ita ille. Ecce tibi pulchrè diſcrimina tam Mariam à Salomone in terram decidente, quæ non niſi gratia munita puros, & immaculatos in ingreſſu vitæ primos greſſus poſuit: quin terrena tangeret eiuſque ſpinis cruentaretur, cuius curſus mentis inuiolatus à terrenorum contagio præſeruatus eſt, quæ probè calceata robuſto pede caput ſerpentis viriliter contriuit: Cui ſenſui mirè congruit ea appellatio *Filia Principis* de induſtria hoc in loco Mariæ tributa, quæ ipſam à cognatione, & contagio Adæ omnino ſecernit, & Spiritus Sãcti dono ipſius Conceptionem aſſignat: Etenim LXX. interpretes apud Philonem Antiſtitem pro *Filia Principis*: legunt: *Filia Anab*: quam vocem ipſe explicat *donum Patris*, id eſt Diuinus Spiritus, vt cum appellat Eccleſia *Donum Dei Altiſſimi:* Vnde indidem Alanus hæc verba ſic effert: *Tu autem es principalis* Filia Principis, *Dei videlicet, qui eſt Princeps Principum, & Dominus Dominantium, qui te ſpecialiter per gratiã genuit.* Hæc ille.

Vt autem Mariam à naufragio peccati originalis, & lapſu in terram immunem vidiſti, ita eius oculos à lachrymis ereptos animaduerte, vt merito dixerit in inſtanti ſuæ conceptionis, quod Vates de felici ſuo ad Dei amicitiam reditu Pſalm. 114. verſ. 8. *Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu:* Nimirum primam vocẽ Salomon emiſit plorans, quæ ſui caſu, & præcipitij index foret: vnde quidem Plinius lib. 7. primum hunc ploratũ, ſic ediſſerens *flens animal cæteris imperaturum, & à ſupplicijs vitam auſpicatur: vnam tantum ob culpam quia natum eſt:* Errauit, quidem, & vehemẽter errauit qui dixiſſe debuerat, vnam tantum ob culpam quia in peccato conceptum eſt, atque ideo filius iræ, filius pœnæ, filius gehennæ (vt inquit Auguſtin.) naſcitur. Ab hoc verò fletu quid magis fuerit alienum, quam Maria in ſuâ Conceptione, quæ aſcendit ſicut Aurora? cui, & doctum, & imperitum vulgus in ortu riſum tribuit. Vt filia Principis iam tunc, *riſu cognoſcere patrem*, potuerit: Vnde Gregorius Neoceſarienſis ſignatè appellauit ipſam, vas lætitiæ; ſic enim ſerm. 2. de *Annunciatione* ait: *Aue gratia plena, quæ ſuper cœleſtis lætitiæ vas es, & receptaculum:* Vt videlicet ad Mariam tãquam ad proprium locum lætitia ſe recipiat: Sed quare? aperit idem Pater ſerm. 1. de eodem feſto nõ ſemel: Sic enim primum. *Tuum eſt, verè aue re, ac gaudere, quoniam tecum Diuina gratia, vt nouit habitationem elegit.*

Genſ. 13 verſ. 5. *Luc. 15. verſ. 5.* *Auguſ. Beda* *Gauden* *Rupert.* *LXX. Philo* *Alanus* *Pſa. 114 verſ. 8.* *Plinius* *Gr. Neo*

X

git: Vt dixerit Mariam vas lætitiæ: quia vas diuinæ gratiæ, à qua procul labes originalis ob quam homo à lachrymis, & ſuplicijs vitam auſpicatur: Deinde vero explicatius inquiẽs *Tu enim, quæ re vera gaudio digna ſunt agis, quoniam immaculatam induta es veſtẽ:* Candidam ſcilicet innocentiæ, & puritatis ſtolam primã; vt alibi vidimus.

XI Iam verò, ſi quæ huc vſque diximus attentius conſideres, in ijs Mariam à Deo Adiutore in opportunitatibus non modo ab originaria culpa immunem factam, ſed etiam verè, & propriè redemptam videris, vt quemadmodum Dei Filius cæteris mortalibus *oleum effuſum*, fuit eorum vulnera curaturus, & *alligans contritiones eorum*. Pſal. 46. verſ. 3. Mariæ verò, *faſciculus mirrhæ*, ipſam a corruptione præſeruans: ita æque ipſius, & illorum Redemptor dici debeat, iuxta ſapientem Bernardi theſim de redemptione Angelorum ſerm. 22. in Cantica dicentis: *Qui erexit hominẽ lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens ſicut hunc à captiuitate defendens, & hâc ratione fuit vtrique Redemptor ſoluens illum, & ſeruans iſtum:* Quare preme ſecundâ curâ, præfata verba Mariæ, *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* Cant. 1. verſ. 13. compoſita cum illis eiuſdem capitis primi, *oleum effuſum nomen tuum*, & in iſtis obſerua, quid de hoc nomine, quod oleum effuſum appellatur ab iſponſâ dixerit Ambroſius Serm. 21. in Pſalm. 118. nempe nomen Ieſus idem eſſe cum ſacratiſsimo nomine IEHOVA addita littera Hebræa, *ſin*, quam ait ſignificare *ſuper vulnus* atque ideo ſenſum horum Verborum eſſe: Ieſum noſtrum Redemptorem, *ſuper vulnus*, generis humani tanquã efficax, & ſalutare medicamentum appoſitum fuiſſe, ſanitatem, & vitam mortalibus immo iã iã morientibus allaturum: Vndeſic pergit. *Super vulnus, quid eſt niſi medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigatur? ſuper vulnus oleum infunditur, vt omnis vulneris aſperitas molliatur.* Ita Ambroſius. A quo non multum abeſt Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi 10. affirmans: *Ieſum apud Hebræos ſignificare Saluatorem: linguâ verò Græca Medicum ſonare, quando quidem & corporum Medicus eſt, & animorum curator: cæterum ſenſilium ſanator, & mentium illuminator: claudorum curator, & peccatorum dux ad pœnitentiam:* Sic iſti PP. circa ea verba: *oleum effuſum*, &c. In his autem, *Faſciculus myrrhæ*, quę in manibus habemus, obſeruatu digniſsima eſt Hebræa vox *Tſeror*, quæ reſponder, voci *faſciculus*, quæ vt alibi notat P. Martinus del Rio ſignificat *crumena* vt Dei Filius tanquam myrrha Mariam præſeruans æquè illius, ac cæterorum Redemptor ſit, cum ſacco paratus inter eius vbera commoratus, vt Redemptionis pertium pro ipſius præſeruatione ſoluens non ſecus, ac pro aliorum curatione, vt à peccatorum ægritudinibus ſalui fierent: ergo qui bonus auxiliator *erexit hominem lapſum*; adiutor in opportunitatibus *dedit* Mariæ, *ſtanti ne laberetur! ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hanc à captiuitate defendens, & hâc ratione fuit vtrique Redemptor, ſoluens illum, & ſeruans iſtam.*

Ergo, vt vides IESVM ſuper vulnus humani generis poſitum, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, *vt omnis vulneris aſperitas molliatur:* qui cadentibus in terram auxiliarem manum porrigit. *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Pſalm. 144. verſ. 14. qui *ſoluit compeditos, & illuminat cæcos* Pſal. 145. verſ. 8. qui Baptiſmi aquis hędos immundos aſpergens mundiſsimas oues eſſe facit: ſanans *omnes oppreſſos à Diabolo.* Actuum 10. verſ. 38. & abſtergens *lachrymas ab oculis eorum.* Apoca-

Cyr. Hie Heb. Le.

Pſ. 146. verſ. 3.

Del Dio

Bernar.

Ambr.

XII

Pſ. 144. verſ. 14. Pſ. 145. verſ. 8. Act. 10 verſ. 38.

lypſ.

lyps. 7. vers. 17. ita omnino intuere eũdem Dominum IESVM tanquã fasciculum myrrhę supervbera ipius commorantem, qui ipsam ab omni corruptione peccati opportunè præseruet, qui anticipato vitæ remedio eripiat, *animam ipsius à morte, oculos à lachrymis, pedes à lapsu:* Quin mundum ingredienscommunem aerem acceperit, nec in similiter factam deciderit terram, nec primam vocẽ similiter emiserit plorás: immo calceata pedes iustitię tanquam aurora subridens ascenderit. Quod omne myrrhæ fasciculus præsefert: Et in super animaduerte: totum hoc præseruationis, & opportuni ante discrimẽ auxilij negotium ad crumenam solnentem, & redimentem esse referendum, vt ex Augustino in Psalm. 85. iam dudum nosti: Sed enim quamuis eius verba ab alijs DD. occupata in ore omnium natent, tamen quod eæ quas ipse affert imagines per opportunæ sint: eas omnino appingere non grauabor: Ergo elucidans ipse Vatis verba: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, cum duo inferna distinxisset: *Quorum in vno quiescerũt animæ iustorum: in altero torquẽtur, animæ impiorũ*: Sic absolute de hoc accipit Vatis verba: *Attendens quidam orans hic iam in corpore Christi positus, & orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris:* Subijcit vero statim eas, quas ijs, quæ hucusq; diximus opportunas, appellaui imagines. Audi primam: *Quemadmodũ si Medicus videat tibi imminentem ægreditudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi: Sic te tracta: requiesce: his cibis vtere: nam si non feceris ægrotabis: tu autem si feceris, & saluus fueris, rectè dicis medico. Liberasti me ab ægritudine, non in qua eras, sed in quâ futurus eras:* Sic Aug. sensum communem habens cũ Ecclesiastico cap. 18. vers. 20. *Ante langorem adhibe medicinam.* Audi alteram: *Nescio quis habens caussam molestam, mittendus erat in carcerem. Venit alius defendit eum, gratias agens, quid dicit? eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor: solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspẽdio:* Ita ille: ac si crumenam conspexisset, quam cœlestis ille fasciculus myrrhæ soluturus pretiũ pro Matris suæ immunitate: *Adiutor in opportunitatibus*, attulit: Vnde tandem concludit Augustinus. *In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuentum esset, ibi essent, inde se rectè dicũt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci:* Sic ille per opportunè nostro instituto.

Augus. *Eccl.* 18. *vers.* 20.

MARIAM, tanquam Dominam à Chirographo damnationis non modo liberam, sed etiam omnino alienam, atque ideo prorsus immaculate conceptam.

ADNOTATIO. III.

PRO ijs, quæ præcedentibus diximus de Maria, quod in Dominam, & Reginam electa fuit ab omni originaria labe immunem exstitisse, opportunus fideiussor adest S. Laurentius Iustinianus in sermone de *Annuntiatione*: Mariæ immunitatem egregijs hisce, & accuratis verbis asserens: *Ab ipsa sui cõceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnatio-*

I

S. Laur. Iustinia

nis aliena Chirographo. Hæc S. Laurentius, quæ vel ea ratione penſiculatiùs elucidare fuerit operæ pretium, quod tum peccati originalis naturam, modum, & cauſſam adeo opportunè exponant, vt illud quaſi de facie cognoſcendum reddant, tum vel maximè, quidquid de Deiparæ immunitate excogitauimus, ita confirment, vt rem acu tetigiſſe videantur: Nam ſi verè æſtimes, & accuratâ illam locutionem, *à Chirographo aliena*, exhauias, nihil illâ inuenies opportunius ad puriſsimam Mariæ munditiam, & exactiſsimam ab omni labe, & quocumque peccati debito, quod humana ſubtilitas excogitare valeat, immunitatem firmandam & explicandam: eſt enim maximè è re peccati originalis Chirographū, quod manu ſua tam pro ſe, quam pro toto humano genere conſcripſit Adam, & debitor chirographarius, & ſibi, & nobis factus eatenus manſit, donec Dei Filius lethale hoc chirographum de medio tulit, & affigens, cruci proprio ſanguine deleuit, vt ex Paulo exactè explicato iam vides.

II Ergo ille ad Coloſſenſes 2. verſ. 13. & 14. arcana, & eleganti oratione de Dei Filio humani generis Aſſertore inquit. *Et nos cum mortui eſſemus in delictis, & præputio carnis veſtræ conuiuificauit cum illo donãs vobis omnia delicta. Delens, quod aduerſum nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci. Et expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*: Hæc Paulus iuxta Vulgatam, cum quâ ferè Græca, & Syriaca conſentiunt, verſu intermedio tantiſper variato ad hunc modum: *Et deleuit in mandatis Chirographum obligationum noſtrarum, quod erat nobis contrarium*, &c. Et de ſenſu quidem huius loci nõ eſt multum ambigendum: Et ſi enim aliquale negotium faceſſerit Auguſtino, vt dixerit epiſt. 59. *ad Paulinũ* quæſt. 7. *obſcura eſſe dixiſti, neque ego adhuc ſine caligine intelligo*: Non eſt tamen adeo obſcurus, qui nos omnino latere poſsit: manuductibus nos Apoſtolorum Principe eãdem ſentẽtiam apertiori ſeu planiore locutione ſic affirmante epiſt. 1. cap. 2. verſ. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, (quæ ſic extulit lectio Syriaca: *Et baiulauit, omnia peccata noſtra, eaque ſuſtulit in corpore ſuo ad crucem*) *vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati ſumus*: Nec non Gentili Seneca qui peculiares Pauli phraſes, & eius ætatis conſuetudinem, quam Apoſtolus ob oculos habere videtur: elegantèr expoſuit cum lib. 5. de *beneficijs*, cap. 11. hęc ait: *Sic latronibus circumuentum defendo, vt tutò tranſire permittatur: reum gratia laborãtem tueor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi detraxero ſordes ſub accuſatoribus iiſdẽ forte ſumpturus. Cum abire in alteram partem poſsim, & ſecurus ſpectare aliena certamina, ſpondeo pro iudicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum deijcio creditoribus eius, me obligaturus, vt poſsim ſeruare proſcriptã, ipſe proſcriptionis periculum adeo*: Sic opportunè Seneca: nam ſi attendis, hæc eius verba. *Spondeo pro iudicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum deijcio*; adeò quantum ad corticem ſententiæ eadem ſunt cum illis Pauli *Delens, quod erat aduerſum nos chirographum decreti: affigens cruci*: vt ipſorum explicatio eſſe videantur. Iam verò totam ſententiam Athanaſius non ſine harum locutionum guſtu in ſerm. de *Cruce, & Paſsione*: Sic elucidauit: *Cum videret malitiam intolerabilem eſſe, neque humanum genus morti vltra reſiſtere, neque ſupplicium ſuorum delictorum luere poſſe, miſeratus noſtram imbecillitatem, eam ipſam induit: ipſe enim, vt Prophetæ ait.* Infirmitates

noſtras

Coloſ. 2. verſ. 14. *Lect. Sy* *Auguſt.* *Lect. Sy* *I. Pet. 1. verſ. 24.* *Seneca.* *Athan.* *Iſai. 53.*

nostras substinuit, & langores baiulauit: *Misertusque nostræ mortis eâ ipsa circum amictus est. Conspicatusque quam non soluendo essemus ad luendam pœnam, illam ipsam pœnam in se transtulit. Christus enim factus est pro nobis piaculum, & ita humanitate nostra indutus, & circumuestitus sese obtulit Patri, vt ipse pœnã substinens hominem à pœnâ liberum faceret*: Hæc Athanasius: E quibus de sensu Pauli vix vlla videtur remanere dubitatio.

III At enim vero, vt de sensu non ambigitur, ita ipsum verbis ipsis omnino aptare non est facile, quod fortasse fuit in caussa, vt dixerit Augustinus, caliginosa sibi hæc verba esse: quid enim fuerit *Chirographum decreti?* aut qua ratione chirographũ, cum decreto simul congruat? nam si vtriusque vocabuli propriam significationem excutias, & vnam cum altera componas, omnino resiliunt, quin valeant in vnum coire: Etenim *chirographum* à *chiros* hoc est *manus* & *grapho* quod est *scribo* compositũ, propriè est cautio, siue symgrapha, aut scriptum proprià manu factum, quo quis debitorem sese profitetur, sic dixit M. Tullius Orat. 2. in Antonium: *Quo me teste conuinces? an chirographo? an litteræ sunt librarij manu?* Vbi ad rem nostram obserua chirographi vim, quod efficax ad conuincendum sit: & indidem ipsemet Tullius: *Cuius domus quæstuosissima est falsorum chirographum officina*: & dissertissime Satyrographus

Vana superuacui dicunt chirographa ligni
Arguit ipsorum quos littera

Vnde apud Iureconsultos dicitur debitor chirographarius, arguit quem littera, siue manus, ita expresse in lege: *Si vt certe, §. Item denique* D. *Commodati* habetur: *Si tibi meum codicem commodauero, & in eo chirographarium debitorem tuum cauere iusseris*, &c. Ab hàc chirographi significatione, sensus, & vox Decreti longe iuerit: Nimirum decretum est regium edictum, siue statutum, quo Princeps voluntatem, & iussa sua serio, & grauiter cognoscenda proponit. Ita Daniel. 3. vers. 10. *Tu Rex posuisti Decretum*, & 2. Machab. 6. vers. 8. *Decretum exijt in proximas gentilium ciuitates, vt pari modo, & ipsi aduersus Iudæos agerent*: Sed illud est in hanc rem signatissimum 1. Esdræ. 6. vers. 11. sub persona Regis Darij. *A me positum est Decretum, vt omnis homo, qui hãc mutauerit iussionem, tollatur lignũ de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo*: Et post pauca. *Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo* A quo non abit id Deuteron. 17. vers. 12. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis morietur*: Et eodem sensu gentilis Plinius iunior. *Decreta quibus damnati erant, proferebantur*. Ex quibus sanè dixeris chirographum, hoc est cautionem manu nostra cõscriptam, nõ bene hærere, siue coniũgi posse cum decreto, idest, Principis statuto, vt dici possit *chirographum decreti*: nam si chirographum manu debitoris conscriptum est, decretum Principis non erit: Si autem regium statutum est, quomodo syngrapha debitoris erit?

IV Sed enim si verba Pauli in originibus attentius expendantur, & tota sententia altius pensitetur, haud difficile dubitationi huic occurrere possumus: Sane pro *Decreti* Græcè est *Tisdogmasin*, idest, *in decretis*, atque ita dissertè habet Lectio Syriaca, vt vidimus, & legunt Ambrosius ibi, & Origenes hom. 13. in Genesim, *chirographum in decretis*, siue, *in decreto*. quod Græci careant ablatiuo in singulari: & eodem modo Hilarius lib. 9. de Trinitate: *chirographum in sententijs*: Ex qua quidem obseruatione, sua cuique voci significatio omnino redditur, vt sensus sit, chirogra-

M. Tul

Iuuenal

L. *Si vt certè* D. *commod*

2. Mac 6. ver. 8.

1. Esd. 6 vers. 11.

Deu. 17 vers. 12.

Plinius.

Gr. Lect

Lect. Sy

Ambr. Origen. Hilariu

pha-

pharium debitorem in ipſamet charta, in quâ Decretum Principis conſcriptum erat manu ſuâ cauiſſe, ſuè ſeſe pœnæ, quam Decretum comminabatur obligaſſe, ad eum modum, quo dicebat Conſultus in alieno codice debitorem chirographariũ cauere iuſſum: Sed ſingula explicare fuerit operæ pretium, vt ex ipſis peccatum Adæ in humanum genus origine tranſmiſſum luculenter appareat. Et quidem Decretum hoc ex Patrum mente omnino eſſe exiſtimamus illam Dei expreſſam volũtatem, ſiuè præceptum homini impoſitum ne deligno ſcientiæ boni, & mali comederet, in quo mórtis pœna tam in primum hominem, quam in omnes eius poſteros intorquebatur: ſic enim Geneſ. 2. 17. *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocũque enim die comederis ex eo: morte morieris:* vt hoc præceptum; ſimulque mortis comminatio (quæ de corporis, & animæ morte tam ſpirituali, quã æternâ intelligenda eſt: vt cum Auguſtino lib. 13. *De ciuitate Dei*, quotquot recte ſentiunt, exiſtimãt) quaſi legis Decretum conſcriptum, & regio diplomate munitum, tunc ante oculos Adæ tam pro ipſo, quam pro eius poſteris, ei propoſitum fuerit: non aliud quidem ex ſe ſupplicium, damnumve homini afferens, niſi illud, quod ipſemet, in manu cõſilij ſui relictus, per præcepti tranſgreſsionem, tanquam propriæ necis artifex; & ſuæmet damnationis auctor ſibi ipſi vellet inferre: ſic namque dixit Sapiens *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: impij autem manibus, & verbis accerſierũt illam:* Sapient. 1. verſ. 13. & 16. Porro, vt Decretum eſt lex iſta præcipiens obſeruantiam, & minas mortis intorquens; ita chirographum dici debet, deliberata hominis tranſgreſsio legis, quâ ille libens, & volens ſponte ſua ſe ipſum dãnat, & pœnæ addicit, ad eum modũ, quo imperator in lege 2. C. de fideicommiſſarijs libertatibus dicebat. *Tu te pœnæ ſubdidiſti:* Sane quaſi in ipſâmet charta, in quâ Dei Decretũ exſtabat conſcriptum *in quocumque die comederis morte morieris;* homo tãquam debitor chirographarius propriâ manu cauere, & ſcribere voluerit, velle ſe illi pœnę, atque ſupplicio ſubiacere. Ecce ergo tibi *chirographum decreti*, ſiuè chirographum *in decretis*: cautionem ſcilicet hominis in decreto Dei propria manu factã, quâ ſeſe debitorem mortis profitens ſeſe illi addicit, damnatque. A quo explicandi modo non abit Eccleſiaſticus cap. 15. verſ. 14. vbi ait: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui: adiecit mãdata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabũt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam, & ignẽ: ad quod volueris porrige manũ. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi:* quippe placuit illi mors; & ad ipſam, manũ ſuã porrexit, mortis chirographũ propriâ manu ſcribens: Sed enim Chryſoſt. & Orig. tã Pauli verba, quã ſenſum mire elucidarunt: ſic nãque prior hom. 1. *Ad Neophytos*, to. 5. *Venit Chriſtus, & inuenit noſtrũ paternũ chirographũ, quod conſcripſit Adã: ille initium induxit debiti: nos fœnus auximus poſterioribus peccatis: ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, legiſque condemnatio:* ita ille quæcumque diximus firmãs: obſerua accuratum dicendi modum *noſtrum paternũ chirographũ, quod conſcripſit Adam:* Sapienter *noſtrũ* appellans; quod noſtro ille nomine, tanquam caput conſcripſit: itidẽq; illa: *Ille initiũ induxit debiti nos fœnus auximus poſterioribus peccatis:* quæ videlicet ab illo initio debitum pſerunt originem: quod argumẽtum latiſsime perſequitur S. Ephrem *in confeſsione, ſiue reprehenſione*

l. 2. C. de fide. lib.

Eccl. 15. verſ. 14.

Geneſ. 2. verſ. 17.

Aug.

Chryſoſt

Sap. 1. verſ. 13.

S. Eph. Origen. Theod. Amb. Cyprian Baſil.

ſui ipſius: Origenes verò homil. 3. *In Geneſim* eodem cum Chryſoſtomo ſenſu inquit. *Iſtud quidem, quod dicit chirographum peccatorum noſtrorum cautio fuit: vnuſquiſque, etenim noſtrùm in his, quæ deliquit efficitur debitor, & peccati ſui litteras ſcribit.* Sic ille, Ad cuius guſtum loquuntur Theodoret. & Ambroſ. ibi: Cyprianus in ſymbolo, num. vlt. & Baſilius in cap. 10. Iſaiæ.

III Atenim verò, vt hęc ia m noſtro inſtituto ſint opportuna: eſt operæ pretium in manu illa Adami chirographum lætale in decreto Dei cõſcribente, & ſeſe, & ſuos pœnæ ſubijciente: hoc eſt in deliberatâ eius voluntate præceptum Dei ſub pœna mortis obligans, tranſgrediente, contemplari ſimul omnium omnino hominum manus manui Adami inhærentes; & pugillari exitiali inſiſtentes ad ſimul ſcribendum chirographum; ſiuè ſcripto ſubſcribẽdũ: opportunè hâc eîdem locutione retentâ id docente Concilio Epheſino, cap. 7. tom. 6. his verbis: *Per Adamum omnes peccato quaſi chirographum dederamus: omneſque Diabolus in ſeruitutem redegerat: corpore noſtro permultis pathematis ſubiecto, veluti chartâ vſus noſtræ venditionis pretia oſtentabat, paſſioniſque debitum malignus ille falſarius minitabundus ob oculos nobis ponebat.* Hæc Concilium: cuius ſenſum optimè diffudit S. Petrus Chryſologus ſerm. 111. accuratè ediſſerens Paulum ad Roman. 5. verſ. 12. dicentem: *Sicut per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt:* Sic primum dolenter, & queribundus exclamat: *O dura hæreditas! O crudelis! O miſeri, quibus nec adipiſci libuit, nec renunciare licuit nos hæredes! audi quod ſequitur:* Et ita in omnes homines mors trãſiuit. *Et quo fonte lachrymarum talis nobis planè deflendus eſt parẽs? qui nos tantarum miſeriarum reliquit hæredes, qui nõ ſolum collata bona perdidit, ſed omnes poſteros ſuos tam ſeris creditoribus obnoxios ſic reliquit?* Statim verò iuſtiſſimo Dei decreto ſubſcribens cauſam diligenter pertractans, ſic tandẽ dirimit: *Sed ne iniuſtum forte videatur, cur per vnum in omnes, quia omnes per vnum: per eũ te deteſtaris eſſe damnatum, per quẽ te editum eſſe gloriaris in lucem. Sed dicis, ſi generi debeo, quod natus ſum: nũquid & crimini, vt antea me reũ faciat natura, quã culpa? Huic quæſtioni tuæ mox qui ſequitur Apoſtoli ſermo reſpõdit, dicendo:* In quo omnes peccauerunt: *Si in illo omnes peccauerũt, meritò per illũ omnes ſuſcepêre ſupplicĩũ.* Hæc ille apud quẽ obſeruata illa, *poſteros ſuos tam ſeris creditoribus obnoxios ſic reliquit*; quibus Adę poſteros debitores chirographarios omnino facit: vt docebat Concilium *per Adamũ omnes peccato quaſi chirographũ dederamus:* necnon & hæc: *Si in illo omnes peccauerũt, merito per illum omnes ſuſcêpere ſupplicĩũ:* Quę ad omnium voluntates in Adami voluntate contẽtas: & omnium manus læthali chirographo ſubſcribentes referẽda ſunt: vti etiã Aug. lib. 1. *De peccatorũ meritis, & remiſſione*, c. 10. ad eadẽ Pauli verba, *in quo omnes peccauerunt*, reddens huius rationẽ, & cauſam ſic monuit: *Quia omnes homines fuerũt ille vnus homo, ſcilicèt Adã:* quia in illo videlicet, tanquã in origine, radice, ſemine, & repræſentatione cẽſi, & cõprehenſi eãdem voluntatẽ cum Adã habuerũt; idẽq; peccatũ cõmiſerũt: vt merito voluntariũ nobis eſſe dicatur peccatũ originale; etſi quidẽ volũtate alienâ; tamẽ quod propriũ cenſeatur: tũ quia volũtas Adæ cẽſebatur propria noſtra: tũ quia ſingulis nobis inhęret eius macula habitualis, quã ille actus Adã in nos trãſfudit: Inde tandẽ ſic cõcludit indidẽ

Chry-

Conc. Epheſ. *Rom. 5. verſ. 12.* *Chryſol.* *Aug.* *Chryſol.*

Chryſologus. *Non ergo peccatum verſum eſt in naturam, ſed dum peccatum mortem ingerit, pœnam ſibi debitam exigit per naturam: Deus naturam ita fecerat, vt homines crearet ad vitam, quæ tamen dum morti nolens generat, illa ſe peccato fatetur obnoxiam, cuius pœnæ deſeruit in vita.* Hæc ille.

Ecce tibi quid ſibi voluerit S. Laurent. Iuſtinianus quæſito dicendi modo de Mariâ inquiens. *Ab ipſa ſui Conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo*: Nimirum ea omnia, quæ hucuſque diximus ob oculos habens non fuit contentus affirmare Deiparam *in benedictionibus dulcedinis fuiſſe præuentam*, vt quæ Dei Mater erat futura anticipatâ benedictione, eaq; indulgentiſsima manu cęleſtibus donis, gratijſque refertâ ipſi impertitâ peccato originali occurreret, vt omni tẽpore, ratione, & modo benedicta, & gratiâ plena exiſteret, ſed notantiſsimè adiecit, *à damnationis chirographo aliena*, In qua locutione obſerua vocẽ *aliena*, qua vſus eſt Iuſtinianus, vt omnino affirmaret Mariam tanquã Dominã, ac Reginam, quæ non niſi in Matrem Dei de theſauro Diuinitatis, vt dicebat S. Petrus Damianus, educta eſt, nihil habere commune cũ pacto, peccato, ac pœna Adami læthale chirographũ conſcribentis, quæ videlicet ex vi illius decreti non præuidebatur exſiſtens, nec eius manus vti cæterorũ mortaliũ chirographo ſubcribens ſed poſita cõditione futuritionis (vt aiunt) benignâ Dei manu, & peculiari operatione gratiæ formanda erat. Sanè ſi dixiſſet S. Laurẽtius Iuſtinianus à damnationis libera, ſiue abſoluta chirographo, vt forẽſis ſtylus fert, liberũ à debito, liberum, ſeu abſolutum à pœna euadere, non nemo vellet nobis obtrudere Mariam ex ſanctificatione à peccato liberatã fuiſſe à Chirographo, aut qui mitius nobiſcum ex parte ſentiret, diceret ex ſententia Iuſtiniani peccaſſe illam quidẽ in Adamo, & peccati debito fuiſſe obnoxiam; ſed ex priuilegio, & indulgentiâ à labe originali exẽptam fuiſſe: at enim verò cũ ille dixerit, à damnationis chirographo fuiſſe alienam, planè adſtruit, ipſam extra illã cauſarum ſeriem, extra telorũ iactũ ſemper extitiſſe, nec ad eam, vel Adę cauſſam, vel manũ vllo modo pertinere potuiſſe, atq; adeò, & à culpa, & à debito immunẽ, exſortẽ, & alienã perpetuò fuiſſe. Quare merito hoc teſtimoniũ S. Laurẽtij magni facimus, quòd rẽ velut acu tetigiſſe videatur: etenim cũ chirographũ Decreti conſtet tũ lege diuinâ prẽſcribẽte pœnã, tũ manu humanâ ſubcribente, & ſeſe pœnæ ſubijciente, vtrumq; à Mariâ, quæ tunc non videbatur exiſtens omnino alienum fuit. Quod ſi ipſius manum ad ſubcribendum chirographo tunc quæris, quam aliam, Deus bonè! illam inueneris ipſammet ſic opportunè occurrente: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerũt myrrhã, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſsimâ.* Cant. 5. verſ. 5. Quo in loco prius quam ad manus Deiparæ plenas myrrha prẽſeruationis ab omni labe explicandas accedamus, vide ut hæc verba legantur in originibus, & explicentur à Vener. Honorio *in ſigillo*: Sic nãque in Hebræo apud Pagn. *Surrexi ad aperiẽdũ dilecto meo, & manus meæ ſtillauerũt myrrhã, & digiti mei myrrhã tranſeuntẽ ad cardines peſſuli*: Similiter, & apud LXX. eodẽ fere modo, extrema hęc verba legentes, *digiti mei myrrham plenã ſuper manus peſſuli*: Honorius verò dum refert *peſſulum* ad molem peccatorum, quæ Dei Filio in mundum venturo aditum videbantur intercludere, Mariam eâ ratione oſtium Chriſto facit, quod ab omni labe, & conceptione vndequaque immunis fuit: Audi ipſum: *Sacra Virgo oſtiũ fuit, per quod Chriſtus in*

Cant. 5. verſ. 5.

Pagnin

LXX. Honor.

mundum introiuit: peſſulum autem erat moles peccatorum hominũ: quod ideo ab eâ apertum dicit, quod à ſpiritu Sancto præſeruata, non ſicut cæteri, creditur, in peccato concepta; inſuper, & ſanctè viuendo peccata declinauit, ſicque dilecto ingreſſus patuit, quia per ipſam ipſa miſericordia in Eccleſiam venit. Quotidie enim peſſulum peccatorum remouet, & *per eã ingreſſus gratiæ Chriſti ad nos venit.* Hæc Honorius generaliter de immunitate Virginis, quæ ſuo loco cõmodius expendimus: modo ad rem, manus diſtillantes myrrham pende.

VII Enim verò (ſi verè æſtimas) nihil opportunius ad Mariæ immunitatem aſſerendam, atque explicandam excogitare poſsis, quam cũ omniũ omnino hominũ manus manui, & pugillari Adæ inhærentes, & lęthali mortis chirographo ſubcribentes vides, ſimul Marię manus contemplaris myrrham, eamque probatiſsimam diſtillantes, vt ab ipſa ab omni labe præſeruata, quin corruptioni vllo modo potuerit ſubiacere, manifeſtè appareat, vt alijs ſubſcribentibus, & ſeſe peccato, & pœnæ ſubdentibus Maria dixerit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, a quo manus mea myrrhã diſtillat, quę à communi lege me ſecernat, & a damnationis chirographo alienam extra cœterorũ cenſum ponat: pulcherrime in hunc ſenſum inſlectente Philippo Abbate hæc Canticorũ verba, quæ in manibus habemus & myrrham probatiſsimam à Deiparæ digitis defluentem ſic explicante, *probatiſsima eſt, quæ omnibus vitijs aditum prorſus negat, quæ verſutias hoſtium obſerato mentis oſtio ſic relegat, vt non ſolum non permittat conceptam duci nequitiam ad effectum, ſed profectu fortiore iam nec laxet ianuam in conceptum:* Obſerua illa obſerato mentis oſtio: & hæc, nec laxet ianuam in conceptum, quæ myrrhæ proprietatem in Deiparæ immunitate ab omni ſorde mire explicant:

Philipp Abb.

Sed illud ad præſens inſtitutum opportunius, quod indidem de hoc myrrhæ effectu, ſic habet. *Myrrha molles, & fluxas carnes dicitur confirmare, & ne lege naturali ſubiaceant putredini, conſeruare.* Ita ille de induſtria, quaſi coniurans cum ſenſu S. Laurentij Iuſtiniani vſus eo dicendi modo, *ne lege naturali*, &c. Vt Mariam extra legem, & tranſgreſſionem Adæ, & ab ipſius chirographo alienam faciat: Quid enim Mariæ, & legi naturali, quæ homines in peccato concipi præſcribit? quæ & extra legem (ratione toties à nobis adducta) & ſupra legem tanquam Domina, & Domini Mater eſt: Ita quidem Gręgorius Neocæſarienſis in ſerm. 1. *de Annuntiatione*, ſcitè affirmat, ideo ab Angelo, gratiâ plenam fuiſſe appellatam, quod in ipſa totum, gratia, nihil lex communis ſibi vendicet: Sic enim ille. *Dicitur enim* gratia plena, *quod naturæ leges gratia ſuperet.* Benè omnino, vt Maria à faſciculo myrrhæ munita præſeruata, atque à damnationis chirographo aliena fuerit, gratiâ legem naturæ ſuperante, atque ipſam cõfirmante, ne putredini originalis delicti lege naturali ſubiaceret.

Gr. Nœc

VIII Nec omitti hoc in loco debet etiã ſi frequentiſsima ſit Reginæ Æſther imago, Mariæ immunitatẽ à lege naturali, viuaci penicillo exprimens: dũ magnus ille Rex Aſſuerus Dei perſonã gerens hæc Reginæ blandiſsimè ſuggeſsit: *Ego ſum frater tuus. Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Æſther 15. v. 13. quæ verba LXX. adc. 5. v. 2. ſic repoſuerũt. *Quia cõmune præceptũ noſtrũ eſt:* tantũ nõ dicens: Hæc lex nõ ad Principes, & rerũ Dños, ſed ad ſubditos ſibi populos pertinet: nam cõmune præceptũ eſt, pro ijs, qui in regno communitatẽ, & vniuerſitatẽ cõſtituunt: quod nec te reſpicit, nec vllũ in te ius, ac vim habere debet: quæ Regina, & Regni cõſors mei es: vti hæc verba vterq; Ioſephus

Æſt. 15. verſ. 13. LXX. Ioſephus

Hebræus

bræusille scilicet Gor. filius li. 2. c. 45. & alter Iudaicarũ antiquitatũ Scriptor opportunè expresserе: Sicenim prior *Lex ista nihil dominij habet in te, eo quod tu sis Regina, & cõsors mea:* Similiter alter ex ore Regis affirmans. *Legem illam latam esse in subditos, ipsi verò, vt Regni sociæ licere:* Subdit P. Iacobus Salianus tom. 5. Annal. ad annum 3601. num. 23. *Vnde, & mox legem dicit nostram, non autẽ meã, quod plurimũ valuit ad animandam Reginam*: Pergit Iosephus nuper citatus. *Hæc locutus sceptrum in manum eius inseruit, & ceruicem virga eius per mulcens aurea â legis metu omnino fecit liberam*: Ex quibus iam tunc in figuram, & gratiam Mariæ conscriptis, omnino vides ipsam à lege naturali, & damnationis chirographo alienam: indemque rationem, causſam, & modum immunitatis ipsius, nempe, quod Regina Domina, & consors regni Filij Dei sit, qui, quà sponsus eius est, fratrem se suũ ipsamque sororem in Canticis passim appellat: Vnde hanc legem communis originis non pro ipsa, sed pro omnibus constitutam esse. Quæ omnia sic pulchrè firmat S. Ildephonsus lib. de *Virginitate B. Mariæ* inquiẽs *Quid est quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus.* Hæc ille.

Salian. *Ioseph.* *Ildephõ.*

IX

Nec hinc discessero, quin huic cogitationi prophanas leges, & iura, nec non Iurisconsultos subseruire fecerim. Nimirum, vt videmus cunctos Adæ filios iure vitiatæ naturæ debitores chirographarios factos, & ex Dei decreto mortis pignoris obligatos: dæmone chirographi obligationem vrgente, atque premente, vti dicebat Chrysostomus de Adamo, *Ille initium induxit debiti: nos fœnus auximus; ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors legisque condemnatio*, ita etiam leges, & iura Deiparam ab hac generali obligatione eximentes omnino conspicimus. Nimirum ex lege 6. & ex lege 8. ff. *de Tignoribus, & hypothecis*, manifestè constat, generali obligatione non contineri, quæ quis specialiter pignori obligaturus non fuisset; ea scilicet ministeria, quæ ad affectionem pertinent, & in delicijs habentur: Sic namque Vlpianus decernit. *Obligatione generali rerum, quas quis habuit habiturus ve sit, ea non continentur, quæ verisimile est, quem quam specialiter obligaturum non fuisse*: Quæ singillatim exprimens Consultus subijcit: *Quæ ad affectionem eius pertinent.* Ita Vlpianus: Quod plusplus explicat Emundus Merillius lib. 2. *obseruationum*, cap. 18. inquiens. *Ministeria, quæ ad affectionem pertinent, sunt, quæ dominus in delicijs habet. Lege vltima §. 2. ff. de oper. seruorum.* Hæc ille: Vnde statim ex ijs iuribus nostro instituto intentus, subijcit Emundus: *Cæterum, vt diuinis litteris prophanæ nostræ subseruiant, ex dictis legibus melius probaretur, Sanctissimam Dei param generali obligatione peccati communis non teneri; quam quibus alijs locis ex iure nostro sumptis probare vulgo id contendunt.* Ita Emundus Merillius; Et quidem rectè, sunt enim hæc pro Deiparæ immunitate perquam expressa: præsertim si his illa adiungas, quæ de ipsa Cœlestis Sponsus Cant. 7. vers. 6. sic inquit. *Quam pulchra es, & quam decora, charissima in delicijs?* siue vt emphaticè est in textu Hebræo: *Amor Filia deliciarum*: Vbi P. Martinus del Rio. *Hoc loco quidam putant:* Amorem in delicijs, *significare valde, & summopere dilectam. Sed plus dicitur hoc sensu, quia denique, tã es pulchra, & tam decora, vt tota sis pulchitudo, suauitas, & decor: ideo Sponso charissima facta es, & ille te, vt cæpit omni dulcedine, & voluptate perget demulcere.* Hęcille, quod ad Deiparã, ita retulit Ven. Guilhelm.

Vlpian. *Emund. Merill.* *Cant. 7. vers. 6.* *Del Rio* *Guilliel.*

Chrysost

Non ſimpliciter dicitur: pulchra es, & decora; ſed quam pulchra, & quã decora: *Et non tantũ chara, ſed* chariſsima in delicijs, *perquod Deo inſigniter placuiſſe monſtratur:* Sic ille: Recte ergo, & ſapienter affirmat Merillius ex prę fatis legibus euinci: *Sãctiſsimam Deiparam generali obligatione peccati communis non teneri:* quia obligatione generali rerũ, quas quis habuit, ea non contineãtur, *quæ ad affectionem eius pertinent*, & quæ dominus in delicijs habet: cum Deipara Deo *chariſsima indelicijs* eſſe ſignatè perhibeatur.

X Vnde manifeſtiſsimè apparet ſub quo ſenſu quoties de peccato originali omnes inficiente, agitur: vt apud Paulum iam citatum ad Roman. 5. ver. 12. *Omnes in Adam peccauerunt*, vox *omnes* accipienda ſit, vt nõ pro Chriſto Domino, nec pro Maria Domina: ſed *pro omnibus*, ea locutio ſumatur, vti Reginæ Æſther dicebat Aſſuerus: *Ego ſum frater tuus: nõ pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt:* quippe, vt hic Aſſuerus abſolutè *omnes* dixit, quin Æſter intelligeret, ita & Paulus omnes peccato obnoxios affirmans nihil id ad Mariam pertinere ſenſiſſe credendus eſt, ſed potius velle, non pro ipſa, ſed pro omnibus legem fuiſſe cõſtitutam. quod commune præceptũ, communis lex, commune chirographum, communis damnatio totum in ſubditos robur, & vim, nullum verò ius in Regem, & in Reginam eius conſortem habens, benè ad omnes pertinere, ſiue omnes reſpicere dicitur, quin Reges vlla ratione ſpectare videatur: Quo in loco non omiſerim denuo caſtigare commentarium Gulielmi Eſtij hominis docti quidẽ ſe: aliquando importunè ſapientis in ea Pauli verba, *in quo omnes peccauerunt*: ex his verbis Deiparam in peccatum originale tradentis: Nec tam illi hac omnino de cauſſa iraſci iure poſſem, cum PP. concilij Tridentini ſecutus, qui hæc Pauli verba in manibus habentes ad Deiparam non pertinere affirmarunt, potuiſſet in ipſam pius ab hac generali oratione eam eximere. Bene monẽte Quintiliano, *ducesmagnos ſequentibus honeſtus error*) quam quod in commentario verborũ eiuſdem Apoſtoli ad Philipp. cap. 2. ver. 21. in quibus de Miniſtris Chriſti Romæ commorantibus inquit ipſe: *Omnes enim, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*: ipſemet qui vt Deiparam originariæ labi obnoxiam diceret vocem *omnes*, adeo emungebat, vt contra præceptum Sapientis, Prouer. 30. verſ. 33. *eliceret ſanguinem*, in illos quæ ſua ſunt quærentes penitus pronus eandem vocem *omnes*: in ipſorum gratiam ſic eleuare voluerit: Non ſentit Apoſtolus: *Omnes, qui tunc erant fideles, aut Euangelij miniſtros, vno Thimotheo excepto tales eſſe, &c. ſed omnes dixit pro eo, quod latine dicimus, plerique omnes. id eſt plurimi, valde multi. Quam ſigni Vniuerſalis acceptionem Scripturis vſitatã eſſe docent Hieronymus & Auguſtinus.* Hæc ille: Quæ vellem omnino aptaſſet in gratiam Virginis verbis Pauli ad Romanos potiori iure, maiori pietate, & conformius veritati, ac ſenſui PP. Conc. Tridentini. Bene quidem verum eſt, ſtatim, eundem Eſtium, ne deeſſe videretur pietati in Deiparam, addidiſſe: *ſe eos qui aliter de hâc re ſapiunt nolle iudicare.* Magna ſcilicet clementia, beneficium ad morem latronum dantiũ, qui vitam ijs, quibus non adimunt, dare ſe iactant: Sed nos quidem eam ab Auguſtino, & Hieronymo mutuatam explicandi rationem, quam etiã S. Thomas in commentario verborum ad Philippenſes probat, vt vox *omnis*, non tàm omnes omnino ſignificet, quam plurimos, aut valde multos in verba Pauli ad Romanos, *in quo omnes peccauerunt*, libentius in gratiam Virginis, quam miniſtro-

Quinti.

Philip. 2 verſ. 21.

Prou. 30 verſ. 33.

Eſtius

rum

rum Romæ commorantium transferimus, vt ipsam ab omni labe originali immunem facientes Apostolo nullo modo aduersari videamur.

MARIAM immaculatè conceptam, quod Charta purissima exstiterit, in qua nulla vnquam peccati litura, nullum sui serpens vestigium reliquit.

ADNOTATIO. IV.

I LIbet denuo elucidare præfata verba S. Laurentij Iustiniani de Deiparæ immunitate. *A damnationis aliena chirographo*: Ex his, quæ Concilium Ephesinum de contracta à filijs Adæ originaria labe docebat: *Corpore nostro per multis passionibus subiecto, veluti chartâ vsus; nostræ venditionis pretia ostentabat*: Ex nostris nimirum peccatis, & noxijs appetitionibus, & iniqua lege membrorum repugnante legi mentis, & spiritus, eumcès malus ille nos, & culpæ seruos, & dæmonis esse mancipia, quasi tot contra nos in nobis chirographarias litteras haberemus conscriptas, quot iniquitatibus, & malis passionibus obnoxij essemus dicente Domino Isaia 50. vers. 1. *Ecce iniquitatibus vestris venditi estis*: Vt vero commodius Iustiniani verba omnimodam Mariæ puritatem nobis declarent, & immunitatis argumentum illustre reddat, placet illis adiungere alia eiusdem S. Laurentij quibus eadem epitasis, & vis subest: Sunt ista *in fasciculo amoris*, cap. 7. *Nemo ab ipso mundi initio, vsque ad temporis plenitudinem dumtaxat, Mediatore, eiusque genitrice exceptis, iugum damnationis euasit*. Hæc ille duplicata iam à chirographo, & iugi euasione imagine suppta Mariam immaculatæ conceptam sapienter adstruens. Sed enim vt sensus Laurentij omnino subsistat, à Paulo ratio petenda est, cum ad Roman. cap. 5. inde peccatum originale in hominibus, qui ante Filij Dei aduentum exstiterunt, erunt, & quasi necessariâ argumentatione conuincit, quod actualia peccata commiserint. Etenim cum præmisisset; *sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*: Subijcit, vers. 13. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset: sed regnauit mors ab Adam, vsque ad Moysem*: Quibus verbis, vt melior interpretio refert, contendit Apostolus originale peccatum ex actualibus tanquam causam ex effectibus inuestigans, omnino probare: quasi dicat omnes homines in Adam peccasse, ipsamet eorum vita tot criminibus obnoxia satis manifestat: de quo vide interpretes præsertim Benedictum Iustinianum. Cui quidem argumentandi rationi innixus Augustinus lib. 5. *contra Iulianum* cap. 15. docet ab originali peccato prouenire, ne omnia omnino peccata vitare possimus: Etenim cum Iulianensum prius retulisset, atque probasset hunc in modum: *Illud sanè magnum, verumque dixisti, cum posuisses testimonia Apostoli Petri dicentis epist. 1. cap. 2.* Qui peccatum non fecit: *Notandum esse, quod iudicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit eum non fecisse, vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit*: Subijcit de suo. *Omnino verissimum est, profectò etiam peccatum, maiorsecisset,*

S. Laur. Iustinia

Rom. 5. vers. 13.

Iustinia

Augus.

1. Pet. 1

Idem

II

cisset, si paruulus habuisset. Hæc Augustinus.

Enim vero noxiam hãc, & infelicem primorum parentum in filios, & posteros suos transmissam hæreditatem appositè explicarunt Ambrosius lib. de *Salomon.* ad fin. to. 1. & Chrysologus serm. 111. dum ille expendẽs quam altè, quamque multipliciter suum in primos parentes venenum malus serpens instillauerit, vt inde ad nos simul cum vitâ mors per cuncta corporis membra sparsa trasfunderetur. cum dixisset. *Sic, & serpens diabolus in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram Adam & Euam libenter audientes, quæ eis locutus est:* hunc sensum diffundens subdit: *Fecit in auribus semitam, fecit, & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit, & in manibus, quibus contrectata sunt poma: fecit in lateribus, dum ab eis non, vt fuerant conceſſæ, celebratæ sunt nuptiæ. Tunc serpens potuit in primitiuũ hominem quasi in puluere vestigium facere.* Hæc Ambrosius, pulchrè describens debilitatas ab originali labe hominis vires, mâlo illi fomite insito, qui prauas appetitiones foueat, & noxias concupiscentias accendat: quod ipsemet Opifex, qui primitus formauit *hominem rectum,* in iustitia & sanctitate veritatis, subinde verò, *cognouit figmentum nostrum,* manifestè protestatus est, inquiens, sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescẽtia suâ Genes. 8. vers. 21. quippe, *pedes eorũ ad malum currunt.* Prou. 1. vers. 16. *manus iniustitias concinnãt.* Psal. 57 vers. 3. *Cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & cursum mali operis* Ierem. 22. vers. 17. oculi, *per res varias fornicantes.* Num. 15. vers. 39. *pleni adulterio, & incessabilis delicti.* 2. Petri ca. 2. vers. 14. Quę omnia opportune persequitur Chrysologus cum elucidans præfata Pauli verba: *per vnum hominem peccatum in hũc mundum intrauit,* &c. inquit. *Miserum me: ipse qui erat cauſſa bonorũ omnium, ianua factus est hic malorũ. Miraris eum potestate obfuisse qui facinore suo damnauerit mundum?* &c. *Aduersa est hæc potestas, quæ videtur in opere, sentitur in pœna: impugnat animam, vulnerat mentem: ipsam violat, confunditque naturam.* Pergit verò, & cum Ambrosio coniurans semitas, quas serpens in sensibus Adami fecit, & quas posteri ab Adamo accepimus, sic dilatat, atque diffundit. *Et quid plura? Hoc est peccatum naturæ, quod fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Vtique purus & lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur, & obscuratur iniuriam. At corpus membrorũ partibus, & sensibus suis per hoc, quod est à Deo conditum viget, sed vbi vis febrium cœperit, & procella dominari, totum efficitur imbecillum: tunc amaritudo oris, tunc oculorum caligo, tunc gressuum nutabũda vestigia, tunc inimica aura, tunc chari graues, tunc ipsa obsequia videntur otiosa, & fontes, quantum grati sunt per suam dulcedinem, & naturam, tantum efficiuntur ingrati, cum aliquod vitium ex accessione susceperint.* Hæc Chrysologus omnia ad rem.

III

Sed, & in hunc sensum opportunè inflexit Augustinus illustrem illum Sapientis in humanæ vitæ miserias, & luctus excursum. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam â die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omniũ. Cogitationes cordis eorum, & timores cordis, adinuentio ex spectationis, & dies finitionis à residẽte super sedem gloriosam vsque ad humiliatum in terra, & cinere: ab eo, qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vsque ad illum, qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor*

Ambr. A B C D E Eccl. 40

mor mortis, iracundia perseverans, & contentio. Ecclesiastici 40. vers. 1. etenim cum Augustinus præfato lib. 4. contra Iulianum, cap. 12. & 15. cũ illo de peccato originali disceptans & a gentilium itidem sensu hoc originale malũ non longius abesse adstruxisset, quasi illi effectus ipsius viderent, & deplorarẽt, caussã verò nescirent, sic in hanc rem M. Tul. sententiã affertẽs. *In lib. 3. de Republica Tullius hominem dicit, non vt à Matre, sed tanquam à noua ercà natura editum in vitam, corpore, & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tanquam obrutus quidã ignis ingenij, & mentis:* Statim præ
M. Tul fatâ M. Tul. ratiocinationem ex parte probãs, ex parte cõuellens ita inquit: *Nec hoc iste Auctor dixit, male viuentiũ moribus effectũ, sed Naturam potius accusauit. Rem vidit caussam nesciuit, latebat enim eum, cum* esset graue iugum super filios Adam, à die exitus de vẽtre matris eorum, vsque in diem sepulturæ: *Cum enim sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum:* Hæc Augustinus. Apud quem vides præfatum Ecclesiastici excursum in huius vitæ miserias, siue eas, quæ ad animũ, siue, quę ad corpus spectant, de peccato originali omnino acceptũ: Nec fuerit omittendum, quod eodẽ lib. c. 15. subijcit Augustinus affirmans Hortẽsium, qui eodem quo Tullius tempore floruit, propius ad verum sensum accessisse, quãuis non omnino scopum collimauerit: *Qui nos ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore pœnarum luendarum caussa natos esse dixerãt, aliquid vidisse videntur, vt verum sit illud, quod est apud Aristotelem simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam cum in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorũ corpora viua cum mortuis aduersa ad-*
A
B
C
D
E

uersis accomodata quam aptissimè colligabantur, sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse coniunctos: Hęc Augustinus opportunissimè ad noscendum de facie originale peccatum, & sæuũ illius in hominum animos iugum, atque tyrannidem: cum ab illo sentiamus, *aliam legem in membris* nostris *repugnantem legi mentis* nostræ: *& captiuantem nos in lege peccati*, vt inquit Paulus ad Roman. 7. vers. 23. Nam si benè æstimas, cum hæc membrorum lex eadem sit cum corpore illo mortis, de quo statim ver. 24. subdit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Itidemque cum corpore peccati, cuius antecedenti, cap. vers. 6. meminerat inquiens, *vt destruatur corpus peccati*, vt indidem explicat Origenes, perinde esse inquiens, corpus peccati, ac corpus in peccato conceptum: quid potsis opportunius ad explicandum animos, corpori mortis, & peccati adstrictos excogitare, quam *corpora viua cum mortuis aduersa aduersis accommodata, quam aptissimè colligata?* Videtur quidem idipsemet Augustin siue Auctor libri *de Spiritu, & animâ* (qui exstat inter opera Augustini tomo 3.) cap. 62. ob oculos habuisse cum dixit: *Audi anima qualis sis: onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, distenta negotijs: contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicionibus inquieta, sollicitudinibus anxia, aduena in terrâ inimicorum: coinquinata cum mortuis, deputata cũ ijs, qui in inferno sunt*: Hæc ille: omnia opportuna, sed illa opportuniora: *Affixa membris: coinquinata cum mortuis*, quæ præfatam viuorum cum mortuis coaptationẽ mirè exornant: vt hinc iure castigandus veniat Seneca qui in epist. 22. cum verissimè dixisset: *Peiores morimur, quam nascimur*, vt veram sententiam confirmaret, fal-

Rom. 7. v. 23. 24
Rom. 6. vers. 6.
Origen.
Augus.
Seneca

sum illi fundamentum substrauit inquiens: *Nostrum illud non naturæ vitium est: illa de nobis conqueri debet, & dicere. Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidiâ, cæterisque pestibus. Quales intrastis, exite:* Hęc ille, rem, & causam ignorans: cum enim sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum, & corpus peccati, & ab eo legem membrorum captiuantem nos in lege peccati.

IV

His de originali noxà ab Adæ posteris contracta longiuscule dictis: Ecce iam tibi, quid sibi omnino vellit S. Laurentius Iustinianus cum semel, & iterum pro Mariæ immunitate causam dicens, & à *damnationis chirographo alienam* fuisse, & *iugum damnationis*, euasisse affirmauit: illud videlicet iugum, *graue super filios Adam*, quod tantà verborum copia, & elegantià descripsit Sapiẽs, & aduersam potestatem, *quæ* (vt dicebat Chrysologus) *videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam vulnerat mentem*: semitam scilicet in sensibus corruptioni obnoxijs faciens: suique expressa, & manifesta vestigia relinquens: Nimirum cum Maria *immaculata* (vt verbis vtar S. Ephem iam in superioribus adductis) *& intemerata, incorrupta, atque ab omni sorde, ac labe peccati alienissima* fuerat, quam nimirum omni omnino actuali peccato etiã leuissimo caruisse, certum ex fide est, vt Sacrũ Concil. Tridentinum sessione 6. canone 23. docet, inquiens: *Ecclesiam de Virgine id tenere*: Et in Concilio Claremontano sub Vrbano II. definitum fuisse affirmat Vega lib. 14. in Concilium Tridentinum cap. 18. & S. Thom. 3. p. q. 27. artic. 4. multiplici ratione probat: itidemque Bernar. epist. 174. & Bonauent. in 3. dist. 3. p. 1. art. 1. q. 1. inde manifestè euincitur ab originaria etiam labe fuisse alienam: cuius quidem consecutionis efficacitatem Ambrosius Catharinus Petrus Canisius lib. 3. PP. Franciscus Suarez, & Gabriel Vazquez, & omnes recentiores sapienter vrgent, fideiussorem habentes Augustinum nuper de Christo Domino dicentem *peccatum maior feciſſet, si paruulus habuisset*, plane, vt quod ipse de Christo dixerit cum Iuliano: itidem nos de Maria dixerimus cum eodem Augustino: *non fecit, quia non habuit*: Quod videlicet Dei Filius gloriosæ Virginis Matris suæ corpus, & animã vt dignũ sui habitaculum fieri mereretur, Spiritu Sancto cooperante ita præparauerit, vt ab eà, & peccatũ, & peccati fibras quãtumuis leuissimas radicitus remouere voluerit, ac proinde peccatũ originale, quod est actualiũ peccatorum, & noxiarum appetitionum radix primitus amouerit; quin vllum vnquam in anima, aut corpore Mariæ vestigium inueniri potuerit: totam sibi Deiparam Spiritu Sancto vendicante, totam implente, totam à primo Conceptionis instanti possidente, vt quemadmodum in Adæ, & Euæ sensibus, auribus, manibus pedibus, & lateribus semitam in posteros transferendam serpentem fecisse vidimus, in qua ille virus suum effunderet, atque ea maculosa relinqueret vestigia, à quibus immanis illa fera originalis peccati possit facile deprehendi, ita prorsus è contrario Diuinus Spiritus cunctas Mariæ potentias, sensus, membra sibi vendicans, spiritualem, & Diuinam in illis semitam fecerit, pulcherrimáque sui vestigia in illà perpetuo duratura reliquerit: Sed hæc iam à S. Ioanne Damasceno in Orat. 1. de Natiuitate Mariæ aureo orationis flumine decurrente audi: Sic enim ipse. *O diuinum, ac viuum Dei simulachrum, ad quod Opifex Deus inuentus est! Mentem quidem diuinitus gubernatam habẽs, cupiditatem omnem ad id quod solum expetendum, & amandum est, intentam habes, iram verò aduersus peccatum*

Lau. Iu. *Chrisolo* *Hmphe.* *Cõc. Tri.* *Vega* *S. Thom* *Bernar.* *P. Canis.* *Suareç.* *Vazqu.* *Damas.*

tum duntaxat illiusque parentem. Appetitus tuus in hoc ſitus eſt, vt diuinis ſermonibus nutriaris, hiſque ſagineris: ſanctam omnem, & cum animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes: contra verò ſuperuacaneam, & animo exitioſam antequam guſtes, eijcis: oculi ſemper ad Dominum, perenne, & inacceſſum lumen intuentes: aures diuinum ſermonem audiunt, ac ſpiritus eytharâ oblectantur, per quos Verbum carnem aſſumptum ingreſſum eſt: nares vnguentorum ſponſi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum eſt ſpõte exhauſtum, atque humanitatẽ ſuã vngens. Porrò labia tibi ſunt Dominum laudantia, ipſiuſque labris adhærentia: linguam, & fauces Dei verba diſcernentes: cor purum, ac labis expers: venter in quo habitat is, qui nullo loco capitur: lactis vbera, quæ puerum Ieſum aluerunt: manus Deum geſtantes: genua, thronus Cherubinis ſublimior: pedes, Dei lege tã quam lucernâ deducti: tota denique ſpiritus thalamus es, gratiarum pelagus. Hęc Damaſcenus: cui ſi aliquis longitudinem obecerit, ipſe opportunius, quam alter reſpondebit. *Nõ eſt longa deſcriptio villæ, ſed villa longa eſt.* Et nos pro illo: *Non ſunt multa, quibus nihil demere poſſis,* pro inſtituto, quod perſequimur: Quare penſiculatius ipſa expendere oportebit.

Plin. ſecund. Horat.

V

Compone ergo, quę Damaſcenus hoc in loco de Maria diuino, ac viuo Dei ſimulachro, tam latè, ac diſtinctè affirmat, vt ipſam à Deo Opifice formatam, à Diuino Spiritu perpetuo vindicatam, atque poſſeſſam faciat; cum iis quæ Auguſtinus de hominibus originali peccato obnoxijs aptatâ imagine eorum, quorum corpora viua cum mortuis, aduerſa aduerſis accommodata, quam aptiſsimè colligabantur ex Gentilium ſenſu afferebat: vt indicaret noſtros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis eſſe coniunctos, vt quemadmodum in iis caro cõcupiſcẽs aduerſus ſpiritum, & ex aduerſata peſtiferum virus exhalat: *Corpus enim, quod corrũpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sapientiæ 9. verſ. 15. ita in Maria caro ſpiritui conſentiens, & corpus animæ ſubditum, & cunctæ eius potentiæ ſenſus, & membra Rationi obſecundantia exiſtant: indeque ipſa Diuino Spiritui vndequaque vnita viuẽs cum Deo viuente accommodata, quam aptiſsimè colligata videatur, vt non ſolùm *labia Dominum laudantia ipſius labris adhærentia,* ſed etiam mens, cogitatio, appetitus, oculi, aures, nares, lingua, fauces, cor, manus, pedesque Deo perpetuo adhæſerint: vt inde certâ ratione concludatur; ipſam quam longiſsimè ab illo ſupplicio Hetruſcorum prædonum fuiſſe; quæ nullum cum corpore mortuo commercium habuit. Quâ de re audi ſimilẽ Dionyſij Carthuſiani, & Richardi à S. Laurentio excurſum: Sic enim prior lib. 1. *de laudibus Virginis,* art. 35. à nobis nõ ſemel adductus: *A plantâ pedis vſque ad verticem capitis, nihil penitùs fuit in Virgine, neque in corpore, neque in animâ indecens, reprehenſibile, indecorum: immo totum fuit Diuinæ Sapientiæ cincinno formatum, pulcherrimè circuneiſum ab omni ſuperfluitate pleniſsimè, atque ſpecioſiſsimè operatum.* Richardus verò lib. 5. *de laudibus Virginis,* cum generali oratione præmiſiſſet: *Ad mẽbrorum B. Virginis excellentiam ſingularẽ, laudes humanas addere, neceſſe non eſt, cum ex vitâ illius Sanctiſsimâ totius virtutis forma reſplẽdeat, eius quidem in terris conuerſatio, & omnibus ſanctis imitãda proponitur, & etiam Angelis admirãda efficitur, quæ ſiquidem non ſolùm delectabat; ſed diuinos prouocabat aſpectus:* poſt modum diſtinctos hæc

Carthu.

Richar. à S. Laurẽ.

Sap. 9. ver. 15.

ita diffundit: *Quid enim aliud membra illius erant, niſi quædam ſpirituales linguæ, quas Spiritus Sanctus ſui plectro temperans modulaminis ſuæ digitis præſentiæ mouebat in harmoniam Angelicæ ſimilitudinis. Idem namque ſpiritus, qui illius animã ſui feruore caloris accenderat, membrorũ quoque officia in eam habitudinẽ ſuſpendebat: vndè nihil aliud in mẽbris eius reſonabat, niſi nectar diuinæ, humanæque ſapientiæ expreßum de illâ inefabili ſuauitate, quam in Trinitate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti maieſtatis Diuinæ eſſentia Patri communicat, vel concordia:* Hæc Richardus; nec illa omittenda quæ ſubiicit, cum non ſit longa deſcriptio villæ, ſed villa longa ſit: Ait ergo: *Ad huius puritatis excellentiã nullam alicuius Sancti pertingere ſcimus ſanctitatem, niſi ſolius Mariæ, quæ tantò Diuinitati erat vicinior, quantò Spiritus Sancti muneribus ornatior, qui membra eius veluti in quãdam virginitate cuſtodiebat, vt nulli omnino ſubiaceret corruptioni.* Sic ille; vt dum ſenſus, membra Deiparę plectro Diuini Spiritus in harmoniã Angelicæ ſimilitudinis modulata, & in quadam virginitate immaculatè, & inuiolatè cuſtodita nouimus, inde, neceſſariâ argumentatione concludamus, ipſam quam lõgiſsimè ab illo Hetruſcorum prædonum ſupplicio viuos cum mortuis copulantium abfuiſſe; quæ nullum cum corpore mortis conſortium, ſed totum cùm Diuino ſpiritu commercium habuit.

VI Conc. Epheſ. Ergo dum malus ille (vt teſtabatur Concilium Epheſinum cap. 7.) *Corpore noſtro per multis paſsionibus ſubiecta veluti chartâ vſus noſtræ vẽditionis pretia oſtentabat, paſsioniſque debitum malignus ille falſarius minitabundus ob oculos ponebat:* Ecce tibi Mariã ab eius iure, & minis omnino exẽptam, in cuius corpore, nec vlli peccato, peccativè veſtigio, nec vlli noxiæ appetitioni ſubiecto nullæ chirographi damnationis literæ, nulla venditionis veſtigia inuenire potuit inimicus, vt hâc ratione ipſam appellauerint PP. *Chartam diuiniſsimam*, vt Ephrem orãtione de laudibus Deiparæ, *Chartam puriſsimam*, vt Georgius Nicomediẽſis orat. in oblatione Mariæ: *Folium ſanctimoniæ non ſcriptum*, vt Germanus Patriarcha Cõſtantinopolitanus orat. *in Natiuitatem Mariæ*, quod videlicèt nullæ peccati litteræ, nulla litura, nulla originariæ labis veſtigia in Maria fuerint, vt merito ipſi aptauerit Richardus à S. Laurentio eadẽ quæ de ſe Filius Dei protulit verba apud Ioannem cap. 14. verſ. 30. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*: hoc eſt vt inquit S. Cyrillus in Catenâ Græcâ: *Nullum habeo corpus peccatis obnoxiũ. Nihil enim de ſuo in me diabolus habet*: ſiue vt explicat indidẽ Apollinaris. *Ad me non veniet, vt ad aliũ quempiam peccatis obnoxium*: quæ ſic breui præſtrinxit P. Maldonatus. *Princeps huius mundi in me nullum ius habet*: Sed Richardum iam audi lib. 4. *de laudibus Virginis*, ex Bernardi ſenſu (vt ipſe inquit) ſic loquẽtem: *Hæc eſt Ciuitas ſancta, quæ prærogatiuâ meritorum omnem tranſcendit creaturam ad euacuandã omnem poteſtatem inimici; quæ ſola in omni generationis lineâ dicere poteſt poſt Filium.* Princeps huius mundi in me non habet quidquam, *Ioan.* 14. *& Ioel.* 3. Erit Hieruſalem ſancta & alieni non tranſibunt per eam. Hæc ille, & multo plura in hanc rem in alium locum tranſmittenda. In his modo obſerua illa: *Ad euacuandam omnem poteſtatem inimici*, cum alluſione ad verba Chryſologi. *Miraris cum poteſtate obfuiſſe, qui facinore ſuo damnauit mundum? Aduerſa eſt hæc poteſtas, quæ videtur in opere ſentiri in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipſam violat, con-*

S. Ephrẽ

Georg. Nicom.

German. Patriar.

Ioan. 14 verſ. 30. S. Cyrill.

P. Maldonat. Apolin. Bernar. Richar. à S. Laur

Ioel. 3.

Chryſol.

funditque

naturam: Vt omnino ea verba Christi exprimat Deipara: *Princeps huius mundi nullum in me ius habet*, quæ sub ipsius potestate nunquam fui, nec iugum filiorum Adam sum experta, nec me potest aliquâ ratione ex Chirographo conuenire, cum corpus peccato obnoxium nunquam habuerim, quod semper fui, *folium sanctimoniæ non scriptum, chartaque purissima nullis peccati litteris*, siue lituris exarata.

VII

Ioel.3. vers.

Nec minus opportunè Mariæ quadrant verba Ioelis, quę ipsi tribuit Richard. *Erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam:* Quod si inquiras: qui sint hi alieni? omnino respondebimus non alios fore intelligendos, quam Adam, & Euam, qui dum veneno peccati fuere imbuti adeo à Mariâ alieni censendi sunt, ac si originem, & carnem ab illis nõ traxisset, ac proinde sensum Ioelis esse, primos parentes, in quorum sensibus fecit serpens diabolus semitã, per Mariam minimè transisse, cuius corpus, & anima diuinũ, ac viuum Dei simulachrũ est conditum, in quo *membra erant quædã spirituales linguæ, quas Spiritus Sanctus sui plectro temperãs modulaminis suæ digitis præsentiæ mouebat in harmoniã Angelicæ similitudinis*: ibi suauitas oris, ibi oculorum acies perspicua, ibi aures diuinis sermonibus addictę, ibi nares vnguẽti sponsi odore delinitę, ibi gressuũ firma vestigia, vt Salomoni dicẽti tria sibi negotiũ facessere, & quartũ penitus ignorare, *Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentiâ*, siue vt habent Hebræi trãslatores, *viam viri in adolescentulâ*, hoc est in Virgine (nam Hebræũ verbum *halmal* propriè significat virginem in pennatibus abiconditam, siue clausam, eademque est, quæ habetur de Mariâ Virgine apud Isaiã 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet*, &c.) Prou. 30. vers. 18. facile occurras, Deiparã sub eo ænigmate intelligens, in quâ nullum sui vestigiũ coluber reliquit, ita hanc imaginem elucidãte Richardo à S. Laurentio lib. 8. de laudibus Virginis. *Hæc est petra, super quam nõ est inuentum vestigium colubri*, id est diaboli, nec vir alienus, id est Adã, per illam transibit: hùc etenim hanc *viã viri*, de quâ Salomon, opportunè referes, cum primus homo per anton omasiam vir fuerit appellatus Gen. 2. vers. 23. vbi de Euâ ab ipso eductâ ipsemet dixit: *Hæc appellabitur virago, quia de viro sumpta est*: vt sensus Salomon fuerit, quod quemadmodũ aquila, serpens, nauis nullum siue in aere, siue in petra, siue aquis, sui vestigium relinquunt, ita & primus homo serpentis veneno infectus nullam in Deiparâ semitam facere, nullum sui in eius sensibus, & membris vestigiũ imprimere potuerit, quæ Spiritus Sancti operatione præuẽta vndequaque pura, & illibata fuerit: vt inde firmâ constantique ratione euincamus ab originaria labe fuisse immunem: *Et illud sanè magnum, veruntamen* dicamus: *Sufficere ad ostendendum in ipsa nullum fuisse peccatum, quod non fuerit: Profecto enim peccator maior feciisset si infans habuisset.*

MARIAM Immaculatè conceptam, & à Chirographo damnationis alienam, diuinus eius amictus manifestat.

ADNOTATIO V.

NOtantissimè immaculatã Mariæ conceptionem expressit, nobisq; ob oculos videndã proposuit Ioan. Apo. 12. de Mariâ inquiens: *Signũ magnũ appa-*

I *Ap. 12. vers. 1.*

Isaiæ 7. vers. 14. Prou. 30 vers. 18.

uit in cœlo: Mulier amicta Sole à Solis videlicet amictu Mariam ab Adæ commercio alienam, ac proinde chartam non modo purissimã nullis peccati characteribus deformatã, sed etiã diuinissimam Solis diuini calore & radijs illustratã ostendens: eũ ipsã nõ prius obscura apparuit à Sole post modum illustrãda, & amicienda, sed vt simul ac apparuit, & hunc in mundũ ingressa fuit, diuinũ Solis amictũ habuisse dicatur, hoc est non in Adamo, sed in Christo recensita, vt quẽadmodũ dicebat Tertull. lib. de *anima*, cap. 40. *Omnis anima eo vsque in Adam censetur donec in Christo recẽseatur, tãdiu immunda, quãdiu recẽseatur, peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam suã ex carnis societate:* Ita Deipara nunquã in Adamo recensetur, nũquã immunda, aut peccatrix potuerit apparere, quæ Solis diuini amictu cõspicua semper fuit, ideſt, in cuius corpore, & animo non secus, ac in solis radijs nulla vel leuissima macula, aut maculæ vestigium potuit inueniri, scitè in hunc sensum hæc Ioannis verba exponẽte Bernad. ser. de *Verbis Apocalypsis*, hunc in modũ: *Quam familiaris ei facta es Domina, quã proxima, immo, quã intima fieri meruisti! Quantam inueneſti gratiã apud Deũ! in te manet, & tu in eo, & vestis eũ, & vestiris ab eo: vestis eũ substãtia carnis, & vestit ille te gloriâ suæ Maiestatis, vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.* Hæc Bernardus: Vides Mariã sole amictam, & gloria maiestatis Dei vestitam? Quære in Sole maculam, quære in gloria ignominiam, perinde enim id fuerit, ac quærere in Maria peccati originalis labem. Sed ut hæc explicatius diffundere; ita denuo expẽdere verba Cõcilij Ephesini præced. adnot. adducta erit operę pretium.

II Ergo inquiebat Concilium: *Corpore nostro per multis passionibus subiecto, veluti chartâ vsus* (inimicus) *nostræ benditionis pretia ostẽtabat:* Quod si velis id corpus sub pulchro ænigmate descriptum videre: conijce oculos in primos parentes pelliceis tunicis vestitos & mordaci aceto à Deo perstrictos, atque castigatos:

A Sic namque Gen. 3. v. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos: & ait: Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est:* Vt tã facto, quam dicto ex primeret Dominus sententriã Vatis, Psal. 48. v. 13. *Homo cũ in honore esset non intellexit, comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis:* Id siquidem portendunt pelliceæ illæ tunicæ, sapienter huic illis sensum

B reddente Greg. Nyssen. in lib. de *Vitâ Moysis*, his verbis: *Vt foris pelle belluinâ vterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum deformarant:* Nec minus opportunè iactũ in illos à Domino dicteriũ explicante Philippo Abb. vt illud *Vnus ex nobis* perinde sit, ac vnus extra nos, iãque nobis dissimilis, sic enim ille lib. *de Salute primi hominis*, cap. 23. *Vt non ironia vel insultatio æstimetur, sed potius dictũ serio reputetur:* Ecce *inquit* Adã factus est quasi vnus ex nobis, *ideſt reverâ vnus extra nos: sicut dicitur. Vnus ex consultus, qui aliquãdo Consul fuit & iam non est, qui apertiùs, & vsitatiùs ex cõsul appellatur: sicut enim qui consulatu fungitur dicitur Consul, sic nimirũ; qui eodẽ priuatus est appellatur ex consul, sic etiã ex episcopos, ex abbates, exaduocatos dicimus, qui hãc aliquãdo dignitatẽ habuerũt, & iã depõsuerunt. Adã vero ad hoc factus est ad imaginem Dei, vt & ipse Deus esset cohærẽdo semper ei.* Qui adhæret *inquit* Deo, vnus spiritus est 1. Cor. 6. *Quandiu igitur obediens Patri, & Filio, & Spiritui Sancto mansit in eis, Deus proculdubio fuit, & ipse cũ eis, quãuis non substantiuè, sed nuncupatiuè, nõ naturâ, sed gratiâ nõ laboris sui merito, sed beneficio Creatoris. Postquã autem vetitũ comedens voci vxoris obediuit à consortio illorũ*

E

Genes. 3. vers. 21.

Tertull.

Bernard

Nyssen.

Phil. A

1. Cor. 6.

miserandus exiuit, & qui per iustitiã vnus erat in eis, ideſt, inter eos, per iniustitiã factus eſt vnus ex eis, ideſt extra eos: Cohærendo quippe Deo erat Deus, recedendo autẽ ab eo factus eſt non Deus, quod expreſsius diceretur ſi tamẽ pateretur vſus loquẽdi, exdeus: Hæc Philippus, & alia: Compone ergo hęc Dei verba in Adamum dicta cum tunicis illis pelliceis, & vide hominem ad Dei ſimilitudinem factum comparatum iumentis inſipientibus, dum corpus antea rationi ſubditum iam permultis paſsionibus ſubiectũ geſtauit, nec geſtaſſe cõtẽtus, illud tunicis pelliceis indutũ inpoſteros etiã ſuos miſeranda hęreditate ſic trãſmiſit, vt in nobis infelix ille parens viuere videatur, vt ſapientiſsimè de his pelliceis tunicis Nyſſenus orat. 5. de *Oratione Dominicâ*, hunc in modum diſſerit. *Quaſi enim viuente in nobis Adamo ſingulatim omnes homines, quamdiu pelliceas has tunicas circa naturam noſtram videmus, & temporalia folia materialis huius vitæ, quæ nudati proprijs, iiſque ſplendidis indumentis, malè nobis ipſis conſuimus cũ delicijs, glorijs, diarijs honoribus, & breui durantibus carnis expletionibus diuinos amictus permutauimus:* Hæc Nyſſen. belliſsimè, à quibus monemur, infelicem iſtã nos à primo parente hęreditatẽ percepiſſe, vt qui ad diuinam ſimilitudinem fueramus effecti ab illa deſciſcentes hæreditarias peccati maculas, atq; veſtigia in corpore circũferamus, terrenis videlicet rebus addicti, & terreno puluere, & temporalium bonorũ ſordibus inquinati.

Nyſſen.

III

His plura ſunt in ſacris cõſentanea: hoc enim ſenſu in primis Apoſtolus Thaddæus in ſua Canon. v. 23. magnà emphaſi nos cõmonefecit: *Odientes, quæ carnis eſt, maculatã tunicã:* Quã aliamniſi pelliceã ab Adamo acceptã? Deinde verò eâdem phraſi retentâ Sacra Sponſa Cant. 5. v. 3. ſignatè dixit: *Expoliauimetunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Ita in eum dẽſenſum inflectente hæc verba Ambr. lib. *de Iſaac, & animâ* cap. 6. *Exui tunicam pelliceam, quam acceperunt Adam, & Eua poſt culpam, tunicã corruptelæ, tunicam paſsionum:* Quomodo induam eam? *Non requirit, vt induat, ſed ita ſignificat abiectam, vt iam indumento ſibi eſſe non poſſet:* Laui pedes meos quomodo inquinabo eos? *Hoc eſt veſtigia mea laui, dã egrę derer, ac me eleuarem de corporis contubernio, de illâ connexione, & familiaritate carnalis amplexus.* Quomodo inquinabo eos? *vt in corporis clauſtram, & illũ tenebroſum paſsionum eius carcerem reuertantur?* Hæc Ambroſius: Sed omnino opportunè Paulus ad Coloſſ. 3. verſ. 9. nõ modo cum epitaſi, ſed etiam denſitate ſententiæ rum, idem expreſsit monẽs: *Expoliãtes vos veterem hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum, cũ qui renouatur in agnitionem ſecundũ imaginem eius, qui creauit illum:* Vbi cum tam Græce, quã Syriacè pro verbo, *expoliantes*, ſit *exuentes*; itidèque pro *actibus ſuis*, eadẽ exemplaria reponant: *cũ moribus ſuis*, manifeſtè apparet, tactã ab Apoſtolo alluſionem his verbis ad haſce pelliceas primorũ parentũ tunicas, ſiue carnis maculatam tunicã, quæ nobis pro paternâ hæreditate obtigit; dũ in peccato concepti, & *habitãte* in nobis *peccato* ad Roman. 7. v. 20. praua ſcilicet concupiſcentia, & malo fomite ab illa illecti in ſæcularia bona, & in malũ ferimur: Quod appoſitè expreſsit Nyſſenus illis verbis, *quaſi viuente in nobis Adamo*, vt dixerit eam eſſe peccati originalis naturã, vt in nobis non modo repręſentet, ſed etiã viuentem faciat Adamũ pelliceis veſtibus, ſiue maculatâ carnis tunicâ indutũ, quòin appetitiones noxias, & terrenas resanimũ inquinãtes indefinẽter propẽdimus.

Coloſſ. 3 verſ. 9.

Lect. Gr. & Syr.

Rom. 7. verſ. 20.

Thaddæ verſ. 23.

Cant. 5. verſ. 3.

Quò quidem opportunius, & menti Pauli accõmodatius, quã in alios ab interpretibus adhibitos ſenſus referas

IV

verba ad Rom. 7. v. 5. *Cũ enim essemus*
Rom. 7. vers. 5. *in carne passiones peccatorum, quæ*
per legem erant operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti:
Quibus tamtum non dicit: cum vitã
duceremus peccati legi, ac veluti im
perio subiectam, vno verbo, veteri
Adamo congruentem, prauæ illę af-
fectiones, & animi motus ad peccatũ
incitantes, quales deprauatæ naturæ
vitio ab illa nuda lege prohibente, &
non adiuuãte promanãt, intus in mẽ-
bris nostris sęuientes vim suã exerce-
bant, vt videlicet fructus peccato
originali in nobis radicitus firmato,
hoc est viuenti in nobis Adamo, ferre
mus: ac si diceret à radice peccati o-
riginalis, & ab Adamo peccato ob-
noxio viuẽte in nobis, qui alij fructus
quã noxij, & acerbi passionũ, & cupi
ditatũ poterãt pullulare? Cui quidẽ
sententiæ pulchrè cõcinit peccati o-
riginalis descriptio, à Iacobo Salia-
Salian. no optimę notę, & limati ingenij Au
ctore facta to. 1. suorũ Annalium ad
diem decimũ tertium mundi: hunc in
modũ. *Sanè sapienter fingitur spiri-*
tualis quædãarbor mortis in humano
genere, cuius radix sit peccatũ origi-
nis: truncus amor proprius, ex quo tres
rami ingentes, & quoquo gentiũ effu
si: amoris scilicet, honorũ, diuitiarũ,
voluptatũ proficiscuntur: Hæc ille ip
sissimo sensu, quẽ tunicis pelliceis red
didit Greg. Nyss. nec alio ab eo quo
dixit Paulus, passiones peccatorum,
quæ operabantur in mẽbris nostris
fructificare morti, dũ à radice pecca-
ti originalis tres ingẽtes rami noxio-
rũ amorum: honorũ, diuitiarũ, & vo-
luptatum, à quibus tota malorũ seges
oritur, proficiscuntur; sed inter radi-
cem, & ramos obserua truncum amo
ris proprij, qui se à Deo seiungit, &
ei bellum gerit. Vnde quidẽ Damas-
Damas. cenus 2. *Paralelorum*, ca. 27. Deum
sic loquentem inducit, vt in humani
generis arbore cum libero arbitrio
naturales etiam facultates, & irasci-
bilem, & concupiscibilẽ simul plãta-
uerit, sed quæ rationi subiectæ, & o-
bedientes essent: Audi illum. *Ego o-*
pifex figmento meo concupiscentiam
indidi, proindeque naturalem motum
minimè criminor: nec enim dico, non
concupisces (nimirum quia cum id ve
rat, ad consensum respicit) *non eius,*
quod rectè fatum est radicem auello,
verum adulterinas corruptæ stirpis
fibras elido, atque amputo: Sic Da-
mascenus: Ecce ergo tibi adulterinas
corruptæ stirpis fibras, concupiscen-
tiam carnis, concupiscentiam oculo-
rum, & superbiam vitæ, quæ à radice
peccati originalis, & trunco amoris
proprij proficiscuntur 1. Ioan. & ab
illis omnia nos vndique mala pertur
bant, vt apud Petrũ Blesensẽ ipsas ele
gãter describentẽ videre est: ita enim *Blesens.*
ille ser. 26. *Hæc sunt omnia, crimina,*
quæ epistolâ Canonicâ sub tribus inclu
dit, concupiscentia oculorum, concu-
piscentia carnis superbia vitæ, quæ
alibi dicuntur lutum, limus, profun-
dũ: Periculosum est esse cum plebehâc:
lutũ enim inquinat, limus ligat: pro-
fundum deuorat. Cõcupiscentia enim
oculorũ quasi atramentarium scripto
ris fert secum plenũ vanitatibus, quia
quotquot vanitatibus hominem affi-
cit, tot maculis denigrantibus eum in
ficit. Concupiscentia verò carnis limus
est, idest lutum viscosum: quem enim
arripit, quasi inseparabiliter eum sibi
conglutinat. Inde est, quod caro no-
stra potius dicta est, facta de limo, quã
de terrâ vel luto, vt in hoc feruens ip-
sius glutinum insinuaretur, adeo enim
glutinosa est caro nostra, quod spiritus
noster ad imaginem Dei factus in sum
mâ puritate, sic conglutinatus est ei,
vt si fieri posset, nunquam vellet ab ip
so separari, sed superindui. Superbia
verò vitæ profundum est, in quod tra-
xit secum Lucifer tertiam partem stel
larum. Hæc Blesensis Apostoli verba
accommodatâ sententiarum densita
te illustrans.

Hinc iam opportunè prodit se Ioan
nis in præfatis verbis Apocal. sensus,

&

& pompa ſermonis, quo Mariam immaculate conceptam, & a chirographo, & iugo damnationis omnino alienam, in quâ nulla prorſus origalis delicti veſtigia exſtarent pulcherrimè explicauit: Nimirũ cũ vna ex parte ante eius oculos obuerſarẽtur primi parentes pelliceis tunicis induti, & in ipſis humanum genus (*quaſi enim viuente in nobis Adamo ſingulatim omnes homines pelliceas has tunicas circa naturã noſtrã videmus*) ex alia verò Deiparã vndequaque puriſsima luce nitentẽ in ſua cõceptione vidiſſet, admirabundus exclamauit: *Ecce ſignũ magnũ apparuit in cœlo*: Quod? rogo: *mulier amicta ſole*, quę videlicet adeo eſſet aboriginali peccato aliena vt pro tunica pellicea, ipſummet ſolẽ: pro terreno parente, cęleſtẽ; pro vetere homine, nouum indeſt Chriſtũ indutũ geſtaret. Obſerua igitur ſingillatim, & explica hanc Mariæ veſtem, qua *amicta Sole* dicitur, vt ex illa duplicatam pro illius immunitate argumentationẽ conficias: alteram à priori (vt aiunt) & à poſteriori alteram, & prior quidẽ inde planè ſubſiſtit, quod ſplendidiſsimus is Solis amictus ad primæuum illum puriſsimæ innocentiæ ſtatum, cuius ille erat index, omnino pertineat, quem nos miſeri pro pelliceis tunicis permutauimus, & indeſinenter modo permutamus: quẽadmodum ſapienter docet Nyſſenus: *Quam diu pelliceas has tunicas circa naturam noſtram videmus, & temporalia ſolia materialis huius vitæ; quæ nudati propriis, iiſque ſplendidis indumentis male nobis ipſi conſuimus, cum delicijs, glorijs, diarijs honoribus, & breuidurantibus carnis expletionibus diuinos amictus permutauimus*: Obſerua hæc *diuinos amictus*: quales? Sanè quos modo appellauit ſplendida indumenta, inquiens: *Nudati propriis, iiſque ſplendidis indumentis*: ſtola videlicet innocentiæ, quâ ad Dei ſimilitudinem formatus ſplendenti nitore collucebat: Enim verò Baſilius Magnus, & Moyſes Barcepha non dubitarunt affirmare diuinum quemdam ſplendorem, & lucem primis parentibus pro amictu, & veſtibus fuiſſe, quali Deus Moyſis faciem velut Solis radijs collucentem illuſtrauit; ſiue quali puriſsimam Virginem Agnetem aliaſque plures Virgines in odium Chriſtianæ fidei denudatas, & ad lupanar ductas ab impuratorũ oculis obtexit; & quali in nouiſsima reſurrectione beatorum corpora cõtegentur: ſic namque Moyſes lib. *de Paradiſo*, 1. part. c. 28. *Ideo pudore nõ afficiebantur deſua nuditate, quia ad hæc non peccarant, neque deliquerãt, eoque nulla animum cogitatio ſubibat, eſſe aliquã in nuditate culpam. Præterea amicti erant gloriâ, atque idcirco non verecundabantur, ſicut enim Moyſis faciẽ gloriâ contectã intueri non poterant Iſraelitæ, & vt in Solẽ ſtolâ gloriæ veſtitũ mortales oculorũ aciem intendere nequeunt: præterea, vt corpus Domini coopertũ gloriâ Solẽ ipſum ſulgore candoreque ſuperabat, cũ in montẽ ſe recepiſſet. Denique, vt ipſius Diuinitatis veſtimẽtũ ſpectabile non eſt, ita Adã, Euaq; quia veſtiti erant gloriâ, non verecundabãtur*: Hæc Moyſes. Baſilius vero homil. cui titulus: *Quod Deus non ſit Auctor malorũ*: cũ de glorioſa hac primorũ parentũ nuditate lõgius diſſeruiſſet, oſtendẽs nulla tunc hominis veſtimẽta, neque à naturâ, neque ab arte conuenientia fuiſſe, ſubijcit: *Sed alia parata erãt, ſi virtutẽ oſtendiſſet homo inſignia, quæ ex gratia Dei illũ erant illuſtratura, vt pote fulgores quidã, quales ſunt Angelorũ, qui omniũ florũ varietatem, omniũ aſtrorũ claritatem ſuperarent*: Sic Baſilius: Sed vtvt id fuerit: Ego quidem diuinos amictus, & ſplendida innocentię indumenta ad Dei ſimilitudinem virtutibus conſpicuam omnino refero, de quâ Ambroſius lib. de *Paradiſo*, capitul. 13. inquit: *Nudi erant; ſed*

Ap. 12. *verſ.* 1.

A

B

C

D

E

Nyſſen.

Moyſes Barceph

Baſilius

Ambr.

non sine virtutum integumentis.
Ioan. 1. verſ. 5. Nimirum *Deus lux eſt.* 1. Ioan. 1. verſic. 5. & à Vate Pſalm. 103. verſ. 2. dicitur *amictus lumine ſicut veſtimento*: In quę verba Agellius benè inquit: *Lucem inter corporeas creaturas præcipuam naturæ ſuæ, quæ lux eſt inacceſsibilis, tamquam veſtimentum circumpoſuit, vt quamuis lux ipſa corporea à Dei eſſentia longe abeſſet, tamen inter corpora nihil illi ſimilius haberetur, vt proxima diuinæ ſubſtantiæ tamquam veſtis adiuncta ſit, ac diuinæ naturæ quamdam imaginem referat.* Et quidem, vt lux diuinæ naturæ imaginem refert, ita virtus lucis imago, ac proinde Dei ſimilitudo eſt: vocante Paulo egregias virtutis actiones indumenta lucis, & fructus lucis: ſic enim ad Roman. 13. verſ. 12. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, ſiue, vt habet lectio Syriaca *amictu lucis*, & ad Epheſ. 5. verſ. 8. & 9. cum dixiſſet: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate*: ſubdit: *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.*

VI

Ecce iam tibi, quid omnino ſit Mariam Sole amictam apparuiſſe? primos videlicet, & diuinos ſanctitatis amictus, & ſplendida propriaque innocentis naturæ indumẽta in ſui Cõceptione habere, quæ ad Dei ſimilitudinem formata, & ipſius gratia, & gratiæ ſplendoribus, & fructibus lucis amicta Diuini *Solis expreſsiſsima imago* (vt eam vocat Bonauentura in ſpeculo) à tunica pelliceà, & maculatâ carnis veſte Adę, quam longiſsime abiuit, præparante Sole iuſtitię lucidam Mariæ veſtem, à quâ ipſemet induendus erat: Vnde pergit Bonauentura in Speculo cap. 9. *Bonau.* Mariæ ſuggerere: *Rectè quidè ò Maria! Auroræ officium impleſti, ipſe enim Sol iuſtitiæ de te proceſſurus ortum ſuum quâdam matutinâ irradiatione præueniens, in te lucis ſuæ radios copioſe tranſfudit*, ſic ille: bene illud *de te proceſſurus*, vt qui Sol iuſtitiæ à Maria proceſſurus erat, in ipſam prius lucis ſuæ radios transfunderet, vt Sole amicta, eius opportuna Mater foret, qui *amictus* eſt *lumine ſicut veſtimento*: Ideo pulchrè dicebat Bernardus: *In te manet, & tu in eo: veſtis eũ, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris*: Obſerua hæc *veſtis eum, & veſtiris ab eo*, veſtris quidem primum, vt à te Filius Dei veſtiatur: Sed quo indumento veſtiris? *Sole ipſa veſtiris* inquit Bernard. Solari nempe veſte, & illis diuinis amictibus, & ſplendidis innocentiæ indumentis, quæ geſtans Adam minime vorecundabatur, quia eo ſanctitatis fulgore nitebant, qui omnium florum varietatem omnem aſtrorum claritatem ſuperaret. Sole ergo ipſa, & a ſole ipſo veſtiris, quin primus parens peccato obnoxius pelliceas veſtes, & maculatã carnis tibi mutuetur: Sed verus Sol gloria ſuæ maieſtatis te veſtiat. Vbi opportunè dicitur Deiparam gloria maieſtatis diuinæ eſſe veſtitã, quippe, quæ à contumeliâ, & confuſione *Idem* Euæ longiſsimè abiuit, nimirum ipſi met Virgini idem Bernardus in oratione inſcripta *Deprecatio ad Virginem*: dicebat. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? *Tunica Euæ parentis noſtræ eſt, quam ad nos miſera illa tranſmiſit, & ſuper veſtiuit carnem filiorum ſuorum ſicut diploide confuſione ſua.* Pro diploide ergo confuſionis peccati originalis Maria gloria maieſtatis innocentiæ, atque iuſtitiæ à Deo veſtitur, vt dum nos in tunicis pelliceis viuentem in nobis Adamum circumferimus, ipſa in primo Conceptionis ſuæ inſtanti Chriſto Domino nouo, & cœleſti Adamo amicta prodierit.

VII

Pro qua argumentatione Mariæ immunitatem confirmante egregiæ

duæ

duę Pauli locutiones faciũt: vna quâ Christum induere, altera quâ indutum gestare fidelibus præscribit: & primam quidem præfato loco ad Romanos expressit, vbi cum fideles admonuisset, vt lucis amictu vtentes abijcerent omnia opera tenebrarum subijcit, *Sed induimini Dominum Iesum Christum.* Ad Roman. 12. ver. 14 Quid verò sit induere Dominum nostrum Iesum Christum, secunda ipsius locutio manifestat. 1. ad Corinth. 15. vers. 49. vbi cum primum Adamũ cum secundo, & cœlestem cum terreno, & vtrumque cum suis filijs hũc in modum composuisset. *Qualis terrenus, tales, & terreni, & qualis cœlestis, tales, & cœlestes:* Indeuc concludit. *Igitur sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus, & imaginem cœlestis.* Vbi in primis phrasis illa portandi imaginem perinde est, ac indutam aut intertextam in veste gestare (græco verbo vtrique significationi inseruiente) iuxta illius ævi morem, ad quem Paulus mortalium dissertissimus alluserit, vt subditi suorum Principum imagines in vestibus, vel depictas, vel intertextas gestarent, vt erga illos, & obsequium, & imitationis studium, quasi ad eorum similitudinem, & mores sese componerent, manifestum facerent, vti videre est apud Ausonium qui Gratianum Imperatorem mittenti ad ipsum vestem, in quâ Constantius pater ipsius esset intertextus, sic loquentem facit. *Palmatam tibi misi, in quâ Diuus Constantius parens noster intertextus est:* Et statim: *Constantius in argumento vestis intexitur: Gratianus in muneris honore sentitur:* Vnde ea est Pauli mens, vt quemadmodum in peccatis concepti gestauimus imaginem primi hominis in tunicis pelliceis viuentis, & in maculatâ carnis tunica, modo abijcientes opera tenebrarũ induamur amictu lucis, & Domino Iesu Christo ipsius imaginem gestantes, hoc est ad eius similitudinem, & formam vitam nostram instituentes: sic hunc locum opportunissimè explicante Tertulliano in lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 46. his verbis: *Sicut portauimus imaginem terreni portemus etiam imaginem super cœlestis. Portauimus enim imaginem terreni per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam si, & in carne sic portatur, & imago Adæ, sed non carnem monemur ponere: Si non carnem, ergo conuersationem, vt proinde, & cœlestis imaginem gestemus in nobis nõ iam Dei, nec iam in cœlo constituti, sed secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate, & iustitia, & veritate.* Hæc Tertullianus opportunissimè, exprimens tum hominem originali peccato infectum *per imaginem terreni*, utque eius posteros hæreditariam labem ab ipso accipientes, *per collegium transgressionis*, id est societatem, & consortium peccati, a quo, & mors, & exhilium paradisi: tum etiam primæuam hominis naturam ad Dei similitudinem formatam; quemadmodum, & Apostolus, dixit ad Ephesios 4. vers. 24. *qui secũdum Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis*, & ipse Tertullianus eodem lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 4. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat:* Ex quo Paulisenius sic à Tertulliano explicato, vides Mariam (cum ab ipso Conceptionis suæ momento amicta sole apparuit) portantem imaginem cœlestis secũdum primæua lineamenta iustitiæ, & sanctitatis, & veritatis, & indutam Domino Iesu Christo, secundum lineamenta eius concepta, & nata, & vitam totam ducens.

Quò quidem itidem facit, quod post ea verba de Deo prima hominis lineamenta ductante, subijcit Tertullianus. *Quodcumque enim limus*

Rom. 12 vers. 14. — *1. Cor. 15 vers. 49.* — *Ausonius.* — *Tertull.* — *Ephes. 4 vers. 24.* — *Tertull.* — VIII

exprimebatur, Christus cogitabatur, homo futurus, quod, & limus, & sermo caro, quod, & terra tunc: & ita tum: *Ita limus ille iam tunc imaginẽ induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed, & pignus:* Nimirum si Christus cogitabatur homo futurus, non aliter quidem nisi *factus ex muliere*, ad Galatas 4. vers. 4. ac proinde ipsa secundum lineamenta Christi, vt quemadmodum limus ille induens imaginem Christi, futuri, pignus erat Christi; ita ipsa induta Christo, & eius imaginem portans, *prima fructum caperet ex pignore*; vt hùc intentus dicebat Ambros. lib. 2. in Lucam. Nec vnquã Maria cogitaretur futura nisi sole amicta & ad similitudinem cœlestis Adæ cõposita, & delineata appareret, vestiẽs solem, & sole ipsa vestita, quin ad eã terrenus Adam vllo modo pertineat Vnde quidem notantissimè videris ab albo parentum Mariæ expulsum, atque reiectum Her, qui Iudę Patriarchæ primogenitus fuit Genes. 38. vers. 7. Nulla nominis ipsius à Matthęo in genealogiâ Christi factâ mentione: non quidem ea solum de caussâ, quod non habuerit filios, qui successionis lineam perducerent, cum nec Zaram frater eius eâ ratione ad albũ Christi pertineret, & tamen in illo videmus eum connumeratum; sic enim Euangelista. *Iudas autẽ genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Sed signatè, quod Her, & malus, & ex nomine Deo inuisus fuerit, quippe *Her* interpretatur *pelliceus* portãs scilicet imaginem terreni Adæ pelliceis tunicis, & maculatâ carnis tunicâ induti: illâ scilicet: *Tunicâ Euæ parentis nostræ, quam ad nos misera illa transmisit, & super vestiuit carnem filiorum suorum sicut diploide confusione suâ*; Ita id adnotãte Paschasio lib. 1. *in Matthæum* his verbis: *Her pelliceus appellatur, qualibus induti sunt tunicis primi homines, ob pœnam damnationis suæ dimissi ex paradiso.* Hæc ille.

Tantæ videlicet Deo curæ fuit Mariam Sole amictam, & diuinis, ac ipsi deidis iustitiæ originalis amictibus ornatam formare, vt in illius generationis albo, vel solum nomen pelliceæ tunicæ ei fuerit infensum, ac proinde Her pelliceum ab ipso remouerit.

IX

Tandem pro Solis amictu, quo Maria nitet opportunè sub eius persona (vt exponunt B. Amadæus hom. 2. & alij) loquitur Isaias cap. 61. vers. 10. alibi à nobis expensus inquiẽs: *Gaudens gaudebo in Domino, & exsultauit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis:* Vbi præter allusionẽm, & sensum communem, quem habent hæc verba cum illis eiusdem Deiparæ: *Magnificat anima mea Dominum, & exsultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia fecit mihi magna*, &c. Lucæ 1. vers. 46. vt bene obseruatum est à Petro Galatino lib. 7. de arcanis cap. 5. obserua duo: alterum, pro *vestimentis salutis* optimè ex Hebræo repoui, *vestimentis Iesu*, vt idem Galatinus legit, & obseruat P. Sanctius, & legi posse, & hanc esse mentem Hieronymi, vt perinde sit Mariam vestimentis salutis indutam esse, ac sole iustitiæ amictam: alterum pro *indumento iustitiæ*. LXX. & ab ijs Hieronymum notanter legere: *Tunica iustitiæ, & lætitiæ*, vt omnino opponantur Mariæ vestimenta, tunicis pelliceis, siue maculatæ carnis tunicæ, quam in filios suos velut hæreditatẽ Eua transmisit: vt quemadmodum hæc denotat viuentem in nobis Adamum cum delicijs, glorijs, diarijs honoribus, & breuiduraturis carnis expletionibus, diuinos amictus permutantem, ita *tunica iustitiæ, & lætitiæ*, quâ Maria dicitur induta omnino significet, nullam in ipsa peccati originalis litteram, neque lituram,

Tertull. Galat. 4. vers. 4. *Ambr.* *Gen. 38. vers. 7.* *Mat. 1. vers. 3.* *Paschus* *Isaiæ 61 vers. 10.* *Lucæ 1. vers. 46.* *LXX. Hieron.*

nullum

nullum vestigium, aut notam inesse, sed contra diuinis vndequaque virtutibus, & egregijs actionibus esse ornatam: quod belle exprimit verbum *circundedit*, vt Petrus Galatinus indidem obseruat. Vbi cum præmisisset (quod alibi adduximus) ex personâ Deiparę: Gaudens gaudebo in Deo, *qui est Pater*: & exultauit anima mea in Deo meo, *qui est Filius*. *Quoniam duplicem gratiam mihi fecit. Vnam quidem, quia induit me vestimentis Iesu, quod est, me absque peccato originali conceptam fuisse*: Subijcit pro cogitatione, quâ persequimur. Alteram verò, quia chlamyde iustitiæ, scilicet originalis, *circundedit me. Dicit autem*: circundedit. *Quia omnia ipsius Virginis membra à vertice capitis, ad vngues vsque pedum, omnesque sensus, & cogitationes animæ imperio absque vllâ repugnantiâ obtemperabant, vsque adeò quidem, vt eius oculi nihil inhonesti, nihil illiciti vsquã aspexerint. Immo, vt nunquam, vel oculos eleuauerit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuerit, nisi dum Deum oraret. A quo inter cæteras perfectiones eo spiritu prophetiæ donata est, vt si forte aliquod inconcessum, seu illicitum, vel auditura, vel visura esset, illico eius aures, & oculi clauderentur, ita vt non nisi voluntati diuinæ deseruire viderentur: Quo circa ait.* Et chlamyde iustitiæ circundedit me: *Ideſt vndique, & omni ex parte vallauit me*: Hæc & alia Galatinus in sequenti adnot. transmittenda, ne in hac longissimi simus.

Pet. Ga.

A

B

C

D

E

MARIAM Immaculatè conceptam, perpetua vitæ ipsius puritas, ac rectitudo demonstrat.

ADNOTATIO. VI.

PErgimus, atque alteram rationem pro immunitate Mariæ ex Solis amictu, quo illa collucens apparuit confici- 1
mus, illamque instituentes cum exsolaris amictus collatione cum pellicearũ tunicarũ significatione quam illis reddebat Gregorius Nyssenus dolens nudatos nos propijs, ipsi splẽdidis indumentis, diuinos innocentiæ amictus, *cum delicijs, glorijs, diarijs honoribus, & breui duraturis carnis expletionibus*, permutasse: tum etiam ex descriptione arboris mortis à Saliano facta, *cuius radix fuerit peccatum originis, truncus amor proprius, ex quo tres rami ingentes, & quòquo gentium effusi, amoris scilicet honorum, diuitiarum, voluptatũ, proficiscuntur*: Atque inde argumentatio nostra subsistit, quod in Maria, vt Sole amicta nullus vnquam terreni Adę pulueris, nulla vel leuissima culpa labes, sed perpetua mundities, & sanctitas fuerit: dicente Vate: *Domũ tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum*. Psalm. 92. vers. 7: Vt de Deiparâ explicat S. Bonauent. *in speculo*, cap. 8. qui itidem in 3. dist. 3. art. 2. q. 2. inquit. *Hoc congruebat Aduocatam generi humani, vt nullum haberet peccatũ, quod suam conscientiam remorderet: Vnde audiui narrari, quod ipsa cuidam personæ reuelauit: quod non reprehendebat eam cor suum in omni vitâ suâ. Congruum erat, vt B. Virgo Maria, per quam*

Nyssen.

Saliano

Psal. 92 vers. 7. Bonau.

aufertur nobis opprobrium, vincereq; diabolum, vt nec ei succũberet ad modicum. Quare de ipsa exponit tã Bernardus, quam Augustinus illud: Ipsa conteret caput tuum: *Si ergo suggestio est caput diaboli, nulla suggestio ingressum, vel locum habuit in mentem Virginis:* Hæc Bonauent. vt hoc etiam modo iure dixeris nullos in ea fructus à trunco amoris proprij, & ramis illius, qui à radice peccati originalis proficiscuntur, & fructificant morti, vnquam fuisse inuentos, quippe ipsa *Hortus conclusus, & fons signatus,* fuit Cant. 4. vers. 12. in hunc sensum inflectẽte hæc verba Sophronio ferm. de *Assumptione Virginis,* hunc in modum: *Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutũ, sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus:* Hæc ille, & Damascenus similia orat. 1. *de Natiu. Virg.*

Cant. 4. vers. 12.

Sophron.

II Quæ sanè prænidens Dauid opportunè dicebat Deo: *Domine dilexi decorem domus tuæ,* Psalm. 25. vers. cul. 8. notanter vsus, tum verbo *Diligo,* quod ad amorẽ ex iudicio profectum, quo rem dignam studio, & prosecutione iudicamus, tum etiam voce *decorem,* quam optimè pensitauit Richard. à S. Laurentio lib. 10. de *Laudib. Virg.* dum de ipsa hæc Vatis verba, hunc ad modum explicuit: *Decor huius domus maximè in duobus consistit: in carentia omnis mali, & ornatu omnis boni, vel in ornatu omnis virtutis interioris, & omnis bonæ operationis exterioris:* Vnde post non nulla: *Hæc est domus, cui Dominus volens in eâ multo tempore habitare dixit in suo ingressu.* Pax huic domui. *Matthæi* 10. & omnibus habitantibus in ea, *vt hoc intelligatur de motibus sensualitatis.* Hæc Richardus: Vbi vides Mariæ domum vndequaque decoram, à quâ omne omnino malum procul fuit, quæ nulli culpæ, vel leui vnquam exstitit obnoxia nulla in eâ suggestio locum habuit, nihil, quod à radice peccati originalis proficiscitur fructificauit morti, nullaque pelliceę, & maculatæ carnis tunicę vestigia inueniri potuerũt: Quæ omnia pulcherrimè asseruit Magnus ille Imperator Leo, ab studio Deiparę omnino Augustus, qui in homilia de *Annunciatione* à P. Iacobo Gretsero nuper Latinitate donatâ, versans Dauidis verba, quæ superius explicuimus. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum,* Psalm. 44. vers. 12. cum dixisset. *Audisti vere, ò filia, commendationem, & oblita es populi tui, & sortis, & domus paternæ, sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix tuti generi distribuit infinito illo affectuũ, passionum, & animi perturbationũ cumulo quasi hæreditario relicto:* Subijcit opportunè. *At nihil horum tu in domum tuam induxisti:* Sic ille, vt dixerit. *Decebat domum Domini sanctitudo:* decẽbat decor ille, cui omnis boni adesset ornatus, & omnis mali carentia inesset, atque id circo à pellicea Euę tunica, in qua cumulus ille affectuum, passionũ, & animi perturbationum erat, & à radice, trunco & ramis morti fructificantibus quàm longissimè iuisti. Vbi non possum nõ appingere egregia hæc S. Thomæ à Villanoua Archiepiscopi Valentini concione 3. *de Natiuitate B. Virginis* verba: *Decuit, & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Vnde non solum quando puella, sed quando paruula sanctissima, & in vtero sanctissima, & in Conceptione sanctissima: Non enim decebat sanctuarium Dei, Domum sapientiæ, relicarium Spiritus, vrnam mannæ cœlestis aliquam in se labem habere:* Hęc ille, & alia: Sed id altius, & ad vnguem explicare oportet.

Psal. 25 vers. 8.

Ric. à S. Lauren.

Matth.

Leo Imp.

Psal. 44 vers. 12.

S. Tho. à Villano.

Equidem (vt in superioribus vidimus) magnum Salomoni faciebat III

negó-

negotium, vt in animum induceret Dei Filium humanã ex muliere carnem suscepturũ, quod omnes ab Adamo mulieres peccato originali infectas, & pelliceis tunicis contectas, ac proinde tanto fastigio impares videret: ideo magna cum emphasi dicebat: *Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum, & alterum, vt inuenirem rationem, & non inueni: Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.* Vbi Hebræa notanter habent: *Hominem vnum rectum ex mille inueni: mulierem autem rectam in omnibus his non inueni.* Vnde statim plus id explicans siue hæsitationis, & dubitationis suæ rationẽ redens, subiungit: *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*, siue, vt habent Hebræa & LXX. *ipsi quæsierunt cogitationes multas*: Quibus verbis appositè vtrũque hominis statùm tum, cum à Deo *in iustitiâ, & sanctitate veritatis*, ad eius similitudinem creatus est; tum illum: in quo a rectitudine deflectens maculata carnis tunica, siue pelliceis tunicis indutus à paradiso exsulauit: id quippe est, eum qui rectus, & simplex a Deo factus fuerat, vni Dei amori, & obsequio intentus varias cogitationes, & studia rerum sœcularium delicias, glorias, diarios honores, & breui durantes carnis expletiones persequi, & à varijs animi affectionibus deorsum tendentibus curuũ prauumque fieri, sic hanc rectitudinem explicante Bernardo serm. 24. in Cãtica. *Propterea demonstranda est à nobis spiritualis, idest animi, cordisque rectitudo. Spiritus est, qui loquitur spiritualibus spiritualia comparans. Ergo secundum animam, non secundum terrenam, & fœculentam materiam, Deus hominem rectũ fecit. Ad imaginem quippe, & similitudinem suam creauit illum: ipse verò quemadmodũ psalit.* Rectus Dominus Deus noster, & nõ est iniquitas in eo: Psal. 91. vers. 16. *Rectus, itaque Deus, rectum fecit hominem, similem sibi, idest sine iniquitate, sicut non est iniquitas in eo. Porrò iniquitas, cordis est, non carnis vitium, vt per hoc noueris, in spirituali portione tui, & non incrassa, luteâque substantiâ Dei similitudinem conseruandam fore, siue reparandam:* Ita Bernardus, qui statim, vel ab ipsa humani corporis rectâ staturâ opportunè id, hunc in modum confirmat: *Quamquam, & corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsitan, vt ista corporea exterioris, viliorisque rectitudo figmenti, hominẽ interiorem illum, qui ad imaginẽ Dei factus est, spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecẽtius, quam curuum recto corpore gerere animum? Peruersa res est, & fæda, luteum vas, quod est corpus de terrâ oculos habere sursum, cœlosque liberè suspicere, cœlorumque luminaribus oblectare aspectus, spiritualem verò, cœlestemque creaturam suos è contrario oculos, idest internos sensus, atque effectus trahere in terram deorsum.* Hæc Bernardus. Apud quẽ vides hominem, & à Deo rectum, & à se prauum, seu curuum factum, dum varijs quæstionibus, siue cogitationibus temporalium bonorum, & terrenarũ rerum sese immiscuit, quibus candidam, quam à Deo stolam accepit, commaculauit. Quod fuit in caussa, vt dixerit Salomon nullam ex his mulieribus a rectitudine primæua deflectentibus idoneam esse muneri Matris Dei, quasi à Matre, quæ curua aliquando fuisset, non deceret rectitudinem progigni.

Ec. 7. v. 29. et 30

Lect. He LXX.

Bernar.

A

B

C

D

IV

Quod si præfatam arboris mortẽ, quam describebat Salianus eiusque radicem, truncum, & ramos huic prauitati, siue deflexioni à rectitudine concinentem videre velis, audi ipsũmet Dominum apud Ieremiam cap. 2. ve. 22. vbi vineam à se bono semine plantatam degeneres fructus pro

E

Ierem. 2 vers. 21.

feren-

ferentem, sic arguit: *Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena:* Ad quæ verba obserua notanter vineæ electæ, & semini vero, opposuisse Dominum, conuersionem in prauum, & vineam alienam, vt ostenderet hominem à Deo rectum factum, per peccatum tamen tum à Deo, tum à germanâ, & natiua rectitudine deflexisse, atque prauum idest curuum, distortum, & obliquum redditum, fructus acerbos, atque degeneres produxisse, vt apud Isaiam idemmet Dominus dolenter dixit: *Exspectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruscas:* Isaię 5. ve. 4. Quod quidem belle expressit Hebręa lectio Pagnini, quę pro: *Conuersa es mihi in prauum:* reposuit. *Conuersa es mihi in sarmenta:* pulchrà imagine ad significandam, tùm curuitatem, cùm nihil sarmento sit magis curuum, atque distortũ, quodque minus dirigiqueat iuxta prouerbium: *Curuum non potest dirigi:* Tum fructus non esui, sed igni opportunos, quales sunt ij, qui ab arbore mortis, & à radice peccati originalis, & à trunco amoris proprij, & à ramis concupiscentiarum proferuntur: Vnde S. Cyrill. Hierosolymitanus catechesi 2. hæc Domini verba sic extulit. *Plantatio bona, sed fructus ex volũtate malus.* Sed opportunius, Rupertus hominis rectitudinem sic explicans lib. 2. in Genes. cap. 40. *Rectissimus Deus hominem non nisi rectum sec isse creditur. Rectitudo autẽ hominis in eo est, vt carni spiritus, vt potè inferiori superior præsit, & imperet, & hæc illi iussa adsit, atque obtemperet:* Ita Rupertus: Ecce tibi in rectitudine, quà à Deo factus est homo, vineam electam, & semen verum quę non nisi fructus iustitiæ ferat: itidemque in deflexione ab hac rectitudine radicem omnium malorum, quæ à peccato originali pullulant: dum *caro concupiscit aduersus Spiritum, & illi aduersatur:* Ad Galat. 5. vers. 17. & subinde in pugna præuales: Vnde S. Thomas à Villanoua præfata concione 3. *de Natiuitate Virginis,* huc intentus sapienter ex Augustino dixit: *Vnde sicut ait Augustinus, in paruulis, licet non statim appareat, magna tamen iniquitatum, & peccatorum labes seminata est: ibi est seminarium omnium malarum inclinationum, & quasi saccus iniquitatum, vnde cum crescunt, pædagogi flagella, exhortationes, admonitiones, & postea iudices, cruces, tormẽta, hoc agũt, vt praua illa semina non pullulent in eis, sarculi quidam sunt, prauà illa semina, ne pullulent prohibentes, & quæ pullularunt, præcidentes:* Hæc ille:

Isaia 5. vers. 4.

Pagin.

S. Cyril. Hierosol

Rupert.

Galat. 5 vers. 17.

S. Thom à Villan

Quò opportunè reuoces, tum verba Pauli ad Ephes. 2. vers. 3. *Eramus naturâ filij iræ, sicut, & cœteri:* tum parabolam zizaniorum à Domino propositam apud Matthæum 13. ver. 24. vbi cum Dominus bonum semen in agro suo seminasse dicitur: *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt:* Et Pauli quidem verba, quorũ non leuis difficultas esse creditur, sic cũ Augustino accipienda sunt quatenus natura humana, quæ primitus integra, & recta à Deo facta est, subinde primi parentis vitio corrupta, & in prauum vinea aliena conuersa, filios iræ nos faciat: Sic enim Augustinus tractatu 44. *in Ioannem* inquit: *Quomodo,* natura, *nisi quia peccante primo homine vitium pro naturâ inoleuit?* Quæ Bernardus serm. 1. de *Purificatione,* ita diffundit. *Eramus, & nos* filij irę: *Cuius iræ filij? nempe filij ignorantiæ, ignauiæ, captiuitatis: Ignorãtia mulieris seductæ excæcauerat nos, mollities viri abstracti, & illecti à propriâ concupiscentia eneruauerat nos: malitia diaboli expositos iustè à Deo captiuauerat nos: Sic ergo nascimur vniuersi, primùm quidem viæ ciuitatis habitaculi prorsus ignari: dein de imbecilles, & ignaui, vt & si nota no*

V

Ephes. 2 vers. 3.

Mat. 13 vers. 24.

Augus.

Bernar.

bis

bis esset via vitæ, propria tamen præpediremur, & detineremur inertiâ: postremo captiui sub pessimo, crudelissimoque tyranno, vt licet prudentes essemus, atque robusti, ipsa tamen miseræ seruitutis opprimeremur conditione. Hæc lapienter Bernardus: Vtraque autem Pauli, & Domini verba Tertullianus lib. *de anima*, cap. 16. & interse cõmisit, & in præsens institutũ cõmode inflexit hunc in modũ: *Cum dicit.* Fuimus aliquando natura filij iræ, *irrationale indignatiuum suggillat, quæ nõ sit ex natura, quæ à Deo est, sed ab illâ quam diabolus induxit, dominus, & ipse dictus sui ordinis. Nemo potest duobus dominis seruire Matth.* 6. Vnde statim instruẽs Marcionẽ ex his Pauli verbis ab eo perperam intellectis contendentem humanam naturã à malo Deo formatã, sic pergit: *Ne timeas illi proprietatem naturæ alterius adscribere: posterioris, & adulteræ, quẽ legis auenarum superseminatorẽ, & frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem*: Sic Tertul. qui de industria dixit *proprietatem alterius naturæ*, vt excludens aliam naturam, huic naturæ communi peccato originali infectæ adscriberet degeneres fructus, labefactata scilicet à diabolo natura per remissionem delicti, & transgressionẽ, quæ accidit ex serpentis instinctu, vt idem Tertul. lib. 5. *contr. Marcion.* cap. 17. dixit: *Quam, & ipse suam fecit delicti semine illato*, vt videlicet, quæ plantata fuerat vinea electa semine vero mox superseminatis zizanijs, & peccati originalis semine illato aliena facta, alienos noxiarũ cupiditatũ fructus ferret: vt hac phrasi retenta Dionysius Areopagita de hominibus, huic sæculo addictis lib. de *Ecclesiasticâ hierarchiâ*, c. 3. inquit: *Quod alienum est naturæ nostræ peccatum, pereuntesque, & interitũ afferentes voluptates, & instabiles, in rebus alienis, quæ non sunt, sed videtur prosperitates, & optent, & sequãtur:*

Tertull.

Dionys. Areop.

Hæc ille, quæ optime illustrat eius Scholiastes. S. Maximus sub sensu quẽ persequimur.

S. Max VI

Quod si vide revelis, vt in nobis malo hoc peccati originalis semine illato

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ

Virgili.

audi Ambros. octonario vndecimo in Psal. 118. vbi explicans Vatis verba *Paulo minus cõsummauerunt me in terra* degeneres hos fructus vineę alienæ, sic in primis describit: *Discamus cauere quem gerimus. Hic nobis hostis domesticus: hic inimicus grauis est nostri ipsius corporis: inflamatur vino, ardet libidine, decore mulieris occursantis accenditur: spe alitur, desperatione vritur, illecebris exuritur, euaporat affectu, timore turbatur: metu frangitur luxuria mollitur, lasciuiâ dissoluitur, labore afficitur, sollicitudine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot aduersarias passionum vices se etiam iustus tenere vix possit? cum impares etiam simus singularum certamini, quem vel sola libido non vendicet? quem nõ subiuget auaritia? quem formido non quatiat? quem luxuria non eueruet? quem lasciuia non emolliat? quem non supplãtet ebrietas?* Deinde vero infelicis huius segetis radicem introspiciens, originariam scilicet labem, hęc subjecit: *Quæsti consctius igitur carnalis infirmitatis, & explorator persecutionis hostilis dicit*: Paulo minus consummauerunt me in terra: *In quâ Adam primus corruit, & pudendâ prolapsione deiectus totius gressum futuræ posteritatis inflexit*: Hæc Ambrosius, quæ pro commentario verborum Salomonis. *Deus fecit hominem rectum, ipse autem infinitus semiscuit quæstionibus*: Esse possunt: Cum perinde fuerit factum à Deo hominem rectum, ac illum rectos habere gressus phrasi Pauli ad Hebręos 12. versic. 13. monẽtis, *rectos gressus facite pedibus vestris*: quod Hispanè

Ambr.

Heb. 12. vers. 13.

significanter dicitur: *Andar à derechas*, de eo qui recta graditur per viã virtutis, & rectà rationis quin ad prava, & devia vitiorum declinet, ac proinde carnem spiritui obedientem habere: ideſt non inflammari vino, non arderè libidine, non accendi decore mulieris occurſantis: non ali vanâ ſpe non deſperatione obrui, non illecebris exuri, nõ euaporari affectu, &c. Ab hàc rectitudine primus parens pudenda prolapſione derectus totius greſſum futuræ poſteritatis inflexit, hominem ijs paſsionibus reddens obnoxium, & in vitia procliuem.

VII Crediderim, ex dictis ſatis ſuperque à nobis fuiſſe indicatos, atque explicitos malos fructus à trunco amoris proprij, & à radice peccati originalis prouenientes: quod ſanè de induſtria præſtitimus, vt hinc euidentius Mariæ omnimoda puritas, & à peccato originali immunitas eluceat, in quà nihil, vnquam à rectitudine illa primæua, in qua factus eſt homo deflectens, nihil vel leuiſsimè diſtortum, nihil non ſanctum, nullus omnino greſſus inflexus; ſed omnia ſpiritui, & rationi conſona inuenta ſunt, vt præcedenti adnotatione ex verbis Iſaiæ de Deipara: *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me*: dicebat Galatinus: *Quoniam omnia ipſius Virginis membra à vertice capitis ad vngues, vſque pedum, omneſque ſenſus, & cogitationes animæ imperio abſque vllâ repugnantiâ obtemperabant*: Quem planè ſenſum aptè exprimit, atque exhaurit Virgę imago, quà tam Iſaias, quam Salomon ad ſignificandam Mariæ rectitudinem, vſi ſunt: dicente illo: *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*: Iſaiæ 11. verſ. 1. Quæver ba de Deiparà nullus non explicat, & omnium ore Hieronymus ibi: *Virgam* (inquit) *de radice Ieſſe ſanctam Mariam Virginem intelligimus*. Et Ambroſius lib. de *Benedictionibus Patriarcharum*: *Virga Maria: flos Chriſtus*: Et quis non ad hunc modum loquitur? Quid enim aptius hac imagine virgæ fuerit ad eam rectitudinem exprimendam, quę primæuæ rectitudinis regulam æmuletur, ac proinde cui nulla à Conceptu ſuo curuitas, aut fructus acerbus ſubſit? Ità quidem ſentiunt egregium Patrum par: quippè S. Petrus Damianus elucidans hæcmet Iſaię verba in ſermone de *Annunciatione*, ſic inquit: *Germinat igitur Virga Ieſſe de tortuoſa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens omnium ignorat nodoſitatem, foliorum tenebras neſcit, infructuoſa, quæque non habet*: Sicille: Obſerua illa, *in altitudinem, & rectitudinem erumpens*: In eam ſcilicet rectitudinem, in qua homo à Deo factus eſt: Inde ſcitè addit Damianus, *omnium ignorat nodoſitatem*, Vt nihil in ipſa niſi rectum cum perfecta praui depulſione ſit: Sed quod ſubijcit, *infructuoſa quæque non habet*, Mariam oſtendit nihil omnino ex arbore mortis, & radice peccati originalis, aut trunco amoris proprij, & ramorum inutilium concupiſcentiarum ferentem: Cui ſenſui ſic iam adſtipulatur Philippus Abbas capitul. 16. *in Canticâ*, inquiens: *Ipſa enim Virgo in ſcripturis, ob hoc Virga, vt arbitror, appellatur, cum in eis figuratur ſermone myſtico, vt Virgæ nomine intelligatur non ſolum florida Virginis pulchritudo, ſed & eius munda, & fœcunda nihilominus rectitudo*: Ita ille per opportune floridam Virgini pulchritudinem, & fœcũdam rectitudinem tribuens: vt non modo non habuerit, *infructuoſa quæque*, ex peccato prouenientia, ſed etiam pulcherrimos iuſtitiæ flores, & fœcundiſsimos rectitudinis fructus tulerit: non ſecus ac lignum, quod

Ambr. *Pet. Da* *Galatin* *Philip. Abbas.* *Iſaiæ 11 verſ. 1. Hierony*

plantatum fuit secus decursus aquarum gratiæ, quod omni tempore fructum iustitiæ dedit: Enim verò floridam hanc Virginis pulchitudinem
B. Tho. à Villan. pulchrè conatus est explicare S. Thomas à Villanoua præfata concione 2. de Natiuitate Virginis hunc in modum. *Quæ nam obsecro pulchitudo? Quænam Virtus? quæ perfectio? quæ gratia? quæ gloria Matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quandam purissimam, prudentissimam, pulcherrimã, deuotissimã, humillimam, mitissimam, omni gratiâ plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam.* A B

VIII Nec contentus id dixisse B. Thomas pergit monere, vt laxatis cogitationi habenis omnes neruos in depingenda, & prædicanda Mariæ sanctitate contendamus, subdens. *Quãtum potes tantum auge, quantum vales, tantum adde: maior est ista Virgo: superior est ista Virgo. Non eam spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in purâ creaturâ concipere possit, defuisse: immo re ipsa omnem intellectum superasse.* Hæc ille: Cuius monitis si (vt æquum est) obtemperaueris, & Mariam animo, sic depingendam susceperis, vt nihil gratiæ aut perfectionis, aut gloriæ ei desit: conijce hinc Virgam hanc non nisi cœlestes virtutum flores, fructusque ferentem necessaria etiam non a radice peccati originalis, sed à gratiæ radice pullulantem. Quare in memoriam in primis reuoca, quod iam dudum diximus, in præfatis verbis Isaiæ: *egrèdietur Virga de radice Ieſſe:* Hebręam vocem *gueſog*, quæ respondet voci, *radice* proprie significare truncũ prę cisum, eleganti quidem locutione ad
He. lect. denotandam Mariæ immunitatem, & Conceptionem non à radice inquinatâ peccati, sed à gratiæ benignitate prouenientem, id enim portendit egressionem Deiparæ ex trũco præciso communis naturæ, quasi ad ipsam communis labes eius minime pertineret, nec Maria à trunco, & radice humanæ generationis quantũ ad culpam, ortum duceret. Quod a cui men subesse dixeris S. Ioanni Damasceno apud Menæa Græca die 27. Martij Ode prima Deiparam ita salutans. *O Virgæ germinans de radice Ieſſe. O in quam, intaminata Salue:* Vbi, si attendis mentem Damasceni, & duplicatum dicendi modum: per posteriorem: *O in quam, intaminata*, explicauit priorẽ: *O Virga germinans de radice Ieſſe*, eam enim vim quasi reduplicatiuam, & expositiuam habet Verbũ, *in quam*: Vt omnino velit Damascenus Mariæ ex radice Ieſſe egressionem intaminatam fuisse, quod non à radice infectâ, sed eâ præcisa, à Diuina gratia prodierit. C D *Damaſ.*

IX Sed illud hanc in rem maiori obseruatione dignum videtur: quod in genealogia Christi signatè primo in loco dicatur à Matthæo Filius Dauid *liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid*: in Apocalypsi verò capit. 22. vers. 16. ipsemet Dominus sese radicem, & genus Dauid sic appellauerit: *Ego ſum radix, & genus Dauid:* Vbi iure ambigas, quâ ratione, qui filius est Dauid, eiusdem Dauid radix dici queat? quasi ab ipso Christo genus Dauid duxerit? Cui dubitationi Respondet B. Thomas à Villanoua concione 2. de Natiuitate Virginis hunc in modum: *Si de genere gloriari libeat. Filius Dei ſum: meritò poſſum gloriari. Filius Dei ſum. Numquid in hominibus gloriabor?* Ego (*inquit*) sum radix, & genus Dauid: *A me non ab ipso genus denominatur, illuſtratur, nobilitaturque:* Hæc ille: quæ sic omnino capienda *Ap. 22. verſ. 16.* *B. Tho. à Vill an.*

sunt, vt à Dei Filio per Mariam, & à Mariâ per Christum Dei Filium, vt nouus sæculorum ordo, & noua rerum facies mundo illuxit, ita noua generationis series, nouumque genus ortum habuerit: dum Maria non à radice Ieſſe, ſed trunco Ieſſe præciſſo à radice Dei Filij, & gratiæ ipſius egreſſa ipſiusmet Dei Filij, & Filia, & Mater fuit: Nimirum ſic ca-
Ambr. Rupert. Areth. piunt Ambroſius, Rupertus: & omnes penè interpretes hæc verba, vt Chriſtus per diuinitatem *radix Dauid*: per humanitatem verò eius *genus*, ſit: hoc eſt ab eo genus ducat, *vt qui ex eo germinauerim* (inquit Arethas) *vt eſſem Emmanuel ex Diuinitate, & humanitate*: Opportune ergo in Ieſſe patre Dauid, truncus generationis dicitur præciſſus, vt Dei Filius, qui etiam Dauidis Filius à Maria, & per Mariam fuit, ſignatè, *radice Dauid* dicatur, *âme*, inquit, *non ab ipſo genus, denominatur, illuſtratur, nobilitatur*: Vt Virga Mariæ innixa meritis, & gratiæ Chriſti, ab ipſo egredi dicatur: & quemadmodum
Rom. 11 verſ. 18. Romanis dicebat Paulus capitul. 11. verſicul. 18. *Non tu radicem portas; ſed radix te*. Ita Deiparæ dicere poſſimus: Ita tu, ò Domina radicem portas, quæ Mater Dei es: Vt radix portet te cum Chriſtus tuus filius ſit radix, & genus Dauid: Quo iuerint hęc verba Gregorij Thaumaturgi Oration. 1. *de Annunciatione*, quibus Angelum cum Mariâ loquentem facit: *Sed, & ipſe ſanctificationis Dominus, Pater Caſtitatis: incorruptionis Auctor, & libertatis dator, ſalutis procurator, qui ex terrâ Virgine creauit hominẽ, & ex illius latere, & coſtâ Euã aſſumpſit: hic Dominus tecũ, & ex te eſt*: Hæc ille, vt dixerit is qui ſanctificationis, incorruptionis, & ſalutis, & libertatis eſt Auctor: fonſque à quo bona cuncta procedunt, hæc omnia in te bona cumulauit, vt tui radix fuit, vt ex te eſſet, & à te genus duceret.

X Adſimilis ad perpetuam Mariæ rectitudinem ſignificandam locus Canticor. 3. verſicul. 6. Vbi dum non ſine admiratione inquiritur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Simul innuitur mira Deiparæ rectitudo, & ab ipſa perpetua ſanctitas, & fructuum iuſtitiæ copia: nec ſine epitaſi virgula dicitur: vt quemadmodum aiebat B. Thomas nuper citatus: *Non ſolum quando puella; ſed quando paruula ſanctiſſima, & in vtero ſanctiſſima, & in conceptione ſanctiſſima*: Sed virgæ rectitudinem, & fœcunditatem, vt videlicet non ſolum florida Virginis pulchritudo, ſed & eius munda, & fœcunda nihilominus rectitudo fuerit, optimè ad id loci pẽdit Dionyſius Chartuſianus dum primum totam ſanctiſsimam Trinitatem in cottidianos Mariæ profectus, & iuſtitiæ fructus indeſinenter producendos incumbentem ſic faciens: *Stans indeſinenter ſub contactu ſolis iuſtitiæ, qui radios ſapientiæ flumina gratiæ, charitatis ardores aſſidui, & indeſinenter influxit in eam: Sed & ſuper dulciſſimus Spiritus Sanctus Matrem eius, â quo ipſe verè æternaliterq; procedit, continuò incitauit, mouit, accẽdit ad incrementa profectuum. Quid verò Pater æternus comparẽt ali ſuæ non largiretur. Non dubium, quin ſecretiſsimè, frequentiſsimè, exuberantiſsimè iunundauit in eam*: Deinde vero ad rem noſtram ſubijcit: *Ipſa quoque optimè fertur aſcendiſſe, vt virgula fumi quoniam eius profectui non fuit ad mixta aliqua curuitas culpæ*: Hæc Dionyſius, omnino conſentiens cum Georgio Nicomedienſi Mariam, vt vidimus appellante: *Folium ſanctimoniæ non ſcriptum*: Vt videlicet vna ex parte ſanctitas, puritas innocentiâ iuſtitia, & omnimoda perfectio in hoc folio diffuſiſsimè ſcripta ſit: ex aliâ tantæ huic rectitudini, &

Georgio Nicom.

rectitudini, & sanctitati non fuerit, *admixta aliqua curuitas culpæ*: Nec in ista lętissimâ virtutum segete plantatâ semine vero inuęta fuerint zizania, ab inimico, *delicti semine illato*, super seminata; pulchrè siquidem sub hoc seusu dixit Damascenus orat. prima de Natiuitate Virginis: ipsam Dei paradisum fuisse, ad quem serpẽs aditum non inuenit: Sed de hâc paradisi imagine alijs in locis vberius agimus.

Damas.

MARIAM Immaculatè conceptam, quæ in gum peccati nunquam experta fuit.

ADNOTATIO VI.

I NOn erit abs re, iterum resumere, quæ de immunitate Mariæ à peccato ex rectitudine, in qua fecit Deus hominem, & de peccato originali ex imagine iugi impositi super ceruices filiorum Adam diximus: vt ab illis interse cõpositis, natiuam Deiparæ à conceptu rectitudinem, & à communi lege, & iugo exemptionem denuo adstruamus: Ergo Salomoni perinde fuit dixisse: *Fecit Deus hominem rectum*, ac creasse illud, *in sanctitate, & veritate*, vt inquit Paulus ad Ephesios 4. vers. 24. ac proinde ingenuum, & omni ex parte liberum; quin esset obnoxius seruituti alicuius, præter Dei *cui seruire, regnare est*: Itidemque cũ addidit: *ipse autem infinitis se miscuit quæstionibus*: & peccatum originale & miseram ab illo contractam seruitutem, cui se infeliciter subdidit, non secus, ac qui iugo graui liberam ceruicem, & erectum collum subijceret: quæ propria seruitutis nota est, vt signatissimis, verbis de Deo populi sui à seruitute Ægyptiacà liberatore dixit Moyses Leuit. 26. vers. 13. *Confregit Dominus catenas ceruicum nostrarum, vt incederemus erecti*; & Ieremias Thren. 5. ver. 13. *ceruicibus nostris minabamur*: Vbi Hebræa lectio, & LXX. *venerunt super collum nostrum*: Quod quidem perbellè expressit Sapiens præfatis verbis: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium*: Ecclesiast. 40. v. 1. quę Augustinus, vt vidimus, & alij PP. de peccato originali explicabant, & res ipsa pro se loquitur: Vide igitur mirâ Scripturæ consonantiam, quæ hinc vno in loco hominẽ à iustitia rectũ, illinc alio in loco à peccato graui iugo subiectum facit, quasi is, qui ceruice liberâ, & collo erecto incedebat, peccando collum inflexerit, vt peccati iugo ceruicem supponeret, & aratrum traheret, vt in carne seminans, *de carne* meteret *corruptionem*, ad Galat. 6. v. 8. de quo præter superius allata verba Augustini lib. 4. *contra Iulianum*: denuo audi alia eiusdem Augustini lib. 5. *Hypognosticon contra Pelagianos, & Cœlestianos*, ca. 3. tom. 7. vbi allatis verbis Ecclesiastici, quę in manibus habemus subijcit. *Quod est hoc graue iugum, nisi peccatũ? & quare dictum est iugum, nisi quia ex duobus Adam, & Eua veniat, vel duorum premat, & conterat colla, id est masculi, & fœminæ, maiorum videlicet, atque minorum, quia in vtroque sexu iugum sunt*: ideò ait generaliter: graue iugum super filios *Adã*: & post pauca. *Hoc iugo, id est originali peccato reuincti maiores, atq; minores vitium ex ipso ortu tamquã aratrũ trahimus, quãdiù sumus in mortis corpore, cuius cupiditatis vomere proscinditur, hoc est corrũpitur terra nostra*: *Propter quod in libro Sapientiæ dictum puto*: Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam: Sap. 9. v. 15.

Eccl. 7. vers. 30.

Ephes. 4 vers. 24.

Leu. 26. vers. 13.

Thren. 5 vers. 13. Lect. He LXX.

Eccl. 40 vers. 1.

Galat. 6 vers. 8.

Augus.

Sapi. 9. vers. 15.

A cuius iugi labore, & onere, vel aratri corruptione, vt requiescat, nemo ſoluitur *propriâ voluntate, & poteſtate, niſi ab illo iuſtè iudicante, & indebitè miſerante, qui ait:* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos: Tollite iugum meum ſuper vos: *Matthæi.* 11. *v.* 29 Hæc & plura Auguſtinus. Nec omittenda, quæ ad eius guſtum loquitur Vener. Galfridus in allegorijs Gotfridi Tilmani in hæc verba, dum ea ſic elucidat. *Quem non humiliat conceptus impurus, & lugubris ortus, aut vnde ei gaudium in vitâ ſuâ, quæ incipit à mœrore? vtinam quos ſic præoccupant culpæ, & pœna, citò anticipet miſericordia Domini. Quid putamus? qui ex vtriuſque parentis corruptione concipitur, & in dolore partuêtis producitur, ad quid ipſe naſcitur? Vt ad volandum auis, ſic homo naſcitur ad laborem. Nemo glorietur, nemo ſe extollat: nemo ſibi complaceat in ſe ipſo. Onus hoc ſuper omnes filios Adam dicitur. Nullus excipitur, non perſona hominis, ſed nec temporis horæ. Quid enim eſt? iugum enim, & graue iugũ: Super quos? ſuper pauperes? ſuper ignobiles? ſuper ſæculi contemptores, vel ab eo forte contemptos? Parum eſt:* Super omnes (*inquit*) filios Adã à die exitus de ventre matris eorum; vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. *O qualis mater! qualis ille vterus, terræ tumulus ſepulturæ!* & non nullis interiectis, ſic tandem concludit. *Miſera proinde vita, quæ ſic prodit, ſic procedit, ſic oritur, ſic progreditur.* Hactenus ex Galfrido.

Ma. 11 *verſ.* 29. *Galfrid.*

II Vidiſti iugum, & iugũ graue ſuper filios Adã, cui ipſi in ſuo conceptu infelices ceruices ſubmittunt? Vide modo Mariam ab hoc omnino iugo exẽptam liberam, & immunem, & hac de re præter opportuna verba S. Laurentij Iuſtiniani, quæ ſupra attulimus in faſciculo. *Amoris*, cap. 7. *Nemo ab ipſo mundi initio, vſque ad temporis plenitudinẽ dumtaxat Mediatore, eiuſque Genitrice exceptis iugum damnationis euaſit:* Vt dixerit Mariam ceruicem ſemper erectam, collumque rectum habuiſſe, quin noxia Adæ hereditas, & graue iugum ad ipſam ſpectarit: audi Epiphanium oratione *de Laudibus Mariæ*, ipſam ſic conſalutantem: *Iuuenca nunquam iugum experta*: Pulchrè, & omnino ad rem: *nunquam iugum experta*, quæ non quidem dicatur excuſiſſe iugum, ſed ſignate nunquam iugum fuiſſe expertam. Sane quaſi nõ fuerit filia Adam, nec ab eo carnem duxerit cum hæreditario illius iugum nec vno inſtanti, aut momento temporis receperit, nec vllã illius experientiam habuerit: Et verò his in verbis dixeris aſpexiſſe Epiphanium ad illud Domini præceptum Num. 19. verſ. 2. *Præcipe filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam ruffam, ætatis integræ, in quâ nulla ſit macula; nec portauerit iugum:* Nimirum, vt frequens PP. expoſitio hanc imaginem vaccæ ſubrubri coloris, ætatis, & corporis magis conſiſtentis, cui nihil deeſſet, ac omni defectu membrorum, & formæ careret, ad Chriſtum Dominum referat, vt Theodoretus quæſt. 36. Apollinaris in Catenâ Græca. Cyrill. Alexand. in cap. 2. Malachiæ, Auguſt. q. 33. Hieron. in cap. 5. Iſaiæ, & Procopius; alij verò ſingillatim ad ipſius Chriſti carnem, quæ & rubri coloris fuerit, vt terra de qua formatus fuit Adam, vel vt Dauid, à quo genus duxit, & iugum peccati nunquam traxit: Sic Petrus Damian. ſer. *de inuentione Crucis*, & Machar. Chryſoceph. orat. *de Exaltat. Crucis:* Negari quidem non poteſt peropportunè hæc aptari à Georgio Veneto in harmon. mundi Cant. 2. tom. 2. cap. 6. *Deipara, quæ fuit* (inquit) *de progenie ruffi Dauid, & per quam inducta eſt benedictio expellens maledictionem, & infectionem diffuſam per Euam in humanum genus: Eua rubra terreſtris, Maria rubra cœleſtis, & plena igneo*

S. Epiph.

Nu. 19. *verſ.* 2.

Theodor. Apolli. Cyr. Al Auguſ. Hierony Procop.

Pet. Damian. Mach.

Gregor. Venet.

S. Laur. Iuſtinia

ſpiritu,

ſpiritu, gratiâ, virtutibus, cuius detẽtio in plenitudine Sanctorum: ideò vitulæ perfectæ, integræ, ſine maculâ, nec iugo preſſæ ſimilis: Hæc ille, quæ Mariæ immunitatem omnino explicant, & noſtro inſtituto ſunt per opportuna. Subdit verò ſtatim in horũ confirmationem id quod in præfato Numerorum loco additur: *Et ſicut vitulæ ſacrificium, alijque ipſius ritus celebrati ſunt extra caſtra, & communem cætum, etiam electi populi, ita Mariæ myſteria omnia celebrata ſunt extra communem legem.* Sic Georgius: nè videlicet iugum graue filiorum Adam communi lege eorũ ceruices premens rectũ Deiparę collum attereret, quæ extra cõmunẽ legem; & telorum iactum ſemper fuit.

III Pro qua quidem cogitatione Salomon quoties Mariani colli in Canticis meminit manifeſtè, & plenè fide iubet: Nimirum cum totus Canticorum liber in Virginis Deiparæ gratiam ſignatè fuerit conſcriptus, adeò vt monuerit Rupertus; & a Ruperto alij: in felicem eum auctorem iudicandum, qui quæcumque in eo magnifica, & illuſtria conſcripta ſunt, ad Mariæ laudes, & gloriam nõ retulerit: mirum quidem eſt, quam frequenter ibi pro Mariæ immunitate colli ipſius mentio fiat opportunis imaginibus illud communientibus, vel ea quidem ratione, quod quantum ad humanam generationẽ capiti videatur eſſe coniunctum: Sed enim vt planum fiat à capite, & iugo Adam, Mariam eſſe diſiunctiſsimam: vide vt collum eius à Salomone celebretur: Sic enim primo: *Collum tuum ſicut monilia,* Cantic. 1. verſ. 9. Deinde cap. 4. verſ. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium.* Denique cap. 7. verſ. 4. *Collũ tuum ſicut turris eburnea*: Quæ ſingillatim elucidare erit operæpretium: Et verò, prima illa verba: *Collum tuum ſicut monilia.* Gregorius Nyſſenus, & Ambroſius ſic explicant, vt vocem *monilis* ſub diuerſa ſinguli, imagine, vtràque tamen præſenti inſtituto opportuna, capiant: Etenim Nyſſenus homil. 3. in Cantica Græcam vocem *portum* ſignificare affirmat, atque ab hac ſignificatione Sponſæ laudes adornari: Audi illum: *Quænam autem ſunt laudes, quæ nobis per hæc à Scriptura ſignificantur? Nauigantibus res iucunda, & ſalutaris eſt portus, &c. Non eſt eis naufragij metus, neque in mari latentium cautium ſuſpicio, nec periculum prædonum, neque à flatibus perturbatio, neque à profundo per ventos tumeſcit mare, ſed remoti ſunt ab omnibus eiuſmodi periculis, qui tempeſtate iactantur, cum mare ſit in portu tranquillum*: Hæc Nyſſenus, ex quibus pulchra pro Mariæ immunitate eius loci explicatio ſubſiſtit, ſi collum Mariæ cum reſpectu ad Adæ caput conſideres: quippe dum ab Adamo tanquam à capite originaria labes, tanquam iugum graue in filios ſuos defluit, immo verò tanquam à turbulentiſsimo mari ineuitabile naufragium, ſcite & opportunè de ingreſſu hominũ in vitã dicente Ambroſio in oration. de obitu Theodoſij: *Quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluctus expuerit:* tunc Mariæ collum tutiſsimus, & tranquilliſsimus portus fuit, ipsâ longè à naufragio, & naufragij metu, longe a latentium cautium ſuſpicione, longè à prædonũ periculo, tota verſetur in requie: Ergo cum à Sapiente ſub eo ſenſu dictum ſit: *Iugũ graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorũ vſque in diem ſepulturæ in matrẽ omnium*, vt ſignificetur totam filiorum Adæ vitam, naufragium eſſe, qui in peccatis concepti à quodam naturæ fluctu naufragi in hanc vitam expuentur; itidèque ſubinde turbulentiſsimo mari commiſsi, alternis fluctibus

Cant. 1. verſ. 9. *Cant. 4. verſ. 4.* *Cant. 7. verſ. 4.* *Ambr.*

ctibus, & quaſi reciprocanti æſtu hinc inde indeſinenter iactentur: ſubiiciẽte Scripturâ: *Furor, Zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio:* non ſecùs hinc videris Mariæ Conceptionem à cæterorum filiorum Adæ conceptu, & ingreſſu in hanc vitam diſcriminari, ac tutiſsimus portus, & requies a miſerrimo naufragio diſcriminatur: Quem quidẽ Gregorij Nyſseni ſenſum omninò firmauit S. Ephrem ſermone *de Sanctiſsimæ Virginis Mariæ Deigenitricis laudibus*, ipſam ſic conſalutans. *Aue portus tranquilliſsime*, ad quẽ ſcilicet nulli marini fluctus, nulli æſtus, nulla periculi ſuſpicio, aut naufragij metus acceſsit.

S. Ephr.

IV. *Ambr.*

Nec minus opportunam dixeris Ambroſij mentem in lib. *de inſtitutione Virginis, cap.* 14. vocem *monilia* accipientis de torquibus, qui apud veteres victoriæ inſignia erant, & victoribus militibus ab eorũ ducibus pro bellicâ gloriâ partâ dabãtur, & hinc Mariæ collum ſemper inuictum, & glorioſa victoriæ inſignia præferens affirmantis: etenim cum dixiſſet, *Quam pulchra etiam illa, quæ in figura Eccleſiæ de Mariâ prophetata ſunt, ſi tamen non membra corporis, ſed myſteria generationis eius intendas:* ſic ſtatim torquis ſignificationem ei aptat. *Sicut victores ſolent ſæcularium præliorum, ſtrenuorum virorum donatis torquibus ornare ceruices; ita iugum noſtrũ leuauit, vt fidelium colla virtutum inſignibus ornaret:* Hæc Ambroſius: et quidẽ eruditè: adeò ſiquidem ſolẽne erat torques aureos militibus victoribus ab imperatoribus dari, vt ſignatè torquati milites dicerentur, qui hoc honoris genus bellica virtute fuiſſent conſecuti. Vndè Titus Manlius (auctore M. Tullio lib. 3. officiorũ) Torquatus dictus eſt à torque hoſti detracto, & in victoriæ ſignum ſibi impoſito: ſic enim Tullius. *Atque hic T. Manlius is eſt, qui ad Anienem Galli, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto cognomen inuenit* pergit A. Gellius lib. 4. cap. 3. *Caput Galli præcidit, torquem detraxit, eãque ſanguinolentam in collum poſuit:* Ex quibus Mariæ collum torque ornatum mirum in modũ elucet, quod quidem adeò non fuit ſubiectum Adæ iugo, vt glorioſæ, perpetuæque victoriæ typus fuerit, nec victrix ſolùm Maria, & egregium ſibi de hoſte triumphum referens, ſed quæ etiam hac de cauſſa Mater Dei effecta, iugum noſtrum ſubinde leuauit, vt qui ceruicespeccato ſubiectas habebamus, ab ipſa *incederemus recti* (Leuitici 26. verſ. 13.) Habet verò hæc torquis imago Mariæ collũ ornantis, peculiarem venuſtatem, cum torques vno ex capite Catenaſit, & catena captiuitatis ſymbolum, vt eo in loco Leuitici: *Confregit Dominus catenas ceruicum noſtrarum, vt incederemus recti:* & Ierem. 28. verſ. 9. & 10. *Et tulit Hananias Propheta catenam de collo Ieremiæ Prophetæ, & confregit eam, & ait Hananias. Hæc dicit Dominus: Sic confringã iugum Nabuchodonoſor Regis Babylonis:* ex alio vero inſigne honoris cẽſeatur, vt humana Conceptio, quæ cunctis mortalibus cõtumelioſa captiuitas eſt, & *caputium verecundiæ* (vt inquit Bernardus) eſt, Mariæ ornamentum, & gloria fuerit, quæ gratiæ vlnis excepta, & mille Dei chariſmatibus prædita fuit.

Leuitic. 26. verſ. 13.

Ierem. 28. verſ. 9.

Bernard.

M. Tullius.

V. *Geneſ. 3. verſ. 15.*

Poſsis verò huc non inepte referre pugnam illã, immò egregiam victoriam, & triumphum a Maria de hoſte relatum, vt Geneſis 3. verſ. 15. prænunciatum fuerat: Domino, ſerpenti minacibus verbis, dicente: *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem: et ſemen tuum, & ſemen illius. ipſa conteret caput tuũ:* vt ipſa caput ſerpentis victrix contriuerit, & ſub iugum miſerit; & torquem innocentię, quem de primis parẽtibus,

&

& humano genere deuicto gerebat de collo detraxerit, & sibi gloriosè in collum posuerit. Nec ab hoc iuerit Ruperti obseruatio in hæc verba adnotantis; ideò Virginis collũ monilibus cõparatum fuisse, quòd monilia dicantur *à muniendo eò, quod collã, & pectus muniant; nè quis extraneus, aut impudic⁹ manus injiciat*: vt Maria in cõceptione sua omnibus omnino gratiæ munimẽtis collũ munitũ habuerit, nè extraneus, & spurius hostis manus in illud potuerit injicere, vt iugo suo subiiceret. immo vero ipsa ferum illum iugo suo gloriosè sub miserit: vbi placet ob oculos ponere Romanam historiam à T. Liuio conscriptam, cum Romani Cõsules à Sãnitibus bello capti sic elusi, & ignominia affecti sunt, vt paludamentis detractis seminudi sub iugum missi fuerint, armatis tunc hostibus spectantibus, simulque exprobrantibus: Quod non immeritò reuocaueris, tum ad iugum graue, & contumeliosum filiorum Adã, quod ferus hostis ipsorũ ceruicibus in cõceptione imponit, tum vel maximè ad victoriam, quam Deipara immaculatè concepta de eo retulit: quæ *caput* eius *præcidit*, siue contriuit, & torque ab illo detracto, sibique imposito, ipsum sub iugum misit: id quippe tinnit id: *ipsa conteret caput tuum*.

Rupert. *T. Liu.*

Iam præfatis Canticorum verbis, illa ex cap. 4. vers. 4. omnino concinunt dicente Salomone de Deiparæ collo: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis*, subiicienteque *mille clypei pendent ex eâ: omnis armatura fortium*: quibus Mariæ collum siue à peccati iugo, siue à Læthalis vulneris ictu non modo liberum, & quæsitissima cura protectum, sed etiam pulcherrimis victoriis, & trophæis ornatum elegantissime describitur: Sed enim cum singulas huius loci locutiones expendere oportet: in primis propositum Dauidi scopum in præcelsa illa turri cõstruẽda discere debemus ab Ambrosio, qui serm. 4. in Psalm. 118. de eo sic loquitur. *Condidit turrim illam Dauid, & super murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, ac decori esset subsidio quia hostem præuidet, & expellit: decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa super eminet*: Hæc Ambros. obserua opportunissima præsenti instituto verba: *Subsidio, quia hostem præuidet, & expellit*: vt quemadmodum turris illa Dauid prẽterquam quòd pulcherrimo, & magnificentissimo opere erat constructa: signatè quidem totius arcis Sion munimentum, atque præsidium censebatur, quia ex ipsa velut ex specula hostiũ insidiæ præuidebantur: & præuiæ repellebantur, quin possent ad arcem armata phalange accedere illis, obuiam eũ tibus arcis excubitoribus, ita Sãctissima Deipara, & si humana natura spectata Adamum, & parentem, & caput habere videretur; eius tamen collum, per quod infecti, & inficiendis capitis influxus ad cor, siue ad animum erat pertransiturus, fortissimis, & munitissimis diuinæ gratiæ propugnaculis esset instructum, nè ferus hostis venenosa Adami buccella armatus ad illud posset accedere, sed multo ante a longè præuisus maturâ prouidentia fugaretur. In quem etiam sensum iam dudum infleximus præfata Domini ad dirum serpentẽ verba: *Ipsa conteret caput tuum*, Genes. 3. vers. 3. duo ad illa obseruantes: alterum Hebræam vocem *ros* pro qua vulgatus posuit *caput* æquè significare caput, ac signatissimũ illud venenum, quod toxicon appellatur, à quo cætera venena lęthale nomen sortiuntur, quod illud cæterorum omnium lęthalium succorum caput, & velut princeps sit; Alterum verbum *Suph* respondens latino *cõteret* propriè esse *ex sufflare*, seu ingẽ-

Ambr. *Genes. 3. ver. 3.*

VI *Cant. 4. vers. 4.*

ti impetu, & vi aliquid flatu longiùs ponere, ac remouere, & vero cum id quod exsufflatur, seu flatu remouetur, non omninò proximum, sed potius dissitum sit ab eo, qui flatu illud arcet; ea ex his vocibus cōflatur sententia Deiparam diuinis gratiæ præsidiis munitam primordiale virus à capite influens exsuflasse, siue illud magno cum impetu nè ad collū descenderet, remouisse.

VII. Nec longiùs iuerim ab hâc colli Mariæ imagine, si illi pulcherrimam alterā adiunxero, quâ Diuinus Spōsus eius nasum sic laudat. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, Cant. 7. vers. 1. cum idem vtriusque imaginis sensus; eadem etiam à turri petita significatio sit. Etenim vt hic turris Libani, idem munus, ac ministerium speculæ ad præuidendum, & arcendum hostem habet; ita Spōsæ nasus a munere discernendi odores, siue odore deprehendendi, quod infectum est, signate denotat immunitatē Mariæ ab hostiū insidiis, hoc est ab originaria labe, quæ in Damasco omninò adumbratur: quippe Damascus ex PP. expositione ea omnia significat, quæ peccati originalis notæ, & imagines esse dicuntur: nam in primis ea est cōmunis huius nominis interpretatio: vt sit idē, ac *sanguinis potus, siue sanguinē bibens*: nēpe cum à sanguine siue a sanguinis coniunctione, & filij parētibus, & propinquis cognati adhæreant: eleganter dicitur *sanguinis potus* originale peccatum, quod à parentibus, tanquam hæreditas cum sanguine bibatur. Vndè Cardinal. Hailgrinus apud P. Martinū del Rio sic capit hæc verba: *Nasus iste est discretio Deiparæ, quâ & præsentit Diaboli malitiam, & longe quasi ex specula præuidet*, vt eadem sententia sit cum illa Ambros. de turri Dauidica: *Subsidio, quia hostem præuidet, & expellit*. Eam verò sic primū expressit Rupertus lib. 3. in Cantica. *Nunquā aduentus spiritualis accipitris tibi esse improuisus, aut te cōsequi, immo nec tibi appropinquare potuit*, deinde verò, ita illā opportune diffundit Richardus à S. Laurent. libr. 5. *de laudibus Mariæ*, inquiens: *Damascus interpretatur:* sanguinē bibens: *hoc est diabolus, qui semper sitit bibere sanguinem peccatorum. Contra eius insidias opponitur nasus, idest discretio Beatæ Virginis, quæ ipsius præsentit malitiam, & à longe præuidet, quasi de speculâ. Vndè & turri comparatur, à quâ de longe inimicorū videntur incursus*. Hæc ille. Quē sensum firmat Libani significatio, perinde enim *Libanus* est, ac *candidus*, vt innuatur, cādorem sanguini, hoc est puritatem Mariæ, peccato originali è diametro opponi; atquè ipsam cādidissimâ innocētiâ suâ, tanquā pede serpentis caput contriuisse. Quæ quidem omnia è pharetra Bernardi deprompta omninò sunt: dū ipse ser. 4. *super salue Regina*, sic dissertissime inquit: *Tu nasus Ecclesiæ, similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate, turris es libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altā præ omnibus designat innocentiam. Innocēs fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis. Nemo ita præter te*. Ita Bernardus dilucidè, & verissimè.

Cant. 7. vers. 1.

Card. Hailgr. Mart. del Rio.

Rupert.

Richar. à S. Laurent.

Bernar.

VIII. Astipulatur his ea Damasci interpretatio, quā reddit Guillielm. vt eā vox significet *sanguinis osculū*: sic enim ille apud Martinū del Rio. *Sane Damascus interpretatur sanguinis potus, vel sanguinis osculū. Vtrūq; autē diabolo cōuenit, ipse est ergo Damascus contra quē præclara illa turris libani respicit*. Sic ille: Sane vt filiorum Adæ in hanc vitā ingressus, osculum sanguinis, siue Dæmonis in eorum animum mortem inspirantis sit: Cōtra quem præclara illa turris Libani respiciens Summum Patrem sic orasse, atquè exorasse dicitur Canticor. 1. vers. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, vt cum allusione ad vitam à

Guilliel.

Cant. 1. vers. 1.

primo

primo parenti, Dei ore inſpiratam (dicente Moyſe *formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Geneſ. 2. verſ. 7.) innuatur. Mariam ab ore Dei, qui Vnigenitus eius eſt, hauſiſſe ſpiritum, in quo viueret, & a quo ab alieni oris oſculo eſſet remota. Quod plane ipſamet dilucide ſignificauit cum dixit: *Ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita.* Eccleſiaſtici 25. verſ. 5. vt dixerit non à ſanguinis oſculo vitam percepi, ſed ab *ore Altiſsimi*, amice, & pacifice me in vitam ingredientem deoſculantis. Enim vero huc etiã poſt præfata verba reuocauit Richardus à S. Laurentio Mariam turrim libani eſſe, quod in vno Chriſto fundata fuerit hunc in modum: *Quia quoad ſe fuit fundata ſuper petram, ideſt ſpiritum, cui ſoli innitebatur*: tantum non dicens; minime in Adã qui fuit lapis offenſionis, & petra ſcandali, fuiſſe fundatã, aut ruinoſo eius fundamento innixã, ſed firmiſsima Cõceptionis ſuæ fundamẽta in vnigenito Dei iacta fuiſſe *cui ſoli innitebatur*: ita id firmante S. Petro Damiano ſerm. de *Natiuitate Mariæ*, dũ ait: *In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis inſignitur: Beata vero Maria licet ſit de generoſa Patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſsimæ noibilitatis genus, qui de illâ eſt nouo naſcendi genere procreatus.* Hæc ille.

Geneſ. 2. verſ. 7.

Eccl. 25 verſ. 5. Richar. a S. Laurent.

Pet. Damian.



IHS

LIBER SECVNDVS DE MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

PROEMIVM.

PLACET in hoc libro ad iudicium in cauſſa immunitatis Deiparæ ſapienter, & opportune ferendũ illud Lectori proponere, quod in Lucio Caſsio populus Romanus maxime laudabat apud M. Tullium: in cauſarum videlicet cognitione ipſum interrogaſſe ſolitum: *cui bono*, fuiſſet: ita enim Tullius in orat. *Pro ſexto Roſcio Amerino*, refert. *Lucius Caſsius ille, quem Populus Romanus veriſsimum, & ſapientiſsimum iudicem putabat, idemtidem in cauſsis quærere ſolebat. Cui bono fuiſſet?* Et quidem rectè, & philoſophice ratus, mortalium ingenium non niſi bono ſibi propoſito in aliquid ferri, ſiue animum intendere. Ad hanc ergo veriſsimi iudicis mentem, & regulam nos modo compoſiti, ad iudicium de vtraque opinione, quæ circa Mariæ Conceptionem verſatur prudenter ferendum, opportune inquirendum putamus: *cui bono* ſit, quod alterutra opinio, de ipſa affirmat? *Sic enim vita hominũ eſt* (addit præfato loco Tullius) *vt ſine ſpe, & emolumento*, nemo aliquid tenacius affirmare conetur, & quidem piæ opinionis aſſeclæ, ſi à nobis inquiritur, *cui bono* eſſe putemus Mariam fuiſſe immaculatè conceptam? Toto hoc libro animoſe, & conſtanter reſpondemus, omnia omninò, quæ numerantur in bonis: honeſtum nempe, vtile, & delectabile ei adeſſe. Ne verò ſine idoneo Auctore, id proponamus: ſcire eſt operæ pretium in Concilio Baſilienſi pro Deiparæ immunitate vltro, citroque diſcutienda duos fuiſſe à Conciliaribus Patribus Doctores deſignatos, qui alterutrã partẽ propugnarẽt: nẽpè pro opinione immunitati non fauẽte Fr. Ioannẽ de Montenegro Dominicanũ, pro felici vero, & pia opinione clariſsimũ virũ Doctorẽ Ioannẽ de Cõtreras multis nominibus illuſtrem, qui in Concilio à patria cognomen accepit, & Doctor Segouienſis appellatus eſt. Porro dum vterque Doctor pro ſuæ opinionis confirmatione tractatũ, ſiue volumen iuſtũ Cõcilio obtulit, ille Dominicani Patris liber adeò fuit infelici ſydere ortus, vt ſimul natus, ſimul defunctus fuerit, ad eũ modum, quo apud Salomonem illi aiebant: *Nos nati continuo deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere*: Sapiẽt. 5. verſ. 13. adeò quidem, vt à nobis, & à diligentioribus Auctoribus multimodis requiſitus,

nuſquam

nusquam inueniri potuerit, sed nec illius certum vllum vestigium exstet: transiuit enim, *tanquam vmbra* (vt indidem dicitur) *& tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam auis, quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris: sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum; & scindens per vim itineris aerem commotis alis transuolauit: & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locum designatum, diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius:* Nimirum apud Dominicanæ familiæ historiographos tam vaga, & confusa libri huius, siue nauis fluctuantis, & sagittæ emissæ vestigia sunt, vt vix vllum reperiatur argumentum itineris, siue transitus illius: Nam Fr. Antonius Lusitanus, Fr. Seraphinus Razzi, Fr. Antonius Fernandez nobiles Dominicanæ historiæ Scriptores dum huius libri in suis Cronicis meminere, adeo in notitia nobis de eo danda inter se dissident, vt ab scopo toto cœlo aberent: dum scriptionis occasionem ad Concilium Constancience, in quo de Deiparæ Conceptione nulla penitus mentio facta est, nullo dato fideiussore referunt. Tanti scilicet est apud ipsos in grauioribus occupatos exacta temporum, & historiarum ad suas met res spectantium cognitio.

Quod sanè multo aliter accidit piæ Opinionis propugnatori, cuius liber eruditissimus, & acri iudicio, limatoque ingenio conscriptus, vt non fuerit typis excussus, at in magnâ, & celebri Bibliotheca illustrissimæ Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalensis, ceu ingens pietatis, & doctrinæ thesaurus magno in pretio habetur, & summa cura, & diligentia asseruatur, vt ex bonis auctoribus inibi degentibus nempe P. Ioanne de Pineda optimæ notæ Auctore, & D. Domino Emanuele Sarmiēto non minus laudato, & erudito viro, eiusde Ecclesiæ Canonico tradit Didacus de Colmenares diligens historiæ Segouiensis scriptor in viris illustribus illius vrbis dum inter illos Doctorem Segouiensem in fronte libri proponit: Ergo egregius huic immunitatis Mariæ propugnator, quo sibi obiecto scopo, siue, *cui bono?* (vt nos loquimur) eam prouinciam susceperit signatè aperit, cap. 25. *septimæ allegationis, §. de intentione Auctoris:* hunc in modum: *Quod tam abundè verbo, & scriptis defensio huius materiæ facta est, causa exstitit defensio fidelis populi: item & Sanctæ Ecclesiæ, quæ huic doctrinæ non restitit, sed multipliciter adstitit: item honoris Virginei, nam cum in possessione huius laudis fuerit à mille ferme annis, tuenda est in possessione suâ à cunctis fidelibus. Item Diuini Numinis, cuius Omnipotentiæ derogari videtur:* Hæc Doctor ille Egregius. Quæ Concilij PP. ob oculos habuisse videntur sessione illa 36. cuius sæpius meminimus illis verbis: *Doctrinam illam differentem, gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præueniente, & operante Diuini Numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam diffinimus, & declaramus: nullique de cætero licitum esse contrarium prædicare, & docere*: Sic illi PP. omnino probantes sensum Doctoris Hispani, atque illum omnibus vndeque quaque rationibus, quæ in alicuius sententiæ confirmationem possunt afferri, vt a pietate, à cultu Ecclesiastico, à consonantia cum Fide Catholica à recta ratione, & à Sacra Scriptura valide firmantes, vt dixerint cum Ecclesiaste cap. 12. vers. 12. *His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nul-*

lus eſt finis: Et nos quidem amplius non requirimus, ſed his veſtigijs inhærentes, opinionem piam, & ad Diuini Numinis gloriam, & ad peculiarem Virginis honorem, nec non ad populi Chriſtiani vtilitatem ſpectare ſeqq. adnotationibus adſtruimus: quas optamus ſedato animo à contrariæ opinionis Auctoribus legi, atque ipſos plus ad rationum momenta, quam ad Doctorum ſuorum auctoritatem attendere. Veriſsimè quippe Tullius lib. 1. de *Natura deorũ* ad finem cum præmiſiſſet: *Non enim tam auctores in diſputando, quam rationis momẽta quærenda ſunt,* ſubiecit: *Quin etiã obeſt plerũque ijs, qui diſcere volunt auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident:* Sicille: Vtinam ergo, & ipſi ſuum iudicium adhibeant, & rationum momenta, tam in hoc, quam in ſequentibus libris appingenda expendant.

Et ſi tibi verà videntur
Dede manus, at ſi falſa, accingere contra.

DISSERTATIO PRIMA.

MARIAM Immaculatè fuisse conceptam ad honorem Diuini Numinis spectare.

MARIAM Immaculatè fuisse conceptam ad Diuini Numinis honorem signatè spectare.

ADNOTATIO I.

I SVMO rationem Doctoris Segouiensis Mariæ immunitatē non tantum asserentis caussa *honoris Virginei*, sed etiam. *Diuini Numinis, cuius omnipotentiæ derogari videtur:* Nihil scilicet ille de voluntate Dei addubitans, sed certo persuasus bengisissime Deū diuitias bonitatis, & benignitatis suæ in Matrem effundere voluisse: dixit vero opportunè, *cuius omnipotentiæ derogari videtur:* quod scitè dictum à S. Petro Chrysologo serm. 142. nouerit: *Quid tā rationabile, nisi vt Deus quidquid voluerit possit? Qui quod vult, non potest, Deus non est:* Induc ergo animum, vt credas Deum voluisse, Mariam immunem ab omni labe originaria facere, inde quidem etiam credideris potuisse facere: vel facta in diuersum ratiocinatione si credis Deum potuisse, talem sibi Matrem deligere, quæ sole purior vndequaque illibata, & à labe originali exors esset, inde etiam debebis credere voluisse præscribente nobis Cōcilio Francofordiensi in epistola ad Episcopos Hispaniæ. *Credamus Deū omnia velle, quæ meliora sunt:* Itidem

Doct. Se

Chrysol.

Con. Frācoford.

que August. lib. 3. de *libero arbitrio*, c. 5. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, id scire debemus fecisse Deum:* Quę ergo iam tibi Melior; & Deo opportunior Mater esse videtur quæ prius infecta, inquinata, & iræ filia exstitit? an vero, quæ semper pura, immaculata, & Dei amica fuit? quod si in cunctis Dei operibus credere debemus Deū velle, quæ meliora sunt, atq; id ipsū fecisse, quod vera ratione nobis melius occurrit, quomodo credes Deiparam, quæ inter omnia Dei opera nihil augustius, excellentius, Deo proximius, aut charius excogitari potest, & in qua facienda, & ornanda ipse summus Artifex manus, quodammodo consumpsit; aliqua labe fædari potuisse? Occurret ne tibi melior? si macula inquinata, si filia iræ, & gehennæ in mentem venit? Nō ita quidem occurrit Bonauenturæ, *in Speculo B. Mariæ*, cap. 6. affirmāti: *Quidquid post Deum pulchrius: quidquid dulcius, quidquid iucundius est in gloriâ, hoc Maria, hoc in Maria: hoc per Mariam:* Nec Georgio Nicomediensi in Oratione *de oblatione Deiparæ:* Aienti. *Quis honor exhiberi poterit puritati Deiparæ exæquo respondens?*

August.

Bonaue.

II Talis equidē videtur Deipara occurrisse Sanctæ Matri Ecclesiæ, quæ diuino Spiritu ductore in festo, siue Missa Cōceptionis Mariæ quæsito studio, & de industriâ vtitur ea parte Euangelij Matthęi, in quâ de Virginis parentibus nulla facta mentione, tātum de ipsa, quod Mater Dei fuerit sic ab Euangelista perhibetur, cap. 1. v. 16. *Iacob, autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: planè, vt nobis argumento esset eà puritate Mariæ Conceptionem nitere, qualem Dei Matrē decebat Marięque Conceptionē Maternitatem Filij Dei directè respicere, & ad eam, ordinem, eumque præclarum dicere, vt videlicet iam Conceptio Mariæ ipsam Matrem Dei futuram pręsagiret, quod ea ratione, & modo fuerit concepta, quo opportunè ex ea Dei Filius nasceretur, hæc pęnè exprimente ipsomet Dei Filio apud August. lib. *de quinque hæresibus* cap. 5. vt hæretico Manichæo occurreret: *Ego Matrem de quâ nascerer, feci, ego viam meo itineri præparaui: Hanc, quam despicis Manichæe, mater est mea, & manu fabricata est meâ si potui inquinari cum facerē, potui in illâ inquinari, cum ex eâ nascerer:* Ita omnino ad rem August. compone hæc verba: *Ego Matrem de quâ nascerer feci*: Cum illis, *de qua natus est Iesus*, in Conceptione Mariæ decantatis, vt sit idem vtrisque hic sensus: opportunā Dei Filio matrē à puritate fuisse, quin ipsemet Dei Filius peculiari cura, & prouidentia eius Artifex fuerit, qui talem tantāque fecerit, qualē esse decebat eam ex quâ nō alius, quam Dei Filius Deus verus de Deo verò opportunà natiuitate nasceretur: Quæ omnia pulchrè cōplexus fuit P. Salmeron, vt sapientissimus, & sanctitate conspicuus, ita Marię immunitatis studiosissimus, & acerrimus propugnator to. 3. *in Euang.* tract. 30 prope finem: vbi cum pręmisisset: *Maria verò, cui ante cōceptionē* (actiuam) *nomen Iesu est reuelatū, excellenti priuilegio in sui conceptu à peccati labe fuit præseruata*: subdit caussam. *Quod etiā aliâ ratione factū est. Mariæ si quidem maternitas, vt ita dicam, conceptionis illius comes fuit, & administra*: Ita ille: Obserua hæc: *Conceptionis comes, & administra*; Vt maternitas, & passibus æquis Conceptionem Mariæ cōmitaretur, & eam æconomice disponeret, vt talis esset, qualem Matrē Dei deceret.

Mat. 1. vers. 16.

Augus.

Salmer.

III Diffidit tamen his omnibus Vincentius Bandellus immunitati Marię semper infensus in 2. part. tractat. de *Conceptione* ad rationem 13. quasi eà extra potentiam Dei fuerint, non quod ipse omnipotentiam Deo velit adimere, qui Deum credit: Sed, quod contendat de potentia ordinaria (vt Theologi aiunt) fieri non potuisse; vt Maria, quæ ab Adam in quo omnes peccauerunt ortum duxit ab originaria labe immunis euaderet: itidemque quod cum semper steterit fixū Dei decretū neminem nisi à Christo redemptum ad gloriam perducere, redemptio verò supponat peccatū non potuerit nisi eo supposito ex vi præsentis decreti Virgo eligi, vt redemptionis Christi capax efficeretur. Verum enim verò, quam sint debilia, & ruinosa hæc Bandelli fundamēta, & quam anguste ipse sentiat de potentia, & prouidentia Dei quæ (præsertim affectione lineamenta ductāte) *attingit â fine vsque ad finem fortiter: & disponit omnia suauiter*: Sapient. 7. vers. 1. quis ex dictis in toto hoc libro non videat cum pæne infiniti modi sint quos Theologi adinuenerunt, & cottidie de nouo (diuino Numine illustrante) inueniunt, vt Mariæ immunitas tum cū Adamo parente tū Christo redēptore omnino cohæreat, vt possis ab ipsis in Bandellū opportunius retorquere, quod in nostros Caietanus importunè iactare consueuit ex Aristotele: *Qui ad pauca respiciunt, facile enunciant*. Quod

Bandell.

Sapie. 7 vers. 1.

Baptiſt. Mant. ſcite tetigit Baptiſta Mãtuanus poeta verè Chriſtianus, qui cum de pia opinione dixiſſet.

Nam nec veniſſe ſub album
Sorde laborantem tali ſublimia cœli.
Numina, nonnulli ingenio præſtante putarunt.
Religio maior, pietas animoſior iſtam.
Conſummata fides, legumque peritia fecit.

De oppoſita ſententia Virginis immunitatem negante ſubiicit.

Altera verborum textum, & faſtigia tantum.
Summa videns, abſtruſa Dei myſteria neſcit.

Ita ille lib.1.Parthen: & quidem pulchrè, ſolam verborum ſuperficiẽ videre opinionem minus piam, & penitiora Dei myſteria neſcire affirmat. Sed his prætermiſsis Bandello reſpondere videtur Andræas Cretẽſis orat. *de Dormitione Virg.* à nobis in ſuperioribus ſæpius adductus inquiens: *Si quid ergo quod nos ſuperat in ipsa* (Mariâ) *à diuina eſt diſpenſatũ natura nemo miretur, intuẽs ad nouũ & ineffabile, quod in ea operatum eſt myſterium ab omni infinitate infinities infinite exemptum*: Sed & ipſam met Deiparam cunctos, qui ſuam ei immunitatem denegant, iis verbis videor mihi videre alloquentem, quibus Publius ille Valerius apud T. Liuium lib.2.cum emphaſi, & querela dicebat: *Tam leui mea apud vos fama pendet? adeò nè eſt fundata leuiter fides, vt vbi ſim, quam, qui ſim magis referat?* Vt dicere MARIA videatur: non tam referre vbi ſit in valle ſcilicet lachrymarum, & humanæ generationis ſerie, quam quę ipſa ſit: Mater nempe Dei, ad hoc tantũ electa, concepta, & formata: ad nouum ſcilicet, & ineffabile myſterium ab omni infinitate, infinities exemptum: Tam leui ergo apud vos Mariæ Matris Dei fama pendet? adeò nè eſt fundata leuiter fides, quam tantæ dignitati facere debetis, vt humanis rationibus ducti meam cauſſam cõmunem, cum omnibus eſſe velitis? *Vſque adeò deſipiendum eſt* (dicebat alio aſpiciens Auguſtinus lib.1. *contra aduerſarium legis*, cap.14.) *vt homo videat, melius aliquid fieri debuiſſe, & Deum credat facere noluiſſe? aut non potuiſſe?*

Andr. Creten. *T. Liu.* *Auguſ.*

IV.

Crediderim Bandello, & opinionis minus piæ auctoribus opportune obviam iri ad eum omnino modum, quo Moyſi mente potius, quam pedibus calceato ad rubum ardentem nec combuſtum contemplandũ properanti dictum eſt: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt:* Exodi 3. veſ.4. Nimirùm cum rubus ille ex communi PP. ſenſu Mariam Deiparam adũbraret, vt apud Proclum Conſtantinopolitanum hom. *de Deiparâ*, Andræam Cretenſem orat.2. *de Dormitione Virginis*, S.Ephr. ſerm. *de Laudib. Virgin.* Heſychiũ hom.2. *de Deipara*, Greg. Niſſenum *hom. de humanâ Chriſti Natiuitate*, Georgium Nicomediẽſ. orat. *de oblatione Virginis*, Origen. *hom.*1. *ex decem variis*, Damaſcen. orat.1. *de Dormitione Virg.* Chryſippũ *hom. de Deiparâ*, Bernard. homil.2. *in Miſſus eſt*, & ſerm. *de verbis Apocalypſ.* videre eſt, Moyſi notanter ab Oraculo præſcriptum eſt, vt Mariam contemplaturus calceamẽta ſolueret ſiue vt mortales, & terrenas cogitationes, & humanas ratiocinationes deponeret, quibus de ipſa terrenum aliquid ex fæce humana ſuſpicaretur: ſiue etiam humano pede, ſiue vſu Mariæ puritatem metiretur, & ad aliorum menſuram cõponeret: Hæc in primis præſtringẽte Bernardo præfato ſerm. *de verbis Apocalypſis*, hunc in modum: *Merito quidem admiraris Moyſes ſancte, & curioſiùs deſideras intueri; verum tamen ſolue calceamenta de pedibus tuis, & inuoluera pone carnalium cogitationum, ſi accedere con-*

Proclus. Andr. S.Ephr. Heſych. Nyſſen. Georg. Chryſip. *Exod.3. veſ.4.* *Bernar.*

cupiscis: vt dixerit caue nè Mariæ dignitatem qua in Matrē Dei electa est, quæque humanam omnē cogitationem, & captum excedit vulgari modo, aut carnali mensura ex vsu humano: siue in eius Conceptione, siue in ortu, siue in totâ vita dimetiri velis: Sed luculentius Georgius Nicomediens. cum ad Bernardi mentem Mariam appellasset *sanctā, & desiderabilē terrā, ex quâ orta est veritas, & iustitia*, subiicit: *In quâ operculo tecti pedes prohibētur progredi, ratiocinatio scilicet, quæ dubitatione operitur, & incredulitate*, ita ille: Soluat igitur calceamenta pedum: deponat ratiocinationes dubitatione, aut incredulitate opertas quisquis Mariæ Conceptionem speculatur: non metiatur ipsam calceo, aut pede humano, sed quidquid mortalis cogitatio dictauerit, quod à summa puritate fuerit constantissime respuṫât: ipsa siquidem extra humanam sortem, extra communem originem procul ab hæreditario contagio est. Quæ quidem omnia sic prestringit S. Ildephonsus in libr. *cōtra eos qui disputant de perpetuâ Virginitate Mariæ*, his verbis: *Nemo ex vsu tractet nouitatis arcanum. Nemo quod singulare est, vllo metiatur exemplo*: quod perinde fuerit ad rem nostram quod è Galeni pharetrâ *Therapeutices* lib 9. prouerbio. cessit. *Eundem calceum omni pedi inducere*, vt enim ipse idiecit in medicos imperitos, qui non habitâ ratione morborum eadem remedia admouent omnibus, cum diuersa mala diuersam curationem desiderent: ita & nos in eos iure iaciemus, qui non habitâ ratione personæ, & dignitatis Mariæ eundem ei calceum, ac cunctorum pedibus volunt inducere: *Solue* (ergo ò Moyses) *calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum si accedere concupiscis.*

Georg. Nicom.

S. Ildep.

Galen.

V. Sed quid fuerit opus alio in hanc rem vti testimonio? quam ipsiusmet Deiparæ affirmantis. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius.* Lucæ 1. vers. 49. Quæ verba cum pro Mariæ immunitate sæpius expenderimus, opportunè modo elucidabimus ex Venerab. Patre Ioanne Posoniensi sacri Ordinis S. Pauli, qui vixit circa annum 1488. in Sermone de Conceptione B. Virginis subthemate: Tota pulchra es, &c. cuius meminit P. Laurentius Chrysogonus in Mundo Mariano part. 1. discursu 20. n. 43. ergo Auctor hic sermonē ita auspicatur: *Monet Apostolus Romanos c. 13.* Hora est nos de somno surgere: *idest de sōno, quo multi in hodiernum vsque diem ita tenentur, vt nequaquam cognoscere possint, aut velint, gloriosam Virginem Mariā à peccato originali fuisse præseruatam, eique omnem pulchritudinē gratiæ, cuius creatura capax esse potest, tanquam dilectissimæ Parenti communicatam negāt. Qua sentiēdi libertate Diuinæ Omnipotentiæ circumscribere videntur limites: cum tamē ipsa virgo omnes Diuinæ Omnipotentiæ in se formandâ, donisque Naturæ, ac Gratiæ exornandâ exertas fuisse quodammodo vires fateatur, dum ita modulata est.* Quia fecit mihi magna, qui potens est. Hæc bonus Pater hic erga Virginem insigniter deuotus. Nec omiserim, quæ in huius rei confirmationem, tanquam omnipotentiæ diuinæ pro Virginis immunitate fideiussor sic subijcit. *Si enim potuit Deus facere maiora, quæ etiam fecit, proculdubio poterit, & minora. Maius enim est, materiam primam, atque adeò vniuersum ex nihilo, vt & Angelicā naturam, eamque sine peccato, in omni iustitia, & sanctitate creare: quod si facere hæc magna potuit, potuit etiam facere, quod minus est, præseruare videlicet suam mellifluam Matrem ab originali peccato. Potuit item Virginis Filius absque vllo addito, & sine rarefactione multiplicare quinque panes, & de costâ Adæ formare Euam ma-*

Lucæ 1. vers. 49.

Ioann. Poson.

A B C D E

trem omnium viuentium. Cur non poterit etiam suam dilectissimam Matrem ab omni maculâ immunem reddere? Adiungit,& hanc venustam,& opportunam rationem, siue imaginem. *Si denique creare potuit formam ab alio dependentem, & per se stare potentem, qualis anima rationalis est, quæ semper, vt potè pars inclinat ad corpus vt totum, & tamen per se stat in cœlis collocata. Cur igitur nō potuit & Matrem suam quæ secūdū ordinariū Naturæ cursum ad peccatū originale contrahendum, vtpotè Adami filia, inclinata erat, peculiari suâ gratiâ præseruare, ipsamque solam iubere inter natos mulierū, sine omnis peccati maculâ per se stare?* Hæc tam multa Venerab.Pater. Sed non sunt longa, quibus nihil demere possis.

VI. Sed enim vt iuxta Augustini regulâ scias Deū, sic Mariā effecisse, vt tibi vera ratione melius occurrit: adiūge huic monito Bernardi expresso per hoc verbū *solue*: quo quālibet cogitationē terrenā,& vulgarem sensum cōmunem cum humano cæterorum origine habentē in Mariam impingere vetauit, aliud B. Thomæ à Villanoua documentū ad perfectā Mariæ ideam mente concipiendam, atque formandum similiter per verbū *solue* exhibitum. Nimirùm cum ipse in 2. serm. *de Natiuit. Virgin.* generali oratione dixisset: *Quæ nam, obsecro, pulchritudo? quænā virtus? quæ perfectio? quæ gratia? quæ gloria Matri Dei non congruit?* subicit statim: *Solue cogitationibus habenas: dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginē quandā purissimā, prudentissimā, pulcherrimā, deuotissimā, humillimā, mitissimā, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentē, omnibus virtutibus ornatā, omnibus charismatibus decoratā Deo gratissimā: Quantū potes: tantū auge: quantū vales, tantū adde: Mator est ista Virgo: superior est virgo ista. Non enim Spiritus Sanctus litteris descripsit: Sed tibi cā animo depingendā reliquit, vt intelligas, nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quā animus in purâ creaturâ concipere possit defuisse: immo reipsa omnē intellectū superasse.* Hactenus B. Thom. vt dixerit: quandò Spiritus Sanctus, tā vibanè tecū egit, vt Mariā ipse nō descripserit, sed tibi eam animo depingēdam reliquerit: *Solue calceamenta de pedibus tuis, & imuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere* ad veram eius cognitionem *concupiscis*: & solue itidem cogitationibus habenas, vt apud te in animo concipias virginem quandam omni gratia plenam: omni sanctitate pollentem omnibus charismatibus decoratam. Planè vt ab vtroque Patre, & ab vtroque dicendi modo moneris in Maria ad viuum depingenda itidem premendas, atque laxandas cogitationi habenas: vt quemadmodum quidquid sanctum, purum, pulchrum, atque diuina gratia ornatum ei subesse conspicis: ita quamcumque maculam, tā ab eius origine, & cōceptione, quam ab ipsius vita penitus remoueas: omnino exprimens germanum sponsi sensum illis in verbis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cāt. 4. verſ. 7. de quo sæpius egimus: Vnde quidem si, in felici fato, cogitatio tua in Matre Dei mente, & stylo concipienda aliter se habet, nec in assignāda ei tota, quę exogitari potest puritate habenas laxat, nec in repellenda ab ea originali labe habenas premit, scito nō te depinxisse, aut concepisse Matrē Dei: cum & omninò nouerimus talem Matrem à Deo factam, quæ vera ratione nobis melior occurrit: & eam esse dignitatem Matris Dei, vt nec cogitatione ipsa valeat comprehēdi. Sāto Germano Archiepiscopo Constantinopolitano in serm. *de Dormitione Virginis*, affirmante *Quemadmodū igitur gutta aliqua infusa mari nihil adiicit, neque pauperis crumena diuitis*

S. Thom. Villan.

Cant. 4. verſ. 7.

S. Germ.

thesaurum euacuat: ita nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extollere valet, cum laudem sibi propriam habeas, quod Deiparam te esse constet: Sic Germanus: tantum non dicens: Qui Deiparam dicit multo plus dicit, quam lingua dici, aut cogitatione consequi potest: ergo qui cogitationis habenas non laxat, aut premit sensu dato Deiparam non exprimit.

VII. Et vero: vt hæc cogitatio vndequaque subsistat: pertat Dominus in sua sententia: *Ego Matrem de quâ nascerer feci: Hæc Mater est mea, & manu fabricata est meâ*, vt dixerit mortalis cogitatio, quæ & Matrem meam omnimodo puram, & immaculatam facit, & ad eius excellentiam celebrandam omnes neruos contendit, celsitudinem tamen suarum laudum assequi non valet; quomodo ergo me ipsam maculæ originali obnoxiam, & Dæmoni in conceptione subditam fecisse credendum est? *Vsque adeò dispiendum est, vt homo videat melius aliquid fieri debuisse, & Deum credat facere noluisse?* Scilicet ardentior Mariæ amator, aut diligẽtior formator mortalis homo, quam ipsemet eius, & Dei Filius fuerit: Audi quid ipse apud Isaiam hac de re dixerit ex explicatione Richardi à Sancto Laurentio prologo 1. libri de Laudibus Mariæ Virginis: qui cum præmisisset de Maria: *Scio quod ineffabilis est laus eius: nec ad eam poterit homo viuens, etiamsi loqui detur Angelorum linguis, & hominum, vel si plenè cœleste nouerit idioma, quoniam maior est omni laude,* subijcit. *Hanc enim gloriã sibi retinuit cœlestis Artifex: cuius Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam: Quare de Maria per Prophetam dicit:* Secretum meũ mihi Isaiæ 24. vbi omninò vides solum Artificem digne Mariæ opus laudare posse, quod solus ipse condere eam maiorem omni laude potuerit, ac proinde ab omni labe prorsus immunem: secus quidem; omni laude, non esset maior: nec tantopere sibi in tam accurata, & omnibus gratiæ donis ornata Mariæ formatione, sibi Diuinus Artifex complacuisset, tanquam in re arcana, & sibi soli nota. Apto hic opportunos Baptistæ Mantuani versus citato loco.

Quid si syderei tanto splendoris honore
Fulget, vt aterno, qui temperat ordine mundum:
Gestauit gremio, lactauerit vbere dulci
Strinxerit amplexu, summoque vocarit Olympo.
Quare in illã in nostras opus est detrudere sordes.
Et turpi infestare luto, mortalibus aequus
Cui Pater æthereus mundũ subiecit, & astra?

Baptist. Mantuan.

Richar à S. Lau

Sed iam video à præfatis verbis Isaiæ Christo Domino pro Deiparæ immunitate aptatis illud nobis telum posse intorqueri: quòd vt Mariæ Conceptio pura, & illibata fuerit, attamen adeò secreta, & arcana sit, vt soli Deo nota perhibeatur, quin nobis patefacta, & manifestata videatur: eo enim ire videntur ea verba Richardi: *Hanc enim gloriam sibi retinuit cœlestis* Artifex, *cuius Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam. Quare de Maria per Prophetam dicitur: Secretũ meũ mihi.* Si ergo soli Deo nota, & secreto velut sigillo munita, quomodo nobis celebris, & celebrata esse possit? Verum respondeo perinde id acci-

VIII.

B. Brigitta.

pien-

piendum fore, ac illa eiusdem Domini verba apud Lucam cap. 10. ver. 22

Luc. 10. vers. 22. *Nemo scit, quis sit Filius nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ita quidem ipsa Deipara B. Brigittæ dixisse fertur apud ipsam lib. 6. cap. 55. *Scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit quod voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcesserit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.* Sane (si attendis) peculiari Deiparæ honori, & gloriæ cedit tũ ipsius immunitatem non omnibus omnino esse modo reuelatam, vt vehementius apud nos tanti mysterij studium, & ardor tuendi illud accendatur (de quo inferius peculiarem dabimus adnotationem) tum etiam eiusdẽ quod ammodo conditionis cum diuinâ naturâ esse quæ prę magnitudine, & splẽdore, & inuisibilis, & visibilis, inaccessibilis, & accessibilis, absens, & *Tertull.* præsens, abdita, & aperta, sit vti elegãtissimè monuit Tertullianus *in Apologetico*, ca. 17. ad hunc modum: *Inuisibilis est, & si videatur: incomprehensibilis etiam si per gratiam repræsentetur, inæstimabilis, & si humanis sensibus æstimetur: adeo verus, & tantus est, ita eum vis magnitudinis, & notum hominibus obijcit, & ignotum:* Hæc Tertullianus, ad quem planè modum de Mariæ immunitate dicimus, adeo veram, & tantam esse, vt quę ex se secreta, & abdita, & certo tempore reuelanda dicitur ex vi magnitudinis Deiparæ notissima & manifestissima nobis sit dum eius splendor per seraphinorum alas nobis trãslucet, vti diuinæ gloriæ cog *Nazian* nitione dicebat Nazianzenus Orat. 25. *Cum Seraphinis diuinam gloriam prædica primam essentiam hactenus indicantibus, quatenus eam studiosis hominibus eorum alæ paululum aperiunt:* Quippe Mariæ studiosis, eius immunitas aperitur, & Dominus libenter manifestat: ecce Deiparæ ardens amator, & ipsam in Conceptione sua illibatam fuisse alæ Seraphinorum aperient: Apto hic pro coronide hanc opportunam obseruationem Ambrosij Catharini ad cap. 3. Geneseos. *Ecce de Beatissima Virgine nihil ser habemus in Scripturis, nec ex quo patre, neque ex quâ Matre descenderit, solum accepimus eam esse Christi Matrem, id verò multi mirantur, sed magnâ Dei prouidentiâ factum esse, non esse dubitandum: ostẽdere enim voluit Spiritus sanctus, secundum quam partem considerandæ essent in Genealogia, Sacratissima illa Virgo: & non quidem, vt habens patrem, & matrem peccatores, per quos fuerit in eam vllum peccatum transfussum, sed vt existens Dei Mater, vt ab eâ notâ fuisse præseruatam facile persuaderemur, & ita profuisse illi Deum genuisse: vt quod attinet ad contractionem peccati originalis non obfuerit ipsi ab hominibus prognatã fuisse.* Hęc Catharinus, quibus libentissime subscribimus, & *facile persuademur.* *Cathar.*

A B C D E

MARIAM Immaculatè Conceptam fuisse peculiari ratione ad Diuini Numinis Maiestatem spectare.

ADNOTATIO II.

INter illustres appellationes, siue etiam imagines, quibus Maria a Patribus celebratur illa est gnatissima, quâ Sedes Dei dicitur. 1

Et

Metho. M. Rupert. S. Ios. Cō Hy. Græ Bonauē. Ps. 102. vers. 14. Pet. Gal

Et enim ipsam appellauit S. Methodrus in Threnis: *Glorificatam Deoque dignam sedem*, & Rupertus lib. 5. in Cant. *Cœlum Dei, veramque sedem Domini*, & S. Iosephus Confess. apud Menæa Græca 2. Ianuarij Ode 5. de S. Syluestro illam salutauit. *Salue, ò Numinis quam excelsissima Sedes:* & Hymnus Græcus apud Buteonem pag. 123. *Sedes lucida omnipotentis Dei:* Signatè verò S. Bonauentura in hunc sensum inflexit Vatis verba. *Dominus in cœlo parauit sedem suam:* Psalm. 102. vers. 19. *in speculo B. Virgin.* cap. 5. inquiens. *Cœlum est Mariæ, tum quia cœlesti puritate, cœlesti claritate, cœlestibus alijs virtutibus abundauit: tum quia sedes Dei altissima fuit teste Propheta, qui dicit:* Dominus in cœlo parauit, sedem suam: Nec omittenda fuerint in hanc rem verba Rabbi Haccados Hebræorum dissertissimi in lib. *Reuelationum Arcanorum ad petitionem tertiam*, citante Galatino lib. 7. *de arcanis*, c. 18 sunt ista: *Mater Messiæ futura est sedes Dei, quam Deus construxit, vt in eâ sederet Rex Messias ad augendam Maiestatis suæ gloriam cūctis mortalibus.* Hæc ille: cuius coloris plura possunt afferri PP. monumēta, ex hac autem sedis imagine: siue appellatione (si verè æstimas) haud difficile Mariæ immunitas, tum ex sacris scriptoribus tum etiam non in efficaci ratione euincitur.

II

Et in primis per opportuna pro hàc cogitatione sunt verba Salomonis sub persona Mariæ, vt communis interpretum opinio fert: Prouerb. 8. vers. 27. *Quando præparabat cœlos aderam:* reponentibus pro his LXX. *Cum secerneret sedem suam:* Vt dum inde adstruitur, cœlum empyreum propriam Dei sedem esse, quod vt ab alijs cœlis remotum, atque secretum, ita vni Deo dignum Solium sit; opportuna hac imagine adumbretur Mariam in propriam Diuini Numinis Sedem præparatam, in qua pręter

Prou. 8. vers. 27. LXX.

ipsum nulli locus esset futurus, ac proinde peccato originali ab Adamo prouenienti omnino imperuiā fuisse: Id vt explicem obseruo: cœlum empyreum communem cum alijs cœlis motum non habere, nec à primo mobili secum reliquos cœlorum orbes rapiente corripi, quod cœlestes aquę inter cœlum empyreum, & alios cœlos, ita sint interpositæ, vt cum super ipsos incubent, infra empyreum tamen constitutæ sint: Hinc ergo Mariam ijs verbis sic loquentem cape. Cum Deus opt. max. cœlum empyreum sedem sibi secerneret, ego ibi præsens aderam, vt ad illius modum a Diuino Artifice peculiari ratione ab alijs creaturis in solium, & sedem, quæ propria Augustissimę eius Maiestatis esset secernerer: Vbi (si animum intendis) omnimodæ puritatis Mariæ, eiusque ab originaria labe Adæ immunitatis mysterium omnino elucet: Etenim primū mobile, à quo Deus suam empyrei cœli sedem interiectis aquis secreuit, ad viuum exprimit primum hominem collabentem secumque omnes posteros in originariam culpam corripiētem, atque præcipitantem, à cuius motu, & correptione empyreum Mariæ cœlum interiectis cœlestium gratiarum aquis remotissimum sit: Sapienter hanc cogitationem ijs Salomonis verbis appingente P. Salazario ibi num. 353. Vbi cum primum dixisset. *Sicut hoc cœlum motu suo circulari reliquos inferiores orbes arripit, ac torquet, sic etiam primus homo scilicet Adamum motum quemdam circularem confecit: cum enim per creaturas recta in Deum pergere deberet, detorquens motum, à se profectus in se ipsum redijt Diuinitatem sibi arrogare volēs. Hoc verò motu omnes alios homines, tanquam primum quoddam mobile secum arripuit, & transgressionis suæ reos fecit.* Id quidem à Maria longiui iuisse, sic adstruit: *Attamen motus iste Mariæ empyreum cœlum mini-*

A B C D E

Salazar

mè attigit, quia Deus illam longo interuallo supra Adam iniurias euexit; effecitque, nè deordinatus ille motus ad illam peruenire potuisset. Caussam si roges, in prōptu est. Quia Maria cœlum erat empyreum, quod sibi Deus in thronum, sedemque delegit, atquè ideò immotum, & constans ab initio esse oportebat. Hactenus egregius ille, & magni in litteris nominis Scholiastes. Pro quo nō leuiter fideiubere videtur S. Bernardinus, & S. Petrus Damianus: dū ille to. 3. serm. 11. cap. 2. inquit. *Virginis altitudo sublimissima est super summos, & latissima super cunctos, & firmissima, & inconcussa, vt moueri non possit*: ita ille: Et quidem opportunè id *inconcussa, vt moueri non possit*: nempè à primo illo mobili Adam cunctos filios secum arripiente. Sanctus verò Petr. Damian. serm. 3. *de Natiuitate Virginis*, ait: *Quid ergo vitij in eius mente, vel corpore vēdicare sibi potuit locum, quæ adinstar cœli plenitudinis totius Diuinitatis meruit esse sacrarium*: Sanè quasi Dei sedem maximè dedeceret, aliquid minus purū, aut illibatum, siue alium aliquando habuisse sessorem.

S. Bern. *S. Petr. Damia.*

III *M. Tul.*

Sanctè quidem, & iustè M. Tullius Tusculanâ primâ Homerum castigabat, quod profanos Regum mores, ciborum ministeria, potuum vsus, pōpas, atquè delitias ad cœlestia, & diuina transferret: cum potius fuisset optandum, vt Diuina, cœlestis scilicet conuersatio, diuinæ virtutes, supernorum ciuium vsus ad nos inde transmitterentur, vt conuersatio, & municipatus noster esset in cœlis: dicebat siquidem ille: *Humana ad diuina transferebat: Diuina mallem ad nos*: At enim vero salua hac prudenti Ciceronis æstimatione, & iudicio, modo, vt opportunè adstruamus Mariam à Deo in propriam sedē, thronumque delectam, ac proinde tanquam empyreum cœlum, quod immotum, & constans ab initio fuit; firmissimam, & inconcussam ab instanti Conceptionis fuisse: liceat vel semel humana ad diuina transferre, & diuinos vsus ex humanis, facto à minori ad maius non ineficaci argumento, patefacere: ergo ad rem. Nemo quidem nescit, eum quidem esse Regiæ Aulæ morem; peculiarē quandam in solio sedem, siue sellam esse vni Regiæ personæ destinatam; in quà alium præter Regem sedere propiaculo habeatur: Eaque de caussa versus parietem reuersa sit, vt vel inde de priuato eius vsu omnes admoneantur: Cuius quidem moris singulare exstat monumentum, quod vt nostris Scriptoribus minimè obuiū, certissimè tamen fidei est: cum ex libro M. S. Gundisalui de Ouiedo de Regiæ Aulæ Principis Ioannis Catholicorū Regum Primogeniti acerbo fato sublati œconomiâ, qui in Bibliotheca Regia S. Laurentij asseruatur à nobis fuerit deprōptum: Erat igitur Vallisoleti inclytus ille Rex noster Henricus III virtutis verę custos, rigidusque satelles: ille qui consummatus in breui, expleuit tempora multa magnumque sui apud nos desiderium reliquit: aderatque inibi infans Ferdinandus ipsius frater, & quidem germanus; ille qui Antequeram, & plures alias vrbes è Maurorum ditione extorsit. & subinde non minus virtute duce, & comite fortunâ, quam Regio sanguine Regnum Aragoniæ, sibi & nepotibus suis cōparauit, cumque Rex in interiori cubiculo negotiis expediendis operā nauaret, infans Ferdinandus Regem opperiens, simul cum Aulæ proceribus prope solium adstans, vel Aulæ consuetudini oblitus, vel de proprij splendoris licentia Regiam sibi sellā accommodauit. Cum verò Rex è cubiculo repentè ad fores processisset, & fratrem in Regia sella sedentē vidisset (& si ipse statim, Regia maiestate velut fulmine percussus, exsurgens Regem capite discooperto debito

Gundis. Ouied.

bito obsequio fuerit reueritus) ardẽtes in illũ oculos coniciẽs irati voce adstantibus præcepit, vt sellam illico è fenestrâ præcipitarent: hanc in fratrem fulgurans vocem, *gratũ mihi habe, quod nõ itidẽ te cũ sella præcipitare iubeo*: His quidem verbis planum faciens, è re maiestatis Regiæ esse propriam sedem, seu sellam habere, in quâ nullus omninò, quamtumuis clarus, & eximiæ dignitatis fuerit, possit sine temeratæ maiestatis nota sedere: Ex qua quidem historiola, siue regia consuetudine, humana ad diuina, siue diuina ad nos transferẽtes ab hâc Regiæ sellæ imagine opportunè omnimodam MARIAE puritatem, & ab omni labe originaria immunitatem adstruimus, & explicamus. Nimirùm si Regibus hic mos est, vt propriam sellam habeant, quin nemo illam, vel ad instans sine offensa maiestatis occupare queat; qua ratione, aut modo cogitare quis poterit, in Maria: quæ propria Dei sella est: malum dæmonem atrocissimum Dei hostem aliquando Regia maiestate consedisse? Siccine de glorificata, & digna Dei sede? siccine de lucida omnipotentis Dei sede? Siccine de Numinis, quam excelsissima sede? Siccine de vera sede Dei? vel vt semel dixerim siccine de cœlo in quo de industria is, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ parauit sedem suam, existimandum est? Audi consilium Dei, & à minori Dæmonis ausu rem totam disce.

IV Equidem ille meritissimas pœnas dedit: quod elatus superbia dixerit in corde suo: *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meũ: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo,* Isaię 14. vers. 14. Quæ sane mens, & verba: eò iuerunt, vt superbus ille nõ tam stare coram Domino, qui Angelorum mos & ministerium est, quam sedere: immò & solium suum super astra exaltare, diuinam similitudinẽ, & maiestatẽ à pari cum Deo sede affectando, atrociter contenderet: Sed his temerariis ausibus, mox vt è corde erupere signifer cœlestis exercitus Michael cum tota supernorũ militum cohorte, armata manu occurrisse sic dicitur. *Factum est autẽ prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, &c.* Apocalypsi 12. vers. 7. verba hæc ad primum illud cum Lucifero, & satellitibus suis certamẽ referentibus, tùm Scholasticis cum Magistro in 2. dist. 6. & S. Thoma 1. part. quęst. 63. art. 8. tùm etiã S. Prospero opusculo de dimidio temporis, cap. 3. Aretha, & aliis eius loci expositoribus. Vbi primum obserua interpretationẽ nominis *Michael*: quæ est. *Quis vt Deus?* quod signatè ab hac Diuini Numinis propugnatione: & manu cum dracone conserta ipse auspicatus est: Dũ huius vocis energia, atque efficacitate mali dæmonis audaciam perfregit, planum faciens atrox, & dirum facinus esse parem cum Deo sedem habere velle: Ex quo euentu, hæc opportuna, & efficax pro Mariæ immunitate, & à primo Conceptionis suæ instanti puritate cõficitur argumẽtato: Si adeò immane, & iustum prælium aduersus Luciferum, & eius asseclas à Michaele Diuini honoris, & gloriæ accerrimo propugnatore, & à tot Angelicis legionibus susceptum fuit, nè malus ille, vel momento quidem temporis suæ sedis fastigium super astra poneret, aut in monte excelso cum Deo consederet, qua nos ratione animũ induere poterimus? vt credamus ei, iam de cœlo proiecto, & præcipitato, humique repẽti fuisse permissum, vt non modo par cum Deo fastigiũ

Isai. 14. vers. 14.

Apoca. 12. vers. 7. Magis. S. Thom. Prosper. Areth.

sedemque

sedēque haberet, sed etiā in ipsamet sella, quā sibi Dominus secreuerat, in ipsomet Dei hospitio, quod sibi parauerat, & in ipsomet Diuini Spiritus Sacrario, quod cęlo ipso, ipsisque syderibus multo sublimius est: turpissimos pedes ponens consideret? quod reapse dixeris factū fuisse, si Mariam ille in suâ Cōceptione originaria labe inquinatā in suā potestatem redegisset: Non passus est Rex Henricus fratrē suum in sellâ sua vel ad instans sedere, sed sellâ in oculis suis præcipitata diras in eū minas indignabūdus intorsit, & putamus nos Deū passurū fuisse, atrocissimum hostem lucidā & glorificatam, sibique vni paratam sedem aliquando constupraturum: Enim vero si Heluidio perpetuam Mariæ Virginitatem negante, atq; ipsam legitimi thori nuptialis consuetudini addicente, quod sine peccato vllo subsisteret, Hieronymus cū stomacho in libro aduersus ipsum dicebat: *Tu templum Dominici corporis succendisti: tu contaminasti Sacrarium Spiritus Sancti*: quanto opportunius de dæmone Mariam in sua Cōceptione in sui potestatem redigēte conquereretur, quasi templum Dominici corporis succendisset, & sacrarium Spiritus Sancti contaminasset?

Hierony

V Nec omiserim denuo vim facere in Henrici Regis facto sellam suam in qua germanus eius ad instās sederat è fenestra præcipitari iubentis: Sed quâ (inquis) de caussa, quo crimine? quod sella facinus admisit? quænam est hæc culpa sellæ, quæ præcipitari meruit? eius quidem nulla, opinor, fuit: Sed enim prudentissimus ille Princeps qui regiam maiestatem iusta consilij lance pēsitabat, ea quan pęna non modo voluit castigare imprudēs fratris factū: sed etiā commonstrare, sellam illam ab alio quantūuis fratre, & Germano Regis esset, vel ad instans occupatā Regis vsui non esse opportunam, qui communē cū alio sedem, vel ab ipsomet fratre semel attactā haberi nō debet: enim vero si hęc sensa e regia maiestate esse omnino vides: quo modo non eademmet ad Diuinam illam, & Augustissimam Maiestatē non transferas, vt credas Deum, cui proprium est illud: *gloriam meā alteri non dabo*: Isaię 42. vers. 8. ardenti honoris sui zelo propriam sibi sedem parasse, adeoque vni soli secreuisse, vt minime permiserit ab spurco illo vel ad instans occupari, immo & contaminari. Pulchre hac de re S. Cyprianus serm. de *Natiuitate Domini*, de Diuino Spiritu Mariam semper possidente dicebat. *Possidebat domum suam, & templum, quod sibi consecrauerat, adornabat: seruabat sacrariū suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat*, obserua accuratas imagines domus, templi, & sacrarij: notanterque à Cypriano dictum, *templum, quod sibi consecrauerat*, ab ipsomet scilicet primo conceptionis suæ instanti: notantissimeque additum, *seruabat Sacrarium suum*, ne sacrarium nisi sacrum intraret: nam quâ ratione sacrarium eius qui puritatis amator, & custos est dici posset, quod malo dęmoni prius peruium fuit? aut, quo pacto credis in illud subinde sedem sibi, & hospitium Deū parasse? siue tandem, quale cogitas esse debere Sacrarium Spiritus Sancti? Audi Bernardum hac de re serm. 4. de *Assumptione*, sic differentem. *Quæ vel Angelica puritas Virginis illi valeat comparari, quæ digna fuit Sacrarium fieri Spiritus Sancti, & habitâculum Filij Dei?*

Isaiæ 42 vers. 8.

Cyprian

Bernard

VI Verum enim vero pensiculatius obserua in verbis Cypriani illud: *Seruabat Sacrarium suum*: Sed quâ custodia? quo satellitio? quibus excubijs? Audi eamdem Virginem apud Salomonem Canticor. 3. versicul. 7. plenissimê explicantem hunc in modum: *En lectulum Salo-*

Cant. 3. vers. 7.

monis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vnius cuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos: Quæ verba benè monet del Rius Sponsæ esse, & perinde efferenda. *En me lectulum Salomonis:* atque hoc modo capienda: *Quidquid cernitis dignum Laude, meum id non duco: totum liberalitati Sponsi acceptum fero. Nam vt sciatis, quæ sim, nihil equidē sum, nisi cubile, & ferculū eius: sum eius thalamus genialis, quē ipse adeo magnificauit, vt in eo deliciari, & eum custodiâ prorsus regali stipare dignetur:* Sed quinā hi stipatores fortissimi? Nemo nō ad supernos spiritus refert, sed Honor. signatè istos intelligit. *Angelos supremorū chororum, custodes potētissimos corporis, & animæ Deiparæ.* Quam verò ad rem? Plane, vt hostem à sede quam sibi Dominus parauerat longe arcerent, ne illam vel ad instans occuparet. Audi eâ de re PP. felicissimè huic cogitationi applaudētes, & primo Ansel. lib. *de Excellentiâ B. Virg. Mariæ*, c. 3. sic affirmantem. *Nulli denique dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam eius funditus fuisse ab omni maculâ peccati iugi Angelorum custodia protecta, vt pote Aulam, quam suus, & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex quâ hominem in suæ personæ vnitate ineffabili fuerat operatione susceperturus:* Sic ille: audi, & Bernardum in sermone inscripto. *Laus Mariæ*, hunc sensum præfatis verbis sic omnino reddentem: *Sed & innumerabilium spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam nullatenus ambigimus, vt pote qui custodirent lectum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno Regi hospitiū alienus hospes inuaderet:* Hęc Bernard. omnino ad rem: preme verbū, *prouideret*, quod denotat maturam, & anticipatam curā, quæ hostis insidias anteuertit: ne videlicet ille sedem quā sibi Dominus parauerat, inuaderet: Ne verò hæc aliorsum inflexeris, quam ad ipsam Mariæ Cōceptionem ad cuius fores, ad ipsam videlicet Annam, Filiam suam actiuè concipientem Angelicæ legiones excubias agerent: pergit B. Fulbertus, in ser. de *Virginis Natiuitate*, atque id enucleatissimè sic affirmat: *Quanta putamus prouisio Angelorum circa tàm Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio supertam ingentem sobolem: nulli profecto dubiū est, quod circa eam iā tūc omnis frequentia cœlestiū agminum inuigilabat, vt pote quā supra se exaltā dā minimè ambigebant:* Sic Fulbertus, apud quem obserua prouisionē Angelorum circa parētes Mariæ, *ab initio procreationis*, vt nullus hosti ad illā aditus foret, sed à primo Cōceptionis instanti intaminata, & illibata consisteret, vnde inibi rursum Fulbertus sic concludit: *Hoc igitur cum primis adstruere fas est, quod anima ipsius, & caro, in quâ elegit habitaculum sibi Sapientia Dei Patris ab omni malitia, & immunditiâ purissima fuerunt.*

Sed preme denuo Fulberti verba: *Quanta putamus prouisio Angelorum circa tàm Deo gratissimos parentes ab initio pro creationis:* Quibus maturam Dei prouidentiam, & vigilem Angelorum custodiam erga Mariæ immunitatem expressit: quidem belle adumbratur in sanitate quam fonti Iericho iugibus abundanti aquis, sed gustatu amaris, & corporibus noxijs, quippe, quæ mulieres reddebant steriles, Propheta Elisęus impertiuit: dum non fuit contentus ijs tantum aquis, quæ iam defluxerant, sed ipsimet scaturigini, & terræ venis benedictionem impertiri, vt ex inde dulces, & ad omnē vsum idoneæ aquæ profluerent, sic enim 4 Regum 2. vers. 21. *Egressus ad fontem aquarum misit in illum Sal.*

del Rius — Honor. — Ansel. — Bernard — Fulbert. — VII — IV — 4. Reg. 2 vers. 21.

& ait. *Hæc dicit Dominus. Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas:* Vbi obserua in Hebraa lectione Pagnini, & Vatabli nec non apud LXX. quibus adhæret Ambros. ter. 2. de *Sancto Eliseo*, pro iis verbis: *Egressus ad fontem aquarum* habent: *egressus ad exitus aquarum*, vt videlicet benedictio, & sanitas super originem aquæ ex terrâ prodeuntis signate caderet, ita id adnotante imbi Ambros. *Non enim solatã tum fluenta benedixit Eliseus, quæ fontium iam gremio tenebantur, sed & illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta paulatim erãt in posterum defluxura. Vnde ait Scriptura.* Adexitus aquarum: *benedixisse Eliseum, vt stillantem aquam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret:* Hæc Ambr. nostro instituto per opportunè, vt ex illis capias Angelorum prouisionem circa Mariæ parentes, vt Mariam ab illis stillantẽ prius sanctificatio susciperet, quã sinus fontis includeret. Quo mire faciunt, & peculiarem epitaxim habent vulgata Damasc. verba pro Mariæ immunitate Orat. 1. *Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere, minimè ausa est, verã tantisper expectauit, dum gratiæ fructũ suum produxisset,* Itidemque, & illa imagini icaturiginis aquarum, quam elucidamus, aptiora. *O par beatum Ioachim, & Anna vobis omnis creatura obstricta est,* &c. *O beatos Ioachimi lumbos ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit, ô præclaram Annæ vuluam, in quâ tacitis incrementis ex eâ auctus, atque formatus fuit fœtus sanctissimus:* In quibus omnino vides reapse impletum, quod in vmbra de aquarum icaturigine dicebat Ambros. *vt stillantem aquam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret*: Vnde indidem cum præmisisset Ambrosius. *Igitur Eliseus dum curauit aquam, curauit & plebem, & dum fontem benedixit vndarum fontem quemdam indulsit animarum:* Subiecit opportunissimè *Nam sicut sanctificatione eius de occultis terræ venis aqua sana prodiuit ita de occultis vluæ visceribus soboles sana processit.* Hæc ille.

Pagnin Vatabl. Ambr. LXX. Damasc. Ambr.

A B C D E

Adhæc duo in præfatis verbis Salomonis de Mariæ lectulo à cœlestibus militibus custodito sensum quẽ persequimur confirmant. Alterum: quod in imagine, siue voce, *lecticuli*, obseruauit Vener. Guilielmus, ibi: Nempe Mariam, siue purissimum eius vterum lectulum dici comparatione sinus paterni, qui infinitus est, quod habeat Christus alium lectum apud Patrem: alium apud Matrem: ille est æterni Patris sinus, & est magnus lectus: hic est temporalis Matris vterus, & est præ illo paruus lectus: Sed enim cum Christus æquè Filius naturalis è Mariæ lectulo, ac è Patris lecto subsistat prouidenda fuit in Maria omnimoda puritas, & cœlesti satellicio lectulus custodiẽdus, vt magno lecto lectulus, & sinui Patris Maria vndique pura illibata, & immaculata, ac proinde in Conceptione ab omni labe immunis à patẽtibus Deo gratissimis, Angelorum excubijs ab omni libidine custoditis concepta reponderet. Quo quidem in loco minimè prætereunda sunt, quæ ipsamet Domina hàc de re disertissimè dixit apud B. Brigittam lib. 1. *Reuelationum*, cap. 9. & *in sermone Angel.* cap. 9. sunt ista. *Ipse Filius meus prius me dilexit, quam ego eum quia creator meus est. Ipso coniugium patris mei, & matris tantâ castitate coniunxit, vt tunc nõ inueniretur castius coniugiũ, & nunquã conuenire vellent, nisi iuxta legẽ solummodo caussa suscitandi prolem, & cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat.*

VIII

Guilliel

Tamen pro certo dico tibi quod ex charitate diuina, & ex Verbo Angeli nunciantis conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliquâ voluptatis; sed contra voluntatem suam ex diuinâ dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est. Facto autem corpore meo Deus à Diuinitate suâ animam creatam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & seruabant die, ac nocte. Cum autem anima sanctificaretur, & corpori coniungeretur, tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu. Hæc sanctissima Domina Nostra. Quæ tam pro Angelorum excubijs, & prouisione circa tàm Deo gratissimos parentes, quàm pro Mariani lectuli omnimoda puritate, & immunitate à peccato egregiè fideiubent, quod peculiariter excogitauit Honorius, ea verba de stipatoribus tenentibus gladios, *super femur suum*, accipienda esse de tutela Corporis Deiparæ cuius femur genuit Christum: & sic femur non custodum, sed Deiparæ intelligendum: vt Sacræ Angelorum excubiæ eo irent, vt B. Virgo seruaretur illæsa, vt ab eius vtero Dei Filius procederet: Quod sanè non solum est referendum cum Ruperto ad materiales gladios, & temporalem militum custodiam quâ Deus defendit genus Abrahæ, & radicem Iesse (ex quâ nascitura erat Maria, quæ fuit lectulus Salomonis) quam diabolus per impios Reges excindere conabatur: Sed etiam peculiari ratione ad immunitatem Mariæ, cui videbatur inniti incarnatio Filij Dei: qui non nisi ex Matre intaminatâ, & ab omni labe originaria exorte nasci decreuerat, vt multis in superiori libro probauimus: nam si semel peccato inquinata, & à dæmone possessa hęc Dei sedes fuisset, tanti mysterij oeconomiæ apta non esset, non secus, ac illa Henrici Regis sella à fratre, vel ad instans occupata ipsius iam vsui importuna visa est: A gunt igitur indefessas excubias Angelici exercitus super lectulum Salomonis pro defensione spei Abrahæ, & Domini in carnem aduentus. Agunt itidem, pro Mariæ immunitate, truculentum hostem qui ipsam inuadere tentabat, longius arcendo, vt à Mariæ puritate Dei propositum, & Dominicę incarnationis Sacramentum omnino subsistat: Tam verò pro Ruperti sensu, quàm pro nostro instituto egregiè fideiubet Hieronymus in epistola ad Fabiolam de 42. mansionibus: vbi cum dixisset. *Quadraginta duæ mansiones, per quas Israeliticus populus venit ad Iordanem sunt quadraginta duæ generationes Abraham, vsque ad Christum in quo numeri Sacramento verus currit Hebræus, qui de terrâ transire festinat ad cœlum, & Ægypto sæculi derelictâ terram repromissionis ingreditur:* subijcit ad rem nostrã: *Nec mirum si in huius numeri mysterio perueniamus ad regna cœlorum: sub quo Dominus, atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem quasi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens Spiritus Sancti gratiâ redundabat:* Hęc ille: Vbi vides lectulum Salomonis à legionibus Angelicis strenuè custoditum, tum cum necesse fuit gladios stringentibus ne ab impijs Regibus dæmonis impulsu permotis excinderetur arbor generationum Christi: tum vel maximè, pro Deiparæ immunitate contra dæmonis artes dimicantibus, vt Mariæ Iordanis pleno gratiarũ Spiritus Sancti gurgite flueret, quin vlli maculæ fuisset obnoxia, quæ Dei Filio carnẽ erat præbitura. Vnde Dam. in Men. Græcorum 1. Ian. Ode. 1. de *S. Domiciano Episcopo*, in clausula, Mariam ab hostilium legionum impetu hàc signatè de caussa Angelico satellitio custoditã sic adstruit. *Quod*

Hieron.

Damas.

Dominus

Dominus carnis fermentum assumpsit, & aquis baptismi intinxit, hanc ille salutarem massam ex sanguine eo Virginali cofecit: Sed massa hæc legionum hostilium manibus nunquã subacta est. Ita Damascenus. Sed age iam, & vt Sedem in Mariâ à Domino sibi paratam plus plus mundam, & immaculatam ostendamus, temerarium illum Luciferi ausum contendẽtis sedere in monte testamenti in lateribus Aquilonis penitius explicantes ad Mariæ immunitatem, quam ipse inuadere tentauit reuocemus. Verum ne longiores iusto simus hoc argumentum alia adnotatione donemus. Damas. B

Ob MARIA M ab omni labe immunem Serpentis caput fuisse contritum, quod in sede, quam sibi Dominus parauit sedere voluerit. C

ADNOTATIO III.

I ESt quidem omnino verum primum mali dæmonis peccatum fuisse superbiam, quâ Dei similitudinem affectauit, & parem cum ipso confessum habere voluit in hanc sententiam omnibus ferme PP. conspirantibus: atque eorum plurimus in eam inflectentibus præfata verba Isaiæ cap. 14. versicul. 14. in cœlum conscendam super astra Dei, *exaltabo solium meũ: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo:* At enimvero simul apud plerosque Patrum idemmet malus inuidiæ criminis arguitur, sic enim Basilius homil. 9. *Quod Deus non est Auctor mali*, inquit. *Quæris, vnde sit illi contra nos bellum? Quoniam cum omnis ille malitiæ promptuarium exsisteret, inuidiæ quoque morbum in se recepit, & inuidit nobis illatum honorem:* Vnde post nonnulla concludit: *Non inimicus igitur à Deo nobis constitutus est, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit:* Hæc ille, & similia hom. 11. de inuidia, & homil. 21. in aliquot Scripturæ loca, & ad eius gustum Ambrosius lib. de *Paradiso*, cap. 12. adductis verbis Salomonis Sapientiæ 2. vers. 24. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* Sic loquitur. *Salomon ait*, quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: *Inuidiæ autem caussa beatitudo hominis in paradiso positi, & ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, inuidit homini eo, quod figuratus è limo, vt incola paradisi esset, electus est:* Sic Ambros. Similiter Gregor. Magnus 3 part. pastoralis admonitione 12. premens eadem sapientiæ verba subijcit. *Quia enimipse malignus spiritus cœlum perdidit, condito ad hoc homini inuidit, & damnationem suam perditus, adhuc alios perdendo cumulauit.* Ita Gregorius. Basilius. Ambr. Gr. M

II Fuit quidem in eadem sententia Bernardus, vt malum dæmonem inuidię argueret, sed vlterius pergens altiorem inuidię eius apperuit radicem: Quod peculiari ei à Deo reuelatione facta cognouerit, futurum fuisse, vt Dei Filius humanam carnem assumeret, eamque ob caussam inuidiæ stimulis agitatum incredibili quodam odio mortales prosequi. Ita enim Bernardus serm. 17. in Cantica. *Putas ne Lucifer ille qui mane oriebatur, sed præpropere eleuabatur, generi nostro*

Isaiæ 14 vers. 14. D E Bernard

inuiderit, & ipse olei effusionem, vt per se ipsum iam tunc indignabundus musitaret dicens intra se, quodammodo, vt quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere Spiritum, sed nec contradicere dico. Nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putatur) plenum sapientiâ, & perfectum decore homines præscire potuisse futuros, & etiam profecturos in parem gloriam: sed si præsciuit, in Dei verbo absque dubio vidit, sed in liuore suo inuidit: Hæc Bernard. & aliquanto post. *In cœlo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis, & ærumnarũ omnium prima parens superbia. Nam & si,* inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, *initium tamen omnis peccati superbia:* Hæc omnia ex Bernardo, quæ singillatim explicare, & pẽsitare placet: Et primo nõ est dubium visionem verbi, quam diabolo tribuit Bernardus non significare diuinæ naturæ intuitum, quem nunquam Lucifer habuit, sed diuinam quam piam reuelationem: Deinde cum non possit in dubium reuocari hanc reuelationem de Dominicæ incarnationis Sacramento diabolo ante hominis peccatum factam fuisse, cũ dixerit Sapiens inuidia diaboli mortem introisse in orbem terrarum: itidemque cum nobis etiam certum sit ex communiori S. Thomæ, & Theologorũ sententia circumscripto peccato incarnationem Filij Dei futurã non fuisse, ex his manifestè euincitur hanc diabolo factam reuelationem, non fuisse vndequaque totius mysterij manifestatiuam, sed cõfusam, absque peculiaribus circumstantijs nempe si homo peccato foret obnoxius, quod Deus eximia illa scientia conditionata iam cognouerat, vt ei videlicet Dominus non singillatim, sed generaliter pro altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ suæ patefecerit Dei Filium humanam carnem susceperum, quod tamen non nisi propter hominis salutem reparandam erat futurum, atque inde illi inuidiæ fomitem exstitisse: inde odiũ in humanum genus, vt inde inuidia diaboli mors introierit in orbem terrarum. Quæ omnia expressit Bernardus inquiens, *In cœlo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem.* Quia effusionem vnguenti præuidit, *& in liuore suo inuidit.*

A B C D E

III

Iam vero qua ratione conceptam inuidiæ, & superbiæ iniquitatem in paradiso peperent nosse est operæ pretium. Dixerim quidem non contemnendis scripturæ, & PP. fundamẽtis innixus mali dæmonis conatum non eo solum iusse, vt hominem in peccatum pertraheret, sed potissimũ etiam, vt humano genere peccato originali infecto Dominicæ incarnationis Sacramentum interuerteret, quod Dei Filius à Matre labe contaminata nollet carnem suscipere, ac proinde prima illa cogitatio de Deo homine futuro incassum iret: Ergo, si attendis, sæuus mali dæmonis impetus originariam Matris Dei labem pro scopo habuit, vt sihæc ab illa cõtraheretur Dominicæ incarnationis Sacramentum euanesceret: quo videtur respexisse illis in verbis quibus eius superbia descripta est ab Isaia: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis:* Nomine montis testamenti futuram Dei Matrem intelligens, in qua per peccatum originale ab eâ contrahendum foret sessurus: perinde enim fuerit, *in lateribus Aquilonis*, atque medio peccato originali, quod frigidâ illa Aquilonis parte significatur, cum propositio *in* iuxta scripturæ morem instrumenti vim habeat, vt *in fecuri, & ascia deiecerunt eam.* Psalm. 73. vers. 6. & pluribus in locis: adstipulante huic cogitationi S. Laurentio Iustiniano, *in fasciculo Amoris*, cap. 7. in fine: cum inquit de dæmone: *In elatione principandi electus hic Angelus, quoniã*

Psal. 73. vers. 6. Lau. Iu.

in cœlo regnare non valuit, sedem suam ad Aquilonem instituẽs in hoc nequam sæculo solium iniquitatis erexit: Quod statum plusplus explicans subjcit. *Nemo ab ipso mundi initio, vsque ad temporis pleuitudinem, dũtaxat Mediatore eiusque genitrice exceptâ iugum dominationis eius euasit:* Vbi omnino vides mali dæmonis solium in Aquilone hoc est in peccato originali à quo ipse in omnes dominationem habet, collocatum esse eamque inuidię iniquitatem in paradiso peperisse, vt primis parẽtibus in peccatum collabentibus, & totum humanum genus inficientibus, nulla iam melior, quæ idonea Dei Mater esset, posset subsistere.

IV Qui quidem sensus subesse videtur illis verbis Domini serpentem acriter obiurgantis, comminantis, atque plectentis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuũ & semen illius: ipsa conteret caput tuum:* Genes. 3. vers. 15. Quo in loco in primis nemo nescit triplicem lectionem esse, prima est Codicum Hebræorum qui habent: *ipsum* (scilicet semen mulieris) *conteret caput tuũ:* Secunda *ipse* (ideſt Dei Filius eodem sensu quo prima) *conteret caput tuũ:* Ita LXX. & Paraphrastes Chaldęus: Tertia: *ipsa conteret caput tuum*, vt omnes Codices Latini legunt, & ab illis Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Beda, Alcuinus, Bernard, & Rupertus. Deinde vero notandum cum Cornelio nullam harum lectionum contemnẽdam quod idem omnium sensus sit: *nam cum Deus hic opponat* (ait ille) *quasi antagonistas mulierem cum suo semine serpenti cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contriturã caput serpentis sicut è contrario serpens tam mulieris, quam seminis eius calcaneo insidiatur:* Subjcit ex obseruatione verbi Hebrei, respondentis verbo *conteret*, quod est masculinum. *Ideoque videtur Moyses hic in Hebræo verbum masculinum cũ pronomine fœminino permiscuisse, vt significaret tàm mulierem, quam semen eius, puta Christum contrituram caput serpentis:* Sed illud ad nostrum institutum maiori obseruatione dignum videtur: Lectionem correctissimam Paraphrastij Caldæi hæc verba notantissime, sic efferre: *ipse* (ideſt Christus) *obseruabit tibi, quod feciſti ei à principio*: Quæ in præfatum sensum peropportunè inflectas. Quid enim fuerit id. *Quod feciſti ei à principio:* nisi velle dæmonem omnes omnino mulieres peccato originali inficere, vt nulla Dei Filio carnem suscepturo munda superesset, ac proinde ipse à primæuo consilio sumendæ carnis caderet. Quod notanter serpenti dictum à Deo fuit: vt dixerit: ipse non immemor iniuriæ, quam ei inferre voluisti, vt incarnationis suæ consilium interuerteres, mattem eripiendo dum omnes mulieres cõmaculare voluisti, vt artes tuas eluderet, & malignos ausus commerito supplicio plecteret te sub eius pedibus subiecit, vt ipsa conteret, & proculcet caput tuum: & ab ipso Conceptionis suæ instanti perpetuo tui victrix sit: in quem sensum Bernardus serm. de *Verbis Apocalypsis:* malum hunc Mariæ pedibus subditum insultæ suæ cogitationis pœnam sic facit. *Immo verò, & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus, vt Luna Sapientiam perdidit, in decore suo sub Mariæ pedibus conculeatus, atque contritus miseram patitur seruitutem:* Hæc Bernard. Nec cursim hic transeunda emphatica illa Dei ad malum dęmonem locutio *ipse obseruabit tibi, quod feciſti ei à principio.* Sed omnino obseruanda in Mariæ laudem, & gloriam: Nan si benè rem pendis: pro magna iniuria & ingenti detrimento habuisse videtur Dei Filius, quod suam sibi Matrẽ malus ille vellet auferre, id enim sibi vult illud, *quod feciſti ei:* qui scili-

Genes. 3. vers. 15. Lect. He

LXX. Chald.

Augus. Ambr. Gregor. Brda. Alcuin Bernard Rupert. Cornelio

chaldæ.

Bernard

cet tanta illum Matre spoliare, qui requiem, gaudium, & coronam exultationis ab ejus manibus extorquere tentasti.

V. Sed vt ad præfatum sensum verbis geneseos adhibitum redeam, est hic quidem è pharetra Ruperti, qui illa in Mariæ immunitatem præmens sic primum ait: *Non ad ipsam Euam, sed ad alteram eiusdem sexus personam, videlicet ad Beatam Virginem Mariam intendebat ipse quiloquebatur.* Rupert. *Rectè igitur non ad mulierem malè meritam facta est auxiliatrix gratiæ promissio, sed potius ad serpentem hostilis, & bellica comminatio:* Deinde verò præfatam cogitationē de astutia dæmonis in decipienda Eua, vt inde Dominicæ incarnationis propositū impediret elucidans: subijcit. *Quid autem hoc dicto Deus, nisi semet ipsum in proposito suo manere velle testabatur: Serpens, namque insidiabatur ne fieret, quod proposuerat Deus.* Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, *vicisse, & hoc propositum auertisse gloriabatur Deus autem eiusdem propositi sui victoriam in potestate habens serpenti comminabatur:* Hæc Rupert. lib. 2. de Victoria Verbi Dei cap. 16. En propositum à nobis sensum, Ruperti verbis egregie firmatum: Pende ergo singula, & primum illud: *Serpens namque insidiabatur ne fieret, quod proposuerat Deus:* Nempe ad salutem homini dandam, & opus suum perficiendum, quod confuse fuerat dæmoni reuelatum, hominem fieri, & humanam naturam cum diuinâ copulare, vt homines diuinæ naturæ consortes fierent. Deinde obserua, quem sensum reddat Rupertus illis verbis, *ipsa conteret caput tuum*, inquiēs. *Quid autem hoc dicto Deus nisi semet ipsum in proposito suo manere velle testabatur?* Vt dixerit: cum mali dæmonis astus eo irent, vt Deum à proposito sumendę humanæ carnis auerteret si humanum genus in Euâ commaculasset, atque ea iam in peccatum collapsa se voti compotem factum gloriaretur: Deus tamen in proposito suo constanter permansit, quippè qui *propositi victoriam in potestate suâ*, habens Matrem iam sibi immaculatā delegerat, & in cœlo Mariæ parauerat sedem suam: Vnde dæmonis dolor in caput ipsius vertens ei insultās dixit: *Ipsa conteret caput tuum*: eludet artes tuas, & ab omni labe immunis te conculcabit, ac proteret, vt miseram sub ipsius pedibus patiaris seruitutem: Quo à duoco, quod Iosephus lib. 1. *antiquitatum*, capit. 3. in hæc verba habet, dū ea paraphrasticè vertit. *Præcepit, vt mulier capiti eius* (serpentis) *plagas inferret*: vt videlicet exinde Maria in imagine victrix, & debellatrix, & interemptrix serpentis, & cogitationum eius esset. Iosephus

His mire concinit Psalm. 47. Scopus titulus, & verba, qui de Maria totus est: vt quique de Mariæ laudibus agunt explicare consueuerunt, signatè verò Richardus à S. Laurentio pluribus in locis, & Vincentius Gilibertus, qui in id argumentum tres tomos molitus est: Nam in primis titulus sic scribitur: *Psalmus Cantici filijs Core secundâ Sabbati*: eo plane die quo firmamentum factum est, quod Mariæ typum esse nemo non videt, & nos ex Bernardo serm. 3. super Salue vocante ipsam, *Firmamentum omnibus firmamentis firmius*, & Germano Constantinopol. Orat. *de Præsentatione*, dicente Mariam esse: *firmamentum in terram demissum:* & Richardo à S. Laurentio lib. 7. de *Laudib. Virginis*, multiplici ratione cum firmamento componente, & his inter alias: *Primo conditionis specie:* quia tota pulchra est, & sine macula: *Secundo magnitudine, quia Virgo, & Mater, nec cuiuslibet, sed Dei: Vnde sola dicere potest cum Patre ipsi Filio Dei*, Filius meus es tu: *Tertio: sublimitate quia benedicta est inter omnes mulieres*, &c. alibi adstruimus, VI *Psal. 47 titulus.* Bernar.

Genes. 3.

&

& vero cum Psalmus 23. qui manifeste est de Christo inscribatur pro *prima Sabbati*, Psalm. pro *secunda Sabbati*, ad Mariam omnino pertinere, tum series, ac ordo indicat, cum diē Lunæ effe, quem Maria suo lumine illustrat: Sed subinde Scopus, & verba Vatis Mariam, & ipsius immunitatē, velut indice designat: Audi: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte Sancto eius. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis: ciuitas Regis magni*: Quid enim aptius? quid frequentius apud scripturam, & PP. quam Mariam appellari ciuitatem Dei, vt eam itidem appellat Vates Psalm. 86. vers. 2. inquit. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*: Adi Bernard. serm. de *Laude B. Virgin. ciuitatis Dei*. Damascenum Orat. 2. de *Dormitione Virg.* Gregor. Neocæsar. Orat. 3. de *Annunciatione*. Georgium Nicomediens. Orat. de *Oblatione Mariæ* S. Germanum Orat. de *Zona Deiparæ*, Iordan. p. 14. cap. 36. Richard. à S. Laurent. lib. 11. latissimè. Quid verò opportunius? quam Deum in Maria magnum, & laudabilem nimis appellari? qui vt in ea pararet sedem suam, *fecit potentiam in brachio suo*: Lucæ 1. vers. 49. de quo plura Richard. lib. 2. de *Laudib. Virg.* & apud eum Alcuinus, inquiens: *In hâc ciuitatē, & in hoc monte magnus Dominus, & laudabilis nimis*: immo audacter dico, *maior, & laudabilior, quam in omnibus creaturis. Qui enim cœlo, terrâque, non capitur, & qui mundum pugillo continet huius vterò clausus est, & inde assumpsit, vnde Patri obediens, vsque ad mortem exstitit. Propter, quod & Deus exaltauit illum*: Hæc ille. Bene quidem, sed alio Vates respicit, nempe ad Mariæ immunitatem, qua serpentis caput contriuit: ideò quippe subiecit.

Psal. 47 vers. 1.

Psal. 86 vers. 2.

Bernard Damas. Gr. Neo. German Georg. Ric. à S. Lauren.

VII *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion latera Aquilonis: ciuitas Regis magni*: Hæc enim omnia Mariam immaculatè conceptam præclare demonstrant: vide dicta à nobis hâc de re in epist. ad Philippil. cap. 2. vers. 7. adnotat. 8. tota: vt modo, solum expendam, quæ huius adnotationis propria sunt, & omnino respiciunt superbi illius mentem, & verba: *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*: Nec non ea, quæ dicebat S. Laurentius Iustinianus: *Quoniam in cœlo regnare non valuit sedem suam ad Aquilonem instituens in hoc nequam sæculo solium iniquitatis erexit*: Nimirum notantissimè in fundatione montis Sion factam fuisse à Vate mentionem laterum Aquilonis, quorum quispiam dixerit illum potius obliuisci debuisse, cum Mariæ Conceptionem ab omni labe originaria immunem voluit adstruere: Sed si verè æstimas, nihil opportunius, aut illustrius dici ab illo potuit pro Mariæ immunitate, quā ipsam instructam hostis aciem euertisse, & de eo glorioſe triumphasse: Quare obserua lectionem Hebream, quam affert Pagninus, in quâ maioris explicationis gratia addita præpositione *ad* habetur: *ad latera Aquilonis*: Vt significetur, ibi fuisse fortius Dei munimentum, maioremque Mariæ securitatem, vbi acrius bellum ingruere videbatur; vti in ipsa imagine verbis Ierusalem in id Psalmi ad notauit Chrisostomus, vbi cum interrogasset: *Quâde causſa meminit nūc Aquilonis, & situm loci describit?* respondet *Quoniam assiduè bellum hinc suscitabatur inuadentibus barbaris: & Prophetæ hoc dicunt assiduè ab Aquilonè malum appellantes, & lebetem illic feruentem describunt &c. Quod factum admirans hoc subiunxit, id significans, eam quæ illic assiduè vexabatur feciſſe in expugnabilem, perinde enim ac si quis diceret de corpore, partem illam imbecillem feciſti valentiorem. Hoc etiam hic ipse obscurè significat dicens*: vn-

Lauren. Iustinia

Lect. He

de

de luctus, & lachrymæ, unde origo calamitatum, ea membra impleta sunt voluptate, alacritate, ac animi tranquillitate: unde minæ, metus, & pericula, hinc gaudium, & lætitia: Hactenus Chrysostomus accommodatissimè: Vbi vides quam opportunè dixerit Vates alibi de Maria: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Psal. 86. vers. 2. Quid enim gloriosius, quã illam ad latera Aquilonis sitam, nihil mali ab Aquilone passam, immo inde valentiorem redditam? Et vbi origo calamitatum, lachrymarum, & luctus erat, inuenisse tranquillitatem gaudium, lętitiam, atque coronam: quin totus hostilis impetus eam aliquà ex parte lædere potuerit: Vnde Chrisostomus premens sequentem Vatis versum: *Deus in domibus eius cognoscetur cum suscipiet eam* in hũc modum: *Alius: Deus in regis eius cognoscetur ad munimẽtum: Alius: Deus in palatijs eius cognitus est ad eripiendum eam:* Subijcit, *Prædicat eius auctoritatem, laudem, coronam dicens:* Ciuitas Regis magni: *Deinde ostendens: quomodo sit ciuitas Regis magni per illud,* in domibus eius cognoscitur: *Magnam ostendẽs prouidentiam, & quod eam totam omni ex parte seruat.* Hæc Chrysostomus apud quem vides tum Mariam singulari Dei prouidentia totam, & ex omni parte seruatam, tum Deum cognitum magnum Regem, & laudabilem nimis, quod ei quasi sedi quam sibi parauerat in munimentum fuerit, ne qui sedem suam ad Aquilonem instituerat, vel ad instans in eà consideret, vt S. Laurentius Iustinianus post præfata verba. *Sedem suam ad Aquilonem instituens in hoc nequam sæculo solium iniquitatis erexit:* Accurate monuit subijciens: *Nemo ab ipso mundi initio, vsque ad tempora plenitudinem duntaxat Mediatore, eiusque genitrice exceptà iugum damnationis eius euasit.* Firmat hanc mentem Richard à S. Laurentio lib. 11. de Laud. Virg. Mariæ non semel: Sic enim primum. *Bene ciuitas Dei, quæ tota fuit Dei, & nullius nisi Dei, quia nihil in eâ habuit pars aduersa:* Deinde eodem libro, cum versans hæc verba Mariam sub imagine ciuitatis Dei laudasset, *à nominis nouitate,* quod ipsa sit Mater misericordiæ, & quod per ipsam reædificatum est, quod per Euam fuerat dissipatum: subijcit: *Commendatur hæc ciuitas ab immunitate peccati Isaiæ 60.* Non audietur iniquitas in terrà tuà, & contritio in terminis tuis *Psal. 147.* Qui posuit fines tuos pacem. Hæcille, & plura.

Iam cum vna ex parte vides superbum illum cogitantem sedere in mõte testamenti in lateribus Aquilonis vt sedem suam ad Aquilonem instituret, & parem cum Deo in Maria confessum haberet, ex alia verò ipsam à Deo vndequaque munitam, vt tota fuerit Dei, & nullius nisi Dei, quin vel hilum in eà habuerit pars aduersa, opportunè exclamaueris cum Damasceno Orat. 1. de *Natiuitate Virginis. O Sanctissima Ioachimi, & Annæ filia, quæ principatus & potestates fefellisti, quæ in Spiritus thalamo versata es, atque immaculata conseruata in Dei sponsam:* Parum vero fuerit Mariam dæmonẽ & principatus, & potestates fallere, nisi etiam importunissimam illius superbiam, qua sedere in sella Dei præsumpsit quæsitissimo supplicio plecteret, vt quemadmodum Rex Henricus, & sellam à fratre violatam præcipitare iussit, & similem ei pœnam minitatus est, ita ille a Maria proiectus, & præcipitatus fuerit, in hunc sensum inflectente S. Cyrillo Alexãdrino hom. 2. in *Nestorium,* tomo 2. ea Apocalipsis verba cap. 12. vers. 9 *Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, & proiectus est in terrã:* dum Deiparam hunc in modum salutans: *Salue qui incomprehensibilẽ*

Psal. 85 vers. 2. *Isai. 60* *Ps. 147.* *Damas.* *Cyr. A.* *Ap. 21. vers. 9.* *Ric. à S. Lauren.*

VIII

in

in ſancto vtero Virginali comprehendiſti, per quam ſancta Trinitas, per vniuerſum orbem glorificatur, & adoratur: per quam cœlum exultat, per quam Angeli, & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugãtur: Subijcit notanter: *per quam diabolus tentator cœlo decidit, per quam prolapſum plaſma in cælum recipitur.* Sic Cyrillus: Obſerua, *per quam diabolus cœlo decidit,* proiectus ſcilicet, & præcipitatus in terram, & non modo tanquam ſerpens terrà ſerperet, quin è ſua vilitate, & miſeria vnquam erigi poſsit, vt *ſub Mariæ pedibus conculcatus, atque cõtritus miſeram patiatur ſeruitutem*, vt dicebat Bernard. Sed etiam, vt in profundum laci deſcenderet, decidens à cogitationibus ſuis, ideſt, vt pro faſtigio altitudinis Marianæ ſedis, quam appetijt maior caſus, & profundius eius præcipitium fuerit, quam omnino emphaſim habent verba Domini apud Lucam cap. 10. verſ. 18. *videbã Satanam, tanquam fulgur de Cœlo cadentem:* Quippe fulguris imago, quod nõ ſuper terræ ſuperficiem, ſed in ima deſcendit, omnino portendit, pro ſuperbiæ, & elationis Luciferi menſura, illius caſum, & ruinam fuiſſe, ita id adnotante ibi Beda. *Præcipitem de ſupernis ad ima caſum ſignificat,* eaque epitaſi ſubſannãtibus ijs, qui temerarios eius auſus percalebant. *Verum tamen in infernum detraheris in profundum laci:* Iſaiæ 14. verſ. 15. *vt qui cœli ſumma petebat* (inquit ad ea verba Alredus in allegorijs Gotfridi Tilmani) *ad ima deſcendat in inferni.*

A

B

C

Luc. c. 10 verſ. 18.

Iſaiæ 14 verſ. 15. Alred.

IHS

DISSERTATIO SECVNDA.

De MARIÆ Immunitate, quà Dei liber, in quo eius Sapientia Diuini Spiritus calamo conscripta est.

MARIAM ab omni labe immunem esse, quod liber Dei sit.

ADNOTATIO I.

I

SOLEMNE quidem est omnibus, qui Mariæ Laudes signatè verò omnimodam eius puritatem, & ab originaria labe immunitatem auspicātur, vt voti compotes euadant, ipsam tàm cum Mathæo, & vatibus, quàm cum Patribus librum Dei, & librum, *generationis Iesu Christi*, appellare, sic enim signate Richard. à S. Laurentio lib. 12. de Laudibus Mariæ inquit: *Liber generationis Iesu Christi supple hic est: Sed quia quod exponitur de Christo potest exponi de Beata Virgine, vt in pluribus potest dici* Liber generationis Iesu Christi, *hæc est, &c.* Hinc namque, & ab eo qui scribit: Hoc est à Patre, & à Verbo scripto, hoc est à Dei Filio, & à calamo scribæ velociter Scribentis, hoc est à Diuino Spiritu Mariæ liberum, immaculatum, & ab omni labe immunem omnino subsistere, opportunè existimamus; ideo singulas rationes placet singillatim expendere. Et quidem Mariam ex Isaia librum grandē Dei esse, vt iam viderimus in tractatu de Maria digna forma Dei, conuersum Vatem aduocare fuerit operæ pretium: Ergo ipse cap. 8. vers. 1. ex persona Dei sic inquit: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*; Quod perinde fuit, ac cū Mathæo stylo hominis scribente dicere: *Liber generationis Iesu Christi:* Nimirum hunc librum grandē Isaiæ ad Mariam, ex qua Dei Filius homo factus est, frequenter referunt Patres, & Interpretes huc omnino faciente sententia, & sensu Vaticinij, quod de Dominicæ Incarnationis Sacramēto totum est: Audi nonnullos, & primò S. Antoninum 4. part. titul. 15. cap. 5. dicentem: *Dicitur Maria liber, quia continuit in se Diuinam Sapientiam, adest Filium Dei, de quo*

A

B

C

Ric. à S Lauren.

Isaiæ 8. vers. 1.

Matth.

S. Antoninus.

libro

libro dicitur Isaiæ 8. Sume tibi librum grandē, & scribe in eo stylo hominis: *Liber iste grandis fuit Beata Maria quia continuit Diuinam Sapientiam cuius non est numerus, scriptor huius libri fuit optimus, quoniā fuit Spiritus Sāctus, qui omniū est artifex, & omnem habet Sapientiā.* Hæc Antoninus, quē imitatus, *Ricard. à S. Lau.* Richardus à Sancto Laurentio lib. 12. *de Laudibus Mariæ*, in eundem sensum inquit: *Nota quod Spiritus Sanctus multoties loquitur Prophetis, non vt ipsi faciant, quod eis indicitur, sed vt designetur, quod Spiritus Sanctus operaturus sit. Liber iste Maria, quæ sic dicitur liber, sicut Apostolus* 2. ad Corinthios 3. versic. 2. *Corinthios nominat epistolā suam, & dicitur liber iste grandis dignitate, scientiæ profunditate, multimoda difficultate, sententiarū inscrutabilitate, & omnimoda vtilitate.* Sic Richard. Præluxit vero ipsi, & Antonino S. Epiphan. senior lib. 1. contra Hæreses tom. 2. Hæresi 30 *S. Epiphan. Senior.* qui fere iuxta lectionē LXX. quæ reponunt: *Sume tibi tomum noui magni*: legens. *Accipe tibi fructū chartæ nouæ magnæ*: Sic explicat de Maria: *Fructum quidē propterea, quod sit Virgo ex semine viri, resecta autem sit à mixtura viri, & quod resecta sit à naturali hominum consuetudine*, Hæc Epiphanius, qui postmodum premens Deiparam appellari chartam magnam, subijcit: *Idem.* *Magna enim reuera est Maria sancta Virgo coram Domino, & hominibus: quomodo ergo non dixerimus hanc magnam, quæ incomprehensibilem concepit, quem cœlum, & terra capere non potest.* Hactenus ex Epiphanio.

II. Nec pigebit ijs Patribus addere alios, qui Deiparam generali oratione librum Dei appellant, quod subinde penè omnia eorum verba è re nostra futura sint: & quidē S. Damascenus Orat. 1. *de Natiuitate Mariæ*, sic opportunè inquit: *Hodierna die, is qui omnia effecit Deus Verbum, quod Pater de pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei lingua, à Spiritu tanquam calamo quodam ab ipso scribendum:* Hæc ille ibi: & Orat. 2. *de Assumptione Beatæ Mariæ*: Eodem sensu ait: *Vbi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit: Vbi nouus liber, in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inscriptus est.* Sic Damascenus. Ad cuius gustum S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Orat. *de Natiuitate Virginis*, ipsam, ita salutat: *Salue diuinitus inspirata veritas scripturæ: in qua sine voce, & scriptura ipse inscriptus Deus, & Verbum legitur.* Nec minus ad rem Andræas Cretensis Orat. 2. *de Dormitione Mariæ*. Sic loquitur. *Tu es liber vere viuus eius, qui in te tacite fuit inscriptus viuifico calamo Spiritus: Tu sola vere es noui testamenti volumen à Deo scriptū.* Et Epiphanius iunior oratione *de Laudibus Deiparæ* inquiens: *Liber incomprehensus, qui Verbū Patris mundo logendū exhibuit*: Indēque Hymnus Græcus apud Buteonē, pag. 122. cū ait: *Liber animatus spiritu sigillatus*, in quem itidē sensum Ecclesia Græca in Menæis die 20. Iunij Ode 9. Deiparā, ita salutat. *Te nouæ legis Arcā vocamus vnaque nouæ legis tabulam ab ipso numine sculptā, cui suū Verbū Deus inscripsit.* Quibus adde Titū Bostrensē ex ore Mariæ illa eius verba: *Ecce ancilla Domini*: Lucæ 1. v. 38. ita diffundentē *En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea. Scribat in me scriba ille: quodcumque visum fuerit*: Hæc Patres, quæ ad nostrum institutum vltro conueniunt, modo accommodādā sunt.

S. Dam. *S. Germ.* *Andr. Cretens.* *Epipha. Iunior.* *Buteo.*

Et primum quidem ad Mariæ immunitatem asserendum adduco ea Isaiæ verba: *Sume tibi librum grandem*: Ex versione, LXX. & Epiphanij: *Accipe tibi frustum* (in alijs exemplaribus habetur segmentum) *chartæ nouæ magnæ*: Cui si attendis, mira subest in hanc rem ἐπιτασις, dum Maria *charta*, siue *segmentum*, aut *folium* à libro communi viuentium resecta dicitur, vt extra legem, extra pactum, extra transgressionem, & sortem cunctorum hominum asseratur: Nimirum in libro Dei omnes omnino homines scriptos, & in censum redactos esse differte scriptura commemorat, dicente Regio Vate Psalmo 68. verficul. 29. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*: Et Psalm. 138. verficul. 16. *Et in libro tuo omnes scribentur*: siue Dei liber à libro viuentium discriminetur, vt existimat Hilarius, sic inquiens in commentario Psalmi 138. *Mihi maioris dignitatis videtur in libro Dei scribantur. Quod vtrumque sub his dictis significatur*: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur, siue vt videtur Didymo in Psalm. 68. vnus, atque idem vterque liber sit, ita enim ipse vtrumque compaginat. *Librum viuentium ipsum numerum viuentium dicit, vt in illo*. Et in libro tuo omnes scribentur; *Hoc est in numero viuentium erunt: dicit ergo, ab ipsa quoque vita exortes fiant*. Hæc ille. Vtvt sit hunc viuentium librum siue album librum filiorum Adæ appellandum esse dilucide monet Moyses, dum recensens seriem filiorum Adæ, Genes. 5. verficul. 1. inquit: *Hic est liber generationis Adam*: siue, vt est in Hebræo fonte: *Hic est liber generationum Adam*: Pulchrè ergo Maria à libro generationis Adæ, siue à communi viuentium libro, id est, à numero viuentium, quales quales illi sint, qui in album filiorum Adæ referuntur, velut *folium*, seu *frustum*. Ab illo reiectum dicitur, & in librum generationis Iesu Christi transfertur, vt peculiaris Dei liber, in quem nulla lituræ suspicio, cadat, esse adstruatur, sub hoc sensu opportune dicente Epiphanio: *Frustum quidem propterea, quod sit Virgo ex semine viri, resecta autem sit à mixtura viri, & quod resecta sit à naturali hominum consuetudine*. Pulchrè. Quippe Maria quâ constat humana natura ad librum Dei, siue ad librum viuentium pertinet, qua verò ad eorum labē originariam immunis, & expers est, *opportune resecta* ab hoc libro, *& à naturali hominum consuetudine, & noxa*, esse dicitur, ne videlicet scripta in omnes homines lex, & ob illius præuaricationem pœna, siue mortis scriptura ipsam vllo modo comprehendat: Vnde apposite S. Germanus Constantinopolitan. Patriarcha oratione superius citata folium, non scriptum, ipsam sic appellauit: *Salue non scriptum sanctimoniæ folium*: Nempe consyderauit Germanus omnes omnino homines Dei librum, siue librum viuentium, ita componere, vt vnusquisque huius libri folium esse videatur, in quo lex, & peccatum Adæ, & chirographum damnationis (de quo grandis nobis in sequentibus sermo est) & pœna ipsi debita, conscripta sint: Mariam vero folium non scriptum nec fœdatum labe communi, sed spiritu Dei animatum scriptum, &

Psal. 68 *vers.* 29. *Psal.* 38. *vers.* 16. — *Hilarius* — *Genes.* 5. *vers.* 1. — *Epipha* — *S. Germ*

ig illo munitum aduersus conscriptum ab Adam damnationis chirographum, opportunissimè sub hoc sensu, & sub hac chirographi imagine dicente S. Laurentio Iustiniano in sermon. de Annuntiatione: *Quis huius Virginis gratiam sufficit enarrare, ab ipsa namque sui conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo In ipso enim vtero materno iam posita super illam gratia sanctificationis effulsit, vtpote ei, quæ electa erat, vt pareret Deum. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat certissimè agnoscebat. Hinc est, quod Virginem ipsam tam largo imbre spiritus irrorauit.* Hæc ille, & alia.

S. Laur. Iustinia

IV Quo itidem facit in his Isaiæ verbis, quæ in manibus habemus appellari Mariam *chartam nouam magnam*, & a Damasceno *librum nouum*, & ab Andrea Cretensi, *librum verè viuum*, & a Tito Bostrensi *tabulam*, quæ idonea sit: *quamuis scripturam excipere*: cum hæc omnia eant ad asserendam puritatem, & candorem huius chartæ, siue folij solam Dei digiti scripturam excipere idoneæ. Sed id differtissime, expressit Georgius Græcus in Menæis Græcis die 24. Martij Ode. 3. de Professo Annuntiationis Mariam sic affatus: *Esto paratus ò Diuinæ Munditiæ liber, quippe tibi Sancti Spiritus digito inscribetur Sapientia diuina, sed incarnata, quæ insipientiæ meæ præuaricationem è medio tollat:* Sic ille: Obserua, & osculare illud: *Diuinæ Munditiæ liber.* Vt Maria adeo pura, & immunis ab omni labe sit, vt diuinæ munditiæ opus signatè censeri debet, & diuina munditia in ipsa vndequaque eluceat: Quasi peculiaris Dei liber, & solum a libro generationis Adam resectum. Sed & in hanc sententiam opportunè loquuntur Sanctus Ephrem. sermon. de *Sanctissimæ Virginis Mariæ laudibus*: Et alter Georgius Nicomediensis scilicet in oratione de *Oblatione Mariæ*: Sic enim prior, *Aue tabula scriptam legem mortalibus afferens, aue vera charta diuinissima*: Hæc ille: quibus nihil illustrius dici potuit: Quid enim fuerit, *tabula scriptam legem mortalibus afferens*: Nisi tabula manibus Dei oblata, & fabrefacta, vt in ea digito Dei viui, hoc est diuino Spiritu inscriberetur lex gratiæ, vt Mariam appellabat Ecclesia Græca *Tabulam ab ipso Numine sculptam*, diuinis scilicet gratiæ manibus factam. *Quid charta diuinissima?* Nisi solum à Diuinitate omnino conscriptum, vt nihil in ipso, quod diuinum non fuerit, inueniri, aut excogitari possit? Similiter Georgius inquiens: *Charta purissima in qua Verbum sine scriptis impressum scidit fraudis chirographum.*

A B C D E

Nicome.

Damasc. Cretens. Bostren. S. Emph

Georg.

V Iam verò, si ad huius Mariæ libri Scriptorem, siue ad Summum Patrem illum conscribentem attendis, Mariam chartam diuinissimam, in quâ nullæ omnino vnquam peccati originalis litteræ scriptæ, nullæ omnino lituræ appictæ fuerint, manifeste inuenies: etenim cum librum scribere, opus Sapientiæ sit, in eoque maximè diuina ab humana Sapientia discriminetur, quod vt hæc mortalis, & incerta, & humi repens erroribus, ac proinde mutationi obnoxia, quod modo probauit, post modum mutat, & delet, imo, & mutare, & delere in Sapientiæ parte ponit, ita illa firma, certa, immutabilis, & inuariabilis est, vno

ictu omnia videns, omnia comprehendens, & *â fine ad finem*, attingens tanquam ea, quæ meliora videt, probat, sequitur, pulchre quidem Seneca prefatione in lib. 1. Natural. qq. cum dixisset: *E quidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quæ publica est, sed cum secretiora eius intraui, cum disco, quæ vniuersi materia sit, quis auctor, aut custos, quid sit Deus, totus in se intẽdat aut ad nos aliquãdo respiciat: faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: liceat illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare, an maiestatis diminutio sit, & confessio erroris, mutanda fecisse:* subdit serio, & ex veritatis sensu: *Necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt*: Vt dixerit, non est, quod Deus mutet, quod semel fecerit, cum non faciat, nisi, quæ optima, ac proinde, quæ semper placitura sunt: Inde quidem necessaria ratione fit, librum Dei chartam purissimam omnis lituræ expertem esse debere: opportune, & dilucide monente id Philippo Abbate cap. 25. in cantica ad hunc modum: *Nonnostro Deus more sæpius stylum vertit, nec euertit notas semel exaratas tanquã ductus pœnitentia*: Sic ille à quo non abit Gregorius Nyssenus Orat. aduersus eos, qui differunt baptisma: Vbi cum præmisisset: *Oues ad signaculum, & signum Crucis, quod malis opem fert, & remedium festinate. Date mihi nomina, vt ego ea imprimã libris sensibilibus, & scribam atramento*: subijcit: *Deus autem ea signet in tabulis, in quas non cadit interitus scribens proprio digito, vt olim legem Hebræis.* Sic Nyssenus. Qua sane mente Moyses imbutus, vt Deum a supplicio in populum inferendo, quod fuerat minatus, auerteret, egregia, & callida oratione ipsi suggerebat. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis: dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. versicul. 31. in quæ verba Augustinus quæst. 147. in Exodum bene obseruat, ideo hæc tanta animositate à Moyse dicta fuisse, quod sibi esset omnino persuasum è libro Dei non fore delendum: *Securus, quidem hoc dixit* (inquit Augustinus), *Vt à consequentibus ratiocinatio concludatur, id est vt quia Deus Moysem non deleret de libro suo populo peccatum illud dimitteret*. Hæc ille, sed quare, *securus hoc dixit?* Sane quod nosset (vt ad hæc omnino verba dicebat Philippus) non nostro more Deum stylum vertere, vt tanquam ductus pœnitentiâ notas semel exaratas euertat: cum eius liber charta sit candidissima in qua litura non cadat: vt hæc omnino fuerit iuxta Augustinum Moysis ratiocinatio: Noui Dei librum nulli erratæ siue lituræ esse obnoxium: ergo qui semel in illo scriptus sum non delebor: quam rationem, sic ibidem stringit Philippus Abbas: *Rogans ergo Moyses: aut de libro, quem Deus scripserat, se deleri, aut ipsum Deum remissa noxâ misereri populo: per id, quod diuinæ æquitati nouit nullo modo conuenire, eam ad hoc prouocat, quod conuenientius expedire æstimat: tenetque firmius: & quasi alligat vel inuitam ne incontinens concepti furoris manus ad vindictam exerat.* Sic Philippus: pulchrè æstimans nullo modo Diuinæ æquitati conuenire nostro modo scribere, & stylum vertere, vt quod semel scripserit, iterum deleat, pulchrius subdens: *Tenetque firmius, & quasi alligat, vel inuitam*: tanti scilicet est apud Deum non delere, quod in libro suo scribit: ne ipse lituris, aut erratis sit obnoxius.

Seneca. *Exo. 32. vers. 31.* *Augus.* *Philip. Abbas.* *Philip. Abbas.* *Gr. Nyss.*

Te-

VI

Tenuit quidem firmiter hic ſenſus Præſidem illum Pilatum, de quo Ioannes cap. 19. verſ. 19. *Scripſit autem, & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem: erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum:* & qui paulo ante Iudæis clamantibus: *Tolle, tolle, crucifige eum* (Ioan. 19 verſ. 16.) *& tradidit illum, vt crucifigeretur:* Ioann. 19. verſic. 16. quod expræſsit Lucas: *Adiudicauit fieri petitionem eorum,* cap. 24. verſ. 23. & Marcus cap. 15. verſ. 15. *Volens populo ſatisfacere dimiſit illis Barabbam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur.* Poſt modum enixe eiſdem ab eo petentibus: *Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum.* Conſtanter reſtitit reſpondens: *Quod ſcripſi, ſcripſi,* tantum non dicens: non muto, non deleo: nolo lituram meę ſcripturæ ſubeſſe, non ſcripſi, vt deleam: non delebo, quod ſemel eſt à me ſcriptum: vbi ſane non immerito ambigas, curis, qui in ipſamet ſententia mortis ferenda obſiſtens, & reluctans Iudæis contra ius faſque turpiter aſſentitus eſt, ſubinde in vna tantum voce mutanda ijſdemmet tam fortiter, & obſtinate repugnauerit? Sed facilis eſt ad manum reſponſio ex Auguſtino, quod is, qui in proferenda contra Dominum ſententia humano ſenſu, timore, & ambitione ductus fuit, in conſcribendo tamen Crucis titulo, qui ad regiam Chriſti Domini dignitatem ſpectabat, Spiritum Sanctum omnino ductorem habuit, qui & calamum in manu eius poſuit, & ſenſum ac manum gubernauit. Audi Auguſtinum tractatu 117. in Ioan. Sic exclamantem: *O ineffabilem vim diuinæ operationis etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta quædam vox Pilato intus, quodam, ſic dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto ante Pſalmorum libris Prophetatum eſt?* Ne corrumpas tituli inſcriptionem: *Ecce tituli inſcriptionem nō corrumpit, quod ſcripſit, ſcripſit.* Hæc Auguſtinus alludens ad titulum Pſalmi 57. qui eſt: *Ne diſperdas* (ſiue *ne corrumpas*) *in tituli inſcriptionem:* Vides ſtylum Dei non delentis, nec lituram cum ſcribit, facientis? ſubijcit Auguſtinus: *Si corrumpi non poteſt, quod Pilatus ſcripſit, corrumpi poteſt, quod veritas dixit?* Ergo Dei liber, & ſcriptura non corrumpitur, nec lituram vllam patitur.

Ioan. 19 verſ. 19. — Auguſ. — Pſal. 57.

VII

Quod ſi his obieceris Dei Filium delentem chirographum decreti apud Paulum ad Coloſenſes 2. verſicul. 24. dicentem: *Delens, quod erat aduerſus chirographum decreti: quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens cruci ſuæ:* Quaſi non ſit alienum à Deo delere, quod erat ſcriptum, & notas ſemel exaratas euertere: facile reſpondebo ex propria ſignificatione vocis *Chirographi*, & ſenſu locutionis Pauli Deum quidem non noſtro more læpius ſtylum vertere, vt literas à ſe ſemel exaratas euertat: *Nec delebit opera ſua.* Eccleſ. 47. verſ. 24. *Nam quando recti deleti ſunt?* Iob 4 ſed ſignatè delere quod nos noſtra manu male aduerſus nos conſcribimus: Nimirum chirographum proprie eſt ſcriptura, ſeu cautio debitoris manu conſcripta (vt latius inferius perſequimur) ac proinde cum Dei Filius inducitur à Paulo: *Delens, quod erat aduerſus nos chirographum decreti,* potius aſſentur librum ſuum, hoc eſt librum vitæ, in quo prædeſtinati ad vitam ſunt conſcripti inuariatum, & ſine litura, aliqua aſſeruans eo ſenſu, quo dicebat Nyſſenus: *Date mihi nomina, vt ego ea imprimam libris ſenſibilibus, & ſcribā attramento. Deus autē ea ſignet in tabulis in quas non cadit interitus ſcribēs proprio digito.* Eaque

Coloſ. 2. verſ. 24. — Eccl. 47 verſ 24. — Iob. 4.

de cauſſa delens cautionem mortis, & lethale Chirographum, quod aduerſus nos manu propria conſcripſimus: dixerim vno verbo: Nos Dei ſcripturam nobis ſalutarem, & vitalem delemus: Deus cautionem lethalem à nobis ſcriptam delet, ipſo atteſtante: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas*: Iſaiæ 43. verſ. 25. & cap. 44. verſ. 22. *Deleui, vt nubes iniquitates tuas.*

Iſaia 43 v. 25. & 44 v. 22.

VIII

Si ergo Maria liber Dei eſt, nulla ipſi litura ſubeſt, nullam ille ſuperinductam lineam ad delendum habet: ipſa ergo, *charta puriſſima*, ipſa *charta diuiniſſima* eſt: nam ſi corrumpi aut liturā pati non poteſt, quod Plautus ſcripſit, quomodo Dei liber corrumpi aut liturā, ſiue ſuperinductā ad delendum lineam habere poterit? Clamat S. Ephrem. *charta diuiniſſima*, clamat Georgius Nicomedicus: *charta puriſſima*. Clamat Damaſcenus: *Nouus liber*. Clamat, & exclamat hæc omnia ſignate firmans ſanctus Theophanes in Menæis Græcorum die 25. Ianuarij Canone 1. Ode 6. de Sancto Gregorio Theologo in clauſula hunc in modum: *Te ô Virgo Mater præuiderunt prophetæ tanquam tomum quendam ſeu librum plane intaminatum in quo conſcriptum eſt Verbū Diuinum, cuius diuinitas in circumſcripta exiſtit*: Ita Theophanes opportune affirmans Mariam à Propheris præuiſam, tanquam librum plane intaminatum: vndequaque ſcilicet mundū cui nulla omnino litura, ſiue labes eradenda ſubeſſet: Sed, & ipſamet Deipara clamat pro ſe diſſertiſsimè, dū ait: *Ego ex ore Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*: Eccleſiaſtici 24. verſ. 5. hæc verba ad Mariam referente, & de ipſa elucidante Richardo à Sancto Laurentio lib. 4. de *Laudibus Beatæ Mariæ*, hunc in modum: *De Venerabili, & omnium præconio extollenda excellentia Mariæ in oculis Summæ Trinitatis, quæ ſcilicet excellentia reſpondet excellentiſsimæ humilitati ipſius in oculis ſuis loquitur ipſa dicens*: Ego ex ore altiſſimi prodiui, &c. *Quia verbo Altiſſimi creata ſum*: Ita ille. Iam obſerua accuratum dicendi modum, quo Maria arcano ſermone creata dicitur videlicet, *ex ore*, ſiue *Verbo*, aut locutione, vt intelligatur in hoc libro Dei nullā eſſe lituram, aut lineam ad delendum inductam: Quare? Quia, vt teſtatur Vates Pſalm. 61. verſ. 12. Semel locutus eſt Deus. Preme aduerbium, *Semel*: vt ex illo videris vno tantum verbo, ſiue vna prolatione, aut vno calami motu ſcriptam Mariam fuiſſe, quin duplicata locutio, ſiue duplicatus calami motus: alter, qui ſcriberet, alter, qui ſcripta deleret, interceſſerint: ſemel ergo ſcripta Maria, quia Verbo Altiſsimi creata, ſemel quidē, & vno verbo, quin duplicata locutio altera ad ſcribendum, altera ad delendum, quod prius fuerat ſcriptum interceſſerint.

Pſal. 61 verſ. 12.

S. Ephr. Ge. Nic. Damaſ. S. Theof.

Eccl. 24 verſ. 5. Ric. à S. Lauren.

His per opportunè concinit S. Ioſephus Confeſſor apud eadem Menæa Deiparam ſic affatus. *Tibi intaminato Recentiſsimi Nitoris volumini Sapientia Diuina inſcripta eſt.* Vbi non vtcumque intaminatum volumen Mariam appellat Ioſephus, ſed gnatiſsimè, *recentiſsimi Nitoris*, primogenij ſcilicet candoris, quem nullus omnino næuus adhuc præceſſerit. Et quidē rectiſsimè cum hunc volumini Sapientia Diuina foret inſcribenda. Pergit verò Sanctus Ioſephus, & pro noſtro inſtituto cenſum ditiſsimè auget hunc in modum. *Sapientia Diuina inſcripta eſt, quæ libro viuentium ſuos inſerit pugiles quicumque legeſſibi præſcriptas omnibus numeris ſeruat*: Vbi notanter Virginem librum facit in quo cōtinetur Auctor libri vitæ, ſed quorſum? Plane, vt Mariam libri ſiue chartam mundiſsimam faciat, in quam litura non cadat, in qua videlicet Sapientia Diuina cum libro vitę in quē (vt dicebat Nazianzen.) interitus, aut deletio non cadit, inſcripta eſt, quippe liber vitæ de quo copioſè diſ-

IX *S. Ioſeph*

ſer-

ſeruimus in epiſt. ad Philipp. cap. 4. verſ. 3. à num. 14. *eſt memoria Dei, in qua ſunt illi, qui viuunt in æternum:* vt inquit Anſelmus ibi: ſiue vt B. Bruno, *mens diuina in qua boni ab æterno memoriter ſcripti ſunt:* ſiue etiam, *firma notitia de prædeſtinatis,* vt inquit Sanctus Thom. 1. p. q. 24. aut tandem, vt docet S. Auguſtinus lib. 10. *de Ciuitate Dei,* cap. 15. *illa eius præſcientia de illis* (prædeſtinatis) *quæ falli non poteſt eſt liber vitæ:* Vbi vides in hunc librum nullam poſſe cadere lituram, quod vt indidem inquit Sanctus Thomas prædeſtinati, *indelebiliter,* ſcripti ſint: *Nec enim noſtro Deus more ſæpius ſtylum vertit nec euertit notas ſemel exaratas tanquam ductus pœnitẽtiâ.* Opportune ergo Dei Sapientia cui liber vitæ indelebiliter ſcriptus ſubeſt, inducitur à Sancto Ioſepho inſcripta in volumine intaminato, & recentiſsimi nitoris, vt vterque liber mutuo ſibi in munditia compaginatus reſpondeat, & vtrique diuina Sapientia indelebiliter inſcribatur.

Phil. c. 4 verſ. 3. Anſel. B. Brun. S. Thom. S. Aug

S. Thom.

Quod ſi attendis, ſignata quidem hæc locum habent in Mariæ conceptione, quæ prima ſcriptura huius libri pars, & priores libri litteræ ſunt. Nam qua ratione ſecus induxeris, vt qui Mariam ſibi in librum, & chartam elegit, in qua ſapientiam ſuam velut in ſpeculo oſtenderet, à litura ſiue à litteris, & ſcriptione, quæ ſtatim eſſet delenda, fore auſpicaturus, cum hac ratione, nec libro maieſtas, nec ſapientiæ ſcriptoris debita fides conciliaretur: etenim huc in primis facit quod Marcioni librum Euangelij ſine titulo Eccleſiæ obtrudenti ſcite obijciebat Tertulianus lib. contra Marcionem vbi cum dixiſſet: *Marcion Euangelio ſci: licet ſuo nullum adſcribit auctorem quaſi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit, ipſum corpus euertere:* ſubijcit: *Et poſſem hic iã gradum figere non agnoſcendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam conſtantiam præferat, nullam fidem te promittat de plenitudine tituli, & profeſsione debita auctoris:* Hæc Tertullianus. Quę libro Mariæ à Deo conſcripto ſic apto, vt ſi quidem hoc opus agnoſcendum tanquam eximium Dei opus fuerit, ab ipſo titulo, & inſcriptione a primis eius litteris frontem debeat erigere, & conſtantiam præferre de ſua immunitate, & puritate fidem ſapientiæ ſubinde in ea legenda repromittens. Nimirum vt ſapienter monet Theodoricus Rex apud Caſiodorum lib. 2. epiſt. 15. *Bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſuevit radicitus pullulare:* Ex quibus certe non immerito inferas libri huius auctoritati, & dignitati non parum derogari, ſi ipſum à litura, & litteris delens initium ſumere affirmetur.

Tertull.

Caſiodor

A

B

C

D

E

X

MARIA Mab omni labe, & litura expertem, quod ſit liber Dei, in quo eius Verbum, & ſapientia ſcripta fuerit.

ADNOTATIO II.

I Am etiam ſcripta in hoc Mariæ libro Sapientia (dũ in ea, vt dicebat S. German. *ipſe Deus, & Verbum legitur:* (ipſam ab omni macula immunem, & exortem facit, & quidem cum hæc ratio cuncta fere, quæ à nobis in hoc volumine dicuntur complectatur, ea modo ſolum prælibabimus, quæ è re ſapientiæ fuerint: quæ ſignatiſsimè omnimodæ

I

S. Germ.

puritatis; & munditiæ, & simplicitatis est amans: vti Dionysius Carthusianus, vt Mariam aptam, & opportunam Sapientiæ Dei Matrem ostenderet Sapienter dicebat lib. 2. de *Dignitate Mariæ*, art. 7. hunc in modum: *Adhuc autem Pater omnipotens Filio suo dilecto idoneam, aptamque Matrem parauit. Filius verò eius Verbum est, & veritas, Sapientia, & splendor, omnino autem talis Filij susceptiua non est nisi Virgo Sapientialis, & simplex, ne hebetudo Sapientiam, carnalitasque excludat splendorem*: Ita Dionysius, & quidem rectè: talis Filij susceptiua non est nisi Virgo Sapientialis, vt dixerit Sapientiam non nisi in libro nouo in charta purissimà, & diuinissima fore scribendam, omnino concinente Salomone: *In maleuolam animam non intrabit Sapientiâ, neque habitabit in corpore subdito peccatis*: Sapientiæ 1. vers. 4. Etenim, vt hæc verba à S. Thom. 3. part. quæst. 27. art. 4. ad propulsandum à Deipara quoduis peccatum actuale quantumuis exiguum, siue veniale sit, affertur; ita à fortiori hunc originale peccatũ, quod suapte naturâ, & lethale, & sapientiæ contrariũ est, ab ipsa ablegaueris: vt velit Sapiens Diuinam Sapientiam adeo puritatis, & munditiei amantem esse, vt animæ inquinatæ limina minime ingrediatur, aut attingat, neque sibi habitaculum eligat in corpore peccato obnoxio, quod quasi sponsione oppignoratum, & fideiussione obstrictum sit: id enim valet græca vox, pro qua Nosier posuit, *subdito*, sed cum græce non sit *peccatis*, sed *peccato*, & Sapientia cum corpore oppositionem non habere videatur; plaumfit deimmunitate Mariæ propheticum sermonem hîc esse, cuius anima, vt undequaque semper purissima, ita corpus peccati originalis sponsione oppignoratum, aut fideiussione obstrictum nunquam fuit, est namque originale peccatum radix, & origo actualium, à quo illa tamquam passiones fluunt; vt docet August. lib. de *naturâ, & gratiâ*, cap. 36. & lib. 5. *contra Iulianum*, cap. 9. & Gregor. Magnus lib. 6. Moral. cap. 15. Vnde Iansenius omnino accepit hæc verba de reliquijs originalis peccati, vt tàm à peccato originali, quàm ab illius reliquijs Deipara afferatur immunis, quod Diuinam Sapientiã non vt vnius diei hospitem, sed vt perpetuum inquilinum, & domicilium esset susceptura: pulchre hæc verba elucidantibus Richardo à S. Laurentio lib. 2. de *Laudibus Virginis*, & Fulberto Episcopo Carnotẽsi serm. de *Natiuitate Beatissimæ Mariæ Virginis*, tom. 11. Bibliothecę veter. PP. & vt ab hoc incipiam ille dissertissimè ait: *Hoc igitur in primis adstruere fas est, quod anima ipsius, & caro, quam elegit habitaculum sibi Sapientia Dei Patris, ab omni malitiâ, & immunditiâ purissima fuerunt, affirmante Scripturâ*: Quoniam in maleuolã animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Ita Fulbertus omnino ad rem. Nec minus opportunè Richardus, hunc in modum. *Credamus, quod immaculata, & sine peccato vitam duxit inmũdo præseruata à Sapientia Dei, quæ non* intrat in animam maleuolã, neque habitat in corpore subdito peccatis, *ipsam enim velut pupillam oculi semper ab omni nociuo Deus Trinitas conseruauit. Vnde dicit de eâ*: Nocte, & die seruo eam: indignatio non est mihi, Isaiæ 27 Hæc Richardus, quæ singillatim expendere pro Mariæ immunitate fuerit operępretium.

Obserua ergo primum phrasim: *Præseruata à Sapientia Dei, quæ nõ intrat in animam maleuolam*: quæ omnino probat, præcautum fuisse à Sapientia Dei, vt liber in quo ipsa erat conscribenda omnino labe ca-

Dio. Car

Sapie. 1. vers. 4.

S. Thom

Augus. Gregor. Iansen.

Ric. à S. Lauren.

Fulbert.

Isaiæ 27

II

rerer,

esserque charta purissima: nullis lituris fœdata. Quo refero vim, & efficacitatem rationis S. Thomæ prædicto loco ad remouendũ à Virgine quodvis peccatum veniale ex his verbis: ait enim ipse: *Tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia in ipsa habitauit, non solum in animâ, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sapientiæ 1. in maleuolã animã non introibit Sapientia*, &c. vbi cum Dei Filius tam singulari modo, tanquam Dei Sapientia in Maria habitasse dicitur ab Angelico Doctore, eaque de causâ non modo grauem, sed etiam leuem culpam, nec præsentem solum, sed etiam præteritam, & pœnitentia deletam ei vehementer obstrepere: et nè ingrediatur obsistere, alludere quidem videtur ad hanc chartæ, seù libri munditiem; nè Sapientia Dei, quæ *attingit vbique propter suam munditiam*, Sapiẽt. 7. vers. 24. in chartâ lituris corruptâ, in quâ videlicet aliquid antea fuisset perperam scriptum, & subinde deletum, à Diuino Spiritus calamo conscriberetur. Quæ quidem ratio, si bene æstimas æque, aut magis opportuna, & peremptoria esse videtur ad remouendum lituram peccati originalis ab hoc Mariæ libro, quippè originalis macula grauiõ, & turpius coinquinat animum, quã veniale peccatum (vt verbigratia) verbum otiosum; ac proinde vt in hac macula eluenda maior requiritur vis, atque efficacitas, ita subinde post ipsam deletam turpior, & manifestior cõspicitur litura: Benè ergo a Richardo hæc cauetur, dum Maria *præseruata dicitur à Sapientiâ Dei, quæ non intrat in animam maleuolam*: Quia (vt dicebat Dionysius) *omnino talis Filij susceptiua non est, nisi virgo sapientialis, & simplex*. Vndè hæc Sapientiæ verba opportunis accepit S. Antoninus præfato loco tom. 4. tit. 15. cap. 4. §. 2. inquiens: *Beata Maria liber fuit, quia continuit in se diuinã sapientiam, id est Filium Dei; in libris enim continetur sapientia descripta, & ex hoc innuitur totalis eius puritas scilicet in animâ, & in corpore. Quia vt Sapient. 1. dicitur*, in maleuolam animam non introibit Sapiẽtia, &c. Hæc Antoninus. Quo signatissimè facit epitetum *sincera*, quod Salomon Mariæ aptauit illis in verbis, quæ pro re immunitatis Deiparę solemne mihi est Sapientiæ 7. versic. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit*. Nimirũ pro voce *sincera* Græce est *illicrinis*, quæ propriè est, *pura, non fucata*, hoc est ea puritate munda, quę natiua sit, non verò fuco, aut pigmentis superadditis: vt oppositam omninò significationem habeat, ac scriptura cui litura subest: dum verbis, quæ primũ erant scripta deletis, alia de nouo superscribuntur: ac proinde Maria à Salomone adstruatur Virgo sapientialis, & simplex tanquam charta purissima, non a fuco, quo in superficie illinita fuerit, tanquam scriptura litura correcta; sed à natiuo candore, quem in sua Conceptione à Deo accepit: vndè subiicit: *Et ideò nihil inquinatum in illam incurrit, candor est enim lucis æternæ*, vt dixerit, nihil purius, nihil candidius Maria, in qua lux æterna resplendet (eã enim vim vocis *candor* Græce subesse iam dixi, & dicã) & velut in charta cõscripta Sapiẽtia Dei est. *Nè hebetudo sapiẽtiã, aut carnalitas excludat splendorem*: sub hoc sensu hæc verba sapientiæ elucidante S. Petro Damiano in sermone *de Assumptione Mariæ* hunc in modum: *Caro enim Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis conuersa est*: Dum ipsa Sapientia Diuina cõscripta resplendet, & omnibus lucet: & hùc notantissime eũtibus SS. Ephre & Georgij Nicomediensis locutionibus

S. Thom. — Sapiẽ. 7. vers. 25. — Sap. 7. vers. 24. — Lect. Gr. — Richar. à S. Laurẽ. — S. Petr. Damia. Nicom. — Dionys. Anton. — S. Ephr. Geo. Nic.

nibus quibus Mariam *chartam purissimam, & chartam diuinissimam* appellabant: itidemque verbis quibus Titus Bostrensis de Virgine dicebat *Tabula sum, quamuis scripturam Dei excipere idonea.*

III. Quò appositè per allegoriam siue per arcanum vaticinij referas Prophetæ Helisæi factum, amaras aquas vrbis Iericho iniecto sale sanantis: sic namque lib. 4. Regũ cap. 2. vers. 19. *Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Elisæum. Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait. Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illũ sal, & ait. Hæc dicit Dominus. Sanaui aquas has, & nõ erit vltra in eis mors, neque sterilitas: sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc:* Vbi videre mihi videor cum S. Isidoro Dominicæ Incarnationis accommodatum symbolum, dum Diuinæ Sapientiæ sale aquæ huius mundi hoc est populi multi (nam Apocalyps. 17. vers. 15. dicitur. *Aquæ populi sunt, & gentes & linguæ*) sanatæ hòc est a prauis, atque corruptis moribus hominum animi mundati sunt: sic namque Isidorus apud Glossam, *Sal, id est sapiẽtia in vase fictili, id est corpore humano posita aquas sanat, id est populos dulcedine dilectionis, & bonorum operũ per Christi Incarnationem fecundat:* ita ille: At enim verò *vas illud nouũ*, quod primum ab Elisæo ante sal fuit expertum; maiori obseruatione dignum videtur: Quid enim vase, & illo quidem, quod nouum esset, opus fuit ad salis in aquas immissionem? Dixerim, de industria vatem nouũ vas ab omni contagione purũ, prius expetiisse, in quo opportunè sal sapiẽtiæ iniceretur: vt argumento esset Dei Verbum, atquè Sapientiam in charta purissima Mariæ, quam nulla omninò labes contaminasset, forè scribẽdum: pulchrè hũc sensum reddente huic arcanæ historiæ Richardo a S. Laurentio lib. 1. *de laudibus Mariæ*, cap. 3. his verbis. *Sal in vase nouo Sapientia Dei in vtero virginali:* ita ille, benè quidem, & opportunè ad Mariæ immunitatẽ *sal in vase nouo*, quasi *id corpore* non *subdito peccato*, vt dicebat sapiens reliquis, scilicèt peccati originalis oppignorato. Nimirùm hic omnino locum habet, quod ille dixit: *Quo semel est imbuta recens seruauit odorem testa diù.* Pergit verò prædicto sermone *de Natiuitate Virginis* Fulbertus, & hanc Filij Dei Redemptionem, siue relatã de diabolo victoriam ad hanc Deiparæ immunitatem, & munditiem, qua sapiẽtiæ Diuinæ habitaculum præparauit, opportunè refert. Nimirùm cum premens Domini verba ad serpentẽ *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, Genes. 3. vers. 15. dixisset. *Ac si interrogetur: in quo serpẽtis caput ipsa contriuerit? Nimirùm in eo, quod virginitatem simul, & humilitatem Deo sacrificauit:* subdit. *Non tamen hoc solo, sed eo quam maximè triũphauit, quod de suâ mũdissimâ carne corporata sapientia vicit vsque quaque malitiam, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Hæc Fulbertus. Obserua illa *de suâ mũdissimâ carne corporata sapiẽtiâ*: vt à sola mundissima Mariæ carne corpus aptum Sapientiæ aptari potuerit, atque ab ea adeò aptum, & opportunum fuit, vt ipsa inuisibilis sapientia, iam corporata, à puritate carnis a Deipara acceptæ robur, & efficaciatem quodam modo acceperit ad hostem debellandum; ac proinde ipsamet virgo ipsum vicisse, & triumphum retulisse videatur.

IV. Sed & hùc signatè facit, ea ratio, cui Angelicus Doctor innixus, Virginitatem in Maria necessariò fuisse prærequisitam affirmauit, vt idonea Verbi Dei Mater existeret: ita enim S. Thomas 3. part. quæst. 28. art. 2. in corpore de perpetua Mariæ incor-

Ricard. à S. Lau.

Horatus Fulbert.

4. *Reg.* 2. 19.

Isidor.

Apoc. 17. 15.

Glossa.

Genes. 3. *vers.* 15.

S. Thom.

ruptio-

ruptione inquit: *Hoc competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solũ in corde absque corruptione cocipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Vndè vt ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei cõueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur:* ita ille: sed enim, vt suis momentis Angelici praeceptoris mentem expendamus: oportet recurrere ad fontem è quo ipse hunc sensum bibisse crediderim, quod in rem nostram vberius fluat: est quidê hic S. Theodotus Ancyræ Episcopus in homilia, siue oratione 1. *de Natiuitate Domini habita in Concilio Ephesino, & in eo lectâ, atquè probatâ:* dùm & æternam, & temporalẽ vnigeniti Dei nationatem explicans imagine verbi nostri, & mente primum concepti, & manu, & litteris post modum conscripti feliciter vsus est: ei enim cum prius dixisset: *Nam & tuum quoque Verbum quædam mentis tuæ proles, &c. at postquam verbum istud, quod mens tua peperit, elementis de litteris volueris exprimere, & in chartâ sermonem efformare, manu litteras describis, non quod tũc sui esse exordium sumat cum per litteras exaratur, iam enim ex mente enatum erat:* Statim instituto, quod persequitur id sic aptat: *Sed agendum similitudinem ipsi prototypo adaptemus. Hic itaque mẽtem cernis, ibi Patrem: hic verbum ex mente productum agnoscis: ibi verbum essentiale, subsistensque ex Patre natum vides, hic manum per litteras verbum parientem conspicaris: ibi Verbum per corpus virgineum generatum.* Hæc Theodotus, qui maioris explicationis gratia, vt inoffenso pede similitudo decurrat subiicit: *Non quod ea suo partu aliquod Diuinitati initium subministrauerit, sed quod Deum inhumanatum humanis aspectibus conspicuum, visibilemque reddiderit.* Ecce tibi Theodotum, & Thomam sibi inuicem cõcinentes, & quò opportune verbũ, & Sapientiam Dei ex Maria Virgine natum explicent, verbi nostri mẽtalis imaginem vsurpantes, dum vterque Mariæ incorruptionem adhibet, *vt ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei:* quod quidẽ cum matre, quæ incorrupta non esset, non benè se gereret, nec aptè ab ea prodire videretur: quippè S. Thomas in verbi mentalis imagine gradum fixit, Theodotus verò aucto cẽsu manus similitudinem, quę verbum iam conceptum scribit, ad vteri virginalis manus explicandum adiungit. Ergo vt hic sensus, quem persequimur, appositè subsistat, vtriusque Patris mente, & imagine fruere, ac duplicem in Maria Virginitatem, duplicemque Verbi Dei conceptionem contemplare: alteram quidem, qua Virgo mente, & animo Deum prius concepit, vt S. Leo serm. 1. *de Natiuitate Domini,* dicebat: *Quæ sacro grauidanda fœtu diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore:* & eodem sensu Prudentius in Apotheosi citatus à S. Ildephonso lib. *de Virginitate Mariæ* inquiens:

S. Theod. *S. Leo.* *Pruden. S. Ildep.*

---- *Florens de Virginitate pudicâ*
Virginitas, & prompta fides Christũ
bibit aluo.
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Alteram, qua Verbum à corpore virgineo homo factus est, ad modum, quo manus per literas verbum parit, sapienter duplicatam hanc Mariæ Virginitatem assignante Damasceno orat. 1. *de Dormitione Mariæ,* hunc in modum. *Inuenit Maria gratiæ abyssum, quæ duplicis Virginitatis nauem incolumem seruauerat animamque non minus, quam corpus incolumem custodierat.* Hinc iam si ea S. Thomæ ratio: *Vt ostẽderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur:* firmiter subsistit,

Damas.

sub-

subsistat etiam firmius hæc à fortiori; necesse est: conueniens fuisse, vt corpus, quod ipsius Verbi Dei corpus erat futurum, de incorrupto etiam Virginis corde, & incorrupto animo qui peccato scilicet originali obnoxius non fuisset, naceretur *alias* (inquit Ioan. Gerson serm. de Conceptione) *non virgo mente si peccato originali corrupta.* Quâ de re rursum Damascenus *lib. 4. de Fide orthodoxa c.* 15. hanc mentis virginitatem gignêdo Dei Filio per necessariam sic adornat: *Cum virgineum vnà cum corpore animum conseruasset, vt eam decebat, quæ Deum in sinu suo exceptura erat: Sanctus enim ipse cum sit in Sanctis requiescit.* Ita ille: Nec minus opportunè Richard. à S. Victore in Ps. 71. qui cum Mariæ puritatem cum eius fœcunditate, & fructu ventris sic composuisset. *O puritas mentis! O fœcunditas ventris! O summa puritas! O singularis fœcunditas!* Alterius cum alterâ necessarium nexum sic exponit. *Quam beatus fructus ventris, tã gloriosa puritas mentis,* ita ille pulchrè & ad rem.

Gerson. *Damas.* *Richar. à S. Vict.*

V. Præterea verò dum Angelicus Doctor Verbum Dei à Mariâ procedês, cum Verbo à corde nostro emanante: Theodotus verò cum manu litteras scribente composuerunt; obserua ex ipsâmet Sapientia Dei; quantum cordis siue mentis integritas; corporis siue manuum puritati præcellat: quippè Iudæis Christi discipulos accusantibus, quod illotis manibus manducarent: ipse illis sic obuiâ iuit: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me: Nõ quod intrat in os coinquinat hominẽ, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinãt hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Matthæi 15. à vers. 8. vsq; ad 20. quibus verbis Dominus manifestè adstruit potius cordis puritatem, quam manuum fore expetẽdâ, quod illa non tantum fuerit externâ integritate corporis excellentior, sed quod ab animi virginitate corporis integritas subsistat; adeò vt illâ stante hæc deperdita non perdatur, & violata illibata persistat, vti impudicum præsidem Sãctissimæ Luciæ minantem: *Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus Sanctus deserat,* ipsa sapiẽter respondit. *Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam:* vt planum fiat, Mariam opportuniorem Verbi Matrem à perpetua animi virginitate, & ab immolati cordis puritate, quam à manuũ siue à corporis integritate exstitisse; vt in ipsa omnino locũ habeat, quod ad præfata Christi de interiori manuum puritate verba dixit Hieronymus lib. 2. in Matthæum: *Manus, id est opera, non corporis vtique, sed animæ lauandæ sunt, vt fiat in illis Verbum Dei,* quod quemadmodum: *Eadem Dei genitrix* (sic Beda nulli non obvius) *& inde quidem beata: quia Verbi Incarnandi ministra facta est tẽporalis, sed inde multo beatior: quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna:* ita etiam, quod virgineum animũ à prima sui Conceptione conseruasset factum est in illa Verbũ Dei: ideſt conueniens in ipsa corpus Verbum Dei conueniens, & ex ea homo factus est; & vt dicebat Fulbertus *de suâ mundissimâ carne corporata Sapientia* apparuit. Quo advoces Richardi à Sancto Victore ea verba in illud Psal. 71. vers. 6. de Dei Filio ex Maria carnem sumente: *Descendet sicut pluuia in vellus;* quę alibi appẽdimus: *Quid est vellus: nisi lana à carne resecta, & à carne sublata? O quale vellus illud virgineum pectus, longe remotum, valde alienum à desideriis carnalibus, & sordidis corporum passionibus! O quale vellus virgineæ mentis*

Matth. 15. vers. 8. *Hyeron.* *Beda.* *Fulbert.* *Richar. à S. Vict. Psal. 71. vers. 6.*

cogitatus! O quale vellus virginei pectoris castè affectus! O quale vellus! virtutũ omniũ ornatus! Hæc ille: vbi dũ signatè audis Deiparã cũ vellere cõponi, quod vt illud lana est à carne resciſſa; nullamq; cum ipsa cõiunctionẽ habens, ita Maria nullã cũ carne Adæ infecta peccato cõmunionẽ habuerit: itidẽ vides Verbum, & Sapiẽtiam Dei in hoc vellus descendisse; atq; ex eo vestem humanę carnis suscepisse, quod nõ minus corde & animo, quam corpore, & carne mundũ esset: immò vero à mentis cogitationibus, à castis affectibus, notanter verò quod à desideriis carnalibus, & sordidis corporum passionibus, quæ peccati originalis reliquiæ, & vestigia sunt esset alienissimum ad carnẽ ex ipsa susciendam fuisse allectum: ita quidem S. Bernardin. to. 2. serm. 51. c. 3. inquit: *Congruebat, vt illa, quæ placuit Altissimo, ita vt fieret illius Sponsa, & Mater Vnigeniti Filij sui, sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne.* Hæc Bernardinus.

S. Bernard.

VI. Ergo vt subsistat ratio S. Thomæ Virginitatem in Maria expoſcentis, vt ex ipsa opportunum corpus formaretur Verbo, & Sapientiæ Dei, minimè fuerit dubitandum potissimũ attendendam animi, & cordis puritatem: vt temporalis Filij Dei ex Virgine generatio adsimilis foret æternæ, qua ipse à Summo Patre ex corde procedit: ipsomet affirmante *Vnigenit⁹ Fili⁹, qui est in sinu Patris*, Ioan. 1. vers. 18. vbi Chrysostom. in Catenâ Græcâ, *in sinu Patris ipsũ esse dixit: quò intelligas in ipso, & ex ipso esse:* quæ ad cordis imaginẽ sic retulit P. Maldonat. *Et quia filius, & quia vnigenitus Dei est, & quia in eius sinu semper requiescit, quasi ex ei⁹ pectore thesauros sapiẽtiæ, & scientiæ depromere:* Dilucidè verò Ansel. lib. de Cõcept. virg. & peccato originali cap. 18. notissimis illis verbis: *Nempè decens erat, vt eâ puritate quâ maior sub Deo nequiuit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum dare disponebat.* Quæ quidem sensa ea Dauidis verba, quæ de temporali Verbi generatione manifestissima sunt Psalm. 44. vers. 1. *Eructauit cor meum Verbum bonum*: pulchrè confirmant: cum plures è PP. ad Summum Parentem; plures ad Mariam, vt Deiparam illa referant, quasi ex ipsa, tanquam ex Corde Dei Filius generatus fuerit, dum non solum corpore, sed etiam spiritu Mater Dei fuit, atquè inde quidem multò beatior, quia in eius animi manibus factum est Verbum Dei, vt dicebat Hieronymus: & eiusdem semper custos manebat æterna. Sed Hesychiũ hæc verba de Deipara explicantem non minimum erit operæ pretium audire: sic ergo ille in Catena Græca in Psalmos, vbi cum dixisset: *Eructauit cor meum Verbum bonum: Dicuntur hæc ex persona Ecclesiæ, quæ Virginem Deiparam cor habuit. Nam quemadmodũ cuiuslibet animantis præcipua pars animæ constituta est: ita etiam virgo Dei, Mater nostrorum omnium, & necessariorum mysterium est pretiosissimum: siquidem in ea tanquam in corde fidelium vita Christus habitauit, cum Deus esset, & Verbum.* Subdit opportunè. *Ideò Verbum bonum appellauit, quoniam cum carne illum Mater pariens eructauit.* Hęc Hesychius: Eructat ergo cor Patris Verbum, eructat etiam cor Matris Verbum; applaudente vtrique expositioni eodem Vate Ps. 18. vers. 2. cum inquit: *Dies diei eructat Verbũ*: à Bernard. vt in superioribus vidimus elegãter ad rẽ nostrã expẽsus in serm. *de Natiuitate Mariæ de Aquæductu* hunc in modũ: *Dies diei eructat Verbũ. Vtique dies Pater: siquidẽ* dies ex die salutare Dei Ps. 95. ver. 2. *An non etiam Dies Virgo, & præclara? Rutilans plane dies, quæ procedit sicut*

Hesych.

Ioan. 1. vers. 18: Chrysost. Mald.

Ansel.

Psal. 44 vers. 1.

Psal. 18 vers. 2. Bernar.

cut Aurora consurgens, &c. ita ille, vt verò hæc Vatis verba cum ista Bernardi expositione ad omnimodā claritatem cuiusuis instantis tenebrarū expertem cōmodius referantur, vt in seqq. videbimus, modò eūdem modum eructandi Verbum in Summo Patre, & in Deipara, in illis appositè considerabimus, vt quemadmodum *Verbum in corde absque corruptione concipitur* (vt dicebat S. Thomas) ita Mariam non solùm ventre, sed mente Christi Matrem; mente etiam, & animo à suæ Conceptionis instanti Virginē fuisse, vt ab illa idoneum, & opportunum esset corpus verbi, tanquam a corde eructatum: Quod planè ipsummet testatum fuisse, sic affirmat Paulus ad Hebræos 10. vers. 5. de Dei Filio inquiens: *Ingrediens in mundum dixit sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi:* Verum de huius loci sensu fusius statim agendum.

S. Tho.

Hebræ. 10. vers. 5.

VII. Modo in hunc sensum inflectimus opportuna Canticorum verba de Maria cap. 7. vers. 5. *Comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus:* pro quibus LXX. reponunt: *Plexus capitis tui, sicut purpura. Rex ligatus in transcursibus:* vbi si ambigas quid comæ sponsæ, & Regiæ purpuræ sit commune? Respōdet appositè P. Martinus del Rio: propter *cæsariem pulcherrimam similem colligaturis filorum sericorum, quæ destinantur paludamento Regio texendo:* Rursum verò si inquiras, quid per comam, siue Cæsariem Virginis? Quid itidem per purpuram Regis significetur? Respondet Guillielmus cæsariem Virginis ad eius mentem fore referēdam: purpuram verò esse carnem Redemptoris: subdit verò: *Caro illa sacrū Verbi indumentum erat, ex quo Verbū Caro factum est, & habitauit in nobis:* vt hinc videas Mariā mente potissimū Matrē Verbi fuisse: cuius interior puritas, cum virginitate cōiūcta ei purpurā carnis ministrauit: verūenim vero illud hoc in loco omnino fuerit obseruandum, quod in libro de optimo Principe lib. 2. adnot. 10. n. 1. ex Cassiodoro lib. 1. variar. epist. 2. adduximus ad purpuræ tincturam purissimā castitatem artificis prærequiri, sic mihi dicente Rege Theodorico: *Quod si cōchyliorum qualitas non mutatur: si torcularis illius vna vindemia est, culpa nimirùm artificis erit, cui se copia nulla subtraxit. In illis autē rubicundis fontibus cum albentes comas sericis doctus moderator intinxerit facere debet corporis mūdissimā castitatē: quia talium rerū secreta refugere dicuntur immunda.* Vt hinc videris, notanter à diuino spiritu in Virgine, non tam manus, quā cæsariē: hoc est nō adeò externam corporis integritatē, quā internum animi candorē, atque puritatē ad purpuram Dei filio tingendam, & contexēdam celebrari, quasi in animæ ipsius manibus actum sit Verbum Dei dum purissima Mariæ caro Diuino Spiritu a primo suæ Cōceptionis instanti erat imbuta. Sed hæc accipe iā à Damasc. orat. 2. *de Natuit. Virg.* meliùs, & opportunius explicāte: sic enim ille de Christi Domini Incarnatione loquitur. *Vestē enim verè diuinitus cōtextā, hoc est carnē nostrā induit, quā ex immaculatis, ac virgineis sāguinib⁹ tinctā, in Spiritu regio modo, tanquā conchyliū efformauit, ac velut Regiā purpurā exhibens, massam nostrā induit.* Hactenus Damasc. Apud quē obserua duo: alterū Domini carnē siue purpurā primū *ex immaculatis* hoc est ab omni labe originali immunibus: subinde *ex virgineis sanguinibus* cōtextā: alterū: de industriā subdidisse Damasc. *tinctā in Spiritu Regio*: vt, quæ corpore Deū genuit, eius Mater ab spiritu regio in ea cōmorante notanter diceretur. Sed & Damascen. sensu, & verbis adstipulatur German. Patriarcha *in Theoriā rerū Ecclesiasticarū* stolæ Pontificis mysticū hunc sensum reddēs. *Deinde etiā ostendente Pōtifice per stolā suā carnis*

Cassiod.

Damasc.

Germ.

Guillel.

P. del Rio.

Chri-

Christi stolam rubram: & sanguineã, quam gestauit immaterialis ille, & Deus vt purpuram tinctam eximmaculato sanguine Deiparæ: ita ille: Tã verò in Germano, quàm in Damasceno, obseruatu est dignum, non dixisse carnem *immaculatam*, quod ad virginitatem corporis referri posset; sed notanter sanguinem immaculatum, quod non nisi de illibata Virginis Conceptione accipi potest. Quo enim alio sensu sanguis dici posset immaculatus? An quod non fuisset à malis humoribus corruptus? Apage.

A

B

MARIA liber Dei calamo Sancti Spiritus conscriptus, ac proinde ab omni nœuo originario immunis.

C

ADNOTATIO III.

I. NEC minùs opportunè (si bene æstimas) ab ipso calamo, quo nouus hic, & diuinus Mariæ liber conscriptus est, purissima ipsius nouitas, & nouissima puritas ab omni originali labe alienissima euincitur. Quare duos, eosq; diuersissimos calamos in sacris litteris obserua alterũ, quo primus homo filios suos, quos Deus primã ad cœlestẽ patriam, & felicitatẽ euocauerat, ipse sua transgressione à diuina conuersatione exules velut calamo in terra cõscripsit dicente Vate: *Recedentes à te in terrâ scribẽtur*: Ierem. 17. vers. 13. quæ verba sic effert Hieron. in cõmentario: *Scribẽtur in terra deleti de libro viuentiũ: sicut enim qui potest cũ Apostolo dicere.* Noster autẽ municipatus in cœlo est: ad Philip. 3. vers. 20. *In cœlestibus scribitur: sic qui de relinquit Dominũ, vel declinat ab eo, scribetur in terrâ cũ iis, qui terrena saptunt.* Hęc Hieronym. alterũ vero, quo è contra Deus res sibi maximè charas scribere cõsuevit, vt apud Exodũ diuina lex digito Dei conscripta dicitur: *Dedit Dominus Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Exod. 31. vers. 18. & apud Luc. cap. 10. vers. 20. discipulos suos Dominus gaudere iussit, quod nomina ipsorũ in cœlis essent scripta: *Gaudete autẽ, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*: His sic constitutis, vt de primo calamo ad secũdũ opportunè veniamus. Illum Adæ calamũ posteros suos in terra scribentẽ, & æternæ infelicitati addicentẽ in chirographo decreti à Dei Filio in cruce delecto, omninò recognosce, sic enim Paul. Coloss. 2. vers. 24. *Delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*: Et verò etsi iam in superioribus hæc verba fusius elucidauerimus, non possumus nò in præsenti, ea quę è re sunt calami huius, quẽ persequimur, inde resumere. Ergo obserua chirographi locutionẽ: syngrapham scilicet manu debitoris conscriptam: vt dè chirographario debitore apud Iure Cõsultum *in l. sicut certè, §. atẽ deniq; D. cõmodati*: dicitur: *Si tibi meũ codicẽ cõmodauero, & in eo debitorẽ tuũ chirographariũ ea vera iusseris*, vt nimirùm eo dicẽdi modo significauerit Apostolus; signatè manu Adæ nos fuisse in terra cõscriptos: ita id inibi adnotante Anselmo. *Chirographum, id est manuscriptũ erat perpetratio præuaricationis Adæ, quod erat aduersus nos, & aduersabatur saluti nostræ.*

D

E

II. Nec verò hic fisto, sed pergo, & non tantum Adæ manum scribentẽ, sed etiam calamum ipsum agnosco in arundine, quam Christo Domino in passione milites in manu sua imposuerunt dicente Matthæo cap. 29. vers. 26. *Et milites plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dexterà eius,*

Exod. 31 vers. 18. Luc. 10. vers. 20.

Coloss. 2. vers. 24.

L. sicut certè, D. commodati,

Anselm.

Matth. 27. vers. 29.

Ierem. 17. vers. 13. Hieron.

1 Philipp. 3. ver. 20.

Euſeb. & obſeruante ad ea verba Euſebio Lugdunenſi homil. *in Dominica Palmarum*: Iudæorum calamum, arundinem eſſe: *Iudæi* (inquit) *cum arundine ſcribere conſueuerunt*: à quo dicēdi modo, nec Latini abeunt, vt apud Angelum Politianum latiſsimè ſcribentem videris: *Repete, inquit, a rundine carmen*: atquè hunc ſenſum huic arundini egregiè reddente magno Athanaſio in ſermone *de Paſſione, & Cruce Domini*, vbi cum dixiſſet: *Cum chirographum nactus inimicus noſter omues inuaderet, & tyrannidem in omnes exerceret, vt in ſubiectos ſibi, eâ de cauſſâ cum eum Dominus omnibus ſpoliaſſet, calamum etiā accepit, vt victoriam oſtentaret*: ſubiicit: *Geſtabat ergo chirographum in calamo, quo inſtrumento iam olim nos diabolus æri ſuo, rationibuſque, conſcriptos habebat, vt vnà cum morte etiam iſta demoliretur*: Hæc & alia in hanc rem Athanaſius ibi. Vbi omninò vides calamum quo noſtra nomina in terrà erant conſcripta procul ab illa cœleſti patria, cui primitus a Deo facti fueramus. Nè verò in manu Adę læthali arundine ſiue calamo conſcribente atramētum deſideres, accipe illud à Petro Bleſenſi opportunè expreſſum ſerm. 26. hunc in modum. *Concupiſcentia oculorū, quaſi atramentū ſcriptoris fert ſecū plenū vanitatibus: quia quotquot vanitatibus hominem afficit, tot maculis denigrātibus eum inficit*. Sic ille.

Angel. Polit.

Athan.

Petr. Bl.

III. Ecce tibi iam quomodo primus parens læthali calamo nos à cœleſtibus abductos in terra conſcripſerit, dum originaria labe humanum genus infecit, & morti mancipiauit, vt perinde ſit hominem concipi, & in albo viuentium conſcribi, atquè ab Adæ calamo diaboli æri, atquè rationibus conſcriptum iri: hac planè de cauſſa non ſine eiulatu dicente Iob cap. 3. verſ. 3. *Pereat dies, in quâ natus ſum, & nox in quâ dictum eſt: conceptus eſt homo*: Quę verba antiquiſsimus Auctor Seuerianus adductus ibi in Catena Græca, quam Noſter Paulus Comitolus latinitate donauit ſic opportunè elucidauit. *Peccati diem Iobus exoptat extingui, quo ſe ſcelere obligauit Adamus: Totius enim humanæ naturæ perſonā ſuſcipit, dicitque, dies pereat, quo à virtute ad ſcelus homo migrauit, atque ad ærumnas, & interitū ruit, munere immortalitatis amiſſo*: Hæc ille, quæ ſtatim plusplus explicat, & firmat ſubiiciens. *Nā ſi hæc interpretatio probabilis non eſt: cur nō dixit. Pereat dies, in quâ creatus ſum*; ſed pereat dies, in qua natus ſum: *Nēpè, vt oſtenderet, tum nobis generatione opus fuiſſe, cùm ob parentalem labem orbem terrarum mors eſt ingreſſa: ita cum Dauid peccatum deploraret, ad antiquum flagitium refert orationem*. Ecce enim in iniquitatibus cō ceptus ſum (*inquit*) & in peccatis cōcepit me mater mea. *Debilitata enim eſt lubrica natura*. Hæc ille pulchrè diſtinguens inter diem primæ creationis: & diē natiuitatis ab Adamo in illo quippè Deus nō ſolùm inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ & factus eſt in animam viuentē, ſed etiam fecit illum rectum ad imaginē & ſimilitudinem ſuā, in iſto verò dū ſuo ſe ſcelere Adamus obligauit ob parentalem labem etiā mors eſt ingreſſa in orbem terrarum: vt proinde noua generatione ſit opus. Quod quidē poſt Dauidis verba a Seuerianno adducta: ipſe vates omninò confirmat ſubiiciens. *Cor mundū crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*; vt per Dei gratiā primæuæ creationis ſtatum, cū *creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis* (vt inquit Paulus ad Epheſ. 4. ver. 24,) obnixe denuo recipiat.

Seueria.

Pſal. 50, verſ. 7.

Epheſ. 4. verſ. 24.

IV. Vidiſti (opinor) Adæ calamū quò poſteros ſuos in terra cōſcripſit. Vide iam Mariam, vt à chirographo decreti alienam (quod iā vidimus) ita nihil commune cum hac læthali arundine ſiue calamo habentē, quæ

Iob 3. v. 3.

Dei

Dei stylo: & digito Dei viui: hoc est ipsiusmet Sancti Spiritus calamo in sui Cõceptione scripta fuit, cum de ipsa quęrita, & opportunâ locutione dixerit Sapiẽs: *ipse creauit illã in Spiritu Sãcto.* Eccl. 1. v. 9. hęc verba de Deipara accipientibus Bonau. Bernardin. Richard. de S. Laurẽt. & cũctis Mariæ laudatoribus: vt sæpiꝰ vidimus: iã verò in illis obserua primũ accuratum dicendi modũ: *ipse creauit illã,* iuxta discrimen, quod nuper inueniebat Seuerianꝰ inter diẽ creationis, & diẽ natiuitatis ab Adamo dum notanter dixit Iob: *Pereat dies in quâ natus sũ*: nõ vero in quâ creatus sum, vti de Maria dicitur, cui parentalis labes nihil obfuit; quo minus pura, & intaminata cõciperetur secundum hominẽ, qui creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Pulchrè ergo inquit de ea Sapiens: ipse creauit illã: vt Maria, quã lõgissimè abiret ab hîc voce qua totius humanæ naturæ personam suscipiens dixit Iob. *Pereat dies in quâ natus sum*: cui secunda generatione, siue regeneratione opus nõ fuit: Deinde verò prę ter verbũ *creandi* de industriâ pro Mariæ immunitate positum pẽde, & osculare egregiã, & diuinam locutionẽ, qua Maria creata dicitur in *Spiritu Sancto*: nẽpè id omninò tinniunt hæc verba *ipse creauit illã in Spiritu Sancto*, ac ista, ipse in eius Cõceptione scripsit illam calamo Spiritus Sancti in municipatu cæleſti: iuxta modum loquẽdi Pauli ad Philipp. 3. ver. 20. *Nostra autẽ conuersatio in cœlis est*: pro quibus verbis Tertull. lib. *de coronâ militis*: & ab eo Hieron. initio huius adnotat. adductus reponunt: *Noster autẽ municipatus in cœlis est*: vt quemadmodum omne genus humanũ ab Adamo cõscribitur in terrâ: ita Maria ingrediẽs in mundum à Deo Spiritus Sancti calamo scribatur in cœlis; tanquã cœlestis municeps à terreno cõtagio, & vniuersali peccati, & dæmonis vectigali immunis. Nè vero hæc cogitatio prohibito videatur composita damus tibi bonos pro illa fideiussores: quippè Damasc. orat. 1. *de Nativit. Virgin.* de ipsâ mundum ingrediente sic ait: *Hodiernâ die is, qui omnia effecit, librũ nouũ condidit Dei linguâ à Spiritu, tãguã calamo quodã in ipso scribẽdã.* Quid opportunius? Quid prohâc re illustrius. Nec alitèr quidẽ Andr. Hierosol. orat. *de Assumpt. Virgin.* signatè ipsam appellãs *librũ verè viuũ viuifico calamo spiritus inscriptũ*: A quò non abit Hymnus Græc. apud Buteon. pag. 124. vbi Maria canitur *liber animatus Spiritu Sãcto sigillatꝰ.*

Ecclesi. 1 vers. 9.

Philipp. vers. 20. Tertull. Hieron.

Damas.

Andr. Hieros.

Hymn. Græc.

B Nec omiserim in præfatâ locutione: *creauit illã in Spiritu Sancto*: expendere propositionem illam *in* quæ in Scriptura instrumenti vim, & vicẽ habet: sic Psal. 43. verſ. 7. *Non enim in arcu meo sperabo*: & Psal. 73. vers. 6. *in securi, & asciâ deiecerũt eã*: & ad Philipp. 1. vers. 9. *Vt charitas vestra magis abundet in scientia, & in omni sensu*: ad quæ verba nos in cõmentariis plenius obseruauimus: vt hinc miram habeat epitasim, Mariã Spiritu Sancto, tanquam instrumento creatam dici: vt sensus fuerit, non in Adã siue ab Adam cõscriptã, vel in Adã factam, sed in Spiritu Sancto creatam, hoc est immaculatè, sanctè & in gratia cõceptam. Nam cur Spiritus Sancti, non verò alterius è diuinis personis in Mariæ creatione signate mẽtio fiat? Nisi hac omninò de causa. Audi (rogo) Rupert. lib. 1. *de gloria, & honore Filij hominis*: hæc penè de re sic differẽtẽ: *Quærat aliquis: cũ & Pater, Spiritus, & Filius Spiritus: & Pater sanctus, & Filius sãctus sit; quã obcausã vocabulũ hoc, quo est Spiritus Sãctus propriũ adscribitur personæ huic? Et sola hæc persona sic vocari debuit? Ad hæc, inquã: Nimirũ, quia tota personæ huiꝰ operatio nõ aliud, nisi sanctificatio est*: & statim luculẽtius. *Hæc operationũ distinctio diligẽter animaduertẽda est, quia*

V.

Psal. 43. vers. 7. Psal. 73. vers. 6.

Rupert.

Deus omne, quod factum est, per Filiũ fecit, & omne quod sanctũ est per Spiritum Sanctum sanctificauit. Quid enim est spiritus eius, nisi Amor eius: Hæc Rupert. quę nostræ cogitationi apposite aptaueris, vt ex illis dilucide habeas Mariam in Spiritu Sancto creatam perinde omninò esse ac Sãctam, & immaculatam fuisse conceptam: quia *tota personæ huius operatio sanctificatio est:* ideòque notanter dici *in Spiritu Sancto* creatã, vt non simplicitèr, & vtcumque formata quemadmodum *Deus omne quod factum est, per Filium fecit,* sed sanctè, & immaculatè Cõcepta perhibeatur, quia Deus *omne quod sanctum est per Spiritum Sanctum sanctificauit.*

VI. Iam verò optimo merito creata *in Spirita Sãcto* Maria dicitur: *Quid enim est Spiritus eius, nisi Amor eius?* Nimirùm vt cæteri omnes in iniquitatibus cõcepti *filij iræ*, & odio digni nascimur: ita ipsa immaculatè cõcipitur, quòd in Spiritu Sancto creata diuini Amoris proles, eaquè germana sit: vti in superioribus adductus Ioannes Gerson 4. part. serm. *de Mariæ Conceptione* dicebat: *Apparuit adeò pulchra, adeò munda, & pura quod verus Deus Sancti Amoris mox incensus fuit amore suo, & imagine suâ.* Quare dum Deipara signatè dicitur creata cum allusione ad primam hominis creationem: obserua, notãter dixisse Tertullianũ *lib. 1. de Resurrectione carnis* cap. 6. Deũ primi hominis, quem iustitia originali prędituin *in iustitiâ, & sanctitate veritate* creauit, structuram moliẽtem, prima tanti operis lineamenta, non tam artis manu, quam affectione ipsa ductasse: sic ille. *Recogita totũ illi Deũ occupatũ, ac deditum manu sensu, opere, sapientia, consilio, prouidẽtia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamẽta ductabat,* Hæc ille nõ tãtũ eleganter, sed etiam sapienter, & opportunè. Verũ ad illa non ingratiis ambigis: cur in hac hominis fabrica adornandà vbi manus, sensus, opera consiliũ, sapientia, & prouidẽtia Dei intercedebant, opus fuit, adfectionẽ accedere, vt ipsa ductaret lineamẽta: cũ in re artis satis superq; sint manus, sensus, & sapientia artificis, quin eius affectio siue bona voluntas ad opus apprimè perficiẽdũ soleat cõducere? Sed ad manum est expedita solutio, peculiarẽ quidẽ in hominis formatione rationem; ac in aliarum creaturarũ opificio adfuisse: quod ipse solum modo a Deo præ cæteris creaturis ad eius imaginem, & similitudinem *in Spiritu Sancto*, hoc est in iustitia, & sanctitate veritatis creãdus esset: eaque de caussa, vt hæc iustitia originalis, & diuina similitudo exprimeretur, opportunè adfectionis diuinæ lineamenta ductantis mẽtionẽ facere, operæ pretiũ fuit. Hinc ergo collige, quam appositè dicatur Mariã in Spiritu Sãcto creatã siue cõceptã, vt perinde id fuerit, atq; in ipsius cõceptione adfuisse totũ illi Deũ occupatũ, non tantũ manu, sensu, opere, sapientia, consilio, & prouidẽtia, sed etiam *ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat.* Quo etiam opportunè retulit Nicolaus de Lyra modũ illũ dicendi, quo Angelus Mariæ suggessit: *Spiritus Sanctus superueniet in te:* Luc. 1. vers. 35. vt phrasi *superuenientio innuaturiã pridẽ* Spiritum Sanctũ Mariæ in Cõceptione adfuisse siue in ipsam venisse *Bene dixit* (inquit ille) *superueniet in te, quia priùs venerat Spiritus Sãctus super Virginẽ adhuc in vtero existentẽ ab originali præseruando, vt cõmuniter dicitur:* Sic ille. Sed illud in huius cogitationis confirmationem fuerit peropportunum, quod ipsamet sanctissima virgo B. Birgittę dixit apud ipsam lib. 1. *Reuelationum* c. 9. etenim cum præmisisset. *Ego volo tibi dicere, quã dulciter Filius meus dilexit corpus meũ, & quã dulciter animam meã. Ipse coniugiũ patris mei, & ma-*

Gerson.

Lyra.

tris

tris meæ tãtâ castitate cõiũxit, vt tũc nõ inueniretur castius cõiugiũ, & nũ quã cõuenire vellent, nisi iuxta legẽ solũ modo causſâ suscitandi prolẽ: & cum sibi nũciatum esſet ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluiſſent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat: Sic subinde subiungit. *Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuinâ & ex Verbo Angeli nunciãtis conuenerunt carne, & non ex concupiſcentia aliquâ voluptatis, ſed contra voluntatem ſuam ex diuinâ dilectione, & ſic ex ſemine eorum per diuinã charitatem caro mea compaginata eſt.* Hæc omnia B. Virgo Sanctæ Brigittæ dixiſſe fertur, quæ ſi velis perſtringere dixeris, Mariam à Deo in Spiritu Sancto creatam fuiſſe. Quid namque fuerit ipſam non ſemel modo, ſed ter diuinæ charitatis ad ſui formationem meminiſſe dum primũ inquit, *ex charitate diuinâ, & ex verbo Angeli*, deinde, *ex diuinâ dilectione*, & tandem, *per diuinam dilectionem caro mea compaginata eſt.* Quibus omnino concinunt hæc Fulberti Carnotenſis ſerm. 3. *in ortu almæ Virginis* verba. *Denique in huius Conceptione haud dubiũ eſt, quin vtrumque parentem viuificus, & ardens Spiritus ſingulari munere repleuerit, quodque ab eis Sanctorum Angelorum cuſtodia, ſeu viſitatio nunquam abfuerit:* Hæc Fulbertus: Illa vero opportuniſsima videntur, quæ S. Damaſcenus Orat. *de Natiuitate Virginis*, tam præfata ſenſa, quã locutionem ipſam firmans de Deiparæ Conceptione ſic inquit: *Forte illud excelſi brachiũ obtuſum naturæ ligonem Spiritu Sancto tanquam digito ſuo exaeuens viuam ſalam ſibi ipſi condidit.* Ita ille: quæ quod alibi à nobis ſint appicta modo non expendimus.

B. Birg. A

Fulber. C

Damaſ. D

VII. Quo rurſum aduoco, Mariam à Paulo, *tabernaculum non manufactum, ideſt non huius creationis*, appellari ad Hebræos 9. verſ. 11. cum inquit: Chriſtus aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt non huius creationis hæc verba ad Deiparam omnino referente S. Dionyſio Alexandrino in epiſt. *contra Paulum Samoſatenum*, Vt alibi vidimus, & ex profeſſo tractauimus: Ex ijs vero, quæ inibi attulimus modo ſolum reſumere eſt animus tum translationem Syriacã, quæ pro *non huius creationis*, reponit: *Nec ex hiſce creaturis*: Vt inde Deipara à cęteris creaturis, & ab earũ ſerie, & generali lege ſecernatur, atq; diſcriminetur, quaſi non ad hũc generationis modum quo *filij iræ mortales*, cõcipiuntur, ſed ad illũ peculiarẽ, quo *ipſe* (Dominus) *creauit illã in Spiritu Sãcto*, omnino pertineat: tũ etiã ea Dioniſij verba, quib⁹ hoc Maria tabernaculum non *ex hiſce creaturis*, ſed ab Spiritu Sancto conſtructum, ſic affirmabat: *Neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, ſed Spiritu Sancto firmatũ eſt, & virtute Altiſsimi protegitur illud ſemper laudatiſsimum Dei tabernaculum Maria Deipara, & Virgo:* In illis ſignatè premens in hunc ſenſum quem perſequimur Deiparæ, *tabernaculum non ab hominibus fabricatum*, dici. Quare? Num quod parentes in terrâ non habuerit, ſiue Angelicis fuerit manibus cõſtructum? Minimè quidem, ſed quod in Spiritu Sancto illam creauerit omnium Artifex: eiuſque caro, etſi humana, & humano modo concepta, per diuinam charitatem compaginata fuerit. Vndè rurſus eadem ſanctiſsima Virgo B. Brigittæ (vt apud ipſam habetur lib. 6. *Reuelationum* c. 55.) ſic ſuggeſsit *Quãdò Pater meus, & mater mea matrimonialiter cõuenerunt, plus fecit hoc Obedientia, quam voluptas, & plus ibi operata eſt charitas diuina, quam voluptas*

E

Hebr. 9. verſ. 11.

Dioniſ. Alex.

Lect. Syriac.

B. Birg.

car-

carnis. Nam hora, in qua ego concepta sum, benè potest vocari aurea hora & pretiosa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei autem parentes conuenerunt ex obediẽtiâ, & præcepto Dei. Hęc Deipara, ibi: Obserua illa: *Plus ibi operata est charitas diuina, quam voluptas carnis,* quę mire firmant præfatam cogitationem præsertim si illis adiungas illa Ruperti. *Quid enim est Spiritus eius, nisi Amor eius, & quomodo quæcumque creatura rationalis aliter, nisi amando Creatorem potuit vnquam, vel potest Sanctificari?* Ex quibus argumentatione a posteriori (vt aiunt) ductâ videris, Deum Mariam ab omni originaria labe immunem esse voluisse cum attentius prouidit, vt ex charitate diuina, & infuso in parentes Virginis diuino Amore Mariæ caro aurea hora, & pretiosa compaginata fuerit. Vnde ex prędictis tanquam ex præmissis optimè dispositis egregiam hanc conclusionem sic legitimè intulit Sanctissima Deipara eodem lib. 6. cap. 49. *Et ideo Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato:* Ita Maria. Credimus: Credimus: Assentimur, & plaudimus; Sed & hunc Diuini Spiritus incẽdio, à quo aurea hora processit meritò aptaueris, quod de auro igne examinato, & decocto dixit eleganter Casiodorus lib. 9. variar. epist. 2. *Origo quidem nobilis, sed deflamma suscipit vim coloris, vt magis credas inde nasci, cuius similitudine videtur ornari,* quasi Mariæ conceptio potius a Diuino Spiritu, quam à suis parentibus originem duxisse videatur.

B. Brig.

Rupert.

Casiodor

VIII

Verum enim vero, vt pro Mariæ immunitate præfatis verbis: *Ipse creauit illam in Spiritu Sancto,* suum põdus, & opportunum momentum reddatur: fuerit operæ pretium cum illis componere illa quibus Regius Vates Psalm. 103. vers. 24. omnium creaturarum molitionem à Deo factam generali oratione expressit dicens: *Omnia in sapientiâ fecisti:* Vt dixerit: nihil esse in Dei operibus, quod non fuerit ad perfectissimæ rationis numeros elaboratum: Sapientia manus opificis adgubernante, vt omnibus creaturis secundum debitum naturæ cursum, & iuxta proprium singularum meritum, peculiarem locum sedem, & statum distribuerit: Quod quidem à parente mutuatus videtur Salomon Prouerb. 8. vers. 30. cum sub ipsiusmet Sapientiæ persona de rerum omnium molitione dixit: *Cum eo eram cuncta cõponens;* quę LXX. sic efferunt: *eram penes ipsum disponens* (siue, vt Tertullian. lib. 2. *contr. Marcien.* cap. 1.) *modulans omnia,* & verò iuxta Hebræam vocem *aman,* quæ significat dispensatorem œconomum, siue dispensatorem agere, iam vero hoc munus, si benè rem æstimas, ad voluntatem non attendit, immo ab ea quodammodo sibi cauet, sed Sapientiam, intellectum, ius & iustitiã respicit, opportunè dicente Paulo: 1. ad Corint. 4. vers. 2. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis, quis inueniatur:* Vnde scitè ea verba sic expressit præfato loco Tertullian. *Bonitas operata est mundũ, iustitia modulata est: iustitiæ opus est, quod inter lucem, & tenebras separatio pronunciata est, inter diem, & noctem, inter cœlum, & terram: inter aquam superiorem, & inferiorem.* Vt nihil ad creaturarum omniũ firmitatem, & conseruationem adeo vtilius, siue necessarium fuerit, quam suum singulis locum, & gradum, pro cuiusque natura, & conditione assignare, quin ordo, & series rerum interuertatur vti huc aspiciens inibi vers. 24. innuit idem Salomon cum dixit: *Adhuc terram non fecerat: & flumina, & cardines orbis terræ:* Fluminum cursui qui summe labilis est, cardines terrę quibus nihil for-

Ps. 103. vers. 24.

A

B

C

D

E

Prob. 8. vers. 30.

LXX. Tertull.

Lect. He

tius,

tius,& adamantius valet excogitari notanter adiungens,vt(quemadmodum è ſuggeſto non nullos gubernatores pro libito nouantes, & aſſuetum rerum curſum inuertentes ſolitus ſum monere)illud in gubernatione,& negotiorum expeditione ſolidius,illud firmius ſit,quod naturalem rerum ordinem ſeruat,&vt lut flumina, quæ decurrunt in præceps in procliuem,& antiquitus diſpoſitum ſtatum impetu, & curſu ſuo vadit,quin conari contra ictum fluuij,ſiue illum cohibere aut recurrere retroque properare velimus: Ex quibus iam dilucide vides,quam accuratè Sapiens Mariam in Spiritu Sancto creatam aſſerens, ipſius formationem à cæterarum creaturarũ molitione diſcernat,cum illam præter communem rerum curſum, præter preſcriptum naturæ ordinem, præter generalem diſpenſationem, ſiue œconomiam,&præter ſolemnẽ legum diſpoſitionem creatã dicat: Nimirum qui Dauidem dicentem audiuit:*Omnia in Sapientiâ feciſti:* Ipſe vt Mariam à communi curſu, & lege vindicaret notantiſsime affirmauit: *Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto:* Vt quemadmodum cœteræ creaturæ,à Sapientia,quæ iuſtitiâ in conſilium adhibita præſcriptum ordinem ſeruat,quin à communi lege deflectat,atque ideo à voluntate ſibi cauet,conditæ ſunt: Ita Maria à Deo,Spiritum Sanctum,qui eius charitas,bonitas,benignitas,&bona voluntas eſt,ductorem, & lineamenta ductantem habẽte creata eſt, atque idcirco dum Sapientia cunctas creaturas iuxta naturæ normam operata eſt: Diuinus Spiritus Mariam ſupra naturam,ſiue naturæ leges,&ordinem eleuauit: nam Sapientia ad leges artis cuncta diſponente, Diuinus Spiritus communes legum nodos prætermiſit: quippe *Diuinus amor*(vt inquit Theodoretus dialogo 20.*Satietatis legum neſcius eſt:* *Theodor*

A

B

C

D

E

itidemque Sapientia in creaturarũ diſpoſitione quaſi iuſtitiæ vinculis, & fræno ſeſe cohibente Diuinus Spiritus Mariam formans tàm naturæ ordinem,quàm legis in Adam latæ fræna,& vincula diſrupit: nam *Amor*(vt in *Thetraſticis*, inquit Gregor.Nazianz.)*Cupido eſt fræni impatiens:* Nec non Sapientia cum iuſtitia cuncta modulante,&metas ſibi ponente Diuinus Spiritus in Maria ornandà,& gratijs omnibus locupleãda modum omnem contempſit:Scitè enim dixit Gillebertus ſerm.19.in Canticor.*Amor exæſtuat ſe ipſum non capit: ſuperfluit ſibi:immenſitatem æmulatur, dum metas neſcit affectui imponere:* Ita ille,& quidem rectè: nam *Spiritus,vbi vult,ſpirat*:Ioan.3.verſ.8. *Gilliber.* *Ioann.3 verſ.8.*

Enim vero,vt hæc cogitatio vndique ſubſiſtat fideiuſſorem damus ipſum Dei Filium arcana locutione apud Dauidem Pſal.29.verſ.8.(qui omnino de Chriſto eſt) Summum Patrem tam pro ſe ipſo decore, atque decenter ex Maria nato, quam pro ipſamet Deiparà in Spiritu Sancto creata, ita collaudantem,& gratias, ei agentem:*Domine in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutẽ:* Sed obſerua primum pro vocibus, *decori meo:* rectiſsimè verti à Symmaco *Progenitori meo:* quam quidẽ verſionem ſic laudauit Agellius: *Symmachus verò propriam interpretationis viã ingreſſus reddidit:* Progenitori meo,*nomine ab* hara, *hoc eſt à concipiendo deducto, vt etiam deductum legimus à B. Hieronymo: Geneſ.49.in benedictione Ioſeph:* Vbi ſi vim vocis à concipiendo deductæ perpendis facile videris illud, *Progenitori meo:* ad fœmeninum ſexum fore referendum, ac proinde omnino ad Deiparam ſpectare: atque eam à Dei Filio decorem ſuum vocari,vt dum illã pariterhonoret, & ab illa ipſe honoretur, quidquid labis,aut ignominiæ eſt,ab eàvnde- *Pſal.29 verſ.8.* *Symma. Agel.* *Hierony*

IX.

quaque

quaque depellatur, quid enim inde decorum cum decore ipso coniungi valeat? Quid quod hisce met verbis exprimitur Mariam in Conceptione sua non solum decore sed etiã constanter, & firmiter stetisse, quin vllo modo aut laberetur, aut nutaret? Nimirum eademmet Hebræa vox, quæ in vulgata *decori*, respondet, à Hieronymo, & ab Aquila, & à Quinta editione, nec nõ ab Hebræis translatoribus legitur *Monti meo*, tum propria omnino Mariæ imagine, quæ & propter meritorum celsitudinem *mons* dicitur apud Isaiam, cap. 2. ver. 2. *Super omnes colles eleuatus*, vt explicat Gregorius Mag lib. 1. in lib. primum Reguminquiẽs: *An non mons sublimis Maria, quæ vt Conceptionem Verbi æterni pertingeret meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit?* Et apud Vatem Psalm. 47. ver. 2. *Mons pulcher clivate*, vt alibi vidimus: & signatè quia ab ipsa Dei Filius homo factus est: vt apud Danielem cap. 2. ver. 34 Christus prænunciatur de *Monte sine manibus abscissus*: Tum vel maximê, vt Mariæ immunitas a lapsu designetur: Vnde signatè Hieronymus legit: *statuisti monti meo fortitudinem*: hoc est, vt Hieronymum exponit Agellius. *Monti meo ne laberetur, aut nutaret, fortitudinẽ addidisti*: Pulchrè omnino, dilucide, & opportunè: *Ne laberetur aut nutaret*: indita digiti Dei, qui est Spiritus Sanctus, virtute, & fortitudine. Quare notanter addit Vates: *in voluntate tuâ*: ne vero voluntatem hanc ad generalem voluntatem, & beneplacitum retuleris, Hebræa vox propriè significat, *bonam voluntatem* (vt hic legit Psalterium Romanum) *amicabilem, spontaneam, atque munificã*, quæ peculiariter Diuino Spiritu tribuitur, vt perinde fuerit, in voluntate Dei inditam Mariæ fortitudinem, atque ipsam in Spiritu Sancto fuisse

Aquil. A

Isaiæ 2. vers. 2. Gr. Ma B

Psal. 47 vers. 2. Danie 2 vers. 34. C

Hierony Agell. D

Psalter. Roman. E

creatam

Neque illud denique in his locis de Mariæ in sui formatione cum cæteris creaturis collatione dum hæc *in Sapientia* facta dicuntur, illa vero signatè *in Spiritu Sancto*, creata perhibetur, fuerit prętermitendum quod ad ea Psalmi 103. verba scitè adnotauit P. Lorinus hunc in modũ. *In Sapientiâ facere, est facere sapiẽter non autem indere rebus, quæ fiunt sapientiam, vt & cum dicuntur omnia opera Dei in fide* (Psalm. 32. ver. 4.) *Non significatur, inesse operibus fidem*: Hæc ille: Quod plane in præfata locutione de Maria *in Spiritu Sancto*, creata locum non habet pulchro, & appositio discrimine inter vtranque locutionem intercedente: Etenim, vt in Sapientiâ facere non est, sapientiam indere ijs rebus, quæ fiunt, ita in Spiritu Sancto creare, non tantum denotat sanctè ex parte creantis facere, sed etiam sanctitatem rei creatæ indere. *Quid enim est Spiritus eius* (vt dicebat Rupertus) *nisi Amor eius?* aut quo modo ipse Diuinus Spiritus operatur nisi se ipsum cõmunicando: Sic ipsum à duabus alijs Sanctissimis personis in modo operãdi discriminãte Paulo 2. ad Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & cõmunicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis*: Vt videlicet Diuino Spiritui communicatio, & larga donorum effusio bonitati, seu bonæ voluntati, quæ sui diffusiua est, signatè approprietur, quasi eo in cardine Spiritus Sancti munus versetur, vt Sanctitatem sui cõmunicatione impertiatur dicente Paulo ad Roman. 5. vers. 5. Charitas Dei diffusa est, in cordibus nostris per Spiritũ Sanctum, qui datus est nobis: Quo itidẽ referas Diuinum Spiritum, *Donum Dei*, ab Ecclesia appellari. Vt vel hinc planum fiat, Mariam in Spiritu Sancto, siue in bona voluntate creari, perinde fuisse, ac Spiritum Sanctũ,

X

2. ad Cor 13. v. 13

Rom. 5. vers. 5.

ſeu Donum Dei, in prima ſui Conceptione accepiſſe, à quo omnimoda puritas, & Sanctitas ſubſiſteret, & qualiſcumque originaria labes quã longiſsimè abiret.

MARIAM, vt Dei liber, & ſpeculum in quo Deus faciem ſuam intuetur neceſſaria ratione ab omni omnino originaria labe immunem eſſe.

ADNOTATIO IV.

I *Iſaiæ 8. verſ. 1.* ILlud etiam, ſi ſapis, pro Mariæ ab omni labe immunitate in hâc libri Dei imagine ſignatè facit, quod ab Iſaiâ æque ſpeculum, ac liber Maria appelletur. Plane in his verbis: *Sume tibi librum grandem*, (vt iam dudum lib. 1. de *Maria forma Dei*, ex Hebræo adſtruximus) vox Hebræa, quæ reſpondet Latinæ *librum*, propriè etiam ſignificat ſpeculum, vt dum Maria tanquam liber à Deo conſcribitur, itidẽ Dei ſpeculum fuerit. Quod ſanè de omni libro generaliter dixeris. Quid enim liber fuerit, niſi ſpeculum eius qui illum ſcribit, in quo ipſe ſeſe legentibus legendum, ſiue intus, & in cute cognoſcendum dederit? Quid ſcribere ſit, niſi Scriptorem ſe ipſum calami penicillo depingere, & in ſcripta ſua ſeſe transfigurare? Pulchrè quidem dicente Sidonio Apollinare lib. 7. epiſt. 18. cum librũ ſuum amico tranſmittebat: *Commendo igitur varios iudicio tuo noſtri pectoris motus, minimè ignarus, quod ita mens pateat in libro, veluti vultus in ſpeculo*: Vt cum hæc audis, procul, procul à mente, & cogitatione tua ſit Mariam alicui maculæ obnoxiã concipere, cum ipſa liber, & ſpeculũ Dei fuerit, in qua eius mens ſiue facies non minus pateat, quã vultus in ſpeculo. Quo omnino referas, quod Richardus à S. Laurentio in præced. adnotatione adductus perinde Mariam Dei librum dici affirmabat. *Sicut Apoſtolus Corinthios vocat epiſtolam ſuam*: Quod quemadmodum & epiſtola vultus ſcribentis eſſe dicitur, & de epiſtolarum vſu inquit, Ambroſius lib. 7. epiſt. 45. *In illis imago refulget præſentiæ, & mentẽ noſtram infundimus*: Ita in Corinthijs Pauli animus, & doctrina nec non egregiæ eius virtutes, quas ipſi pulcherrimis ſuis moribus expreſſerant conſpiceretur: Vnde ipſe addit, *quæ ſcitur, & legitur ab omnibus*, vt ſicut egregium opus oſtendit artificem, & ſigillum facit certam fidẽ rei ſignatæ, ita Corinthij ſinceritate fidei, & vitâ Euangelicâ Apoſtolum cuius miniſterio hæc à Deo acceperant, omnibus velut de facie cognoſcendum darent. Quæ omnia de Maria expreſsit S. Germanus præced. adnot. datus cum dixit: *In quâ ſine Scripturâ ipſe Deus, & Verbum legitur*: Vbi obſerua locutionis ſeriẽ & ſtructuram, *ipſe Deus, & Verbum legitur*: Vt in Mariæ libro ſimul legatur, & Deus ſcribẽs, qualibri Scriptor eſt, *quod ita mens pateat in libro veluti vultus in ſpeculo*. Et Verbum ipſum ſcriptum, quod huius libri potiſsima Scriptura eſt.

Richa. à S. Laur. *Amrb.* *S. Germ* *Lect. He* *Sidon. Apoll.*

Hinc quiſquis verè æſtimet, omnem omnino labem à Maria quam longiſsimè amouere, omnem omnino puritatem, elegantiam, atque mũditiem ei ab origine adſcribere incunctanter debet ne videlicet, vel ſpeculum ſiue facies in ipſo expreſſa aboriginali facie diſſideat, vel (quod in humanam cogitationem venire non poteſt) in exemplar næuum aliquem

quē aut maculam vllam refundamus vt vel hâc ratione meriro Georgius Nicomediensis, *in oratione de oblatione Mariæ*, dixerit: *Quis honor exhiberi poterit puritati Deiparæ ex æquo respondens?* Cum ipsa videlicet puritatem Dei in se expressam referat, & quasi de facie cognoscendum reddat: sed ne hâc in re patente viâ (vt est in Prouerbio) quæramus semitam, dilucide à Salomone Deipara Dei speculum sine macula esse dicitur: Nimirum post præfata verba: *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in illam incurrit*, Vt huius sententiæ rationem reddat, subijcit: *Candor est enim lucis æternæ & speculum sine maculâ Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*: Sapientiæ 7. vers. 26. Ecce tibi Mariā, *speculum sine maculâ*: Quod in primis pro Mariæ immunitate perinde capias, ac speculum purum, tersum, perlucidum, immaculatum, christalinum, ac proinde aptissimū ad reddendam faciem: Vnde statim subdit Sapiens vers. 29. *Est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior*, quæ verba Mariæ sic aptauit Bonauentura *in speculo B. Mariæ* cap. 3. *Quidam legunt hic*: Prior *quidam* purior: *Vtrumque Mariæ stellæ nostræ competit, Maria enim est* prior: *idest potior, seu dignior. Maria etiam* purior *est Sole, & stellis, & luce quia tam dignitate, quā puritate Solem, & stellas, & omnē lucem superat corporalem, immo etiam spiritualem, idest Angelicam creaturam, de quâ dicitur*: Diuisit Deus lucem à tenebris. *Genes. 1. id est Angelos stantes à cadentibus, hâc vtique luce Angelis* prior, & purior *est Maria*: prior, *dignitate, & purior Sanctitate: Vnde Anselmus exclamans ait, ò benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate*. Hactenus Bonauentura: Sed deinde, vt imago speculi, & sensus Salomonis omnino subsistat, qui, vt primario respexit Sapientiam increatam, quæ plenam Patris imaginem immo faciem reddit, ita deinde ad Mariam spectat, quæ vt digna Filij Dei Mater esset, omnino oportebat speculum esse sine macula Dei maiestatis. Vide, vt inducatur Deus sese in Mariam tamquam in speculum inspiciens, suamque in illa imaginem, & faciem repręsentans, atque inde ipsam velut faciē, & formam Dei omnino pulcherrimam, & vndequaque purissimam, & absque vlla macula, aut nęuo prosilire, vt liceat dicere, quod apud nescio quem dixit nescio quis *ipsa speculo speculum maximum es*: Verissimè vero ab Andræa Cretensi oration. 2. de dormitione Virginis, *imago Diuini Archetypi rectè descripta*, esse dicatur: Vnde omnino apparet nullam in Maria labem, aut næuum fore concipiendum, ne si eū in imagine *recte descriptâ* esse, dixeris in eius faciem qui se in speculum intuetur refundere videaris.

Quare fuerit quidem operæpretium penitus cognoscere, quid de diuina pulchritudine tàm diuinus Dionysius, quam gentilis Plato censuerint, vt ab illâ Mariæ pulchritudinem in qua velut in speculo Dei pulchritudo resplendet, cōmodius eliciamus. Et quidem Dionysius lib. *de Diuinis nominibus*, cap. 4. Pulchrum, ita diffiniebat. *Pulchrum autem appellatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum: sit que pulchrum, quod eodem modo semper se habet: ita vt nec oriatur, neque intereat, neque augeatur, neque minuatur, neque partim pulchrum, partim turpe sit, neque hoc tēpore pulchrum sit, illo non itē: neq; ad hoc pulchrū, ad illud autē turpe, neq; hic quidē pulchrū sit, illo non itē: nec quod aliquibus pulchrum sit: nō nullis autem non pulchrum: sed quod*

Geor. Ni

Sap. 7. vers. 26.

Sap. 7. vers. 29.

Genes. 1.

Bonaue.

An. Cr.

III

Dionysi. Arcop.

ipsum

ipſum per ſe ſecum vniuſmodi pulchrũ ſit: ſemper quoque omnium, quæ pulchra ſunt, primã pulchritudinẽ eximiè in ſe præ omnibus cõtineat: Hæc diuine Dionyſ. Breuius, & preſſe Plato Dialogo de *Pulchro* ait. *Sẽper eſt, nec mutatione afficitur, nec vt pars pulchrũ eſt, nec vt id, cui pulchritudo ineſt, ſed ipſe per ſe pulchritudo, vnde manat cæterorũ pulchritudo:* Sic Plato: Contẽplare ergo Diuinã pulchritudinẽ in Maria velut in ſpeculo ſeſe intuentẽ, atque repræſentantẽ, vt videris perfectiſsimũ eius decorem, & omnimodã ab omni labe puritatẽ, & immunitatẽ, quippe dũ in illa reſpiẽdet, *pulchrũ, quod omni exparte pulchrũ eſt,* ipſam totã pulchrã eſſe, neceſſe eſt: cũque Dei pulchritudo, *quæ eodẽ modo ſemper ſe habet, neq; hoc tẽpore pulchra ſit, illo non itẽ:* Et vt ait Plato, *nec mutatione afficitur,* in ipſa rectè deſcripta apparet, manifeſtè euincitur, nullo tẽporis inſtanti deformẽ à peccato originali fuiſſe, ſed omni omnino tẽporis pũcto pulchrã quin hoc tẽpore pulchra fuerit, illo non itẽ, mutatione aliquãdo affecta: Vnde Georg. Nicom. Orat. de oblatione Deiparæ hoc ſenſu imbutus Mariã nõ ſolũ pulchrã, ſed ipſam met pulchritudinẽ, & pulchritudinis ornamentũ eſſe dixit, ſic admirabundus exclamans. *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinũ! O Deigenitrix pulchrorũ omniũ ſummum ornamentũ.* Sed omnino ad rem noſtram S. Germanus Patriarcha Cõſtantinopolitanus Orat. *in Natiu. Virg.* Mariã ita ſalutauit. *Salue pulchritudinis diadema,* quibus verbis diuinã in Maria pulchritudinẽ omnino expreſſit: accuratà videlicet dictione non tantũ pulchritudinis ornamentum, ſed etiã diadema ipſam appellans à qua ab ipſa originalem maculã penitus remoueat: Nimirum vocẽ *diadema* Richardus à S. Laurentio lib. 3. de Laudibus Virginis ſic premit, *dicitur* Diadema *quaſi* duo demẽs: *Scilicet principiũ, & finem: ideſt originale peccatũ, quod eſt principiũ omnis mali, & pœnã æternã, ad quã tendit omne peccatũ mortale:* Ita Richard. Vbi Mariã ſpeculũ ſine macula diuinæ pulchritudinis vides à quo labes originalis procul iuit, quæ pulchritudinis diademate coronata fuit: de quo itidẽ S. Bonau. in ſpeculo B. Virg. c. 6. Sic loquitur: *Re verâ in capitẽ eius Rex Regũ diadema regni poſuit tã impretiabile, tã delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inſcrutabile eſt:* Ita ille.

Sed peculiarẽ pro hac cogitatione in his verbis epitaſim obſerua: nẽpe græce provoce *maieſtatis* eſſe *inoperationis,* vt legit Orig. li. 1. *Periarchõ,* c. 2. & Aug. li. 1. de *Incarnatione Verbi,* c. 13. to. 4. vt Maria qua Chriſti Mater eſt referat ſummũ Patrẽ Filiũ ſuum generantem, quæ ſumma, & ineffabilis dignitas eſt, ac proinde ipſa ſpeculũ maieſtatis diuinæ ſimul ſit: vbi illud pro Mariæ immunitate notatione dignum eſt: ad hanc ſpeculi dignitatẽ ſignatè ſpectare illam particulam *ſine macula,* quoniam, vt ſpeculum perfectè referat faciem intuentis ſe in illo plurimũ refert, illud eſſe ſine macula: ideo Vatablus legit. *Limpidiſsimũ diuinæ virtutis ſpeculũ:* Sane quod plurimum referat, imò vero neceſſe fuerit Mariam limpidiſsimũ, & ſine maculavlla originalis peccati ſpeculũ Dei fuiſſe, vt ipsũ Deũ qua Pater Filij ſui eſt, opportunè referret, vt quemad modũ qualis in cœlo Pater, talis Filius; ita in terra qualis Mater talis Filius, quemad modum opportunè expreſsit Hugo de Sancto Victore in Apologia *de Verbo incarnato,* c. 3. vbi cũ dixiſſet: *Propterea Mater Virgo electa eſt, vt de mũda immaculatus naſceretur, vt ſicut in cœlo Deus habet Patrẽ immortalem æternus, ſic in terrâ haberet Matrem Virginẽ incorruptus:* Inde ſic infert. *Igitur in cœlo qua-*

Plato

S. Germ

Ric. à S. Lauren.

Bonaue.

IV

lis Pater, talis Filius, in terrâ qualis Mater talis Filius, &c. *In cœlo imago Patris, in terrâ imitator Matris.* Hæc omnino ad rem Hugo.

V Cui rei mire quadrat Christũ Dominũ à Ioanne Agnũ Dei quæsita locutione fuisse appellatũ: *Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mũdi* A *Hugo.*
Ioan. 1. vers. 31. Ioan. 1. v. 31. Nam primũ dũ nõ simpliciter *Agnus*, nec tantũ Deus, aut Dei Filius, *sed Agnus Dei* dicitur, vtraque Christi natura, diuina, & humana significatur: *Agnus* enim (inquit Ammonius in Catenâ Græca)
Ammo *est quatenus datus pro dimissione peccatorũ*: Manifesta allusione facta ad Agnũ in lege figuratũ, vt adnotarũt ibi Origen. Cyrill. Alex. & Euthim. vox vero *Dei*, quæ adiecta Agno est, eã vim habet, vt explicat Mald. *At*
Mald. *diuinus propter diuinitatem, quæ in ipso erat. Quasi dicat Ioannes. Ecce Agnus, nõ iã terrenus, qualis ille erat, qui in veteri sacrificabatur lege, sed cœlestis, atq; diuinus*, vt videlicet tã Matrem, quã Patrẽ Agnus hic referat, & à Patre, & à Matre Christus velut Agnus immaculatus sit: notãter in hæc verba Augustino tract. 7. in Ioan. cũ allusione ad Agnũ figuratũ Exod. 12. v. 5. *Erit autẽ Agnus absque*
Exod. 12 vers. 5. *macula*, dicẽte: *Agnus singulariter sine maculâ: nõ cuius maculæ abstersæ sint, sed cuius macula nulla fuerit*: obserua illud: *nõ cuius maculæ abstersæ sint*, vt ex Agno ouem, ex Christo Mariã Matrẽ eius deprehendas. Nimirũ, vt Agnus iste Deo offerendus sine macula esse præscribebatur, ita etiam cauebatur, vt ouis, quę Deo sisteretur sine macula esset, nõ cuius maculę abstersæ essent, sed cuius nulla vmquã macula fuerit, id ex presse præscribente Domino Leuit. 22. v. 12. nam cũ præmisisset. *Homo*
Leu. 22. vers. 12. *qui obtulerit victimã pacificorũ Domino, vel vota soluẽs, vel sponte offerens tã de bobus, quã de ouibus immaculatã offeret, vt acceptabile sit: Omnis macula nõ erit in eo*: statim expli cans: quid omnis maculæ nomine intelligendũ sit, subijcit, *si cœcũ fuerit, si fractũ, si cicatricẽ habens*: hoc est vulneri sobducti, siue maculæ absterſę signũ? Videsouẽ *sine cicatrice*, Agno sine *maculâ abstersa*, omnino respondentẽ? & Mariã limpidissimũ diuinæ operationis speculũ, in quo nulla vm quã macula fuerit? Audi iã iterũ Hugonem præfato loco sic hæc omnia breui perstingentẽ. *Talis ergo Agnus: qualis Mater Agni: ex mũda mundus, & statim: Non enim potuit arbor bona malũ fructũ facere, quoniã omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Radix integra: ramus incorruptus*: Hæc ille quibus Mariæ purissimã mũditiã, & immunitatẽ cõmendat, vt ab ipsa tanquã à radice integra Christi puritatem inferre videatur: Adeo videlicet ipsa *Speculũ sine maculâ diuinæ Maiestatis, & imago bonitatis illius est.*

Sed & hunc quidẽ sensum videntur etiam expressisse Græci PP. cũ Ma VI
riã hac ratione de industria Agnam
C appellant, vt videlicet ipsam ab originali labe, & eius cicatrice, æque immunẽ facerent: Ita quidẽ S. Germ. Orat. de *Natiu. Virg.* & Georg. Nicom. Orat. de Obl. Deiparæ. Damasc. Orat. 1. de *Natiu. Mariæ*, & Hymnus Græcus apud Buteon. pag. 124 canens. *Agna genitrix Agni Dei mundi peccata tollentis*: Signate vero Ecclesia Græca in Menæis die 22. Iunij vbi habetur Agna grauida Agno Dei nostri, & die 20. Martij in vesperis de SS. MM. in Monasterio S. Sabbæ occisis: *O innocentis Agni genitrix Agna, qui ad peccata totius mundi proprio sanguine per sananda aduenit! Tu me immortalitate diuinitus data exutũ, nunc ex lanâ Agni quem peperisti gratiæ diuinæ amictu circunda*: Hæc ibi. Quæ in cõtaminatissimam Mariæ puritatẽ mire adumbrant, quando ipsemet Agnus Dei candidissimam lanam, cui nullus alterius coloris pilus subsit ab

S. Germ. Ge. Nic.

Ec. Græ

illa

illa extraxisse videtur.

VII Quanta vero in Agno sine maculâ, siue in oue Deo offerenda Mariã figurante, puritas, & munditia exigeretur: discè à simili imagine: vaccæ rufæ *ætatis integræ*. Numer. 19. *Nu. 19. uers. 12.* uers. 2. vbi in Heb. est vox *perfecta*, apud LXX. vero vox, quæ habetur, Cantic. 4. versic. 7. de Deipara, *& macula non est inte*: Nempe eo in loco Hebræi integritatẽ, perfectionem, & *esse sine maculâ*, eo referunt, vt eiusde omnino coloris esset, quin vllus in ea victima pilus alterius coloris appareret: ita enim ibi Oleaster: *Hebræi dicunt, integrè, & perfectè rufam, in quâ nullus sit pilus cuiuscunque alterius coloris*: Ecce igitur, tibi Mariæ puritatem adeo exactã, & omnimodam, vt ne evllus nævus, aut pilus ab hic munditia discrepãs in ea inueniatur: quod plurimũ referat, vt speculum faciem perfecte referat, sine macula, aut pilo esse nam (quod est in Prouerbio) *pilus vmbrã facit*: Tinniunt hæc Mariæ immunitatem: dicente *de Patre luminũ*, qui sese in Mariæ speculum intuetur Iacobo c. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: siue vt legit Aug. lib. 11. de *Ciuitate Dei*, c. 21. *momẽti obumbratio*, iti dẽque de Maria velut de speculo, quod Dei faciẽ referat Amb. Ansberto in c. 4. Cant. clamãte. *Tota pulchra es Maria, & macula nõ est inte: nec vicissitudinis obumbratio*: quin ullo vmquã momẽto nævus aut pilus veteris Adami, siue peccati originalis in Deipara fuerit inuentus, alias, nec limpidissimũ speculũ nec Dei maiestatis esset. Nimirũ si ambigas cur in hoc speculo meminerit Sapiens *Maiestatis Dei*? respondebo notanter cõiũcta hæc duo à Salomone, *maiestatis*, & *sine macula*, quod alienũ à maiestate Mariæ Deiparæ fuerit, maculæ alicuivnquã subiacere: immo vero vt propriissimẽ loquamur, non tantũ cũ Mariæ dignitate, sed etiã cũ Dei maiestate quivis Matris sive nævus, aut macula pugnet: Quẽ sane gustũ habet August. lib. de *quinque hæresibus*, c. 5. Vbi inducẽs Deũ tultã Manichæi hæretici opinionẽ castigantẽ illis verbis: *Quid est, quod te cõmouet in mea natiuitate? ego. Matrẽ de quâ nascerer fec.* subijcit, *sicut transitu meo nõ est corrupta virginitas, sicut mea nõ est ibi maculata maiestas*: Ita Aug. alibi pro Mariæ immunitate à nobis expẽsus, sed modo vide, vt scite maiestatẽ nõmaculatã dixerit, quasi à Mariæ originali maculâ diuina Maiestas maculãda foret, quippe, quæ eã haberet Matrẽ, quæ origine ab alijs matribus non differret.

Vnde quidẽ quẽadmodũ Philip. (apud Ioan. 14. v. 9.) exigenti à Domino: *ostende nobis Patrẽ*, respõdit, ipse: *Qui videt me videt, & Patrẽ* quod ipse Deus de Deo esset, lumen de lumine, *& Agnus diuinus propter Diuinitatẽ, quæ in ipso erat*. Ita etiã opportunè diceret: Qui videt me, videt, & Matrẽ, quod vt ipse Agnus singulariter sine maculâ (*nõ cuius maculæ absterſæsint, sed cuius macula nulla fuerit*) Ita Maria Deipara ouis sine cicatrice, nec absterſæ maculæ signo esset, immo vero si bene æstimas, cũ Dñ. Philippo dixit: *qui videt me, videt & Patrẽ*, itidẽ dixisse videtur, qui videt me, videt, & Matrẽ: nõ secus acqui in speculo videt faciẽ intuentis se in illo, tũ faciẽ intuẽtis, tũ speculũ eã recipiens, atque referẽs planè videt: cũ Maria speculũ sine macula Dei Maiestatis esset in quo Dei pulchritudo: diuinæq; virtutes: & omnimoda puritas reluceret. Quẽ quidẽ gustũ habere videntur Petri verba (vt alio in loco expẽdimus) cũ Dño à discipulis perquirente: *Quẽ dicũt homines esse Filiũ hominis*? id est Virginis Mariæ: ille statim indubitãter respondit. *Tu es Christus Filius Dei viui*: Matth. 16. v. 16. vt dixerit Mariæ Filiũ nõ posse non esse Filium

VIII *Ioan. 14. uers. 9.*

Ma. 16 uers. 16.

Dei: quod in Maria velut in ſpeculo Dei facies eſſet impreſſa in qua nulla eſſet transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, ideſt nullius labiculæ pilus vmbram toti luci ſeſe inſpiciẽti in Mariæ ſpeculum vmbram faceret: Ex qua Petri locutione, ſiue illatione facta opportune etiam, & illa locutio ſubſiſtet: *Qui videt me, videt, & Patrem, videt, & Matrem:* cum Pater, & Mater ſe mutuo reſpiciant, velut facies in ſpeculo repræſentata, & is qui ſeſe in ſpeculo inuetur. Eſt ergo Chriſtus Agnus Dei ſine macula, qui etiam, vt à Matre Patrem referat, quod in Matre Patris imago ſit: Quæ quidem omnia Sapienter firmata videris à P. Franciſco de Retza Ordinis Prędicatorum tomo 1. *in Salue Regina*, apud P. Laurentium Chryſogonum in Mundo Mariano part. 1. diſcurſu 20. num. 55. Vbi cum præmiſiſſet. *Mariam eſſe formam, cui imago Patris æterni imprimitur, & ad quam imago Patris æterni, figuratur, & figurata cernitur*, & in hanc ſententiam ſubijciſſet. *Hæc igitur imago Dei* (Chriſtus) *accepit formam, dum in forma hominis figuranda mundiſsimum Virginis vterum benedictum ſubiens, ſicut cera liquefacta accepit figuram, ſecundum ſigillum ſibi impreſſum: De quo dicitur.* Eccleſiaſtici 17. Ad imaginem ſuam creauit illum, & veſtiuit illum virtute: *Quod licet verum ſit de omni homine, tamen hoc ſpecialiter intelligitur de Saluatore, Figura autem, in quâ imago eſt formata, eſt venter Virginis, in quo Dei Filius factus eſt ſpecioſus præ filijs hominum: Vnde dicit Sponſa Cantic.* 2. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: lectulus noſter floridus: *Pulchritudine enim florum lectuli ſignificatus eſt pulcher, & decorus ſecundum naturam hominis, ſemper tamen retinens ſecundum Deum pulchritudinem Dei Patris:* ſic tandem concludit: *Sic enim imago Patris facta eſt ad imaginem Matris, & figura ſubſtantiæ Patris configuratus eſt imagini Matris:* Hæc Sapientiſsimus Pater omnino ad prę ſens inſtitutum.

Fuit quidem id in cauſſa, cur P. Ferdinandus de Salazar, homo ſanè modeſtiſsimus, & nullius bilis in Apologia pro Virginis immunitate, capitul 26. §. 4. num. 17. euoluens verba Canti cor. 4. verſ. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* cum ex Græcâ lectione adnotaſſet poſſe legi: *momus non erit inte*, & ipſe idſic extuliſſet: *Ideſt quã tumuis ſit aliquis rigidiſsimus vitiorum cenſor, qui Momi ad inſtar, vel dijs ipſis vitia imponere audeat, is quidem nullum in te vitium non modo non reprehendet, ſed nec deprehendet quidem*: Statim ſiue raptus feruore Mariæ celebrandæ, ſiue calore ſcribendi, calamum acrius ſtringens ſubijcit: *Porro qui Virgini labem aliquam inurunt Momi ſunt, parati etiam Deo ipſi* (*audens dico*) *næuum aliquem imprimere. Nã turpem ſatis næuũ Deo infigit ille quiſquis Matrem ipſius maculâ aliquâ aſpergit, cum ex Matre in Filium omnes maculas aliquo modo redundare, neceſſarium ſit:* Quod quidem ego nolim dictum: cum opinionis minus piæ Auctores Dei honorem præ oculis habeant, nec niſi zelo illius ducantur: Sed tamen, vt vt fuerit verba illa *parati etiam Deo næuum aliquem imprimere*, non omnino, vt ſonant, ſed per ſpeculi ad faciem, quæ in eo repræſentatur, comparationem capienda ſunt, dum næuus in Mariæ ſpeculo impreſſus in Dei faciem refundi, ſiue referri videtur: ſub quo ſenſu crediderim locutũ fuiſſe Anaſtaſium Synaitam lib. 6. *Anagogicarum quæſtionum*, cũ dixit: *Quis mihi* (*dic quæſo*) *aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ eſt eiuſdẽ ſimul,*

IX *Salazar*

Cant. 4. *verſ.* 7.

Anaſt. Synaita

cum

cum Deo essentiæ, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsa natus est? Quomodo enim est Mater, eiusmodi Filij non ferens integram, & illæsam fœtus sui imaginem: Ita ille non nisi ex hoc sensu, quem persequimur intelligendus, ne aut obscurius quam par est, aut sine eius sententiæ quam elucidat, sapore locutus videatur: Nimirum, si attendis, non aliter hæc consecutio Anastasij, Mariam ideo ad imaginem, & similitudinem Filij sui esse, quod eius Mater sit, subsistere potest, nisi prius subintelligatur, ipsam Dei speculum exstitisse in quod ipse intuens Deus, se ipsum, & imaginem suam expressent, vt ab illa Dei Filius homo fieret speciosus forma præ Filijs hominum: itidemque ipsi Patri denuo secundum carnem filius iuxta accuratam Pauli locutionem ad Rom. 1. vers. 3. *de Filio Dei, qui factus est ei ex semine Dauid secundū carnem.* Quam peculiari luce illustrare conati sumus in epist. ad Philipp. cap. 2. vers. 11. in exposit. litter. n. 73. vide ibi, & dictis adde, perinde ab Apostolo dictum *factus est ei:* vt etiam innuatur eius similitudo a Matre accepta: vti dicebat P. Retza: *Sic enim imago Patris facta est ad imaginem Matris, & figura substantiæ Patris configuratus est imagini Matris:* Quod sibi velle videtur Anastasius inquiens: *Ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, quo ad carnem attinet:* Ad instar scilicet faciei in speculo repræsentati, quæ ab originali in oris lineamentis nihil differt, eaque cum illa esse videtur.

Gr. M.

VIII Ideo Anastasius hinc opportunè argumentabatur: *Quomodo enim est Mater eiusmodi Filij non ferens integram: & illæsam fœtus sui imaginem?* Variante videlicet speculo, & faciem, quam à Patre acceperat, vt Filio suo conferret, non perfecte, & integre reddente: Vbi omnino vides Mariam mundissimum Dei speculum esse absque vlla peccati macula, in qua integra, & illæsa fœtus sui imago fuerit, vt quemadmodum ipse. *Agnus singulariter sine maculâ est: non cuius maculæ absterſæ sint, sed cuius macula nulla fuerit:* Ita ipsa *ferens integram, & illæsam fœtus sui imaginem*, quis sine vlla vulneris cicatrice etiam sit: Habet verò, si bene æstimas opportunissimam epithasim, quod dixit Anastasius: *Quis mihi (die quæso) aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere?* Quod non tantum homines, sed etiam ipsimet dæmones, ad faciem Dei contremiscant eamque maximè reuereantur, adeoque timeant nævum aliquem illi infigere, vt de ipsa locutum non nisi speciosum verbum sensu etiam orationis reluctante adhibere audeant. Audi: infectabatur aliquando apud Deum diris criminationibus beatum Iobum malus ille fratrum accusator: atque eum ad singulare certamen sic expostulabat: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet: nisi in faciem benedixerit tibi:* Iob 1. vers. 11. Quibus in verbis de mente accusatoris non immerito ambigas: quid enim ex eius sensu fuerit Deo in faciem benedicere? fuerit ne crimen in Iob à Deo vehementius affecto, benedictionem pro plagis ei reddere? & Angelorum munus Deo indesinenter benedicentium obire. Sed occurrunt interpretes præeunte illis Gregorio Magno ad id loci libr. 1. *Moral.* capitul. 6. & dæmonis mentem iuxta illius nequitiam exponunt, vt dicere voluerit, nisi in faciem maledixerit tibi: Sic enim Gregorius hæc verba effert: *Si enim ea, quibus delectatur, non habuerit, fauorem tuum etiam maledicendo contemnet:* Sed

quonammodo, inquis, hic sensus subsistet verbis ei ex diametro obsistentibus? fuit ne is error linguæ? & malus ille cum voluit dicere *maledixerit*, lapsus linguâ dixit *benedixerit*? Non equidem (respõdet Didymus) nec lapsu linguæ, aut fortituto: sed de industria verbum benedicendi, ad significandam maledictionem malus ille vsurpauit, ne, qui faciem Dei nominabat verbum illi adiungeret, quod à benedictione procul abiret rem dissonam immo execrabilem ratus, si faciem Dei nominaturus maledicendi verbum, vel solo labiorum sono cum illa coniungeret. Sic namque Didymus in Catena Græca, quam Paulus Comitolus Latinitate donauit: *Verbum ad hibuit speciosius, ne Deum verbo asperiori figere videretur.* Ita ille: Vbi vides: quare signatè dixerit Anastasius neminem ex hominibus siue ex dæmonibus ausurum dicere Deiparam integram, & illæsam Dei imaginem non habere, quod cum illa *Dei speculum sine maculâ* sit, non potest non eius in se ipsa faciem integram & illęsam excipere, vt proinde qui labem Mariæ, aut maculam inusserit, ipsemet Deo næuum infigere, quodammodo videatur.

MARIAM ab omni labe originaria immunem esse, quod tanquam Dei speculum tota vndique pulchra sit.

ADNOTATIO V.

I MARIÆ pulchritudinem, quatenus Dei liber, & speculum est, ac proinde *imago diuini Archetypi rectè descripta*, vt inquit Andræas Cretensis Orat. 2. de *Assumptione Virginis*: in quâ depingendâ *totam artem* consumpsit summus Artifex sicut dicebat Ioannes Geometra hymno 3 quis tam audax, & temerarius Icarus, vel in leuissimo picturę lineamẽto exprimere præsumpserit? ben e omnino affirmante Gerſone tractatu 3. super Magnificat. *Conabimur inaniter, si verbis æquare volumus pulchritudinem eius, quæ sub Deo maior nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis.* Edoctus à Georgio Archiepiſcopo Nicomediensi in oratione *de oblatione Mariæ*, qui ad eum modum, quo Deum non tam dicimus iustum, sanctum, bonum, quã ipsammet iustitiam, sanctitatem, sapientiã & bonitatem esse, ita Mariam ipsammet pulchritudinem esse: immo pulchrorum omnium pulchritudinem, & ornamentum, sic apellauit: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei genitrix pulchrorum omnium summum ornament ũ!* Ergo quando inaniter conabimur, si verbis æquare volumus pulchritudinem eius, quin ad solatium supersit, *magnis excidisse ausis*: Age iam, & non tam ipsammet Mariæ pulchritudinem vel leuissimè delineare, quam quid è re germanæ pulchritudinis, ex prudenti hominum iudicio sit, non inaniter ostendere conemur vt humana ad Diuina transferentes, Deiparæ vtcunque aptare possimus.

An. Cr. *Geomet.* *Gerſon.* *Geor. Ni*

II Et vero Augustinus in libris *de apto, & pulchro*, quos, & ipse scripsisse se memorat, & temporum iniuria nobis inuidit, & eripuit: nec non Gentilis Seneca rem velut acu tangentes pulchritudinem tam à singularum partium specie, & venustate, quam ab vniuersa corporis cõcinnitate, & singularum partiũ aptitudine subsistere affirmarunt: eo

Augus.

enim

enim ibat ille librorum titulus *de apto, & pulchro*: vt commentarius esse videatur sententiæ Salomonis. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.* Prouerb. 26. ver. 6. siue vt habet lectio Tigurina: *Sic prudens, & picturatus sermo in ore stulti:* Cuius hic est sensus ex Cornelio Iansenio, & Salazario: sicut claudus frustra, elegantibus, & benè formatis tibiis præditus est: cum tamen iis vti non possit, quod cum impares, nec sibi conuenientes sint; ab hac inæqualitate deformitas: & pro elegantia nutatio indecora resultet; sita etiam parabola elegans, & Sermo eruditus frustra est in ore stultorum, quod dum illo appositè vti, & opportunitati accommodare prorsus nesciat: ipsi merito obiiciatur: *Bona, sed quorsum?* Quod itidem ipsemet Augustinus lib. 22. *de Ciuitate Dei*, c. 19. sic confirmat: *Corporis pulchritudo est partium congruentia cum quâdam coloris suauitate: vbi autem est partium cõgruentia, aut ideò quid offendit, quia paruum est; aut ideò quia inimicum:* Sic ille. Quem sensum bellissimè expressit Seneca epistol. 38. inquiens: *Non est formosa mulier, cuius crus laudatur, aut brachium, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit,* cum quo quidem sensu omnino coniurauit callidus ille, & versutus cum dixit:

Quinctia formosa est multis: mihi cãdida, longa
Recta est: hæc ego sic singula confiteor
Totam illud, formosa, *nego.*

A quo sanè spirituali sensu non iuit Paulus. Nam primum 2. ad Corinth. 11. vers. 2. inquit: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo:* etenim pro verbo *despondit* (vt in epist. ad Phillip. cap. 2. vers. 8. adnot. 10. n. 4. & alibi monuimus.) Græcè scripsit Apostolus *Ermosamin*, quod propriè significat rem ita appositè, & concinnè alteri aptare, vt vtraq; interse decorè, & pulchrè conueniat, cohæreatque: vt ab hoc verbo dictum videatur Hispano sermone *ermoso* quod latinè *pulchrum*, quòd pulchritudo ab hâc partium proportione, & concinnitate subsistat: Vndè Augustin. lib. 2. *de Genesi contra Manichæos* legit *aptaui*. Hieronymus in Amos: *statui*, Theophylact. *agglutinaui*, Ambros. *paraui*, vt omnes hæ locutiones explicent id, quod aptè, & concinne applicatur, & connectitur: Deinde verò eandẽ Sponsæ Christi pulchritudinem, sic expressit 1. ad Corinth. 7. vers. 34. *vt sit sancta corpore, & spiritu:* quæ verba Hieronymus lib. 1. *contra Iouinianum* de virginitate mentis, & corporis sibi inuicem conuenientibus sic accepit: *Nonnullæ quippè sunt Virgines carne, non spiritu, quarum corpus integrum est, & anima corrupta, sed illa virginitas hostiæ Christi est: cuius nec mẽtem cogitatio, nec carnem libido maculauit,* ita ibi: fusius verò epist. 14. *de laude Virginitatis*, tom. 9. inquit: *Non dixit, vt sit sancta membro, aut corpore tantũ, sed* vt sit sancta corpore, & spiritu: *Membrum enim vna corporis pars est, corpus verò omnium compago est membrorum: cum ergo dixit:* vt sit sancta corpore, *omnibus membris eã sanctificari debere testatur, quia non proderit sanctificatio cæterorum mẽbrorum, si inueniatur in vno corruptio.* Sic Hieronymus.

Iam verò hæc omnia videor mihi videre Bernardum Mariæ in sermone *de Beata Maria*, sic aptantem: *Mariam Deus tanquam mundum specialissimum sibi condidit, quem in iustitiâ, & sanctitate formauit:* Quibus verbis ille manifestus subest sensus, quo Mariæ immunitas asseritur, cum in iustitia, & sanctitate fundata, perinde sit, atquè ab omni labe exsortem creatam fuisse: Sicuti de Ada

Prouer. 26. vers. 6. *Iansen.* *Salazar.* *Horatius Augusti.* *Seneca.* *Marti.* III. *2. ad Cor. 11. 2.* *Philipp. 2. vers. 8.* *Græcale lio.* *Augus.* *Hieron.* *Theoph.* *Ambr.* *1. ad Cor. 7. 34.* *Hieron.* IV. *Bern.*

mo iustitia originali prædito à Deo creato dixit Apostolus ad Ephes. 4. *Ephes. 4. vers. 24.* vers. 24. *Qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis:* At enim tam mũdi imago, quã is dicendi modus *in iustitia* peculiarem epitasim, & elegantiam in hunc sensum exornandum habere videntur: & mundi quidem imago, tùm ad librum Dei spectat, dum liber creaturarum a PP. frequenter dicitur ex *Rom. 1. vers. 20.* Paulo ad Roman. 1. vers. 20. affirmante; *inuisibilia Dei à creaturâ mũdi per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur:* tùm peculiarem pulchritudinem, elegantiam, atque munditiem præfert: nam vt Latine mundus a munditie, & ornamento dicitur, atque hinc mũdus muliebris de re summe pulchrâ, & ornata enunciatur; sita Græcè appellatur *cosmos*, id est *pulcher:* Quod si in illo pulchritudinis rationem perquiras; occurrit M. Tullius lib 2. de natura Deorum eam ad singularem partium cõcinnitatem, & coaptationem inter se sic referens *omnibus interse concinnentibus mundi partibus.* Sed habemus nos hâc de re firmiorem propheticum sermonem; cui benefaciemus attendentes: dum videlicet Moyses Mundi creationem refert; & de singulis illius partibus ex Dei sensu asserẽs bonas simpliciter esse: sic namque primum de luce, Genes. *Genes. 1. vers. 4. & 10. & 15. et 12.* 1. vers. 4. *& vidit Deus lucem, quod esset bona:* deinde vers. 10. *Et vocauit Dominus aridam terram congregationesque aquarũ appellauit Maria. Et vidit Deus, quod esset bonum:* itidemque vers. 12. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semẽ iuxta genus suum, &c. Et vidit Deus quod esset bonum:* adquem modũ de luminaribus cœli vers. 17. & de piscibus, & volatilibus vers. 21. & de bestiis terræ vers. 25. postquam cũcta iam creata, & suis in locis constituta secundo aspectu à Deo conspecta fuisse narrat; notanti locutione inquit vers. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* vt cum singulæ creaturæ seorsim spectatæ bonæ simplicitèr visæ à Deo sunt; subinde vero cum omnes mutuo interse concinnentes, quin aliæ ab aliis discreparent connexę spectatæ sunt, non vtcumque bonæ, sed valde bonę apparuerint, scitè id obseruantibus Hieronymo, & Nazianzeno: quorum prior in *Regula Monachorum ad Paulam, & Eustochiũ* tom. 9. sic ait: *Omne secundum Philosophos tantum habet bonitatis, quãtum habet vnitatis, propterea in exordio mũdi vidit Deus cuncta, quæ fecerat simul, & erant valde bona:* Hæc ille. Quæ fusius; & luculentius dixerat Nazianzenus orat. 2. *de Pascha*te, quæ est 42. hunc in modum. *Postquam autem primas partes præclarè constitutas vidit, alterum mundum materiâ constantem, & aspectabilem excogitauit: hanc nimirùm ex cœlo, & terrâ, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem, & concretionem: laudabilem illam quidem ob singularem partiũ elegantiam, verum laudabiliorem ob eã, quæ ex vniuersis extitit, concinnitatem, atquè concordiam, aliâ re videlicet ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atquè omnibus ad omnia scite conuenientibus ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum:* Hæc Theologus: Sed enim vt hanc ratiocinationem nostro aptiorẽ instituto faciamus; vide vt eam à mundo maiore, hoc est ab hâc rerum omnium vniuersitate, ad mundum minorem id est ad hominem sic trãstulerit alter Gregorius: Nyssenus scilicet tractatu primo in Psalmos: *Si ergo totus hic mundus musica quædam consonantia est: cuius opifex, & effector Deus: parvus verò mũdus homo est, simulque similitudo, & imitatio quædam eius, qui mundum concinnauit: necesse est, vt quod ratio in magno illo, & spatioso mundo reperit: hoc,* *Genes. 1. vers. 31.* *Hieron.* *Nazian.*

vt par est, in paruo itidem conspiciatur: pars enim totius cognata est toti, ita Nyssenus. Capeiam ex his; quid sibi voluerit Bernardus cum Mariam *mundum* esse dixit à Deo sibi conditum: *Laudabilem illam quidem ob singularum partium elegantiam* cum mundus dicatur pulcher: *Verum laudabiliorem ob eam, quæ ex vniuersis existit concinnitatem, atque concordiam,* musica quadam consonantiâ *omnibus interse concinentibus mundi partibus,* dum primum Cõceptionis suæ instans sequentibus respondet, & in puritate suppar illis est: vt videlicet non aliter eius pulchritudo commendetur, quam iuxta præfatam Senecæ gnomen; *cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit:* immò vero iuxta Pauli monitum: *vt sit sancta corpore, & spiritu:* nam vt dicebat Hieronymus: *Non proderit sanctificatio cæterorum membrorum si in vno inueniatur corruptio:* Quod vt ille ad perfectã animæ iustitiam refert: nos ad Mariæ pulchritudinem, ob quam mundus dicitur: & *tota pulchra* prædicatur, opportunius accommodamus; cum aliter nec vniuersa faciei pulchritudo, nec mundi concinnitas valeat subsistere disidẽtibus partibus; nec Conceptione cum aliis pulchritudinibus cohærente.

Nyssen. *Seneca.*

A B C D

V.

Cui cogitationi opportunè aptaueris verba illa Epiphanij oratio. de laudib. Deiparæ in superioribus non semel expensa. *Naturâ formosiores ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum:* nam cum Angelica pulchritudo omnino perfecta sit, & quæ sibi vndequaque concinat; Maria quæ cunctis Angelis natura formosior est, omnibus omninò partibus, sibi concinentibus proculdubio cõstare debet; atque ideò totam pulchram, & sine vlla penitus maculà esse: in quem sensum Richardus à S. Laurentio *lib. 4. de laud. Virginis,* versans ea Iobi verba de diuina Sapientia cap. 28. vers. 16. *Non conferetur lapidi Sardonyche pretiosissimo,* signatilsimè dixit ipsummet Adam a Deo recenter creatum in iustitiâ, & sanctitate: quin vlli labe fuisset obnoxius minimè conferri cũ Maria posse, quæ ipso quãtumuis innocente multo innocentior, & excellentior est. Audi: *per quem* (lapidem Sardonychum) *potest significari Adam in statu innocentiæ, qui etiã quandò totus fuit innocens, non potest comparari Mariæ coparatione adæquationis:* sic ille: Obserua illud: *quãdo totus fuit innocens.* Notanter, & accuratè dictum vt explicet, quid sit Mariam totam pulchram esse; pulchriorem scilicet mundiorem, siue innocentiorem Adamo fuisse quando ipse nulli culpæ obnoxius totus innocẽs fuit: quippè vt dicebat Bernardus: *Mariam Deus, tanquã mũdum specialissimum sibi condidit, quẽ in iustitiâ, & sanctitate formauit.*

Epipha. *Richar. à S. Lau. Iob 28. vers. 16.* *Bernard.*

VI.

Sed & hùc peculiariter facit ipsius cœlestis Cantic. 7. versic. 6. admirabundus post conditum Mariæ mundum exclamans: *Quam pulchra es! & quam decora charissima!* duplicatâ videlicet admiratione, & laudatione illius pulchritudinem exornãs. Et verò vt hæc eiusdẽ sermonis iteratio ad sententiæ certitudinem, & firmitatẽ tã ex diuinis, quã ex humanis regulis referẽda sit: vt ex duplicato de eâdẽ re somnio Pharaonis cõiecit somniorum interpres Ioseph, Genes. 41. vers. 32. Regi suggerens: *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est:* siue vt habent LXX. *Quod autem iteratum est somnium Pharaoni bis: quia verum erit verbũ à Deo:* & Iustinianus Imperator prælcripsit *in l. 1. C. de emendatione noui Codicis,* his verbis: *Cũ nemini veniat in dubium, quod repetita prælectio probauit hoc satis validum, satisque formosum est;* de quo alibi pro Mariæ immunitate differimus: at enim verò

Cant. 7. vers. 6. *Gene. 41 vers. 32.* *LXX.* *Iustin.*

nostro

noſtro nunc inſtituto inſiſtentes in eundem ſenſum hæc ſponſi verba inflectimus ac præfata Geneſis: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* vt duplex omninò Mariæ commendetur pulchritudo, altera quidem a ſingularum partium elegantia, vt nihil in ipſa, quod pulchrũ non ſit, inueniri queat: altera à concinnitate, atquè concordia, quæ ex vniuerſis exiſtit: *omnibus interſe concinnentibus* huius diuini mundi partibus, omnibus ſcilicet vitæ inſtantibus, gratiâ diuinâ præditis ſibi inuicem correſpondentibus. Quarè obſerua non otiosè, gratisve ſponſum ad Deiparæ pulchritudinem explicandam cum prius dixerit. *Quã pulchra es!* Secundo loco ſententiã iteraſſe peculiari verbo inquiens: *& quam decora!* quippè *decorum* ſignatè reſpicit pulchrum cum conueniẽtia, & conſonãtiâ, atquè idcirco eius ſynonoma ſunt *conueniens*, & *cõſonus*: ſub quo ſenſu M. Tullius lib. 1. *officiorum*, decorum ſic deſcripſit: *Decori deſcriptio duplex: nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis*, quod plus plus ſtatim ex hac, quam perſequimur pulchritudine ſic exponit: *Vt enim pulchritudo corporis aptâ compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat, hoc ipſo, quod interſe omnes partes cum quodam lepore cõſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vitâ, mouet approbationem eorum, quibus cum viuitur ordine, & moderatione dictorum omnium, atque factorum:* Sic ille: Vt Deipara ea pulchritudine quę non modo omnibus numeris abſoluta ſit, ſed etiam quæ muſicam quandam conſonantiam habeat, prædita dicatur: Quam præcipuũ vero locũ hic habeat pulchritudo, quæ ab immunitate à peccato originali ſubſiſtit, facile conijcies ex pulchra illa Theodorici Regis ſententia apud Caſſiodorum lib. 2. epiſtol. 15. *Bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitus pullulare, fertur enim curſu perẽni fontium vena vitalis: & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidẽtia fuerit forte vitiatus, neſciat riuulis abnegari:* Sane vt cum videt Deus in Maria cuncta, quæ fecerat eſſe valde bona, à ſapore qui cõceſſus origini pulchritudinẽ, & decorem ſignate trahere videantur. *Caſſiod.*

VII. Iam verò huc pertinet, quod de Mariæ mundo dicebat Bernardus: *Bernar.* *Quem in iuſtitia, & ſanctitate ſibi condidit*, ſiue iuſtitiam ad iuſtitiam illam originalem, in qua primus homo creatus eſt referas: ſiue illam capias pro virtute perfecta, & omnibus numeris abſoluta, vti accepit Chryſoſtomus, tùm verba Moyſis de Noe, Geneſis 6. verſ. 9. *Noe vir iuſtus, atquè perfectus*, tùm quod de Iob cap. 1. verſ. 1. dicitur: *Erat vir ſimplex, & rectus*, vbi LXX. legunt *iuſtus*, quaſi ea iuſtitiæ pulchritudine vterque eſſet conſpicuus, vt vniuerſa facies admirationem ſingulis partibus adimeret: ſic enim de Noe hom. 23. in Geneſim: Perfectus *dicitur Noe, nihil enim intermiſit, in nullo claudicauit, non in hoc benefaciebat in illo verò peccabat, ſed in omni virtute perfectus erat, quâ illã pollere cõgruebat*: Hęc ille: Luculẽtius verò de Iob in Catena Gręca, quã noſter Comit. Latinitate donauit: in hunc modũ: *Non eâ Iobus iuſtitia præſtabat, quæ vnã aliquã formam virtutis, ſed quæ omnem ac ſolidam complecteretur, neque ſic ab vna quadam re mala abſtinebat, vt ad aliam adhæreſceret. Nam ipſum pondus iuſtum dicimus, quod vbique, & in cunctis rebus æqualitatem tuetur: non ſi aurum quidem iuſtè, plũbum verò ſecus libraverit: verum illud iuſtum eſt pondus, quod materiæ cuiuis æqualitatem* *M. Tul.* *Geu. 6. verſ. 9.* *Iob. 1. verſ. 1. LXX.* *Comitol.*

præ-

præstat, æquamque mensuram. Non aliter Iobus iustus erat, cuius semper fuit in omni vitâ æqualitas. Neque enim in pecuniis tantum æqualitatem retinuit, sed etiam in rebus aliis omnibus, nusquam à modo, mensuràque recedens. Hactenus Chrysostomus. Quæ omninò aptaueris iustitiæ in qua Deus Mariæ mundum sibi condidit sicut ipsum pondus iustum dicimus, quod vbique, & in cunctis rebus æqualitatem tuetur: vt vbique ipsa sancta, in cūctis partibus æqualitatem pulchritudinis haberet: in omnibus vitæ instantibus diuinæ gratiæ decore prædita esset, vel si mauis referto iusti pondere is imaginem ad Deum mundum Mariæ *in pondere* iusto condentem, vt videlicet in omnis vitæ eius patribus, in omnibus momentis æqualitatem ipse seruauerit; æquamque mensuram, quid aliud, tanquam aurum; aliud tanquam plumbum librauerit: sed omnibus æqualitatem, omnibus aurum diuinæ charitatis præstiterit, vt nō minus iusta pura, & omnibus numeris absoluta in primo Cōceptionis instante Deipara, ac Noe, & Iob post tot exacta sanctæ vitæ curricula dici debeat, cum ipsa specialissimus mundus fuerit, quem Deus sibi in iustitiâ, & sanctitate formauit.

VIII. Sed & huic rei duo ex Paulo, & Iacobo monumenta opportunè accomodaueris, quod ex ipsis, tū perfecta Mariæ pulchritudo ostēdatur, tùm etiam hanc ab omni labe immunitatem ad exactam eius pulchritudinem prærequiri, haud difficile qui vis euincat: Dixit igitur Paulus ad Ephesios c. 2. vers. 10. de Christianæ religionis scopo, in quem tota animi, & virium intentio dirigenda est: *Ipsius* (Dei) *enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus:* Iacobus vero cap. 1. vers. 4. *Vt sitis perfecti, & integri, & in nullo deficientes.* Quo sanè in loco si Græcæ voces propriè explicandæ, siue exprimendæ sunt, vt in epist. ad Philipp. cap. 1. vers. 11. adnot. 1. n. 5. ostendimus omninò legeris: *Vt sitis omnibus iustitiæ membris constantes, & in nulla eius parte diminuti:* Cū verò vterque Apostolus spiritualē animi pulchritudinem ex omnibus omninò partibus sibi inuicem concinentibus, quin vlla ei desit, subsistere affirment; vter eorum siue magis opportunâ, siue magis scrupulosa imagine vsus fuerit; penitus ignoro: quippè Iacobus ad corporis humani integritatem, cui si aliquod membrum desit indecorum, & fœdum est, omninò adspexit: nam Græca vox, quæ respondet voci *deficiētes*, non solum significat eum, qui labori, aut tentationi succumbit, sed cui ad integritatē aliquid deest: vndè in voce *integri*, quam præmisit Iacobus ad corporis integritatem, haud dubie allusit; eo planè sensu, quo dicebat Hieronimus: *quia* non proderit sanctificatio cæterorū mēbrorum, si inueniatur in vno corruptio: & apud Cassiodorum lib. 2. *Variarum, epist.* 18. Rex Theodoricus: *Quia sic omnia grata redditis, si in nullâ parte peccatis. Res vna subtracta cuncta deformat, & totum deesse creditur, vbi vel minima querelæ asperitas commouetur:* & quidem cū non immerito hanc Iacobi similitudinē sensum exprimere, siue exhaurire dixeris: videtamē, vt Pauli imago iustior, & scrupulsior huic sententiæ explicandæ esse videatur. Nimirum pro voce *factura* græcè posuit Paulus *poema*: vt nō tantùm significet figmentum non rude, aut incompositum, sed perfectum, & maximè elaboratum: vt frequenter exponūt interpretes: sed etiam omninò alludat ad opus omnium delicatius, & scrupulosius; nempè poema siue carmen, quod maximè limatum, & politum, pulchris, & electis vocibus ijsque iusto syllabarum sibi inuicem

Græc. lect. Philipp. 1. v. 11.

Cassiod.

Ephes. 2 vers. 10.

Iacob 1. vers. 4.

concinentium numero adstrictis cōstans esse debet; cui si vel vna desit, aut præter debitam rationem, aut breuior, aut longior sit, nec sibi constabit, & à formâ carminis cadet: vt res vna subtracta cuncta deformet: vt sensum communem habeat Apostolus cum Salomone Sapientiæ 6. A
Sapien. 6. vers. 9 vers. 9. affirmante: *Cum ergo disciplinæ dilectio, & dilectio custodia legū illius est.* vbi pro voce *legum* Græcè est *gnomon*, quæ vox non modo significat leges latas, aut scriptas, nec non consuetudines, & mores, quæ habent vim legum, sed etiam cantilenas, carmina, siue potius carminis certas quasdam modulationes, siue modos musicos, quibus carmina cōstringuntur: vt homo siue hominis vita magis pura, limata, & modulata
M. Tul. omni carmine, aut cōcētu musico sit: cui sententiæ mirum est, quam opportunè subscripserit M. Tullius: *Paradoxa 3.* inquiens: *Histrio si paulò se mouet extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllabâ vna breuior, aut longior, exsibilatur: in vitâ, quæ omni motu modulatior, omni gestu aptior esse debet, vt in syllabâ peccare te dicis?*

IX. Ecce tibi germanæ pulchritudinis imaginem, siue formam ab Apostolis adeò viuaci penicillo Depictā vt ipsam mortalium nullus præter Deiparam expresserit, quin aliquā do se mouerit extra numerū, & velut in syllabâ peccauerit, dum leuibus culpis saltem ex surreptione, vel sanctissimus quisque fuerit obnoxius: Vna ergo inter mortales omnes Maria, perfecta, & integra, & in nullo deficiens: siue omnibus omninò iustitiæ membris constans, & in nulla eius parte diminuta; vna Dei figmentum elaboratum, factura omnibus numeris absoluta; poema siue carmen, limatum, politum, cui nulla syllaba, nullus numerus, aut concētus desit, omnibus inter se concinētibus partibus inuenta est: vt hâc ratione, tùm ab sponso: vna quæ sibi perfecta esset sic dicatur: Cantic. 6. vers. 7. *Vna est columba mea, perfecta mea:* vbi pro *perfecta* Hebraicè habetur ex translatione Pagnini *immaculata mea*: nè videlicet aliquis ei puritatis numerus deesset, quin omnibus absoluta foret; vt ibi exponit venerabilis Guillielmus apud P. del Rio inquiens: *Cui nihil deest ad gratiam, & ad gloriam:* tùm etiā ab Apollinari in Tragedia *Christus patiens* in fine *Bonum generis humani* appelletur: nimirùm cum bonum ex integrâ caussâ subsistat; quemuis ab ipso defectum propulsari, & abesse necesse est: Quid quod? S. Ephrem in oration. *de Sanctissima Dei genitrice Mariâ* ipsam esse dicit: *Cāticā Cherubin, ac Seraphim, & Hymnodia Angelorum:* Quis verò crediderit Cherubinos, in quibus plenitudo scientiæ celebratur, Cāticum, & Hymnum cui syllaba aliqua desit, pangere consueuisse? Verum hūc senium omnium opportunissimus expresit S. Dionysius Alexandrinus in epist. *contra Paulum Samosatenum*, Deiparam à pedibus vsq; ad caput benedictam hunc in modum affirmans. *Matrem incorruptam à pedibus vsque ad caput benedictā seruauit, sicut ipse solus nouit modum cōceptus, & ortus sui:* Reddit rationē, quæ egregium dicendi modum penitus explicat, & exhaurit: *Hæc enim est, quam Isaac præuidens dicebat Iacob. Det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia:* Sic Dionysius, vt Mariam à pedibus vsque ad caput benedictam esse, perinde sit, ac terram omnes benedictiones habentē fuisse; cui videlicet nulla omninò gratia, nulla excellentia; nulla dos animi, & corporis deficerit, omnibus inter se concinentibus pulchritudinis partibus.

Cant. 6. vers. 7. *Lect. Hebr.* *Guillie.* *P. del Rio.* *Apoll* *S. Ephr.* *Dionis. Alex.*

MA-

MARIÆ pulchritudo ſibi ipſi conſona; cuius perpetua puritas ſibi ipſi ab origine reſpondet.

ADNOTATIO VI.

I Vidimus abſolutiſsimã Mariæ pulchritudinem, peculiari illo decore, ac venuſtate mundiſsimæ, & omnis labis expertis Conceptionis prædita, & conſtantem eſſe, quod perfecta pulchritudo omnibus omninò numeris debeat cõſtare: nec ſit *formoſa* (vt dicebat Seneca) *mulier, cuius eius laudatur, aut brachiũ ſed cuius vniuerſa facies admirationẽ ſingulis partibus abſtulit:* pergimus modo affirmare, hanc ſignatæ decoris partẽ, quæ in purã Cõceptione cenſetur, eam cum cæteris pulchritudinis Mariæ partibus peculiarem ſympatiam, & conſenſionem habere, vt ingens hæc diuinarum virtutum ſeges, & cœleſtium ſtirpium paradiſum ab hoc originalis puritatis limpidiſsimo fonte profluere, ſiue irrigari videantur: quaſi hic maximè locum habeat, quod nõ ſemel ex Theodorico Rege, ſiue ex ſapiente Caſsiodoro diximus. *Bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitus pullulare: fertur enim curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit vitiatus, neſciat riuulis abnegari.* Cunctis quippè Mariæ virtutibus (quæ tot ſunt, quot ſydera cœli) quà egregiis, quà perfectiſsimis, quà diuinis, quà perpetuo, & indeficienti curſu durantibus, cœleſtis ille ſubeſt primæuæ rectitudinis ſapor, a quo, & omnimodâ vndequaque perfectione conſtantes, & conſtantiſsima perſeuerantia florentes ſubſiſtunt: cum ſapor qui à Deo conceſſus eſt originali puritati, nunquã per accidentia vitiatus neſciat riuulis abnegari.

Et verò, vt in hacmet fontis imagine perſiſtamus: ſic illam probat Salomon Canticor. 4. verſicul. 12. & 13. de Maria inquiens. *Hortus conclusus, ſoror mea, ſponſa: Hortus conclusus fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano:* tantum non dicens Bona certa eſſe Mariæ virtutes, quæ fidem ab exordio trahunt: quod curſu perenni feratur ipſarum vena vitalis à fonte ſignato immunitatis ipſius à peccato originali promanans: Sed preme primum hæc *emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum*: vt dixerit ſapiens Mariam paradiſum eſſe, ſiue totam paradiſi amœnitatem, virorem, iucunditatem, flores, & fructus in ipſa inueniri, cunctæ ſcilicet egregiarum virtutum ſtirpes. Nam præter frequentem paradiſi appellationem, quam Deiparæ tribuunt PP. vt Baſilius Seleuc. oration. 39. eam indigitans *paradiſum florentiſsimum*: & S. Ephrem oration. in laudem Virgin. *Paradiſum delitiarum, totiuſque amœnitatis, & immortalitatis*, quod vt in paradiſo Dei manu conſito omnes omninò flores, fructus, plantæ erant; ita prorſus in Maria cunctæ virtutes omniſque bonorum operum ſuauitas, atque fragrantia inueniatur: ſingillatim hæc verba ſub hoc ſenſu efferunt Richardus à S. Lau-

II

Cantic. 4. v. 12. & 13.

Seneca.

Caſsiod.

Baſil. Seleuc.

S. Ephr.

Richard. à S. Lau. rentio, Sophronius, Rupertus, & Gillebertus. Do singulorum verba, quia peropportuna: Sic ergo Richar. lib 12. de *laud. Mariæ*, inquit: *In arboribus, herbis, floribus, aromatibus, fonte, & puteo, quæ hic enumerantur, signatur Virginis virtutes, & charismata, quibus non solũ plena est, sed eis dẽ implet humiles*: ita Richar.

Sophro. Nec aliter Sophronius serm. *de Assumpt.* hũc in modũ. *Hortus deliciarũ, in quo consita sunt vniuersa florũ genera, & ornamenta virtutũ.* Fusius verò, & plenius Rupert. *lib. 4. in Cantica* inquiens: *Ecce tibi notũ paradisum: primũ plantauerat Deus in Edem: hunc plantauit in Mariâ: in illo posuit primũ Adã, quem formauerat* (Genes. 2. v. 9.) *in ipso formauit Adã, secundũ hominẽ, qui à principio apud ipsum erat.* Ioan. 1. v. 1. *De illa humo produxerat omne lignũ pulchrum visu, & ad vescendum suaue, & lignũ vitæ in medio paradisi. Huic humo terræ suæ benedixit, & ex eâ produxit cunctarũ germina gratiarũ, & cunctarũ exẽplaria virtutũ, ipsũ quoque lignũ vitæ Christũ.* Hæc Rupert. Tandem verò Gillebertus ser-

Gille b. mon. 37. *in Cantica* aureis hisce verbis: *Quam varius, & multiplex est cœlestium delitiarũ modus: tantus videtur, & numerus hortorũ: in alio rubent rosæ: in alio candent lilia: colorem quoque flores violæ purpureum reddunt: tot horti sunt, quot virtutũ plantationes simul collectæ: vbi tantũ flos vnus est, quis ibi hortum esse diffiniat? Sic nec vna castitatis plantatio, nec vna iustitiæ horti potest integritatem explere.* Hæc PP. de Mariæ paradiso omni virtutum plãtatione Dei manu consito.

III Iam verò quid in his verbis Salomon paradisum describens præmiserit: audi: *Hortus conclusus* (inquit) *Hortus conclusus: Fons signatus*: Planè quasi indice ostendat, tot, tamque diuinas virtutum Mariæ plantationes à purissimo iustitiæ originalis eius fonte signate irrigari, vt in tam excelsam altitudinem, & florẽtissimam amœnitatem exsurgerent: *Dum origo nescit deficere, quæ consuevit radicitus pullulare.* Nimirum fontem signatum ad Mariæ immunitatem merito cum PP. retuleris:

Rupert. Iustus Orgel. *quod ipsa* (sic inquiunt mihi Rupertus, & Iustus Orgelitanus) *nulli vnquam spiritali nequitiæ fuerit penetrabilis*, id est nunquam ad bibendũ venenato serpenti in ipsa patuerit accessus: vndè opportunè componit Gregorius Nyssenus ibi hæc verba cum illis Prouerb. 5. vers. 15. *Bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui: sit vena tua benedicta*; siue vt hæc verba legit Nyssenus ex

Prob. 5. vers. 15. *Nyssen. LXX.* LXX. *Fons tuus aquæ sit tibi proprius*: vt perinde sit: *ac proprio anulo consignatus*: vbi omninò obserua Augustinum lib. 2. *contra Crescon.* hanc Salomonis sententiam sic inflectere, vt ipsimet Deo prophetico ore videatur à Sapiẽte ingesta: quasi ipse Deum reuerenter admoneat, quonam pacto cum Maria Matre eius futurâ se gerere debeat: nempe vt illa fons Dei proprius, & anulo suo consignatus, & vena benedicta omnis omnino maledictionis expers foret, ad quam nullus serpenti pateret aditus: vt videlicet à purissima origine tùm vena vitalis aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano defluerent, & paradisus malorũ punicorũ pullularet: tum vel maxime ipsemet Dei Filius pulcherrimã originem duceret à vena benedictâ, & gratiâ plena. Quo in loco obserua, quam perenni cursu in Mariâ ferri dicatur virtutum vena vitalis, vt aquæ, quæ fluunt impetu de Libano: virtutes nimirum feruidæ, constantes, florentes, atque ingenti alacritate exercitæ, ea præsertim ratione, quod origini suę, & immunitati à culpa originali respondeant: sicuti paradisi huius fructus signatè dicuntur esse malorũ

Augus.

puni-

punicorum: cum tamen non omnes paradiſi plantæ, aut fructus malo granata eſſent, ſed potius omnium ſpecierum arbores: ea omninò ratione quid in Deipara cunctarũ germina gratiarum, & cunctæ virtutes eſſent adinſtar mali punici, quod regio diademate coronatur eximiæ, eminentiſsimæ, & in gradu heroico (qui reſpicit obiecta ſublimia, & elicit actus vndequaque excellentiſsimos) omninò exercentur: pulchrè ſuggerente Deiparæ ſapiente Idiota in lib. de contemplatione Mariæ, cap. 2. *Tot habuiſti pulchritudines quot virtutes, & ſingulas in altiori gradu, quam conceſſum fuerit poſt Filium tuum benedictum puræ creaturæ.* Et eodem ductu Bernardo ſermon. 4. *de Aſſumptione* affirmante: *Cæteræ quoque virtutes (ſi diligenter aduertas) ſingulares prorſus inuenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes. Quæ enim vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti ſacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei! Quanta verò, & quam pretioſa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conſciẽtia prorſus abſque delicto, immo cum tanta gratiæ plenitudine*: Hæc Bernardus. Vides vt origini, & fonti fructus reſpondeant? Sed & id vel à contrario collige, ſiquidem in nobis vt virtutes videas, at non adeò florentes, feruidas, coſtantes velut aquæ, quæ impetu fluunt de Libano, ſed potius ſæpè ſæpius tepidas, marcidas, atquè languẽtes: Cur hoc, niſi quia homo in peccato conceptus grauem cum animo luctam ſuſtinẽs iure dixerit cum Paulo: *Nõ quod volo bonum, hoc facio* (ad Rom. 7. v. 19. ideſt non operor bonũ eo animi impetu, alacritate, & conſtantiâ, quâ operari par erat.

IV Accinit illuſtris Vatis locus Pſal. 86. qui cum totus ſit de Mariæ laudibus, vt frequenter à PP. & interpretib⁹, ſancta Matre Eccleſia applaudẽte explicatur, hęc habet ſignatiſsima de Deipara verba: v. 7. *Sicut lætantiũ omniũ habitatio eſt in te*: quæ Richar. à S. Laurent. bifariam de Maria accepit. Vno modo lib. 4. *de laud. Virg.* vt ipſa Deitatis habitatio eaque iucũdiſsima propter egregias ipſius virtutes fuerit: ſic enim ait: *Maria non ſolius Filij eſt habitatio: immo totius Trinitatis eſt habitatio gaudioſa*: ſicut lætantiũ omniũ habitatio eſt in te: *& omnes ad portũ vitæ ferat*: ita Richar. Sed proprius rẽ noſtrã obſerua, Hieronimũ, hęc verba ſic trãsferre: *Et cãtores quaſi in choris omnes fontes mei in te*: quæ ex aliis translationibus ab originibus elicitis plusplus explicãtur: & eę quidẽ vt obſeruat P. Lorinus hę ſunt: *Omnes aſpectus oculorũ*: ſiue (vt alij Hebræa exprimunt) *omnes cogitationes: ſtudia prouidentiæ meæ in te*: quibus hic manifeſtus, iſque pulcherrimus ſenſus ſubeſt, Deũ in Mariã omnes benignitatis ſuæ aſpectus, cogitationes, & curas ea accurata prouidentia poſuiſſe, vt dona, & gratiæ ipſi collatę adinſtar petitiſsimorũ cantorum ſuauiſsimam harmoniã, & cõſonantiã redderẽt; ſic omnibus interſe concinentibus, vt nulla ab altera diſſonaret: dixit quippè argutè Philo in lib. de temulẽtia, eã muſicæ artẽ, & legẽ eſſe, vt vno tãtũ ſono diſcrepante, muſica deficiat: *Lyra* (inquit) *& inſtrumẽtũ muſicũ deficit, etſi tantũ vnus ſonus diſcrepet.* Cape ergo hinc vatis ſenſum pro Marię immunitate cũctis ipſius donis, & virtutibus cõcinẽte: Primo enim ex eius mẽte dũ omnes gratiarũ, & donorum Dei fontes in Mariã confluunt, tanquã ſuauiſsimę & omni ex parte ſibi conſonãtes voces muſicæ: peccatũ originale, quod diffinitur *habitus diſſimilitudinis*,

Idiota. *Bernar.* *Pſal. 86. v. 7.* *Richar. à S. Laur.* *Hieron.* *P. Lorin. Lect. Hebr.* *Philo.*

& rei dissonæ ab ipsa procul tuisse necesse est cũ omnis omnino cõcẽtus deficiat, *& si vnus tantum sonus discrepet*: maximè cum hic cõcentus non nisi à Diuino, & prouidẽtissimo chori Magistro, & præcẽtore prouenial: Credis nè ipsum in primo Musices puncto ab scopo aberrasse, siue à concentu discrepasse? immo verò illum à primo puncto totũ subsequẽtem cõcentum instituisse, vt omnes benigni oculorum aspectus, cogitationes, & studia prouidẽtiæ suæ, omnesque donorũ fontes in Maria tãquam sibi in suauissimam cõsonantiam cõsentientes musicæ voces cõstituti fuerint: Sub quo quidem sensu Andræas Hierosol. orat. *in salutationem Angelicam* Mariã appellauit: *Organũ lætitiæ* ob pulcherrimã scilicet harmoniã vitæ, & virtutum, omnibus interse cõcinentibus, quin dissonus aliquis sonus in ipsa aliquãdò inuentus fuerit: vt proinde signatè ab Angelo *gratiâ plena*, dicta sit Lucæ 1. v. 18. hęc verba in hunc sensum inflectente Richard. à S. Lauren. hũc in modũ, *& nota quod dicitur*: gratia plena. *Nõ gratiarũ, aut gratis: sicut Esther dixisse legitur Assuerus*: Facies tua plena est gratiarum, *c.* 11. *v.* 17. *Non enim mirabile videtur: si multis gratiis plena diceretur: neque tãm vnâ, quã plena ostẽderetur omnibus fortasse simul sumptis, sed ita gratiarũ plena est, vt vnaquæque gratiarũ plena sit.* Pergit multis vt ostẽdat nihil in Maria vacuũ, nihil dissonum fuisse: ait enim: *Adeò plena humilitate, vt nullus in eâ locus relinqueretur superbiæ: nõ enim habent viri sancti illã plenitudinẽ, quin vel cogitatione quãdoq; cor eorũ occupet superbia, saltẽ venialis: sed speciale priuilegiũ Mariæ Virginis fuit, vt nec cogitationẽ eius vitiũ aliquod occuparet. Similitèr sic plena castitate, vt nec cogitationẽm eius vnquã occuparet luxuria, quæ in sanctis quandòque sublimiora loca sibi vendicare contendit. Nec solâ cogitatione contenta est, sed etiam per primos motus in affectionẽ irrumpere molitur. Sic & plena charitate, vt nec nouissimum, vel modicũ locum inuidia, ira, vel odium in ipsâ occupauerit, & sic de singulis virtutibus.* Hactenus Richardus: opportunè plenitudinem singularum virtutum Mariæ pendens, vt ab ipsis consonantiam cum origine obserues, vt ab illa subsistat Dauidis elogium: *Et cantores quasi in choris omnes fontes mei in te*: cum alioquin lyra, & instrumentum musicum deficiat, si vnus tantum sonus discrepet.

Andr. Hieros.

Luc. ver. 18.

Richar. à S. Lau.

Cant. 7. vers. 7. LXX.

Richard. à S. Lau.

V.

Quod si animum intendis; non tantum inueneris in Mariæ donis, & virtutibus pulcherrimum hunc concentum, vt finis principio, & primæ origini egregiæ actiones respondeant, sed illud etiam notanter, quod à primo Conceptionis exordio peculiarem vim, atque vitalem succum, & eminentiæ celsitudinem Deiparæ virtutes, & de hoste relatæ victoriæ hauserint: Enim verò cœlestis sponsus haud obscure in palmæ imagine hanc nobis cogitationem expressit Canticor. 7. versicul. 7. Mariæ suggerens: *Statura tua assimilata est palmæ*: quæ LXX. sic expressere. *Hæc magnitudo tua similis facta est palmæ*: sed in hac imagine, negotium tibi forsan facesset, Mariæ staturam, hoc est propriam magnitudinem, & eminentiam, siue totã ipsius quanta quanta est proceritatem, & mensuram pœnè immensam cum palmâ componi, cum tamen palma inter plantas non sit altior cæteris, aut procerior, cedro, populo, & aliis altitudine illam superantibus, & ita quidem cum cedro in Scriptura, & à Patribus Deiparæ cõponi solet, vt ab hâc imagine ipsam cunctis sanctis sanctiorem, & ab humero, & sursũ illis eminẽtiorẽ faciãt vt hunc in modum Richar. à S. Laur. *lib. 12. de laudib. Virgin.* obseruauit.

Arbor eſt procera, & eminentiſsima ſuper omnes arbores: vndè à quibuſdã dicitur Rex arborũ, & benè competit dignitati Mariæ: ideò dicit. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano *Eccl.*24. *Alta fuit Maria, quæ inſtar Saulis* (1.Reg.10.) *ab humero, & ſurſum ſanctis ſupereminet vniuerſis.* 1.Re.10 A Sic ille: Verum enim vero, ſi benè rem æſtimas, ad ſignificandam Mariæ ſtaturam, conuenientem ſcilicet illi magnitudinem; & qua metiri poteſt a primo Cõceptionis ſuæ vſque ad vltimum vitæ inſtans menſuram, nihil omninò aptius, aut ſignificantius, quam palma potuit excogitari: parum ſiquidem fuit, eam deſcribi Deiparæ ſtaturam, quæ ab humero, & ſurſum ſanctis ſupereminere vniuerſis, niſi etiam adderetur ipſam omnes omninò ſanctorum omnium virtutes comprehendere, & omnibus omninò ſanctorum omniũ ſtaturis eminentiorẽ eſſe: Quæ quidẽ omnia in palmæ imagine ad Mariæ ſtaturam relatâ mirificè exprimuntur: Nam præterquam, quod è Plutarcho dicitur tot palmæ ineſſe virtutes, quot sũt anni dies: ſic enim ille in Sympoſion c.5. *Plutarc.* *Babilonij palmã hominibus fructus ferre trecẽtos, & ſexaginta aſſerebant, vt ideò anni, qui tot circiter diebus conſtat, ſymbolum eſſet*; quod Virgini accommodatum perinde eſſe dixeris, ac Mariam tot virtutum fructus ferre, quot omnes omninò ſancti, atque electi, qui in cũctis annũ diebus vitæ curſum feliciter confecerunt firmiorem quidem habemus confirmationem, cũ palma ſiue in ſacris, ſiue apud exteros, perpetuum victoriæ ſymbolum ſiue ex nomine ipſo fuerit: nã vt inquit S. Iſidorus lib.17. originum c.7. *S. Iſidor.* *Palma dicta, quia manus victricis ornatus eſt:* vndè quidem in Apocalypſi, beati vt victorias, & triũphos, quos de diabolo, mũdo, & carne retulerunt, cœleſtibus ſpiritibus feliciter oſtentent, palmas in manibus habere dicuntur, ita enim ibi c.7. vers. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnã, quã dinumerare nemo poterat ex omnibus gẽtibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorũ*: acproinde Deiparæ aptata plenã ipſius laudationẽ præferat; dũ eius ſtatura cũ palma cõpoſita omninò ſignificat, in Maria primũ omniũ ſanctorũ palmas, victorias, & triumphos eminere: nã vt eorũ ſinguli ſingulos palmę ramos in manibus geſtant, ita Maria, quæ ipſamet palma eſſe dicitur, tot in ſe palmas ſiue palmæ ramos præfert, quot omnes omnino ſancti in manibus habent, vti opportunè docent Bonauent. & Richard. a S. Laurentio: Hic enim lib.12. *de laud. Virg.* ſic ait: *Beatæ Virgini nulla defuit virtus: nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec ſcientia Prophetarũ, nec zelus Apoſtolorum, nec innocentia, aut humilitas Virginũ*, Bonauent. verò in *ſpeculo Virg. c.3.* inflectens in Mariæ virtutes verba Eccl.c.1.v.7. omnia flumina intrant in mare hæc pulchrè affirmat: *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata intrant in Mariã. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam: Flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam: flumen gratiæ Apoſtolorum intrat in Mariam: flumẽ gratiæ Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Doctorum intrat in Mariam. Omnia flumina intrant in Mariam*, iuxta illud omnia flumina intrant in mare: Hactenus Bonauent.

Apoca. 7. ver. 9.

Richar. à S. Lau.

Eccl. 1. v. 7. Bonau.

VI

Deinde verò innuitur Mariæ ſtaturam eſſe omninò iuſtam debita ſcilicet, & mutuâ proportione conſtãtem, ſibique correſpondentẽ, vt nihil in ipſa fuerit, quod victoria nõ ſit, & victoriã referat à principio vſq; ad finem, à primo nimirũ Conceptionis ſuæ inſtanti, vſq; ad vltimũ ſanctiſsimæ vitæ ſuæ momẽtũ, in hũc ſenſum

Dionis. Carth. lic capiente hæc verba Dionyſio Carthuſiano ibi: *Nunquam per culpam eſt incuruata, ſed in omni virtute & ſapientiâ iugiter ſtetit erecta, ac glorioſiſsimè de hoſtibus inuiſibilibus triumphauit. Vndè victoriæ palmâ debuit inſigniri:* ita ille: Sed vt hanc palmæ ſtaturã penitius videris vndequaque conſtantẽ, & diuinum victoriarum, & triumphorum Mariæ concentũ, atque omnes diuinæ prouidentiæ fontes quaſi cantores in choris nihil omninò diſſonum proferentes, obſerua ipſiſsimam palmæ naturam: cuius vitalis vis, à quâ ſubſtitit, non eſt in radicibus, vt aliis plãtis contingit, ſed in ſummo ſita: ita id *Philo.* Philone Hebræo in lib. *de vita Moyſis* affirmante: *Palma arborũ præſtãtiſsima, aſpectu pulcherrima fructum quoque fert optimũ, & vitalem vim habet nõ in radicibus defoſſam, vt cæteræ, ſed in ſummo quaſi cor ſitam,* ſic Philo, vt hinc Mariæ victorias à primo Conceptionis inſtanti, vſque ad extremum vitæ punctum, ſibi inuicẽ concinentes contempleris: adeo enim non fuit vnquam incuruata per culpam ſiue actualẽ, ſiue originalẽ, vt ad inſtar palmæ radices in terrâ nõ egerit, nec vitalem vim læthali ſucco originalis labis infectam à parentibus traxerit, quæ potius à diuinę gratię protectione cœleſtem, hoc eſt purum, & intaminatum originẽ habuit cui cæteræ victoriæ, ſeu vitæ partes cõcinuere: vt quod de viro iuſto, atquè ſapiente cœlum potius, quam terrã ſpectante dixit Seneca epiſt. 39. *Surſum illum vocant initia ſua:* id de Maria, quæ vt palma vitalẽ vim non in radicibus defoſſam, ſed in ſummo velut cor ſitam habuit, veriſsimè dixerimus: cuius initia ſurſũ illam ſemper vocauerunt: vt ad referendas per totum vitæ curſum victorias, conditionis ſuæ à terrenâ labe immunis indeſinenter admonerent: atquè ab illa curſu perenni ferretur diuinorum fontiũ vena vitalis.

Seneca.

EIVSDEM ARGVMENTI.

MARIAM ab originaria labe immunem eſſe, cuius origo fini, cuius finis origini reſpondet.

ADNOTATIO VII.

LIBET immorari in perpetua, & ſibi ipſi adinuicem reſpondente Mariæ puritate: & iis quę modo adduximus denuo adſtipulatur margaritæ imago, à nobis non ſemel pro Deiparæ immunitate elucidata cui modo peculiaris aſpectus ſubeſt. Nimirum Mariam illam eſſe margaritam, quã cœleſtis negotiator dicitur inueniſſe, & pro ea quæcumque haberet, liben ter dediſſe, vt ſibi compararet: Mat thæi 13. verſ. 46. ex Richardo à S. Laur. lib 6. de *laudib. Mariæ* in ſuperioribus adſtruximus: *Ipſa eſt enim* (dicebat ille) *pretioſa illa Margarita, quæ quaſi ſingularis in Euangelio introducitur integrâ carne, & ſpiritu, in tantum concupiſcibilis, vt diuinos animos in ſe conuerteret, & vt tota Dei fieret, in cuius negotiatione, abſque omni exceptione negotiator cœleſtis omnia ſua diſtrahit, & commutat,* atquè inſuper ea verba: *Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuentâ autem vnâ pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam:* ſic premebamus, vt ideò cœleſtis negotiator, cum plures margaritas quæreret, vna tantum inuenta fuerit contentus, quod talis, tantaque ſit Mariæ dignitas, tot tamq; diuinæ ipſius virtutes, & gratiæ, vt ipſa ſemel inuenta,

1

Matt. 13. v. 46. Richard à S. Lau.

&

& omnes in ea electæ mentes inuentæ, & cunctæ illorum virtutes, & merita cõquisita videãtur. Iã verò hunc in sensum obserua quid de Maria dixerit Diuinus Spiritus Cant. 1. v. 10.

Le. Heb. *Collum tuum sicut monilia, scil. in monilibus,* vt est in Hebræo: Sed ici re est operæpretium Hebræam vocẽ *haruzim*, quæ respondet, *monilibus* propriè significare margaritas perforatas, & copulatas filo, quod Hispanè dicimus *Hilo de perlas*, siue *Sarta de perlas*: Quod ad virtutes, & egregias actiones signate retulit Gregorius Nyssenus ibi, vt planũ fiat, quod de Maria dicitur, *ornatam monilibus filiam Hierusalem Dominus concupiuit*, hoc est ornatam fuisse Deiparam cunctorum sanctorum virtutibus, ideoque, Cant. 6 vers. 3. illis in

Cant. 6. vers. 3. verbis, *decora sicut Ierusalem*, in pulchritudine cum tota cœlesti Hierusalem componi, de qua dicitur Apocalyps 21. vers. 21. *& duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, quod quidquid pretiosũ in cœlesti Hierusalẽ inuenitur, & per eius portas, aut intrauit, aut intrabit omne id splendidius in Maria emineat. A quo non ire videtur Bonauent. *in speculo Mariæ*, c. 13. inquiens. *Mariam egredientem, progredientem, ingredientem, & supergredienteminuenimus. Egressus est naturæ, progressus gratiæ, ingressus gloriæ, super gressus abundantiæ. Egressa est nascendo: progressa proficiendo: ingressa perueniendo: supergressa omnes sanctos excedendo: egressa est sine peccato, progressa sine exemplo, ingressa sine obstaculo: supergressa, sine termino*. Sic ille.

II Vides Marię collum omnibus Margaritis cœlestis Hierusalem ornatam? Vide iam diuinarum Mariæ virtutum concentum cum primo cõceptionis instanti in margaritæ imagine mirum in modum expressum, quippe margaritæ cõceptus, vt iam vidimus totus a cœli rore est, quin aliquid trahat à maris amaritudine illum sic describente Plinio lib. 9. cap. 35. *Origo, aut genitura conchæ est haud multum ostrearum conchis differens, has vbi genitales anni stimulauerint, ora pandentes sese quâdam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt: grauidas postea emitti: partumque Concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti, si purus influxerit, candorem conspici: si vero turbidus, & fætum sordescere: eumdem pallere cœlo minante: conceptum quippe ex eo cõstare, cœlique eis maiorem societatem esse quam maris.* Hæc ille ex quibus colligo Mariã vt à primo conceptionis sue instanti fuit palma, egregiam tunc de hoste victoriam consecuta: itidem, & margaritam fuisse cuius conceptus cœlo constat, cœlique ei maior societas, quam maris est: Vt à primo Conceptionis momento iure dixerit ipsa, quod Paulus de egregiæ vitæ, & morum suorum institutione iam senex, & grandæuus dicebat: *Conuersatio nostra in cœlis est*: ad Philipp. 3 vers. 20. qua cœlestis gratiæ rore immaculatè concepta est, & si benè æstimas, non à turbido parentum influxu, qui à concupiscentiâ carnali, aut à stro libidinis sordido inficeretur, cum ipsi ad Mariæ conceptionẽ non nisi diuinæ prouidentiæ ordinationi obsequentes conuenerint, vt de illis tunc aptius quodammodo vnum spiritum, quam vnum corpus effectos fuisse dixeris: dequibus apud S. Brigittam in Reuelationibus lib. 1. cap. 9 sic habetur. *Et cũ nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat*: Et eodem loco ex ipsusmet Deiparæ verbis hæc subijciuntur: *Ioachimus, & Anna ex charitate diuinâ,*

Plinius. *Philip. 3 vers. 20.* *B. Birgi.*

&

& ex verbo Angeli conuenerũt carne, non ex concupiſcentiâ aliqua voluptatis, ſed contra ſuam voluntatem ex diuinâ dilectione, & ſic ex ſemine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata eſt. Hæc ibi. Opportunè ergo, vt de diuina hac margaritâ dicitur adeo omnium cœleſtium margaritarum pretium in ſe cõtinere, vt eâ inuenta cunctæ inuentæ videantur, ita de eius conceptu aſſeritur, ex cœli rore non à mari eſſe, qui *ſi purus influxerit candorem cõſpici*, vt à primo Conceptionis Mariæ momento, ad vltimum vſque vitæ punctum nihil ipſa candidius, nihil purius, aut magis immaculatum fuerit. Nimirum cum de Maria dicitur Cant. 8. verſ. 5. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Quæ Ambroſius ſecutus LXX. legit: *Quæ aſcendit candidâ?* æque de Cõceptione, atque de tota ipſius vita, & glorioſa in cœlos Aſſumptione accipi poſſunt; nam *Mariam egredientem, progredientem, & ſuperegredientem inuenimus. Egreſſa eſt ſine peccato, progreſſa, ſine exemplo, ingreſſa ſine obſtaculo, ſupergreſſa ſine termino.* Cuius origo fini, & cuius finis origini in candore reſponder.

Cant. 8. verſ. 5. LXX.

Enim vero cœleſti huic diuinæ Margaritæ conceptui appoſitè concinit cœli imago, ſub quâ PP. Mariæ virtutes elucidare cõlueuerunt: Gregorius ſi quidem Neoceſarienſis Orat. 3. de *Annuntiatione*: ſignate illam vocauit, *cœlum alterum, quod eſt in terrâ*, & Damaſcenus Orat. 1. de Natiuitate Virginis: *cœlum viuũ cœlis ipſis latius*, & S. Epiphanius Orat. de Deipara *cœlum ſplendidum* & Andræas Cretenſis, *cœlum eius, qui terram cœlum fecit*, & Philipp. Abbas *cœlum mirabile*, & omnino ad rem noſtram Bonauentura in *ſpeculo Virginis*, cap. 5, inquiens: *Cœlũ eſt Maria, tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus alijs virtutibus abundauit, tum quia ſedes Dei altiſſima fuit.* Quibus in verbis, & in ipſamet cœli imagine, quod in ſe ipſum voluitur, obſerua cœleſtem puritatem, quæ ab initio perpetua eſt cum cœleſtibus virtutibus cõcinentem, vt Deipara cœlũ ſemper fuerit à cœleſti conceptu. Cui cogitationi conſonat S. Petri Damiani ratiocinatio epiſt. 57. dũ hominem corpore, & animâ conſtantem cum ſphæra cœli eleganter componit hũc in modum: *Quod ſphæra cœli, quæ Planetas includit, niſi corpus deſignat humanum, quod rationalem animam contegit? Quæ videlicet anima quaſi ſeptenaris Planetarum numero continetur, dum totidem Spiritus Sancti donis imbuitur. Et quid eſt, quod Sphæra labitur ad occaſum è contra Planetæ concorditer enituntur, niſi hoc quod Apoſtolus dicit:* Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnẽ: hæc enim duo ſibi aduerſantur: *Ad Galatas 5. verſ. 17. Planetæ ſeptem enitũtur ad ortum, cum anima rationalis inſtinctu Spiritus Sancti incitata redire conantur ad Deum: Sphæra prolabitur ad occaſum, cum carograuatur iniuriâ vitiorum:* Hæc S. Petr. Damianus. Quæ componas velim cum cœlo viuo, mirabili, & ſplendido Mariæ cuius anima à primo Conceptionis ſuæ inſtanti quaſi, *Septenario planetarum numero cõtinetur*: dum *totidem Spiritus Sancti donis imbuitur.* Cœleſtibus ipſa virtutibus ad Orientem ſemper emitente, vt illis primęuæ puritati in qua concepta fuit reſpondeat, immo etiam, vt à cœleſti conceptu planetæ ſeptem enitantur ad ortum, & Mariæ conuerſatio in cœlis ſemper fuerit.

Gr. Nœo. Damaſ. Epipha. An. Cr. Philipp. Bonaue. Per. Da

Firmat hæc omnia, quæſita virgulæ fumi ſimilitudo, quam pro immenſa Mariæ ſanctitate omnibus gratijs, atque virtutibus conſpicua, ita nobis propoſuit Salomon Can. 3. ver. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertam ſicut virgula fumi ex aroma-*

Cans. 3. verſ. 6.

tibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij: Sub hoc omnino sensu eam accipientibus PP. Quorum ore S. Ildephonsus serm. 3. de *Assumptione*, sic loquitur. *Admiratio illa Angelica non de Virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiæ venit, quia vniuersæ virtutes in eâ respergebant ex incendio diuini amoris suauitatem odoris*: Sic ille: ad cuius gustum S. Petrus Damianus ser. de *Assumptione Virginis*, inquit. *Vniuersus puluis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conuentus reuerẽdum sibi thalamum consecrauit*: Hęc S. Petr. Damian. & illud quidem pulchrè. *Virtutum cõuentus*, vt tota gratiarũ, & virtutũ vniuersitas miro cũ ordine, atq; cõcordia sibi cõcinẽtes in Dei paracopulatæ fuerint. Nec omiserim Venerab. Guilhelm. apud P. Martinum del Rio ibi hæc ita diffundentẽ. *Audis hic: Virgulã* fumi ex aromatibus? &c. *Fuit Deigenitrix recta per actionem: fragrans per bonam existimationis famam: sursum recta per mentis sinceram intentionem. Quid prodest rectitudo actionis cum fragrantiâ boni nominis, si tibi fragres ô homo, non Deo, ideſt propriam gloriam quæras, non Dei? iunge tertium vt ascendas similis Mariæ. Denique, quia nihil deesse potuit spiritualiũ aromatum ei, quæ genuit fõtem charismatum: sequitur*: vniuersi pulueris pigmentarij. *Pigmentarius iste est ipse Deus. Vnde Iacobus Apostolus*: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descens à Patre luminum (*Iacobi* 1. *versic.* 17.) *quasi diceret. omne spirituale pigmentum â summo illo pigmentario est*. Sic Guilhelmus, qui pergit multis, quæ vide ibi: & consentanea illis apud Richardum à S. Laurentio lib. 12. de *Laudibus Virginis*, vt nos, quæ propria sunt nostri instituti expendamus.

S. Ild. *S. Petr. Damia.* *Gailliel.*

A B C D E

Duo ergo obserua, alterum signate egregiæ istæ Mariæ virtutes in fumo recta in cœlum ascendente significari: quippe, vt interpretibus notare solemne est ex Hebræorum Magistris, virgula fumi ex aromatibus, & suffimentis elata, apud Hebræos *palma fumi*, vocabatur, *quod* (inquit Rabbi Dauid Kimchi) *Veteres ex Alexandriâ, vsque artifices euocarent peritos suffumigationis, quæ in palmæ morem sursum ascenderet rectâ, non obliquè, hac, illac vel distraheretur, quod ipsi facere nesciebant*. Vt argumento fuerit, B. Virgini, vt nullam virtutem defuisse nouimus, ita singulis virtutibus omnimodam perfectionem, siue à feruore, siue à continuatione, & perseuerantia desumptâ semper adfuisse, quod vni Virgini proprium, & singulare fuit: nam quis adeo excellentis sanctitatis fuerit, qui vt cœptum virtutis cursum non ruperit, sed nec interrũperet, in ipso tamen non sit aliquando, vel ab inani gloria vel ab aliqua affectione, siue etiam à tepore tantisper remoratus humanæ fragilitatis flatibus hac illac vel virtutis suffumigatione distracta, vt Maria inter omnes mortales *virgula*, siue *palma fumi* odoratissimi fuerit, quæ à primo Conceptionis instanti vni Deo tragrauit, & vsque ad extremum vitæ momentum sursum recta ascendit, quin vlla vmquam dies, nec vlla diei, noctis ve particula fuerit in qua aliquod humanæ mortalitatis fiatu heroici illi, ac diuinissimi virtutum actus quos ipsa exercebat, aliquatenus distraherentur: pulchrè hanc cogitationem firmante, & præstringente Ioanne Geometra hymno 2. vbi Deiparam, ita consalutat: *Salue cœlum exsultans, & sine flatibus vllis affectus expers*. Compone ergo virgulam fumi rectâ ascendentis cum cœlo sereno, & *sine flatibus vllis*, qui odoratissimum diuinæ dilectionis, atque cæterarum virtutum fumũ

V

R. Dau.

Geomet.

vlla

vlla ratione, & modo possent distrahere, atque his adde, quę de Deiparæ virtutibus dixit Richard. à S. Victore, cap. 26. in Cantica: *in ipsa* (inquit) *Virtutes erant perfectæ, & in continuum vsum transfussæ*, quæ bene explicant virgulæ fumum continuo cursu recta ascendentem: subijcit deinde: *Habuit virtutes, sine perturbatione, vel passionibus vitiorum & has possedit cum amore delectata.* En cœlum exsultans, & sine flatibus vllis affectus expers.

VI Iam alterum, quod immunitatis Mariæ proprium est in præfatis verbis obserua. Nimirum ipsam non cũ arbore odorifera radicibus innixa, sed cum virgula componi allusione facta ad virgam de *radice Iesse* Isaiæ 11. vers. 1. de qua Hieronymus ibi: *Virgam de radice Iesse sanctam, Mariam Virginẽ intelligamus*: quo in loco, vt à nobis non semel est obseruatum, Hebræam vocem *gueśog*, quæ respondet voci *radici* propriè transtuleris, *ex trunco præciso*, vt facer scriptor iã exinde voluerit occurrere ijs, qui rem ad faciẽ considerantes, potius quã introspicientes puritatis Cõceptionis Mariæ radices parentum ex lege cõmuni siue ex vitiatâ natura obtuisse crediderint accurato verbo illos admonens, adeo fuisse expertem Mariam generalis corruptionis à vitiata Adæ radice aduenientis, ac si truncohumanæ generationis præciso a terrenis parentibus non duceret ortum. Quam cogitationem videtur exprimere Richard. à Sancto Victore lib. primo de Emmanuele inquiens. *Radix nostræ corraptibilitatis germinare incipit ab hora Conceptionis: Sed ecce in Beata Mariâ ibi præciditur, vnde germinasse videbatur:* Hæc Richard. apud quem vides truncum, siue radicem Mariæ præcisam, vt nihil humanæ corruptibilitatis ei posset ad hęrere. Iam vero si requiris, quo de fonte siue de qua radice diuino huius virgæ flores fructusque odoratissimi virtutũ pullulauerint, qui adeo fuerint perfecti, vt nulli vnquam imperfectioni subiacuerint? facile respondebimus ex trunco præciso, ex immunitate scilicet Mariæ, quæ nullum cum vitiata Adæ radice quæ fructificat morti (vt inquit Paulus ad Roman. 7. vers. 5.) & omne cum Diuino spiritu qui fons gratiarum est, commercium habuit, vt in virgula fumi à primo instanti, vsque ad vltimum recta ascendenti finis origini origo fini responderet.

VII Nec fuerit minus in hanc rem opportuna acerui tritici imago, qua idemmet Diuinus Sponsus ad significandam omnium virtutum multitudinem, & omnimoda in virtutibus perfectione, quæ in Maria eminebat sit eleganter vsus est. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Cant. 7. 2. Vbi statim tibi occurret, copiosissima, & opulentissima fidelium seges Christi sanguine sata, & in eius laudem, & gloriam perpetuo excrescens: ipsomet apud Ioan. 12. 24. dicente: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: huic ea verba inflectente Ambrosio lib. de *institut. Virg.* cap. 14. ad hunc modum. *In quo Virginis vtero simul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat, quoniam, & granum tritici generabat, & lilium: granum tritici secundum, quod scriptum est:* Amen Amen dico Vobis nisi granũ tritici cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet: *Sed quia de vno grano tritici*, aceruus, *est factus completum est illud Propheticum:* Et conualles abundabunt frumento Psalm. 64. 14. *quia granũ illud* mortuum plurimum fructũ, *attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua cœlestium munerum escâ saturauit.* Sic Ambrosius in hoc aceruo tritici eam filiorum Ecclesiæ segetem

Isai. 11. *vers.* 1. *Hierony Le. Heb.*

Ric. à S. Victor.

cog-

cognoſcens, de qua pulchrè S. Leo Magnus ſerm.1.de *SS.Petro & Paulo* dicebat: *Sæpe Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur*: At enim vero Rupertus totum hunc aceruum ad Mariam retulit, quaſi in ipſa tota ſeges, tota meſsis, totus tritici aceruus eſſet: Sic enim ille. *Venter tuus, venter interioris hominis, iuxta quod quodam loco dixit* (Ioan.7.18.) Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuę, *ipſe eſt* ſicut aceruus tritici, *ideſt nunquam indiget pane Verbi Dei, immo abundat omni tritico, quodcumque ſeminauerunt omnes alij, &c. Hinc venter tuus*, ſicut aceruus tritici, *quod videlicet triticum prudenter congregaſti*. Hæc, & alia ille: Quin altera ab altera expoſitione diſsideat: dum Ambroſius ipſummet ſanctorum omnium aceruum è grano mortuo pullulantem in Mariæ ventre cõſtituit: Rupertus vero hærens particulæ, *ſicut* Mariam toti huic aceruo ſupparem fecit, ſcite affirmans, in ipſa inueniri. *Quodcumque ſeminauerunt omnes alij*: Omnes ſcilicet virtutes, cuncta ex virtutibus merita, omnia egregia facta, & quidquid laudis, & Virtutis in cunctis Eccleſiæ filijs floruit, vel, ſi mauis, illud de vtraque ſibi continente explicatione iudiciũ fer, vt Ambroſius cum beata illa mulliere dixerit: *Beatus venter, qui te portauit*: Rupertus verò ad Domini mentem Mariã prædicauerit beatam, quod *Verbum Dei*, qui *panis eſt vitæ*, cuſtodierit abundans, *omni tritico virtutum*, quodcumque ſeminauerunt omnes alij: Lucæ 11.27.

VIII

Quod ſi animum intendis ad accuratum dicendi modum, quo Salomon in deſcribendis, & laudandis Marię virtutibus vſus eſt, dum ipſam non cum meſſe, aut ſegete, aut ſpicarum omnium manipulis in areâ iam confertis, ſed ſingillatim cum aceruomet tritici compoſuit: omninò videris, quod num. præced. notauimus adeo eſſe perfectas Mariæ virtutes, adeo ipſius vitam omnimoda puritate, & cœleſti ſanctitate eſſe plenã nec minima ſordis palea in ipſam vnquã potuerit incidere, ineſt quippe hæc epitaſis acerui tritici imagini: nam & ſegeti, & meſsi, & ſpicis in aream corrogatis, paleæ, & ariſtæ inſunt donec iſtis in area ventilatis meſsis in aceruum purum, & mundũ à ſordibus, & palcis euadat. Enimuero mortalium nullus dici potuit tritici aceruus, nam *nullus mundus à ſorde: nec infans cui vnius diei vita eſt ſuper terram* (Iob.14. verſ.4. iuxta lectionem LXX. Etenim præterquam quod ſæpius in viris etiam iuſtis non omnino plena meſsis ſit: non nullasque vacuas ferat ſpicas ſeges, vt dixit ille, *ſpem mentita ſeges*, quę videlicet non tulerit omnino plenas ſpicas a quibus feraces illi obuenerint prouentus, quales Philippenſibus exoptabat Paulus cap. 1. verſ. 11. *Repleti fructu iuſtitiæ*, ipſismet etiam hominibus perfectis inſunt paleæ, ſiue ſtipulæ, aut ariſtæ, leuium peccatorum, & imperfectionum. Sola ergo Deipara veriſsimè dicitur puriſsimus aceruus quæ vel à minutiſsima ariſta, aut ſtipula munda fuit: de qua opportunè Richardus à S. Victore in Emmanuele, cap 30. inquit *Diuinus Amor in eâ adeo concaluit, adeo ipſam in omni bono ſolidauit, vt qualiſcumq; defectus in eam incidere omnino non poſſet, nec aliquid quod qualicumq; excuſationi ſubiaceret*. Ita ille: Quę alter Richardus à S. Laurentio premens verba Angeli: *Gratia plena*, 1. verſ. 28. opportuniſsimè diffundit, nam cum dixiſſet: *Quomodo enim cum tota gratiæ plenitudo deſcendiſſet in ea, vacuum aliquid reliquiſſet in ea: ſic enim vſque quaque impleta eſt gratia, vt nihil in ea culpa obtineret, nihil omnino culpæ re-*

Iob. 14. verſ. 4. LXX.

Philipp. 1. ve. 11.

Ric. à S. Victor.

Ric. à S. Lauren.

lictum

Ric. à S. Laurcn.

liſtum eſſet, nec etiam cogitatio: ſtatim obſeruat, non dictum fuiſſe Mariæ, quod Æſther (cap. 15. verſ. 17.) Aſſuero dixiſſe fertur: *Facies tua plena eſt gratiarũ*: Subijciens: *Nõ enim mirabile videtur ſi multis gratijs plena dicatur, ne quidem vna, quàm plena oſtenderetur omnibus ſimul ſumptis, ſed ita gratiarum plena eſt, vt vnaquæque gratiarum plena ſit. Verbi gratiâ. Adeo plena humilitate, vt nullus in ea locus relinqueretur ſuperbiæ, non enim habent viri ſancti illam plenitudinem, quin cogitatione quandoque cor eorum occupet ſuperbia ſaltem venialis. ſed ſpeciale priuilegium fuit B. Mariæ Virginis, vt nec etiam cogitationem eius vitium aliquod occuparet, ſimiliter ſic plena caſtitate, vt nec cogitationẽ eius vnquam occuparet luxuria, quæ in ſanctis quoque ſublimiora loca ſibi vendicare contendit. Nec ſola cogitatione contenta eſt, ſed etiam per primos motus in affectionem irrumpere molitur. Sic & plena charitate, vt nec nouiſſimum vel modicum locum inuidia, ira, vel odium in ipſa occupauerit, & ſic de ſingulis virtutibus.* Hæc Richard. à S. Laurentio, quibus nihil opportunius aceruo tritici, nihil dici potuit illuſtrius.

IX Iam vero aceruo tritici, ſeu huic virtutum plenitudini mire concinit lilium vallum: quod ad puritatẽ mentis, & corporis Deiparæ PP. referunt: & vero, vt Guilielmus apud Martinum del Rio in ea verba de cãdore Virginitatis ſolum modo accipiat obſeruans non dici: *Vallatus lilio, ſed lilijs propter duo lilia Virginitatis, vnum intus in animi propoſito, alterũ foris in corpore incorrupto.* Rupertus vero generali oratione de omnimoda vitæ puritate explicet inquiẽs. *Ergo tu, ô Sunamitis, ô filia Principis, corde, & corpore caſta, mente, & carne incorrupta, cogitatione, & opere munda.* Nobis, qui lilij imaginem in Superioribus ex ipſomet Salomone Deiparam cũ lilio componente ad immunitatem à peccato originali reuocauimus, modo hoc liliorũ ſeptũ de iuſtitia originali Marię multo opportuniº accipiẽdũ putamus, vt ab illo hic virtutum Deiparę aceruus tam bene ſeptus fortiterque munitus fuerit, vt nulli vnquam paleæ, ſiue ſtipulæ peccati quamtumuis leuiſſimi ſubiacuerit, & vallum aceruo, & aceruus vallo mire reſponderit, iuxta certiſſimã Auguſtini regulam lib. 5. cõtr. Iulianum cap. 9. quæ præſcribit, eum qui in adulta ætate peccatum non fecit, in infantili ætate originale peccatũ non cõtraxiſſe, de qua nos alibi fuſius modo ad alia.

Guiel. Rupert.

Auguſ.

DISSERTATIO. III.

MARIAM IMMACVLATE Conceptam, è re hæreditatis paternæ à Christo Domino acquirendæ fuisse.

MARIAM ab omni labe originali immunem esse, vt ab ea Dei Filius hæreditatem à Patre promissam iure capiat.

ADNOTATIO I.

I *M. Tulius-Ambr.*

SI lis in iudicio sit (dicebat M. Tul libr. 1. officiorum) *propinquum potius defenderis*. Pergit vero Ambrosius libro septimo in Lucam: *Quis autem amicior nobis, quam Christus, qui pro nobis corpus suum tradidit?* Ergo cum pro Mariæ immunitate acerrime litigas; scito adeo id Dei Filio bene esse, vt totus pœne acquirendæ hæreditatis titulus, & caussa in eo ipsi cardine versetur, vt Matrem omni labe carentẽ, & ab omni peccati seruitute à prima origine liberã omnino habeat: vt qui hanc Mariæ immunitatẽ deneget, aut in dubium reuocet, litem paternæ hæreditatis Christo quodãmodo inferre videatur: vt vel hac ratione iure dixerit Anselmus in homilia *de Conceptione Virginis*, quæ habetur in Breuiario Segobiẽsi: *Cõceptionem Dominicæ matris colere, Christi generationem est commemorare.* Quâ de re audi in primis ipsum summum Parentem hanc causam pro filio sic orantem apud Dauidẽ Psalm. 2. vers. 8. *Filius meus es tu: ego hodie genui te: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ:* vbi primũ vides verbum *genui*, quod proprium est æternæ generationis, quâ Dei filius consubstantialis est Patri temporali, quâ ex Maria homo factus est (de qua hic sermonem esse plures PP. testantur in quibus sunt Fulgent. Hieronym.

Ansel.

Psal. 2. vers. 8.

Fulgen. Hieron.

Nyssen. Thaum. Gregor. Cyril. Hieron. Lorin.

Nyssenus, Thaumaturg. Gregor. Cirillus Hierosolym. & alij apud P. Lorinũ) acommodatum, quod hęc illam exprimat, siue nobis explicet. Deinde vero obserua hanc quidem hæreditatẽ Christo Domino, non vt ex Patre ab æterno genito, sed vt in plenitudine temporis ex muliere facto fuisse delatam: ita id ad hæc verba obseruante August. hunc in modum: *Hoc iam tẽporaliter secũdum susceptum hominem, qui sacrificiũ sese obtulit pro omnib⁹ sacrificiis, qui etiã interpellat pro nobis, vt ad totã ipsam dispensationẽ temporalẽ, quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictũ est*, Postula à me: *vt scilicet gentes nomini Christiano copulentur*, atquè ita, *a morte redimantur, & possideantur à Deo: Dabo tibi gẽtes hæreditatẽ tuã, quas possideas ad earũ salutẽ, & quæ tibi fructificent spiritualia, & possessionem tuam terminos terræ. Idem repetitũ est. Terminos terræ pro eo tantũ, quod dictum est.* Dabo tibi gentes. *Possessionem autem tuam pro eo, quod dictum est*, hæreditatem tuam. Hæc ille, quæ sic opportune præstrinxit Agellius. *Hæc verba tantum humanæ Christi naturæ aptari possunt, in hac enim orauit, & accepit gentes hæreditatem, cum illa diuina æquali sit maiestate cum Patre.* Pergit Agellius. *Patris autem proprium est hæreditatem filijs relinquere: ideòque aptè posteaquam illum filium appellauit, & â Deo genitum dixit, hæreditatis mẽtionem fecit.* Ita Agellius. Eodem alludit, & quidem satis explicatè Cardinalis Toletus in cap. 10. Luc. adnot. 38. exponens ea Euãgelistæ verba: *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo*, in hunc modum: *Quamuis enim vt Deus est, omnia sint ei tradita semper, tamen vt homo est accepit, quandò carnem sumpsit, quæ prius vt homo non habebat.* Et inferius ad finem eiusdem adnotat. *Adde quod cum omnia creata sint in tempore, nec fuerint quandò Pater genuit ab æterno Filium, non ita propriè dici Patrem Filio tradidisse omnia quando genuit, quia tunc nõ erãt. Proprius tradidit, quandò hominẽ fecit, eũq; eorũ instauratorẽ cõstituit.*

Augus.

Cardina. Tolet.

II

Illud præterea magna fuerit obseruatione dignum: Hanc Christo Domino hæreditatem signate à Maria, siue per Mariam obtingere, testante Regio Vate Psalm. 126. versicul. 4. *Ecce hæreditas Domini (filij) merces fructus ventris*, quibus affirmat, Dominicam filio hæreditatem inde aduenire, quod ventris Mariæ fructus fuerit: vt ex Hilario ad id loci adnotauimus in libr. *de Maria forma Dei*, obseruantes germanam eius loci lectionem, quæ habet: *Ecce hæreditas Domini filij*: quam ipse sic exponit: *Ea ergo in filiis hæreditas Domini est, quã ex mercede fructus vẽtris acceperit. Nõ enim inanis hic fructus est quo cũ ex virginali vẽtre manens ante Deus nascitur. Nã merces eius hæreditas est, & hæreditas filij sunt: quotquot* (inquit) *eũ receperũt dedit illis potestatẽ filios Dei fieri*, & ad rẽ nostram statim: *est ergo Dominus fructus vẽtris, quẽ ex se in vitæ nostræ fructũ pariẽs virgo progenuit. Et hæc eius merces est, qui ex virgine nascẽdo fructũ vẽtris esse voluit, vt ei gẽtes, quas in filios per fidẽ generaret hæreditas sit.* Hæc Hilar. quæ cũ firmassat ex prefatis Psal. verb. *Postula à me, & dabo tibi gẽces hæreditatẽ tuã*, nec nõ ex his Pauli ad Phil. 2. v. 11. *Propter quod, & Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomẽ, quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestiũ, terrestriũ, & infernorũ & omnis lingua confiteatur quoniã Domin⁹ Iesus in gloria est Dei Patris*, ex illis sic cõcludit. *Hæc ergo fruct⁹ ventris merces est. quæ donatur in nomine, quæ defertur in honore, quæ præstatur in gloria: vt quia fructus ventris factus est ipse merces, merces*

Psa. 126 ver. 4.

Hylar.

Phil. 2. ver. 11.

quoque

quæque eius gentium fiat hæreditas. Hæc Hilarius, quæ omnia pulchrè præstrinxit Sanct. Sabbas in Menæis Græcorum 15. Ianuarij Ode 3. de Sanct. Paulo Thæbeo inquiens: *Rex gloriæ de Matris diuinissimæ sanguinibus, ipse sibi purpuram fingens mystico modo purpuratus incessit*, tantum non dicens, fructum ventris Domino Regiam purpuram, & hæreditatem gentium fuisse.

S. Sabb.

III. Ex his hunc in modum præsuppositis, iam tandem expende in imagine acquirendæ, & possidendæ hæreditatis allusionem omninò fieri, tum ad iuris dispositionem, & regulas, quæ cauent, non nisi legitimos filios, quibus pura, & iusta origo est, paternam hæreditatem posse percipere, tum signatissime ad hæreditatem Christo Domino in Isaac præscriptam: Sic enim habes apud Paulũ ad Galatas 3. ver. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus*: Et proprius ad rem nostram eadem Epistola, capit. 4. versicul. 22. *Scriptum est, quia Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera, sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, & paulò post*, versicul. 30. *Sed quid dixit Scriptura: eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ:* Affirmante disertissimè Apostolo, solum Isaac mansisse hæredem, quia & ipse liber, & filius liberæ fuit: Ismael verò ab hæreditate expulsum fuisse, quia seruus, filius scilicet ancillæ erat. Deinde verò illud omninò pende, ex Mariæ origine Christi natiuitatem, ac proinde ingenuitatem censeri.

Galat. 1 vers. 16, Galat. 4 vers. 22.

& vers. 30.

IV. Et quidem PP. præsertim verò Ambrosius multis in locis hoc argumentum dilucide persequuntur: vt tam ex Abrahæ exemplo, quam ex Dei præscripto hæreditatem legitimè, & decenter filiis tantum legitimâ origine præditis, deferri velint. Sic namque primum ille libr. *de Abraham*, cap. 3. *Discant homines coniugia, non spernere; nec sibi sociare impares, vt huiusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint: vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione (si nullo intuitu pudoris mouentur) digno studeant matrimonio.* Quod sic statim firmat. *Sed si Abrahæ sententia ad corrigendum minus proficit, accipe oraculum Dei huiusmodi condemnantis hæreditatem.* Non erit inquit hæres tuus hic, sed alter, qui exierit de te: *Quem dicit alterum? Peperit enim Agar filium Ismael, sed non ipsum dicit, sed sanctum Isaac: & ideò ait:* Qui exierit de te: *Ille enim verè exiuit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus est.* Hæc Ambrosius. Quibus consentanea sunt, quæ in hanc etiam rem habet lib. 1. *de Abel, & Cain*, cap. 6. vbi cum dixisset: *Non enim mundi huius copias, sed virtutum disciplinas, sibi supperere gaudebat:* subiicit: *Has nobis substituamus hæredes, quas Sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit, sibi omnem operum suorum deputans hæreditatem Sapienti, & iusto viro, nec vllum ius hæreditarium ancillis, vel ancillarum filiis derelinquens, sed tantummodo donationis munera.* Sic Ambrosius, qui itidem præfato lib. 1. *de Abraham*, cap. septimo ad finem, dum expendit verba Saræ. *Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, itidem inquit: *Numquid potest in ancillæ filio semen tuũ vocari? Nõ vtiq; in legitimo enim filio vera successio est.*

Amb.

Et ſtatim. *Eiice, & ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis conſortium, qui non habet originis priuilegium.* Hæc ille: Quæ ſanè omnia otio abutens viderer retuliſſe, niſi ipſemet Ambroſius hæc omnia, quæ de legitima ex pura origine ſucceſsione diſſeruit, ad Dei filium ex Maria natum retuliſſet, ſic enim eodem libr. 1. de *Abraham*, cap. 3. poſt adducta verba, ei aptauit: *Sed per Iſaac legitimum filium poſſumus intelligere Dominum Ieſum Chriſtum, quem in principio Euangelij ſecundum Mattheum Abrahæ filium legimus, qui verum ſe Abrahæ geſsit hæredem auctoris illuminans ſucceſsionem, per quam Abraham reſpexit in cœlum, & ſplendorem poſteritatis ſuæ agnouit non minus illuſtrem, quam ſtellarum cœleſtium fulget claritas.* Hactenus ex Ambroſio.

Amb.

A

B

V Vt iam hinc nè Dei filio delatam ſibi à Patre hæreditatem præripere videaris à Maria omnimoda originis puritate ſplendente, id eſt ab omni originis labe immuni conceptum, & natum fatearis neceſſe ſit: nimirùm Deo iudice, ideò à paterna hæreditate expulſus eſt Iſmael, quod vt vt filius Abrahæ eſſet: at originis priuilegium, ſiue prærogatiuam, & dignitatem non habebat. Et quali, rogo, originis priuilegio ille caruit? Vt hæreditatis conſortium non habuerit? Num ex concubina, & non ex vxore natus eſt? Minimè quidem: cum Agar iuſto matrimonio Abrahæ fuerit copulata: ſic enim habetur Geneſ. 16. verſicul. 3. de Sarâ. *Tulit Agar AEgyptiam ancillam ſuam poſt annos decem, quam habitare cœperant in terra Chanaam, & dedit eam viro ſuo vxorem*, ad quæ verba, & omnes omninò interpretes adnotant, Agar in ſecundariam vxorem ab Abrahamo acceptam, & de ipſo ſapienter huc intentus exclamat S. Auguſtin. libr. 16. de *Ciuitate Dei*, capit. 23. *O virum viriliter fœminis vtentem! Coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!* Sed enim, ſi ſtricto iure agas, neque ex ancilla natus eſt Iſmael, nam quæ ancilla Domino nubit, ancilla eſſe deſinit. Vndè ſi vere æſtimas, & rem ex ſenſu, immò & ex ipſo verborum ſono pendis, etſi Iſmael, qua filius, fuerit liber, & Agar quà vxor, ancilla eſſe deſierit, vtriuſque tamen origine ſpectatâ, ideò Iſmael ancillæ filius dictus eſt, & extra hæreditatis conſortium pulſus, quòd non habuerit originis priuilegium, ſiue dignitatem, illam ſcilicèt, quâ quis natus eſt de Matre, quæ non aliquandò ingenua, aliquandò manumiſſa, & libera, ſed quæ ſemper, & ab ipsâ origine nobilis, & alterius iuri minime ſubiecta fuerit: Ergo dum Dei filius, non ex imagine ſolum, ſed etiam ex iure patris ſui Iſaac paternam obtinet dignitatem, quod liber, & filius liberæ ſit, non perinde Matris libertas, ſiue ingenuitas capienda eſt, vt poſt ſeruilem Conceptionem ſubinde ex Spiritus diuini coniugio libera extiterit, ſicut Agar ex Abrahæ matrimonio, ſed quod perpetuò libera, & domina fuerit; nullatenus ſcilicet originali labi, & Dæmoni mancipata, alias & ſapor, atquè venuſtas imaginis Iſaac obtunditur, & quod plus eſt, vis & efficacitas alluſionis à Paulo ad illam factæ omnino deperditur, atquè hinc Dei filio hæreditas à Patre delata in dubium quodammodo vocatur, vt iam veluti ſub iudice lis maneat. Huc aduoco S. Bernardinum Senenſem ſermon. 3. *de nomine Virginis*, vbi cum dixiſſet: *Quomodo enim ſubiiceretur creaturæ, quæ Mater effecta eſt*

C

D

E

Gen. 16 verſ. 3.

Aug.

crea-

creatoris? Ideò merito dici potest ad quamlibet creaturam illud, Genes. 16. versicul. 9. Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ipsius: *Quæ verba dicta fuerunt Agar de Sara*, subiicit ad rem nostram. *Quippè ipsa Virgo verè est Sara, quæ Princeps interpretatur, qua verum genuit Isaac, scilicet filium Dei, in cuius semine benedictæ sunt omnes gentes, per quam omnis creatura principatum habuit.* Hæc Bernardinus, omninò verò ad rem Albertus Magnus in tractatu *de laudibus Mariæ*, vbi cum plura de eius nobilitate omnimodis asserenda dixisset, & generali oratione libertatem conditionis considerasset *in causa, & in substantia, & in efficientia*, de libertate Mariæ in causâ sic inquit. *Secundum libertatem in causa, ideſt in origine beatissima Virgo fuit nobilissima* vt potè *Principis filia: illi enim dictum est*, in Isaac vocabitur tibi semen. *Isaac autem non est filius ancillæ, sed liberæ, item ad Patrem* Princeps Dei es inter nos, Genesim 23. versicul. 6. *Item ad filiam*, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis, Canticor. 7. versic. 1. *Et sic fuit liberrima in causa.* Hæc Albertus quibus nihil opportunius, nihil dici potuit illustrius.

Albert. Magn.

Gen. 23. vers. 6.

Cant. 7. vers. 1.

VI

Sed & S. Bonaventura *in speculo Mariæ*, capit. 8. appositè hac de re locutus est: Etenim dum premit Angeli ad Mariam verba: *Dominus tecum*, Lucæ primo, versicul. 28. sic primum inquit: *Iste singularis Mariæ Dominus, sic singulariter, cum Maria fuit, quod etiam ipsam, tam singulariter Dominam fecit, quod nec primam similem visa est, nec habere sequentem, dum ipsa singulariter Domini filia, Domini Mater, Domini sponsa, & Domini ancilla facta est. Maria est enim filia Domini singulariter: generosa Mater Domini singulariter, gloriosa sponsa Domini singulariter, pretiosa ancilla Domini singulariter obsequiosa.* Vbi observa Mariam singulariter Filiam Domini: itidemque singulariter generosam Matrem Domini: vt ea omninò filia sit, quæ tanto Patre digna ipsi in originis puritate singulariter respondeat. Ea etiam singulariter generosa Mater Domini fuerit, quæ singulariter nobilissima origine sit orta, vt ab ipsa Dei Filius natus paternam hæreditatem iure perceperit, quod originis priuilegium, & prærogatiuam habuerit. Vnde pergit sese explicare Bonauentura subdens. *Si autem illa tribus personis diuinis volumus appropriare, possumus dicere, quod Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus pater, cuius Maria est filia nobilissima: ipse est Dominus filius cuius Maria est Mater dignissima: ipse est Dominus Spiritus Sanctus, cuius Maria est sponsa iustissima: ipse est Dominus trinus, & vnus, cuius Maria est ancilla subiectissima. Maria certe est filia summæ æternitatis, Mater summæ veritatis, sponsa summæ bonitatis, ancilla summæ Trinitatis.* Hæc Sanctus Doctor, qui vt Mariam dignissimam filij Dei Matrem faceret, de industriâ primum nobilissimam Patris filiam fecit, vt Christi origini vndequaque consuleret. Sed de Mariæ nobilitate siue immunitatè, qua summi Patris filia est postea redibit dissertatio: modo adnecto quæsitis illis cognominibus *generosa Mater, & filia nobilissima*, quæ Mariæ tribuit Bonauentura, accuratam locutionem, quâ ipsam S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in oration. *de Natiuit. Virg.* hunc in modũ salutauit. *Salue pulchritudinis diadema: genere Regina, regiis vbique curata prærogatiuis*, ita Germanus pul-

Luc. 1. vers. 28. Bonau.

chre *genere Regina* à qua Regiæ originis dignitatem traxerit Dei filius, quæ à qualicumque libertini ordinis sorde, quam longissimè iuerit: pulchre etiam, *Regijs vbique curata prærogatiuis*, vt procul à Maria fuerit quidquid vulgare, aut cæteris mortalibus ex Adamo commune est: quam rationem pulchre vrget Hugo Victorinus his verbis, non semel à nobis adductis. *Talis ergo agnus, qualis Mater agni, ex munda mundus, ex Virgine incorruptus.* Pergit ad rem argumentari. *Nõ enim potuit arbor bona malum fructum facere, quoniam omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Radix integra ramus incorruptus.* Ita ille vt ex stylo, & modo quo ij, qui sanguinis puritatem alicuius ad illustrem aliquã dignitatem obtinendam examinãt, radicem à qua ille procedit accurate explorant, vtrum integra, an vero infecta sit: affirmet Hugo Christũ Dominum ramum esse incorruptum à radice integra pullulantem, ac proinde paternæ hæreditatis vndequaque capacem.

EIVSDEM ARGVMENTI.

De hæreditate paterna Christo Domino delata, quod Matris ab omni labe immunis Filius fuerit.

ADNOTATIO II.

I ENimverò pro iis quæ modo diximus signatè facit ipsamet Isaac ab Ismaele distincta natiuitas, & natiuitatis distincta Idæa, atquè significatio ab Augustino scite expensa *lib.* 15. *de Ciuitate Dei, c.* 2. vbi cum præmisisset: *Inuenimus ergo in terrenâ ciuitate duas formas, vnam suam præsentiam demonstrantem, alteram cœlesti ciuitati significandæ sua præsentia seruientem: parit autem ciues terrenæ, peccato vitiata natura: cœlestis verò ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia. Vndè illa vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ:* Hæc tum Isaac, tum Ismaelis natiuitati sic aptat. *Significatum est hoc etiam in duobus filiis Abrahæ, quod vnus de ancilla, quæ appellatur Agar, secundum carnem natus est Ismael: Alter autem de Sara libera secundum promissionem natus Isaac; vterque quidem de semine Abrahæ, sed illum genuit demonstrans consuetudo naturam: istum verò dedit promissio significans gratiam: ibi humanus vsus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur.* Hæc Augustinus. Quæ merito aptaueris verò Isaac Christo, cuius typum alter Isaac gessit, cum illi promissa à Patre hæreditas, & semen longæuum fuerit. Ergo hic a Matre de semine Abrahæ, sicut & cæteræ mulieres, sed quam non genuit *demonstrans consuetudo naturam*, sed *promissio significans gratiam*: Anna quippè Mariæ mater *gratia* nomitnaur: in reliquis enim mulieribus humanus vsus ostendirur, in Maria *diuinum beneficium commendatur*: vt huc respiciens S. Damascenus oration. 1. *de Natiuitate Mariæ* opportunissimè exclamauerit. *O Deo digna filia! Humanæ naturæ venustas, primigenæ matris Euæ correctio: mulierum ornamentum!* Hæc ille, & quidẽ rectè omnia, & appositè inter se cõcatenata: vt postea expẽdemus: modo audi ipsammet Deiparam huic ratiocinationi subscribẽtem: & causam hereditatis filij sui perorantem apud B. Brigittam lib. 6. reuelationũ

Aug.

S. Dam.

cap.

cap. 57. hunc in modum. *Non ego aliquam quantumcumque minimam maculam contraxi, quæ Filium mũdissimum, sine aliqua immunditia generaui.* Sapienter omninò puritatem, & ingenuitatem Filij sui ex omnimoda munditia, & immaculata origine sapiens, & immaculata Mater adstruens. Sed nec cursim prætereundum est, quod præfato loco inquit Deus ad Abraham. *Non erit hæres tuus hic, sed alter, qui exierit de te,* cum ibi merito possis ambigere: quomodo Ismael de Abraham, non exisse dicatur, qui eius filius erat? *Sed alter* (inquit) *qui exierit de te:* quid? Isaac solùm exiit? Isaac solum filius? Et vndè ortus est Ismael? Quis eius pater? Occurrit ergo Ambrosius: *Ille enim verè exiit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus est.*

II Sed hic rursum ambige, quid refert legitimo coniugio procreatum fuisse, vt ex patre exisse dicatur? Cum vt vtrid fuerit, & ille filius sit genitus, & hic pater gignens fuerit? Crediderim quidem id eatenus dictum, quatenus filius patris imago est, quæ sane suis non videatur coloribus depicta, cum coniugium legitimum, ac proinde æquale nõ intercedit, quasi eo ex Matris parte claudicante, & in prolem, & in patris generationẽ defectus ille, siue Eclipsis reuocetur: vt hac ratione Bonauentura sapienter coniunxerit hæc tria in Maria. *Nempe Filiam Patris nobilissimam, Matrem filij dignissimam, sponsam Spiritus Sancti iustissimam;* planè vt Maria *genere Regina* (vt dicebat Germanus) iusto, & legitimo coniugio Spiritu Sancto sponsata, digna filij Dei Mater extiterit, qui Patris imago, & ei *factus ex semine Dauid*, id est ex Maria fuerit, vt loquitur Paulus ad Rom 1. vers. 3. vt ipse tam quoad æternam ex Patre, quam quoad temporalem ex Matre generationem pertinet, à Salomone dicatur: *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, Sapientiæ 7. versic. 26. Hùc omnino referente Ambrosio in id Psalmi 40. *Me autem propter innocentiam suscepisti:* præfata Dei Patris verba hæreditatem Christo deferentis: *Filius meus es tu. Ego hodie genui te*, vt ex temporali generatione itidem, ac ex æterna, vt æque immaculatus, ita germanus filius perfectè adsimilis Patri Christus fuerit. Audi, *ideo eum Pater suscepit, quia ortum illius nulla corporeæ generationis cõcretio vsitata fuscauit. Suscepit eum resurgentem, quia nulla eum offensio prolapsionis asperfit: immaculatus ad Patrem rediit, à quo immaculatus exiuit quandò descendit in terras. Vndè dicit ei Pater*, Filius meus es tu ego hodie genui te: *Hoc est generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati*, ita egregie Ambros. & post pauca: *Hodie te genui in quo lucem immaculatæ prolis agnosco*: Heri mihi, & hodie *ipse es, & in sæculum*, ad Hebræos 13. *Nox in te nulla est, quia totus es dies*: Vndè statim premens sequentia vatis verba: *& cõfirmasti me in conspectu tuo in æternum*, subdit, *& verè in conspectu eius, cuius splendor est gloriæ, & imago substãtiæ.* Hæc omnia Ambrosius. Apud quem obserua illa verba Patris ad Christum *generationis meæ in te priuilegium recognosco*: vt componas ea cum præfatis eiusdẽ Ambrosij: *vt non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium*, vt inde videris, Christum ex Maria Regina, & nobilissima Patris filia ortum, in quo generationis diuinæ dignitatem, & prærogatiuam Pater recognouit, vt quemadmodũ à Patre luminum ipse candor lucis exiuit, ita a Matre sole ipso puriore originis priuilegium haberet. Vndè subiicit *Hodie genui te in quo lucem*

Rom. 1. vers. 3.

Sapien. 7. v. 26.

Amb.

Hebr. 13

immaculatæ prolis agnoſco. Procul ergo, procul à Maria labes originaria, procul communis lex, & conditio, quæ filium edidit in quo ſummus Pater lucem immaculatæ prolis, & generationis diuinæ claritatem agnoſcit.

III Quam ſanè cogitationem opportunissimè firmauit Abbas Vvericus ſerm. 1. *de Annunciatione* præfatam litem ſapienter dirimēs, dum Dei filio vtramque nobilitatem paternam, maternamque ſic adſcribit. *Vverric.* *Regali ex progenie Virgo electa eſt: generoſitatis quidem regiæ nobilior indoles, vt æterno Regi, filio Regis materna quoque nobilitas regium honorem deferret, & venientem â regali ſede Patris, Regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ ſuſciperet Matris.* Sic ille: ſed obſerua ipſum, non tam in Regia nobilitâte carnis, quā in nobilitate ſpiritus, qua Deipara perpetuo Domina, & Regina fuit, vim feciſſe: hùc enim vtriuſque throni Patris, & Matris collatio facit: notanter verò illud: *Generoſitatis quidem regiæ nobilior indoles*, ab animi ſcilicet puritate potius, quam à regio ſanguine, nè videlicet Dei filio deeſſet vera, & duplicata nobilitas ab vtroque Parente adueniens, vti illa apud Homerum Regina Helena de ſe dicebat. *Homer.* *Vtraque ſtirpe maximis ortam diis.* Et Viſſes, dum de Achillis armis cū Aiace decertabat apud Ouidiū lib. 13. Metamorphoſeos. *Ouid.*

Eſt quoque per Matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, Deus eſt in vtroque Parente.

Sed illud opportuni⁹ eſt apud Theogium. *Ex mala herba, neque roſam naſci, aut hyacinthum.*
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

IV Sanè pro his omnibus, quæ hac adnotatione diximus ſignate verò pro Ambroſij verbis. *Ambr.* *Non erit hæres tuus hic, ſed alter qui exient ex te:* opportune videtur fideiubere Angelus Mariam ſic allocutus apud Lucā cap. 1. verſ. 35. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te: & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum: vocabitur filius Dei:* vbi nemo non obſeruat, & premit cauſſalem illam: *Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum*, vt Dei filio, qua ex Maria naſcituro (ſicut & peculiares filij Dei characteres ex quibus dignoſci, & vocari Dei filius poſſet) peculiaris aliqua dignitas, immo & ſanctitas obtigerit: ſcitè elucidante Bernardo homil. 4. *in Miſſus eſt*, hæc verba hunc in modum: *Quod eſt dicere: quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu Sancto, quod concipies. Concipies autem Altiſſimi virtutem, hoc eſt Filium Dei: ideòque & quod naſcetur*, ex te Sanctum, vocabitur filius Dei, *ideſt non ſolum, qui de ſinu Patris in vterum tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, &c.* vt à Mariæ ſubſtātia, ſiue ab ipsâ, quâ Mater Dei filij fuit, itidem aduenerit ſanctum Dei filiū eſſe, itidemque denuo Dei filiū vocari: ſed quæ rogo hæc Chriſti à Maria ſanctitas fuit? Cum ipſa riuus, ille verò ſanctitatis fons omnino fuerit, à quo Maria, plenitudinem gratiæ accepit? Plane, ſi verè æſtimas: ideò inter alia (à nobis fuſius alibi explicata) Dei filius ex Maria conceptus, & naſcens *Sanctus* eſſe dicitur, quod cum ipſa immunis ab originali culpa iuſtitiæ originalis dono ornata fuerit, hanc bono quidem iure prærogatiuam habuerit, vt proles ex ea concepta itidem in ſua Conceptione ſanctitatem haberet, ex vi Conceptionis ex tali Matre: ſicuti quia Adam habebat iuſtitiam originalem, proles ex eo retinente innocentiam concepta fuiſſet quidē ſancta vi generationis ex tali Patre: cui Deus hoc conceſſum voluit, vt iuſtitiam, ſi in ea perſeueraret, transfun-

Lucæ. 1. verſ. 35.

Bernar.

deret

deret in posteros: Quid ni enim hoc Deus Mariæ iustitiam originalem adeptæ? Quidni etiam Dei filio ex ipsa prodeunti non adscribemus?

V Quod si omnia ad vnum resecare volens, iam diffitearis, quòd esto habuerit virgo donum iustitiæ originalis quoad huius doni substantialia, inde tamē non sequatur prolem eius debuisse esse sanctā: quòd id vnius tantum Adami proprium fuerit, quia erat caput cæterorum ex pacto inito cum Deo: Occurram primo ex Anselmo, dum ex Mariæ immunitate eam peculiarem iustitiæ pulchritudinem in Christo Domino elicit, quæ cum peccato, & iustitia originali ab Adamo in humanum genus transfusa ex æquo pugnaret. Sic namque ille in lib. *de Cōceptione, & peccato originali*, argumentatur. *Quapropter quoniam de iusto Patre secundum diuinam, & de iusta Matre secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine (vt ita dicendum sit) natus est, non incongrue pro originali iniustitia, quam omnes filij Adæ habent à sua origine iustitiam originalem habuisse dicēdus est.* Sic ille opportunissimè, siue ad nostram cogitationem firmandam, siue ad propositæ dubitationi satisfaciendum: obserua ergo apposita Anselm. verba: *De iusta Matre secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine natus est*, quibus tantum non dicit à iusta Matre, siue a Matre iustitia originali prædita, iustum ab ipsa origine Dei filium natum, tum quod quemadmodum dicebat sæpius à nobis adductus Cassiodorus lib. 2. variar. epist. 15. *Bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahūt, dum origo nescit deficere, quæ consueuit radicitus pullulare*, vt filius vndequaque ingenuus nasceretur, oportebat Matrē vndequaque ingenuam, & liberam habere, tum etiam nè in Maria, quæ vera Mater viuentium est, minor vis quā in Adam si rectus subsisteret ad trāsfundendam in filium iustitiam originalem fuerit (& si Christo aliunde ratione vnionis hypostaticæ omnis iustitiæ fons subesset) siue etiam nè ipsa omnium creaturarum Domina, atquè Regina minorem ad benefaciendum potentiam ratione suæ puritatis, quam primus parens, qua caput hominum fuit ad nocendum, & vitiandam illorum originē habuit.

VI Confero ex his vtraque verba, ea videlicet: *Nō erit hæres tuus hic, sed alter qui exierit ex te*, cum his Angeli: *Quod ex te nascetur sanctū vocabitur filius Dei*, & quidem vtriusque loci elucidatio petenda est à Paulo in præfatione epistolæ ad Romanos cap. 1. vers. 3. de filio Dei dicente: *De filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*, hoc est qui factus est ei ex Maria, vt explicat Augustinus lib. 1. *de consensu Euangelistarum*, cap. 1. inquiens: *Cū autem euidenter dicat Apostolus Paulus ex semine Dauid secundum carnē esse Christū, ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare vtique non debemus.* Et opportune Tertullianus *lib. aduersus Iudæos*, cap. 9. dum de Christo inquit: *Ex stirpe esse deputatum per Mariam scilicet, & inde censendum*: vsus est enim eo in loco Apostolus accurato dicendi modo, dum Christum Dei filium signate Deo Patri factum sic facit: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*. Expende primo verbum *factus*, & deinde eum loquendi modum *factus est ei*: & verò vt alibi obseruo ex Cyrillo Alex. id inter phrasim *faciendi*, & *nascendi* manifestum intercedit discrimen, quod prior ad artem, quæ idæam, & normam habet, secunda ad naturā spectat: sic namque domum, aut nauim fieri, non nasci, contra vero arborem nasci, non fieri dicimus. Vn

Anſel. *Rom. 1. vers. 3.* *Aug.* *Tertull.* *Caſsiod.* *Cyrillo Alex.*

dè

de quidem crescit Epitasis locutionis Pauli, qua de filio Dei summi Parentis factus, signatè dicatur ex carne Mariæ: *Factus est ei* (inquit) *ex semine Dauid secundum carnem*, vt videlicet qui de *iusto Patre secundū diuinam naturam* erat, vt dicebat Anselmus, itidem *de iusta Matre secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine prodiret:* Et à Matre secundum carnē humanamque naturam factus, adeò paternam similitudinem, & lineamēta, diuinosque præferret characteres, vt patri omninò factus, ad eius scilicet naturā, & imaginem exprimendam secundum Idæam artemque diuinam videretur. Quod quidem omninò significauit Angelus Mariæ Annuncians: *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei.* Preme denuo, id *quod ex te nascetur*, vt componas cum verbis Domini ad Abraham: *Non erit hæres tuus hic, sed alter, qui exierit ex te.* Necnon quæ subiunxit Angelus *vocabitur filius Dei*, vt cōponas etiam cum iis ad Abraham, Genes. 21. vers. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen*, vt videlicet ex Abrahæ imagine paterna Christo hæreditas ex iusta, & immaculata Matre obtingat, quod ex illâ secundū humanam naturam factus diuinos Patris characteres expresserit: perinde enim fuerit *vocabitur filius Dei*, ac dicere, Dei filium ex Maria, & vt a Maria factum ea Dei lineamēta, & characteres prælaturum, vt de illis agnosci, & vocari filius Dei posset: materna similitudine ob naturę, & humanæ carnis puritate, & ab omni labe immunitate, cum paterna imagine consentiente: quemadmodum Isaac germanum Abrahæ semen vocari debuerit, quod à Matre legitima, & ingenua, quæ à patris nobilitate, & ingenuitate non desciscceret, natus fuerit, cum semen arborem, à qua procedit vndequaque referat: nisi à terræ vitio degeneret, & deprauetur: ergo tam Mariæ, quam Abrahæ hac ratione dicitur *ex te*, quod ex Matre liberata: alioquin *nō ex te* proditurus filius, quod prole ex parte matris ab ingenuitate desciscente, & degenerāte, patré suis coloribus referre nequeat, nec perfecta ingenuitatis eius imago censeri.

Gen. 21. vers. 12.

A

B

C

D

E

VII

Sed & his nonnihil ex iure ciuili valde opportunum iuuat adiungere. Sanè ex Vlpiani Iure Consulti responso habemus, mulierē eo animo à milite ab hostibus redemptā, eo animo secum habitam, vt ex eâ liberos susciperet, ab omni pignoris vinculo liberam existere. Audi illum *in l. si quis 20. ff. de capt. & Postlimin.* dicentem: *Si quis ingenuā ab hostibus redemptam eo animo secum habuerit, vt ex eâ susciperet liberos, & postea ex se natum sub titulo naturalis filij cum matre manumiserit: ignorantia mariti, eiusdemque patris, neque statui eorum, quos manumisisse visus est, officere debet: & exinde intelligi oportet, remissum matri pignoris vinculum, ex quo de eâ suscipere liberos optauerat: ideòque eam quæ postliminio reuersa erat libera, & ingenua ingenuum peperisse constat:* Ita ibi. Pulchrè, & omninò ad rem pro omnimoda Deiparæ ab omni pignoris peccati originalis vinculo immunitate, & libertate: Nimirum cum Maria, vt in initio huius libri statuimus, non nisi in Christi Matrem propter nos homines, & propter nostram salutem è sinu Patris in mundum aduenientis simultaneâ cum Christi prædestinatione electa fuerit; quin duplex in ipsâ, aut priuatæ, aut Deiparę persona considerari possit; inde manifestè constat, *eo animo*, à Deo factam, *vt ex ea susciperet* filium, qui factus ei fuisset secundum carnem ad Rom. 1. vers. 3, sicuti de ipsa dicebat sapiens Idiota in contemplatione B. Virg. Mariæ cap. 4. *Inter omnia ope-*

Decapt. & Postlim.

Rom. 1. vers. 3. Idiot.

ra æterni opificis operationē illā, quâ naturæ nostræ vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ò sanctissima Virgo Maria, quia ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatū per te reficeretur: & luculenter S. Sabbas in Menæis Græc. die 2. Ianuarij Ode 5. inquiés. *Architectus & Dominator omniū Deus, vt ex incorrupto vtero tuo carnē susciperet, humanæ te generis Primatem creauit, ò Domina nulli vnquam reprehensioni obnoxiam:* Enim verò hinc iam omninò subsistit Iure Consulti placitū: *Exinde intelligi oportet remissum matri pignoris vinculum, ex quo de ea suscipere liberos optauerat:* quippe nō prius summus Pater de Mariā efformādā, quā de filio de eâ suscipiendo cogitauit, vt exinde intelligi oporteat remissum Matri pignoris vinculum hoc est extra legem, & pactum, & trangressionis reatum positam fuisse. Sub quo planè sensu Ecclesia Græca indidem à nobis adducta ex Menæis die 25. Martij: de Deo humanæ Redemptionis œconomiam disponente dixit: *Primo quidem prouidentiâ singulari perfecit, vt sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio, tam omninò existeret pura, quam esse puram decebat illam, quæ tanto Bono ideò Christo digna existeret.*

S. Sabb.

A

B

C

D

E

MARIA PVRA ET SINcera Dei Filia, ac proinde immaculatè Concepta, vt Christi hęreditatē Patris adeuntis idonea Mater foret.

ADNOTATIO III.

QVID opportunius? Quid iustius? Quid itidem pulchrius? Quam Matrem in Filio, & Filium in Matre patrocinari: & vt in Christo Mariæ immunitatem: ita & in Maria paternæ hæreditatis ius Christo fuerit: Ergo vt ipsi salua, & in tuto hæreditas sua sit, originis primi legiū plusplus examinare, atque defendere operæ pretiū fuerit, atque hic Mariam vndequaque germanam, atque legitimam summi Patris filiam ostendere, quæ ab ipso purissimam, & incontaminatissimam originem duxerit: Et vero frequentissimus is Patrum sensus est, vt cum Augustissimæ Trinitatis erga Mariam officia partiuntur, vt ipsam Filij Matrem, & Spiritus Sancti sponsam, ita signate Patris Filiam appellitent; præunte huic mentu Regio Vate dum Psalm. 44. versic. 11. ipsam monet: *Audi filia, & vide,* & Ecclesiastico cap. 24. versic. 5. sub Mariæ persona affirmante. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnē creaturā.* Vtraque verba de Maria accipientibus passim Patribus, & interpretibus, qui felix institutum de eius laudibus prosequuntur. Et quidē quamuis eorū monumenta reticeam, nè otio abuti videar, non tamen præteribo pulchra S. Laurentij Iustiniani verba in sermone *de Purificatione Mariæ*: vbi cum præmisisset elegantem æque, atque verisimā hanc Deiparæ descriptionē: *Erat profectò ipsa talis, & tanta, vt illi minimè reperiretur similis. Erat, inquā, corpore virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, moribus composita, sanctitate redimita, honestate conspicua, corde ignita, animo suspensa, gratia plena, sapientia perfusa, Deo coniuncta, verbo propinqua, mysteriis diuinis imbuta, Angelorum consortio custodita, & Spiritu Sancto absque temporis interuallo*

I

Psa. 44. v. 11.

Eccl. 24 ver. 5.

S. Laur. Iustin.

possessa:

possessa: Subiicit in rem nostram horum omnium rationem, & caussam: *Sibi namque ipsam in sponsam delegerat, sapientia in Matrem: in suam inuentricem mundus, Angeli in Dominam, & æternus Pater in Filiam:* Hæc S. Laurentius. Quæ præstrinxit Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laudibus Mariæ premens præfata verba Dauidis, *Audi filia,* hunc in modum: *Maria filia Regis Dauid secundum carnem, quia regali ex progenie: Maria filia summi Regis, id est Dei Patris per creationem, & gratiam:* Sic Richardus. Qui quidē, sicut, & Laurentius Iustinianus ea verborum structura, & accurata locutione Mariam Dei Filiam faciunt, vt eius immunitatem à peccato simul adstruant, vt iam video.

Richar. à S. Lau.

II

Et inprimis accurata locutione, & expositione huius appellationis vti est operæ pretium: Nam si ad acuta veniamus, cum Deipara *Filia Dei* esse asseritur, aut nihil signatè magnum de ipsa prædicatur, (siquidem omnes iusti dicuntur Filij Dei, vt est apud Ioannem 1. epist. 3. vers. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*) aut aliquid nimium quod plus iusto censeatur ipsi tribuere videbimur: ipsam scilicet pluisquam adoptione Filiam esse. Nimirum omnis filiatio Dei, vel naturalis est, quæ Christo soli cōpetit, vel adoptiua, quæ est iustorum omnium communis, ducta à gratia sanctificante, quæ omnibus est communis. Verum enim vero inter vtramque lineam hanc Deiparæ laudationem, sic librare fuerit operæ pretium, vt quemadmodum ipsam naturalem filiam Dei minime consideramus (apage id) ita dicere solummodo filiam adoptiuam, quin aliquid noui splendoris huic appellationi superaddamus, frigidius videatur, quam Dei Matris dignitas expostulat, ea potissimum ratione, quod Maria Christi sponsa, & vna cum Christo caro sit, quæ de sua substantia Christum compegit. Quod apud PP. frequentissimum dictu est, de quo grandis in sequentibus redibit sermo, dum modo Ildephonsum, & Epiphanium hic tantum appingamus: quorum prior sermone 1. *de Assumptione* de Maria dixit: *Sedulum tantis insigniuit virtutibus, vt sponsa iure dicatur, & Mater sui creatoris:* Epiphanius vero orat. *de laudibus Mariæ,* inter alia hæc habet. *Sancta puella Virgo Maria, & sponsa Trinitatis, & Thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriel inquit:* Aue gratia plena Dominus tecū, &c. *Et Pater misit archabonem de cœlo Spiritum Sanctum; præparauit Virginem vnigenito Filio cœlesti sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, Spiritus Sanctus percupiuit: ipsa enim est sponsa, & thalamus, & ex ea sponsus processit Christus, Virgineum indumentum iuxta suauem Dauidis Prophetæ cantionē.* In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Hæc Epiphanius.

S. Ildep. S. Epip.

1. Ioan. 3. ver. 1.

Planè, si attendis, siue ad Scripturæ, siue etiam ad gentium morem & sensum: sponsam in domum, & familiam viri transiens, atquè vna cū viro suo caro facta; illius quidem dicitur, & est filia, cuius suus vir filius est: Sic Noemi nurus suas vocabat filias. Ruth. 1. vers. 12. & 13. & opportune Psalm. 44. vers. 11. summus Pater sponsam Filij sui appellauit filiam hac met ratione, quam vrgemus (vt obseruauit Hieronymus) verbis illis: *Audi filia, & vide,* itidemque ipsamet sponsa Cantic 8. vers. 2. sponsi sui Matrem diserte appellat genitricem suam, vt adnotauit ad id loci Theodoretus. Et quidem hac appellatione veteres ipsam non vocabant filiam adoptiuā, qualis ea esset, quam ritu legibus constituto asciuissent sibi in filiam

III

Ruth. 1. ver. 12. & 13. Psal. 44. ver. 11. Hieron. Cant. 8. ver. 2. Theod.

per

per vmbratilem neceſsitudinem, ſed arctiori vinculo, quod cum vir, & vxor fiant vna caro, ſicut vir non eſt Patri adoptiuus, ita nec vxor cenſeri debet filia adoptiua parentum viri ſui, ſed quadam tenus filia naturalis, de quo videndus eſt Andræas Tiraquelus ad *legem primam connubialem, numer.* 18. Ex his ſi Mariam Chriſti ſponſam facimus, vt omninò facere debemus iuxta ſcripturæ, & PP. ſenſum, ac proinde vnam cum Chriſto carnem, quæ de ſua ſubſtantia Chriſtum compegit, nè ab hac ſimilitudine longius eamus; ipſam pluſquam adoptiuam Dei Patris Filiam quodammodo fateri tenemur: & in peculiari hâc filiationis ratione puriorem cæteris creaturis originem ipſi attribuere, vt non obſcurè ſignificauit Sanct. Epiphanius prafatis verbis: *Pater miſit de Cœlo arrhabonem Spiritum Sanctum præparauit Virginem vnigenito ſuo Cœleſti Sponſo:* vt digna digni Sponſa, ac proinde vt Patris arctiori vinculo Filia omnis immundæ originis expers eſſet: ita quidem Sanct. Laurentius Iuſtinianus ſermone *de Annunciatione Mar.* cum dixiſſet: *Cum temporis plenitudo veniſſet; in quo vniuerſorum conditor humanum genus redimere ſtatuerat, hanc præ cæteris reperiens ſanctiorem ſibi præcipuam delegit in Sponſam*, ſubiicit ad rem, *ipſam mente, ipſam corpore cuſtodiuit intactam.* Quo ad rem noſtram nihil dici potuit explicatius.

Andr. Tiraq. — *S. Epip.* — *S. Laur. Iuſtin.*

Porro huic cogitationi, quæ MARIAM vt ſummi Patris filiam, ita puriſsimam in Conceptione ſua facit, pulcherrimè præluxit Salomon Sapientiæ ſeptimo, verſi. 25. tam de Dei Filij proceſſione, quam de Mariæ à Patre ortu (vt plures è Patribus, & omnes pœne interpretes, & Auctores, qui diuinis, & commeritis Mariæ laudibus operam nauant, explicare ſolent) inquiens: *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit:* Nimirùm vt ad æternam Filij Dei generationem Origenes, Sanct. Auguſtinus, & alij PP. hæc verba referunt, vt ad ea latius tracto, ita de MARIA præter alios accipiunt Philippus Abbas capit. 17. in Cantica, Richardus à Sanct. Laurentio pluribus in locis, & Sanct. Bernardinus Senenſis ſermon. 1. articul. 1. cap. 3. tomo 3. inquiens: *Tandem orta eſt ſtella ex Iacob, quæ has tenebras purificauit, & ſerenauit: quippè ipſa eſt emanatio quædam ſincera omnipotentis Dei.* Sic ille. Quod ſi rationem quæſieris, cur, quod eximium, & ſummum in vnigeniti dignitate, & gloria eſt, Mariæ Conceptioni, & ortui attribuatur? Non incongruè reſpondebimus, cauſſam eſſe, quod vt id de Dei Filio, qui à Patre, vt lux à luce, & ſplendor à lumine ſinceriſsimâ emanatione procedit, proprio & germano ſenſu dicitur, ita & Deiparæ quatenus gratiæ benignitate potius, quam lege naturæ, peculiariter ſibi in ea ſummo Patre complacente, ſpecialiorique quam aliâ creaturâ modo eam formante, & in Filiam, quæ vt ſimul Dei Filia, & Filij Dei Mater digna eſſet ſibi deligente, concepta eſt, appoſite acommodetur. Nimirum hac omninò ratione, quòd quà ſummi Patris Filia in iuſtitia, & ſanctitate concepta, quaſi à ſole ſplendor, & radius puriſsimâ emanatione procedat, tùm à Bernardo in meditatione ſuper *Salue Regina*, ſignatè *Radius Deitatis*: tum etiam in hymno Græco, apud Buteonem pagin. 131. *Radius Solis intelligibilis*, appellatur: non equidem quod æque ip-

Philip. Abb. — *Richar. à S. Lau.* — *S. Bern. Senen.* — *S. Bern.* — *Buteon.*

IV

Sap. 7. v. 25.

sa, ac Dei vnigenitus à Patre procedant, & eiusdem naturæ dimanationes claritatis ab ipso sint: sed quod Deipara à Deo non per centum Adami peccato infecti, sed *secundum* illud *consilium voluntatis suæ* (ad Ephesios primo, versi cul. 11.) quo in aptam, & dignam *Ad Eph. 1. v. 11.* A Matrem Filij sui electa fuit, in gratiæ claritate concepta, velut a Deitate radius, siue à Dei manibus ortum duxerit. Quod plus plus expressit Vatabli lectio: *Et sincerè promanat à Maiestate Omnipotentis Dei*, vt non ab Adami noxâ, sed à Dei fauore, & gratia sincere, & immediatè promanet, v- *Vatab.* *Richard. à S. Laur.* B ti dicebat Richardus à Sanct. Laurent. *Filia summi Regis, id est Dei Patris per creationem, & gratiam:* creatione videlicet, & gratia copulatiue sumptis, vt in Angelis dicitur Deus *simul cõdens naturam, & largiens gratiam.*

V Quod itidem pulcherrime exprimitur epiteto *sincera*, quo Deipara *emanatio claritatis Dei*, dicitur. Nimirum Græca vox *ilicrines*, (vt de ea in commentariis libri Sapientiæ, & in hoc libro sepius moneo) apud bonos Græcæ linguæ authores omninò vertitur: *pura, vera, non fucata, clara, & quasi ad splendorem Solis examinata*: atquè ita Origenes libr. 1. *Periarchon.* capit. 2. & ab eo Augustinus: siue Author libri *de Incarnatione Verbi*, cap. 4. tom. 4. operum Augustini legunt hæc verba, *Emanatio omnipotentis gloriæ purissima.* Vbi omninò obserua illam significationem, *non fucata*: qua exprimitur puritas natiua, quæ se ipsa non vero adscititiis pigmentis, aut superinductis coloribus, & fuco splendet, vt Mariæ pulchritudo ab ipsa origine significetur purissima, id est ab ipso conceptu Sancta: non verò post ipsum sanctificata, vt itidem hic lo- *Origen.* *Augus.* C D E cum habeat, quod alibi adduximus ex sententia Regis Theodorici, apud Cassiodorum libr. 2. variarum epistola 15. *Bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt dum origo nescit deficere, quæ consuescit radicitus pullulare.* Subdens imaginem Cassiodorus, quæ huic emanationi claritatis Dei apposite quadrat. *Fertur enim cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem continent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit forte vitiatus nesciat ritulis abnegari.* Ita ille. Compone (oro) hæc cum lectione Vatabli, *& sincere promanat à maiestate omnipotentis Dei*, vt videas Mariæ originem, non deficientem ab exordio, quæ saporem originis sincere promanantem, quin per accidentia fuerit vitiatus, à maiestate Dei trahit, dum fertur cursu perenni in ipsam vena vitalis fontis Diuinæ gratiæ, & donorum omnium, vt hic maximè locum habeat, quod iam alibi adductus dicebat in sermon. *de Natiuitate Mariæ*, Fulbertus: *Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis.* Vides bona certa Mariæ, quæ fidem ab exordio trahunt? *Cassiodor.* *Fulbert*

VI Quæ etiam energia prioribus illis verbis: *Vapor est enim virtutis Dei*, æquè subest: immò vero hæc quasi necessariam rationem purissimæ emanationis Mariæ præseferunt: nam vt Cardinalis Tolet. libr. secundo de anima quæstio. 27. ex Aristotele sectione 3. *Problematum*, & libr. secundo *de sensu, & sensibili*, docet: *Vapores sunt eiusdem substantiæ sustantiales, purissimæque partes rei, vndè euaporantur.* Nec te illicò turbet, quominus MARIAM vaporem virtutis Dei esse credideris, quod vapor eiusdẽ substãtiæ, siue naturæ cũ re è qua euaporantur, sit: cum Apostolorum Princeps epistol. 2. cap. *Cardin. Tolet.* *Aristol.*

2. ver-

1. *Petr.* 2. *v.4.* 2. verſicul.4. generali oratione dixerit: *Per quē maximè, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hac efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Nō quod Deo connaturales, ſiue conſubſtantiales poſsint eſſe mortales homines, ſed quod accepta ipſius per Spiritū Sanctū gratia quandam Diuinæ naturæ participationem, & conſortium habeamus. Quam quidem Maria in ſua conceptione, tanquam *Radius Deitatis*, & *vapor virtutis Dei* habuiſſe dicitur, *vt immaculata ſemper extiterit ab exordio ſuæ creationis.* Nec omiſerim in hunc ſenſum per allegoriam inflectere ea Eccleſiaſtici verba cap. 22. verſicul. 30. *Ante ignem camini vapor*, vt quemadmodum ibi ſapiens in ſenſu litterali vaporem appellat verba contentioſa, ignem vero cædes, quæ ab illis oriuntur, ita per ignem intelligamus peccatum originale, quod ignis eſt *vſque ad perditionem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina*, Iob 31. verſicul. 12. ante cuius incurſum Maria vapor extiterit virtutis Dei per maxima, & pretioſa gratię dona, per quæ *diuinæ conſors naturæ* effecta eſt, dum principia naturalia, & inſtrumentalia efficientia ipſius Conceptionē diuinitus purificata ſunt, quò *Filia ſummi Regis* eſſet *per creationem, & gratiam*, vt humanum Mariæ corpus reuera humanum, ab eximia puritate & ab immunitate communis humanæ naturæ labis cœleſte quodammodo eſſe videatur canente de ipſa Ioanne Geometra hymno 3.

Eccl.22 v.30. *Iob 31. v.12.* *Ioann. Geom.*

Salue concretū ſublime corpus olympo.
Et vitij noſtri crimine virgo carens.

VII. Ne verò ad poeticos tantum flores id ſpectare credideris: pro tota ſententia egregie fideiubet S. Bonauentura lib. de *Eccleſiaſtica Hierarchia*, part. 4. cap. 7. inquiens: *Cœli puritatem in ſe habere debuit Maria, de cuius mundiſſimis particulis illa puriſſima caro verbi cœleſtis vnibilis eſt aſſumpta.* Sic ille. Cui adſtipulatus Bernardus in ſermon. *de Beata Maria*, Auguſtiſsimæ Trinitatis perſonas in Mariæ formationem, & ornamentum concurrentes ſic facit. *Pater in conſecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humanitatem, Spiritus Sanctus charitatem.* Vbi obſerua, quale munus erga Mariam Pater exhibuerit, dicente Bernardo: *Exhibuit claritatem*, vt ſignate ipſe cum Maria, tanquam Pater cum Filia ſe geſſerit, claritatem originis ei impartiens, vt eſſet *emanatio claritatis omnipotentis Dei* pura, *& ſincera*, non vero fucata. Quod ſtatim ſic explicat Bernardus. *Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus Sanctus charitatem erga Deum, & proximum.* Hæc Bernardus. Pulchre illud: *Auctoritatem contra peccatum*, vt innuatur Mariam, non vtcumque à peccato exortem fuiſſe, nec pari Marte (vt aiunt) cum illo dimicaſſe, ſed tanquam Dei Filiam regia auctoritate, & auguſta maieſtate præditam ſummum ius, & poteſtatem in peccatum habuiſſe, vt illud profligaret, & conculcaret, quin accedere ad eam vllo modo auderet: opportune id confirmante, Sancto Ephrem in ſermone *de Sanctiſsimæ Dei genitricis Virginis Mariæ laudibus*, vbi ipſam ſic ſalutat: *Aue Virginum corona ob immenſam fulgorem, & ſplendorem inacceſſa*: vt affirmet, tantam habuiſſe Mariam auctoritatem contra peccatum ob immenſam originis claritatem, atque ſplēdorem, vt non ſolum illi impenetrabilis, ſed etiam inacceſsibilis fuerit. His accinit Damaſcenus o-

S. Bona. *S. Bern.* *S. Ephr.* *S. Dam.*

ration. 1. *de Natiuitate Virginis* ipsam in vtero, & in maternis vlnis formidabilẽ rebellibus Angelis sic taciens. *O sanctissima filia in maternis vlnis cõspicua rebellibusque Angelis formidabilis*: Sed quid fuerit mirandum? Mariã dæmoni ac peccato ob eximiam claritatem inaccessam, & formidabilem fuisse, qua SS. Patribus, qui Diuini spiritus organa censentur ad laudes eius concinendas terribilis visa est: sic namque præter alios S. Epiphanius sermon. *de laudibus Mariæ*, dolenter inquit: *Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparæ, radios terribiles, & incomprehensas facultates, cœli & terræ inhabitatæ mysterium admirandumque propitiatoriũ verbis consequi tentaui*: ita Epiphanius.

S. Epip.

VIII. Iam his Sapientiæ verbis: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, &c.* Mirè concinunt in hanc cogitationem, quæ subiungit Salomon: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, Sapient. 7. versicul. 26: vbi obserua latinæ voci *Candor* respondere græcam, quam propriè vertas *relucentia*, vt Maria signatè dicatur *splendor*, siue *resplendor*, aut *relucentia lucis*, & solis æterni, in qua scilicet ipse resplendeat, ipsâ splendorem relidente iuxta accuratam huius vocis significationem à qua non abit Andreas Cretensis oration. *de Annũciatione* Mariam salutans, *gaude Cœlum in quo sol gloriæ splendet*. Sic ille. Quo in loco statim non sine emphasi, & quadam ad speciem antilogia occurrit ipsam Deiparam à S. Ephrem signatè appellari splendorem Moysis, quasi ille à Maria claritatem, & lucentes in facie radios acceperit: etenim Ephrem præfata oratione *de laudibus Sanctissimæ Virginis Deigenitricis Mariæ*, ipsius eminentiam supra cœlestes spiritus, & omnes omninò sanctos expendens, indeque quid illa singulis eorum honoris, & laudis præstiterit recensens; cum præmisisset: *Vnica spes Patrum: gloria Prophetarum: præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum, lumen probatissimorum Abraham, Isaac, & Iacob*: ubiicit notanter: *Deus Aaron: splendor Moysis, & Gedeonis vellus*, ita ille, obser ta: *splendor Moysis*, cum tamen Moysi splendorem, quo facies eius vibrabat ardentes luminis radiis, non nisi à consortio sermonis Domini aduenisse, certum sit: sic enim habetur Exodi 34. versicul. 28. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, panem non comedit, & aquam non bibit*, & statim: *Et ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei*, vbi LXX. legunt: *Non sciebat Moyses, quod glorificatus fuerat aspectus faciei suæ*: & Chaldæus similitèr: *Ignorabat Moyses, quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui*. Qui ergo ab Ephrem Deipara *splendor Moysis* appellatur, cum illi splendor ex consortio sermonis Dei obtigerit? Sed nodum non difficile solues, si consortium sermonis, id est mutua colloquia Domini, cum Moyse noueris ex sancto Methodio Martyre oration. *in Hipapantem*, siue *de Purificatione Mariæ*, quippè ipse hos tam arcanos tamque diuturnos Dei cum Moyse in monte sermones ad Mariam omnino refert hunc in modum. *Nonne Moyses ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te virgo tangebant, diutius in monte cõmoratus, vt ignota de te, ô casta, sacramenta edoceretur*: sic Methodius inclytus Martyr, & egregius Deiparæ laudator. Audis vt cõsortiũ sermonis Domini: mutuaq; colloquia circa Mariã; notâter verò circa figu-

Sapie. 7. 7. ver. 26

Andre. Cret.

S. Ephr.

Exod. 34 v. 28.

LXX.

Chald.

S. Met.

ras intellectu difficiles: & ignota Sacramenta versarentur? Quæ sane ad purissimam ipsius Conceptionem, & immunitatem à lege communi iure videntur referenda: cum opportunus de Maria sermo tum à primo ipsius in vitam ingressu, tùm ab eius dignitate, & à caussa propter quam existebat, incipere deberet: Ecce ergo tibi à Maria splendentem, & glorificatum vultum, siue aspectum Moysis. Nimirùm cum ipsa diuinæ æternæque luci præsentissima esset, & in illam directè, tanquam in speculum limpidissimum solis diuini radij dirigerentur: tùm equidem Maria lucis æternæ candor, siue relucentia erat: tùm etiam ab illa, tanquam lux in speculo ex repercussu resultans, in faciem Moysis reuerberabat: Quo ire videtur ea LXX. locutio, *glorificatus fuerat aspectus cutis faciei suæ*, vt videlicet dum in Mariæ futuræ faciem totam claritatis suæ, & radiorum vim æternus sol immediatè, & è regione vibraret, ipsamque profundè penetraret; ab eius fulgentissima claritate repercussa lux externam Moysis cutem illuminare videretur. Cui cogitationi bene subscribit S. Damascenus in Mæneis Græcis 11. Ianuarij Ode 1. *de Sancto Theodosio*, MARIAM Diuinitatis splendoribus adornatam sic faciens. *Adolescentularum chorus ille Diuinus, tãquam afflatissimus Numine, Te vt excellenter in mulieribus pulchram decantat, ipsius videlicet Diuinitatis splendoribus adornatam.* Sic Damascenus.

IX. Vbi duo videris: alterum, nunquam non Mariam splendentem, & claram extitisse, nec aliter à Deo conceptam, quin fuerit *vapor virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera: candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius:* quando in primis ipsa sermonibus, figuris, atque mysteriis *Candor, & relucentia lucis* apparuit, dum hac voce ipsius claritas, & splendor significatur, quippè vt benè obseruat doctissimus P. Ribera in id Epistol. ad Hebræos primo, versicul. 3. *Cum sit splendor gloriæ:* Græca vox non tantum denotat, quodvis corpus, quod splendorem relidat, sed ignatè corpus splendidum à quo oppositè splendor relidatur, vt iam tum præsignaretur non aliter, ac postea, *apparuit in Cœlo amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Apocalys. 12. versicul. 1. Alterum: hanc lucem splendorem, & relucẽtiam, Mariæ tanquam Dei Filiæ debitam, & quasi naturalem esse; ac proinde omnibus placidam, & iucundissimam esse debere, quin velint nonnulli huic splendenti faciei velamen apponere, quasi tantum iubar inconniuenti pupilla non valeant intueri: Sic enim Exod. 34. versic. 30. *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt prope accedere*, & statim versicul. 35. *Sed operiebat ille rursus faciem suam si quando loquebatur ad eos:* sed quare timebant accedere? Quare velamen expetebant? Respondet Tertullianus libro 4. contra Marcio. capit. 23. fine, quod à tanto fulgore infirma oculorum acies repercuteretur, ait enim: *Tunc oculos percutere (filiorum) Israelis:* ergo nos firma acie, & inconniuenti pupilla candorem lucis æternæ contemplemur: & Mariæ gloriam; quasi gloriam filiæ singulariter genitæ à Patre totis oculis hauriamus.

Enim verò ad hanc Mariæ à Deo emanationem, & natiuitatem, qua velut eiusmet manibus effecta omnino pura, & splendida euasit, illud etiam refero, quod Adamus a Lucâ

P. Riber. Hebr. 1. v. 3.

Apocal. 12. v. 1.

Exod. 34 vers. 30. & 35.

Tertul.

X

Luc. 3. *v.* 38. cap. 3. vers. 38. Filius Dei nuncupetur: cum eadem omnino locutionis serie, qua ipse expressit Isaac Abrahæ fuisse filium, & Seth Adami, dixerit de Adamo à Deo fuisse: sic enim ibi: *Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adã, qui fuit Dei.* Nimirum eo dicendi modo non tantum innuitur Adamum aliter quidẽ ac cæteros homines, qui ab aliis hominibus generantur, à Deo solo fuisse productum, sed etiam adeò perfectum, & omnibus numeris absolutum euasisse, vt nihil illi labis a terreno limo adhæserit, qui videlicet Dei manibus, consilio, & prouidentia in patrem omnium formatus est. Quare obserua accuratam orationem, qua id expressit Salomon Sapientiæ 10. vers. 1. inquiẽs:

Sap. 10. *v.* 1. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodiuit.* Etenim pro *formatus* Græce est *plastos*, id est *fictus*, qua quidem voce indicatur omnimoda eius perfectio, & consummatio qualis vasis fictilibus accidit, quæ quod blandæ, ac mollis materia sint cedunt facillime arti, & artificis industriæ. A quo non abiit Adagium *à Deo ficti* dictitari solitum, de iis qui maximè ad res magnas compositi sunt, quasi ad id nati, facti, sculptique; quo vsus videtur. M. Tullius lib. 1. *de oratore*, cum

Tull. Cicer. dixit: *Sunt quidam naturæ muneribus in iisdem rebus habiles ita ornati, vt non nati, sed ab aliquo Deo picti videantur*, sic ille non sine allusione ad Pandoram illam, quam Græci à Vulcano fictam fabulabantur, cæteris Dijs sua munera in eam conferẽtibus: & quidem fabulam hanc plures ex nostris mystagogis ortam opinantur ex donorum multitudine, ac varietate, quibus præditus Adam immediatè ab ipso Deo prodiuit in Lucem: ego vero potius ab hac consummatissima Adami formatione ad omnimodam Mariæ puritatem, & immunitatem ab omni labe argumẽtabor, vt quemadmodum Adamus a Deo fictus omnibus numeris absolutus euasit, ita Maria tot gratiæ muneribus ornata in sua Conceptione fuerit, vt non tam à parentibus cæterà hominibus, quâ a Deo ficta videatur, quæ non modo vt parens, & regeneratrix orbis terrarum, sed etiam vt Mater Dei ab ipso Deo formabatur. Quam quidem cogitationem dilucide firmat Sanctus Theophanes apud Menæa Græcor. 23. Februarij ante initium Ode 4. Mariam digna salutatione sic affatus. *O à cunctis sortibus incontaminata, & super omnes inculpatos inculpatissima Domina!* Nam quâ, quæso, ratione virgo secundum Theophanem super omnes inculpatos esset inculpatissima, si peccato originis quo primi parentes carnerũt fuisset obnoxia: Habet planè hic iam omninò locũ, quod Andræas Cretensis in oratione *de Dormitione Virginis de Deipara* dicebat: *Si quid ergo, quod nos superat, in ipsa à Diuina est dispensatum natura, nemo miretur, intuens ad nouum, & inexplicabile, quod in ea operatum est, mysterium ab omni infinitate infinities infinite exemplum.* Et quod Ecclesia Græca in Menæis 31. Martij Ode 8. de S. Hypatio M. affirmabat. Nihil in Virgine fuisse, quod non excederet modum Naturæ, sic enim ibi: *Nimirum omnia tua, ò genitrix Dei conditionem humanam excedunt.*

S. Theop.

Andr. Cret.

Eccles. Græc.

DEI FILIVS MARIÆ filium seſe perpetuò nominabat, vt eius Conceptionem immaculatam asserens, inde paternam hæreditatem iure percipere.

ADNOTATIO IV.

I NON contentus Dei Filius apud Salomonem Sapientiæ 7. vers. 10. dixisse, a se Mariam *super salutem*, & speciem fuisse dilectam, de illa notanter subiecit: *Et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen eius:* & statim: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honestas per manus illius:* Quo in loco maximè fuerit obseruanda illa lucis imago Deiparæ acommodata, & eo modo expensa: *proposui pro luce habere illam:* & verò vt plures illi sensus subsint, vt ad id loci copiosius tracto, ille mihi, & litteræ opportunior, & Mariæ gloriæ aptior esse videtur, in quo propositioui Græcæ, & Latinæ *pro* sua vis, & efficacia redditur vt substitutionis vicem obtineat: cum videlicet aliquid loco alterius subinfertur: vt Psal. 44. vers. 17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij*, & Matthæi 2. vers. 22. *Archelaus regnaret pro Herode*: & ad Hebræos 12. vers. 2. *pro posito sibi gaudio sustinuit Crucem*: de quo vide quæ diximus in epist. ad Philipp. c. 2. vt sub persona Filij Dei dixerit Salomon: ipsum Mariam Matrem pro luce, splendore, & ornamento habuisse, a qua cũ lucem, & claritatem acceperit, vt de ipsa tamquam de Matre à quâ ipse originem duceret iure gloriari posset: adeo scilicet pura, immaculata: & omnis labis expers, atque à communi originalis delicti contagio aliena, & immunis Maria fuit: secus enim à Dei Filio ea pro luce, & ornamento non haberetur, quæ aliquando peccati tenebris, & turpitudini obnoxia fuisset. Quo sensu videtur locutus venerab. Gillebertus serm. 21. *in Cantica*. inquiens: *Felix caro, quam sibi Christus non quasi carcerem, sed quasi coronam assumpsit, quæ fuit ornamento, non oneri:* opportunè *Felix caro*, quæ vt à Maria sumpta nullum cum infelicitate primæua cõsortium habuit: opportunius: *nõ quasi carcerem*, in quo aliquod pristini erroris, siue reatus debitum esset persoluendum, *sed quasi coronam*: In qua regia dignitas, & supremus claritatis honos resplenderet: Quod si coronæ speciem, & structuram excutias signatè inuenies diadema illam fuisse monente Salomone Cant. 3. vers. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum Mater sua in die desponsationis illius*: Quæ de carne à Dei Filio ex Maria sumpta frequens PP. expositio accipit, vt sæpè hoc in libro sæpius vero in altero *de Maria formâ* Dei vidimus: & verò diadema accuratissimam, & exactissimã ab omni labe originali munditiam significare Richardus à S. Laurentio lib. 3. *de laud. Virg.* auctor est dum ait: *dicitur* Diadema, *quasi* duo demens: *Scilicet principium, & finem: id est originale peccatũ, quod est principium omnis mali: & pœnam æternam, ad quam tendit omne peccatum mortale:* vt vel hinc planum fiat acceptam à Filio Dei carnem nõ modo immunem à peccato originali

Sapie. 7. vers. 10.

Gilliber.

Richar. à S. Laur.

Psal. 44. vers. 17. Matth. 2. v. 21. Ad Hebræ. 12. vers. 2.

fuisse

fuisse, tùm ratione vnionis, tùm etiam quod ipse non per seminalem propagationem, sed Diuini Spiritus operante virtute conceptus sit: sed etiam quod ex carne Mariæ, quæ vndequaque ab omni originaria labe exors fuit, carnem acceperit: vt mundus à mundâ, immaculatus ab immaculata ortum duceret. Quam planè vim habet, quod inquit Gillebertus, carnem à Maria sumptam coronam Dei Filio fuisse, quâ ipse puritatis regnum subisse videretur: vndè subiiciebat: *quæ fuit ornamento non oneri.*

II Sed quâ ratione (inquis) humana caro, quæ terra, & puluis est, Dei filio à sede, & sinu Patris aduenienti ornamentum, & corona esse potuit? Sanè quod Diuinitati humanitas, siue caro a Maria accepta fuerit, sicut aurum insertæ gemmæ, siue sicut auro celatura Hispanè *esmalte* à quo pulchrius, & decentius euadit; Quid enim opportunius, & aptius, quam in vnam personam, tùm Diuinitatem, tùm carnem à suâ mũditia, & pulchritudine Diuinitati proximam simul coire: Quare de hâc Christi carne prout mutuatâ à carne Mariæ præfatus Richardus *lib. 3. de laud. B. Mariæ*, huic rei peropportunus sic inquit: *Nã sicut Christus portionem illius assumens in eâ infirmatus est vsque quaque; sic & caro virginea diuinum quid nobis ineffabile, & humanum excedẽs intellectum ex diuinâ omnipotentiâ mutuauit.* ita ille pulchrè affirmãs carnem Mariæ, vt humana, & nostræ consimilis fuerit. diuinum tamẽ quid, & humanum intellectum excedens non aliunde, quam ex ipsamet Dei omnipotentia mutuasse, vt astris, & sole splendidior, & cœlis ipsis mundior esset: vt proinde Dei Filio ab hàc carne mutuata caro iure ornamentum, & corona fuerit. Enim vero hæc cogitatio ex ipsiusmet Christi Domini pharetra esse videtur: dum ipse non alia de caussa sese Filium hominis, idest Mariæ Virginis, quam honoris, & ornamenti perpetuo nominauit, vt apud Matthæum cap. 8. vers. 20. & cap. 9. vers. 6. & cap. 10. vers. 23. & cap. 11. vers. 19. & cap. 12. vers. 8. & 32. & 40. & sæpius tam apud ipsum, quam apud alios Euangelistas: Quo videtur aspexisse Concilium Ephesinum cum de Christi Diuinitate, & humanitate verba faciens accurata locutione dixit: *Quæ exinanitionis erant, ea perpetuo obseruabat:* vbi omninò obserua obseruationem, siue obseruantiam hanc: nimirũ obseruare est venerari dignitatis cultu, vt passim apud M. Tullũ, & Latinos videris: sic etiam Virgilius lib. 3. Georg. canit.

Præterea Regem non sic Ægyptus & ingens,
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes.
Obseruant.

Vt Concilij mens fuerit affirmare Dei Filium tanti fecisse se è Maria natum, vt qui potuit Dei Filium, & summum omnium Regẽ sese dicitare, maluerit Filium Mariæ dici, ac nominari: immò & gloriari. Pro qua obseruatione sapienter admonuit Abulensis quæst. 26. in cap. 9. Matthæi, Dominum non solum cũ de iis agebat, quæ exinanitionis erant, sed tunc præsertim cum gloriæ Dominum, & viuorum, & mortuorum iudicem credi, & timeri volebat, ad suæ maiestatis commendationem Filium Mariæ sese notanter & opportunè appellabat: ita Matthæi 13. vers. 41. *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia scandala*, & capit. 16. vers. 27. *Filius enim hominis vẽturus est in gloria Patris sui, cũ Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius*: & statim v. 28. *Sunt quidam de hic stantibus, qui nõ gustabunt mortem donec videant Filium*

Ri-har. à S. Laur.

Matth. 8. v. 20. & c. 9 vers. 6.

Concil. Ephen.

Virg.

Abul.

Matth. 13. v. 41

lium hominis veniẽtem in regno suo: & cap.14.vers.30.*Tunc parebit signum Filij hominis in cœlo*, &c. *& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ, & maiestate:* & alibi sæpe: nec minorem in hanc rem emphasim habent illa eiusdem Domini verba apud Marcum 2.vers.10. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata*, siue vt expressit Lect.Syriaca: *quia potens est Filius hominis in terrâ remittere peccata:* & hæc Lucæ 6.vers. 5. *Quia Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi.* Et Ioan.5.vers.27. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est:* Quæ sanè omnia eò eunt vt ostendat Dei Filius se Mariam Matrem suam *pro luce* habere, pro coronâ videlicet, & ornammento: *Quoniã inextinguibile est lumen eius.*

III

Iam verò huic appellationi, quâ Filius Dei sese Mariæ Filium vocitabat: immunitatem eiusdẽ Deiparæ omninò subesse; illud omninò euincit, quod ipsemet Dominus aliquando alloquens dixerit: *Abrahã Pater vester exultauit, vt videret diẽ meum*: Ioan.8.vers.56. vbi dum ab interpretibus adnotatur: non dixisse Dominum Abraham Patrem nostrum, aut Patrem meum, sed signatè *Abraham pater vester*, merito à P. Maldonato ambigitur, cur Dominus in modo loquendi à Matthæo dissentire voluerit, qui ipsum signatè appellauit filium Abrahæ dicẽs: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Num negare voluit Abrahæ filium se esse? Minime quidem. Cur ergo non dixit Abraham Pater meus? Respondet Maldonatus: non tam renuisse Dominum Abrahamum patrem suum agnoscere, quam noluisse de eo gloriari: ita enim Christi verba ipse effert. *Pater ergo vester: quo vos gloriamini: nam ego etsi Patrem meum illum agnosco: tamen eo non glorior.* Quod si hìc denuo dubites, cur Dominus, qui Abrahamũ patrem suum esse agnoscit: de eo nolit gloriari, cũ bona filiorũ indoles sit, & patrẽ agnoscere, & de patre gloriari? rursum respondet Maldonatus, Christum si homo tantum esset, omninò de Abraham tanquam de patre suo fuisse gloriatum; cui namque homini magnæ gloriæ non fuisset, tantum virum, & gentis suæ patriarcham patrem habere? Et enim verò, quia ipse Dei etiam Filius erat, atquè ideò multo maior, quam Abraham, de industriâ noluisse illũ patrem suum appellare, vt ostenderet se plusquam hominem esse: Audi Maldonatum. *Propterea, vt opinor, non dicit Abraham pater meus, aut pater noster, quamuis, vt homo loqueretur, posset que iure patrem suum appellare, vt Matthæus vocat, vt ostenderet se plus esse, quam hominem quandò quidem Abrahamo maior esset: & non decebat patrem vocare eum, quo se maior esse significaret:* ita ille, & quidẽ rectè: sed ego opportunius responderi posse crediderim: notantissimè Dominum, qui tam apertè, & dilucidè Mariæ Filiũ sese passim, & gloriosè nominabat; renuisse Abrahamum patrem suum appellare, quod in illo vitiatæ ab Adamo originis contractam labem agnosceret, quod non leue negotiũ hæreditati à se acquirendæ faceret: atquè idcirco indecens sibi videretur de patre origeneà labe fœdato gloriari: Quod quidem secus omninò in Maria Matre erat: Vndè, si verè æstimas, dum Abrahamum patrem suum non dixit: vnâ fidelia duos parietes dealbauit, tùm videlicet illum peccato originali obnoxium, atquè ea ratione minimè opportunum, vt de ipso gloriaretur, tùm etiam Mariam ab omni labe immunem tacitè asserens: cum esset omnibus notum se eius filium

Ioan. 8. v.56.

Mald. Matth. v.1.

A B C D E

Mald.

esse

esse perpetuò & glorianter appellare solitum.

IV Vndè pergit initio adnotationis adductus Salomon sub persona Christi asseueranter dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honestas per manus illius*, his verbis omninò affirmãs Dei Filio à Maria Matre quidquid in humanis est honoris, & gloriæ omni dedecore remoto accessisse: ea quippè vis subest voci *honestas*: de qua Latini Auctores monêt, omninò significare honorem, & dignitatem quo quis honestatur: omni dedecore remoto: sic dixit M. Tullius ad Atticum: *Vbi enim est dignitas, nisi vbi honestas*, & lib. *de officiis*: *in officio colendo sita est honestas omnis, & in negligendo, turpitudo*: Quę ad exactissimam munditiã, & splẽdidissimam claritatem opportunè retulit Richard. à S. Laurentio libr. 6. *de laudib. Virginis*: componens hæc Sapientiæ verba cum illis Prouerb. 31. vers. 1. *Mulierem fortem quis inueniet?* hunc in modum. *Nota quod hic mentio fit de inuentione: Similiter Lucæ 1. dictum est*: inuenisti gratiam apud Dominum: *Sicut enim Mariæ fuit inuentio, habere talem Filium: Sic Christo fuit inuentio habere talem Matrem. Vndè sicut Maria dicere potest de Sapientiâ Dei ex eâ carnem assumente.* Venerunt omnia bona pariter cum illa: *Sic & Christus de Mariâ*: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. *Quia natus sum mundus de mãdâ: immaculat⁹ de immaculatâ, & de Virgine virgo*: Hęc Richardus omninò ad rem quibus Dei Filium inducit splendorem, & claritatem suam splendori, & nobilitati Mariæ attribuentem: & puritatem, ac mũditiam propriam in Matrem suam deriuantem: atquè idcirco sese gloriantem, quod ab ipsa mundus, & immaculatus prodierit: & quidem iure: Nam *quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splẽdor elegit?* vt Ambrosius lib. 1. *de Virginib.* loquitur: Quæ dilucidè ipsemet Dei Filius confirmat apud Dauidem Psalm. 29. vers. 8. summo Patri de decore sibi à Maria Matre suâ adueniente hunc in modum gratias agens: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*: iuxta Hebræam Lectionem, quæ pro *decori meo*, habet *Progenitori meo*, quẽ præced. lib. differt. 4. adnotat. 5. de Maria Dei libro Spiritus Sancti calamo conscripto fusius explicauimus: vide ibi, dum modo hic obserues Dei Filium Mariam, qua ipsius Mater est decorem suum appellasse. Tanti scilicet faciebat, eius Filium esse, & dici.

V Etquidem Dei filio ad eum modum sese de Maria Matre gloriantè quasi ab ipsa splendorem, & nominis claritatẽ acceperit summus Pater adstipulatus videtur sub persona Patriarchæ Isaac de filio suo Iacob, qui Christi typus fuit, inquiẽs: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni*, Genes. 27. vers. 27. Vt ex agro Mariæ eam odoris suauitatem, quæ in bona fama, & egregia apud homines existimatione censetur, percepisse videatur; pulchrè hæc verba in hunc sensum inflectente S. Bonauentura *in Speculo Mariæ* cap. 7. vbi cum primum agrum plenum ad Mariam sic retulisset. *Sicut enim ager plenus odoriferarum specierum odoribus, sic Maria plena est odoriferis famæ suæ aspersionibus. De hac plenitudine accipiamus, quod legitur in Genesi.* Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Ager iste est Maria, in quâ thesaurus Angelorum, immò totius Dei Patris absconditur. Ouerè diues, & nimis diues, quæ præter alia aromata tam plena fuit odorifero Spiritus Sancti balsamo, &c.* Subiicit opportune nostro instituto. *Bene ergo*

Ambr. *Psal. 29. vers. 8.* *Lect. Hebr.* *Gen. 27. ver. 27.* *Bonau.*

M. Tul. *Richar. à S. Laur. Prou. 31 v. 1.* *Lucæ 1. ver. 1.*

dicere

dicere potuit Deus Pater. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. *Quasi dicat: Ecce odor filij mei, idest odor filij pleni ex odore Matris suæ est, & famâ*. Ita ille: planè vt summus Pater affirmet à Maria, vt à Matre omnē honestatē, egregiā famā, & boni nominis claritatem Filio suo accessisse, eumquè ab ipsa plenum suauitate odoris mundo apparuisse, quin ipsi aliqua omninò labes à materno vtero potuerit aspergi, vti quidem respergi potuisset, si a Matre, quæ originariam sordem aliquando contraxisset, natus diceretur. Quo refero à Hieronymo, siue Sophronio in ser. *de Assumpt. Mariā*, dici: *Purpuram verissimam ad indumentum, & gloriam summi Regis aptissimè dedicatam*, ac si dixerit Mariam Filio Dei regiam dignitatem, & purissimi sanguinis splendorem, à qua ipse merito gloriari posset contulisse. Sed preme dicēdi modum: *Ad indumentum, & gloriam summi Regis aptissimè dedicatam*. Sanè vt hæc gloria à Matre accepta aptissime Diuinitati Filij Dei cohęreat; quin ipsi extranea, aut indecens videri possit: immò potius concinne conueniens: vt qui in mundo habuit *gloriam quasi vnigeniti à Patre*, Ioan. 1. vers. 14. itidem etiam gloriam à Matre cum sanguinis claritate habuisse dicatur. Quod si à Matre gloriam, & gloriam summi Regis accepisse Dei Filius dicitur: quo pacto in Matre vlla aliquando labes Regiam originem inficiens concipi valeat?

Hieron. *Ioan. 1. vers. 14.*

VI Sed age: & vt hanc Filij Dei à Matre acceptam gloriam ad eam claritudinem, de qua, tanquam atauis editi Regibus, & Regio sanguine orti maximè gloriātur, singillatim referas: obserua Dei Filiò à Mariâ cum humanitate purpurascentē, & regium sanguinem aduenisse. Nimirum ipse vt a Patre *Candor est lucis æternæ*: Sapientiæ 7. versic. 26.

Sapien. 7

Quare vt cādor iste purpurasceret, & regio sanguine splendesceret, virgineo, ac purissimo Mariæ sanguine, quo intingeretur, opus habuit: de quo præter alibi à nobis dicta ex verbis Canticor. cap. 7. vers. 5. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*: siue vt reddunt LXX. *Rex ligatus transcursibus*: & quæ modo ex Sophronio dedimus: audi Hymnum Ecclesiæ Græcæ apud Buteonem pag. 123. de Mariâ canentem: *Concha quæ diuinā purpuram Regi virtutum sanguine suo colorauit*: vbi pulchrè sanè, & opportunè diuina Regis purpura à Mariæ sanguine colorata inducitur, quasi hæc antea solummodo cādida velut lana, quoad hominum opinionem, & existimationē haberetur donec à Virginis sanguine purpureum colorem, & splendentem decorem acceperit. Vides vt à Mariæ origine Regius Dei Filio decor & claritas sanguinis, de qua ipse iure glorietur, omninò accesserit? Vbi ergo in hâc origine, quæ verè purpurea, & regalis fuit originalis vnquam labes inueniri potuit? Nec me temperem, quin denuo hic repetam, quæ & in hoc libro, & in lib. *de optimo Principe*, lib. 2. adnotat. 10. num. 1. ex Cassiodoro attulimus, dum ipse lib. 1. variarum epist. 2. ad purpuræ tincturam, mundissimam artificis puritatem necessariā esse asserit ex personâ Regis Theodorici: Nam cum præmisisset. *Quod si conchiliorum qualitas non mutatur: si torcularis illius nulla vindemia est: culpa nimirum Artificis erit cui se copia nulla subtraxit*: subiicit: *In illis autem rubicundis fontibus, cum albentes comas serici moderator intinxerit, habere debet corporis mundissimam castitatem, quia talium rerum secreta refugere dicūtur immunda*: Hactenus Rex. Quæ etsi ali instituto appositè conueniant, præsenti verò opportunissima sunt;

vers. 26. *Cant. 7. vers. 5.* LXX. *Hymn. Græc.* *Cassiod.*

nimi-

nimirum ipsimet Christi Domini purpuræ, ipsius scilicet decori, & inclyti ac Regij sanguinis claritudini non leuiter officere videretur quæuis Mariæ albentes comas, siue diuinum candorem intingens macula, à quâ Diuinitas intingenda iure refugeret.

VII Iam verò ad præsens institutum de Dei Filio sese gloriante, quod Mariæ Filius fuerit, per opportuna videtur emphatica illa, & maiestate plena ipsius additâ interrogatio ad discipulos facta. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matth. 16. v. 13. addita epitasi Lectionis Syriacæ, cui adhærent Epiphanius in *Anchorato*, & Theophylactus ibi: Hæc enim verba Domini sic effert: *Quem me dicunt homines esse Filium hominis?* Vt hæc dictio siue is interrogandi modus hunc sensum habeat: De me, qui Mariæ Filius sum, quid sentiunt homines? Ego qui à tanta Virgine ortum duco, quid esse existimor? Quibus planè verbis eo hamo, siue aculeo instructis visus est Dominus munire viam opportunæ Petri responsioni, pulchrè ad hæc verba dicente S. Basilio Seleucensi orat. 25. *Primatem inclinat velut cytharam quandam ratione præditam ictibus excuscitãs:* vt videlicet eum Petri cythara sonum redderet, qui Maiestati, & omnimodæ Mariæ puritati concineret. Ergo manu, & ictibus Sapientiæ Dei pulsata Petri cythara respondit: *Tu es Christus Filius Dei viui:* tãtum non dicens: Qui Mariæ Filius est: & qui Mariam Matrem se habere gloriatur non potest non esse Filius Dei viui: vbi omninò obserua æquè Dei Filium, & Diuinitati suę, & Mariæ dignitati prospexisse, qui Petrum posuit in viâ, vt ipsum quà Mariæ filius erat, Filiũ Dei viui diceret: opportune id obseruante Bernardo tractatu *de gradibus humilitatis gradu* 2. hũc in modũ: *In verbis interrogationis sensum interrogãtis prudenter aduertens, competẽter propriè que ad interrogata respondit dicens.* Tu es Christus Filius Dei viui; Sic ille. Nimirùm cum Domini scopus ad Matrem collaudandam tenderet, qui non leuiter indicabat sese de tam magnâ Matre gloriari, qui ab ea cum origine regium sanguinem, & immaculatum splendorem duceret? *Sensum interrogantis prudenter* Petrus *aduertens*, Diuinitatem Christi tam dilucide, & luculenter expressit, vt ab illa Mariæ dignitas eluceret, & confessionis suæ cythara Christi ictibus excitata concordes Matri, ac Filio laudis sonos ederet: Quare ad rem nostrã obserua notanter Petrum non contentum dixisse: *Tu es Christus Filius Dei*, addidisse *viui*: Quid? opus nè fuit exprimere Deum viuentem esse? Quasi posset esse Deus, qui nõ viueret? Sane ea fuit prudentia Petri sensum interrogantis sagaciter aduertentis, vt qui propriè, & competenter ad interrogata respondebat: & Christum quà Mariæ Filius erat; itidem Dei Filium confitebatur: singillatim adderet *Dei viui*, & semper viuentis Filium esse, vt inde Mariam nũquam peccato originali mortuam, sed vita gratiæ semper viuentem adstrueret: vt inde Christus de Matris dignitate merito gloriari posset.

VIII Sed & in Mariæ gloriam placet etiam obseruare Dei Filium signatè Filium hominis, ideſt Mariæ coram Angelis sese appellare voluisse, vt commonstraret illam Angelos dignitate superare, & ipsis puriorem, splendidiorem, & nobiliorem esse, vt videlicet inde signatè vicem rependeret Angelis, ideò in veteri testamento prophetas, filios hominis appellantibus: vt sese ab illis longius discriminarent, eosque minores ostenderent: ita id obseruante Hieronymo in cap. 8. Danie-

Basil. Se. Bernard. Hieron.

lis: Et Ezechiel, & Daniel, & Zacharias, quia sæpe inter Angelos esse se cernunt, nè eleuentur in superbiam, & Angelicæ, vel naturæ, vel dignitatis se esse credant, admoneuntur fragilitatis suæ, & filij hominũ nuncupantur, vt homines sese esse nouerint. Compone ergo vtramque dictionem, & modum sensumque loquentium: & cum vides Angelos prophetas appellantes filios hominis, vt illos humanæ fragilitatis, iuxta quam Angelis minores sunt, admoneant: audi Dei Filium sese Filium hominis ideſt Mariæ esse gloriantem, vt humanam conditionem præ Angelica altiùs efferret, & sese vt factum ex muliere nobiliorem, & splendidiorem Angelis faceret: quid enim tam excelsum, & sublime in Angelis possit inueniri, quod cum Filio hominis ideſt Mariæ valeat comparari? Ergo dum plaudũt sibi ipsis Angeli, quod præ ipsorum in homines excellẽtia nos filios hominis appellant, vt humanæ nos fragilitatis admoneant, gratulemur etiam nos ipsi nobis, & plaudamus, quod Dei Filius se ipsum Filium hominis ideſt Mariæ notanter appellauerit, vt sese tanto Angelis maiorẽ ostenderit, *quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu?* Ad Hebræos 1. versicul. 5. itidemque inde efficax pro Deiparæ immunitate argumentum cõficiamus: Nobiliorem, videlicet, splendidiorem, & Augustiorem illam ab ipsamet sui origine, & Conceptione Angelis esse, quando Dei Filius ipsa editum fuisse toties gloriatur.

IX Fuerit etiã commodum pro hac Dei Filij de tanta Matre gloriatione adnotare, quod acutè S. Irenæus hæresi 42. obseruauit aduersus hæreticos, qui ex verbis Saluatoris, Lucæ 18. vers. 9. quæ eo Verbũ Dei docente homini nuncianti sibi *Mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre*, ipse respondit: *Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui Verbum Dei audiunt, & faciunt*: insulsissimè adstruebant Christum Dominum ex Maria natum non fuisse; inde potius sapienter contẽdens Irenæus hac responsione tunc temporis data sese Virginis Filium agnouisse, qui nuncio sibi de eius aduentu dato, non mediocriter lætatus fuerit: Quod inde colligit Irenæus, quod cum Christus Verbi Dei prædicationi summo tũc studio incumberet, & nõ posset, non sibi esse molestum, sermonem interturbari, vt accidit aliquando, cum acri animaduersione Petrũ hâc de causa increpauit; tamen in gratiam Mariæ, & in honorem nominis Matris à senera animaduersione nuncians voluerit abstinere: sed hæc ab Irenæo audire opportunius fuerit: Etenim cum ille ex versione Dionysij Petauij dixisset: *Nec te Domini responsum illud in errorem impellat*: Quæ est Mater mea? *Scito non his verbis negatam esse Matrem, sed eius importunitatem repressam, qui tanta multitudine circumfusa, dum salutaris doctrina profunditur, ipsegue adeò in curandis corporibus, ac prædicando Dei Verbo totus occupatus, sic cũ ausus est alloqui*: sic subinde satisfacit: *Quod nisi gratus, ac iucundus illius aduentus ipsi fuisset, acerbiori quidem increpatione intempestiuam hominis vocem excepisset, veluti cum Petro respondit: Discede à me Sathana, quoniam non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominũ*: Hactenus Irenæus. Apud quem obserua illud: *Nisi gratus, ac iucundus illius aduentus illi fuisset*: vt videris quam iucunde acceperit Dei Filius, Mariam ad se venire, itidemque ipsum eius Filium ab hominibus appellari, qui vel hâc ratione à commerita hominis increpatione abstinuit. *Irenæus.*

Luc. 8 vers. 19.

MARIAM Filiam vitæ, ac proinde Germanam Dei Matrem à qua paterna hæreditas Christo optimo iure obtingat.

ADNOTATIO V.

I FIRMANT vno verbo, quæ hucusque de legitimo Christi iure ad paternam hæreditatem ob maternam puritatem in præcedentibus adnotationibus diximus S. Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samosatenum cui postea adhęsit S. Germanus Pathriarcha Constantinopolitanus, dum MARIAM quæsito vocabulo appellant *Filiã vitæ*. Nimirum cum Dionysius aduersus prophanam illius hæretici impietatem, qui Christum purum hominem esse affirmabat, disputans dixisset. *Verbum caro factum est secundum scripturas, non diuisum in carnem, & Verbum, quasi in homine inhabitet Verbum: hæc enim fuga generationis est: siquidem iam inde habitat in quibus multæ reperiuntur matres*, subiicit opportune: *Vna autem, & sola Virgo Filia vitæ genuit Verbum viuens, & perse subsistens, increatum, & Creatorem.* Ita Dionysius Alexand. Obserua, & preme pulcherrimam, & peropoportunam appellationem hanc *Filia vitæ*, quà MARIAM Dionysius ab omni originalis peccati maculâ fuisse expertem absolutissime asseruit. Sed non eris in ea obseruanda, & explicandâ accuratior, aut diligentior, quam meus Theophylus Reynaudus Auctor splendore virtutis, & doctrinæ meâ commendatione maior, qui in huius appellationis, quam in suo Nomenclatore Mariano exscripserat, eruditissimo glossario. Sic ait: *Concinnè Sanctam MARIAM appellat*, Filiam vitæ: *Quia nec Concepta est in peccato, nec mortis quidquam in se admisit vnquam, sed semper sana, & Sancta fuit, contra quam nobis contingit, qui natura filij iræ existentes, subinde filij mortis sumus*: Pergit statim: *Factum est autem ex Beatâ MARIA Verbum caro: itaque decebat, vt quæ Verbum viuens ipsamque vitam editura erat, esset Filia vitæ:* Hæc Theophylus Reynaudus ibi, quæ subinde ad calcem glossarij ex ipsomet Dionysio Alexand. sic confirmat, atque diffundit. *Quo autem Beatam MARIAM Deiparam à Sanct. Dionysio dictam Filiam vitæ accepi de sanctitate, quâ colluxit iam à primo conceptu, ita vt nè ad momentum quidem fuerit filia mortis, bellè cohæret cum eo, quod de eâdem sanctissimâ Virgine affirmat eâdem epistolâ Sanct. Dionysius: nimirùm quòd à capite ad pedes fuerit semper incontaminata. Quid enim est:* à capite ad pedes: *Nisi ab initio primo vitæ ad finem vsque Virginem fuisse prorsus nitentem, & absque maculâ:* Hæc Theophylus Reynaudus, Dionisium Dionysio explicans, & confirmans: Sed de posteriori hâc Sanct. Dionysij sententiâ statim nobis redibit sermo: modo priorem penitiùs explicemus.

Dionis. Alex.

Theoph. Reynad.

II Si tamen explicatione indiget hæc appellatio, quæ perse loquitur, & omnimodam Mariæ puritatem, ac nitentem originẽ, siue pro-

prium

primum characterem, quo in immunitate ab originaria labe a cæteris mortalibus discriminetur, solâ vocum cognitione enunciat. Nam quid, rogo, fuerit MARIAM esse Filiam vitæ, quam ab ipsa vita conceptam, & ortam fuisse? Quin vllum aliud præter ipsam vitam principium, aut originem habuerit, atque idcirco ipsius Conceptionem, & emanationem vndique viuam, ac vitalem fuisse; quin aliqua ratione intelligi, aut excogitari possit morti aliquandò ipsam subiacuisse: quæ enim morti cum vita societas? Aut quæ cum luce tenebrarum communio fuerit? Num à frigido calidum? Aut à tenebroso potest lucidum oriri? Ergo nec vita à morte, aut ab eo, quod cum morte societatem, siue communionem habeat: Sed vt hanc Dionysij cogitationem, quæ per se clara est, appositè dilucides, siue diffundas pende ipsum omninò apud se statuisse duas origines, siue duo principia cunctorum hominum vitam scilicet, & mortem: siue (quod res penitus est) Deum, & Adamum: vt ab hoc omnes oriamur morti obnoxij dicente Paulo: *In Adam omnes moriuntur*, 1. Corinth. 16. versicul. 22. *Et eramus naturâ filij iræ*: ad Ephes. 2. versicul. 3. hoc est filij mortis, *filij pœnæ* (inquit Augustin. tractat. 44. in Ioann.) *Filij gehennæ*: addens: *quo modo*, natura, *nisi quia peccante primo homine vitium pro naturâ inoleuit?* A Deo autem, vt à vita, & *fonte vitæ*, Psalm. 35. versicul. 9. omnia, & viuentia, & vitalia prodeant: sic affirmante Ioanne cap. 1. versicul. 3. *Quod factum est in ipso vita erat: & vita erat lux hominum*: vt dixerit: Quidquid in Verbo Dei, & à Verbo Dei factum est: viuens, & vitale prodiit, tanquam à vita ipsa procedens: quin vlla cum morte, aut tenebris communionem habuerit: donec ab Adamo in peccatum lapso: *Peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: ad Romanos 5. versicul. 12. vt absolutissimè monuit Salomon Sapientiæ primo, versicul. 13. inquiens: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terrâ. Iustitia enim perpetua est, & immortalis. Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam, & æstimantes illam amicam defluxerunt, &c.* Et cap. 2. versic. 23. eodem sensu ait. *Quoniam Deus creauit hominem in exterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* Quæ omnia eunt, vt coniuret Sapiens cum Ioanne annunciante: quidquid in Dei Verbo, & à Deo Verbo factum est viuens, & vitale esse: vti Ioannes verba ex frequentiori PP. expositione efferunt egregium interpretum par Cardinal. Toletus, & P. Ioan. Maldonatus: & quidem Sanct. Cyrill. Alexandrin. in Catenâ Græcâ, sic inquit. *Non solum per ipsum omnia facta fuisse ait: verum etiam quid factum est in ipso viua erat: ita vt vnigenitum Dei Verbum omnium sit principium, & fundamentum*: Pergit Theodorus Mopsuestenus sindidem Cyrilli sensum sic perficiens. *In ipso vita erat: quoniam vim viuificam facit scaturire: ita vt non solum viuat ipsum Verbum: verum etiam aliis vitam præstet*: Hæc PP. Cape ergo iam mentem Dionysij appellantis Mariam *Filiam vitæ*, vt dixerit: ipsam à vita originem ducere, nec cum morte aliquid in sui Conceptione commune habuisse, quæ

Rom. 5. v. 2. *Sapie. 1. vers. 13.* *Sap. 2. v. 23.* *Tolet.* *Maldo.* *S. Cyrill. Alex.* *Theodor.*

i. *Cor.* 16 *vers.* 22. *Ad Ep.* 2. *vers.* 3. *Augus.* *Ioan.* 1. *vers.* 3.

à vi viuificâ vitæ scaturiuit inexterminabilis, & ad imaginem similitudinis diuinæ, quin fuerit in illa *medicamentum exterminij*, venenum scilicet peccati originalis, aut labis alicuius fallacia, aut fucus: hęc enim Græca vox valet: vndè Guarinus legit *in illis nationibus, siue initijs mundi non est venenum perniciosum*: ad quem modum Iansenius: *Non est in generationibus mundi creatum à Deo venenum exterminans.*

Lectur. Græc. Guarin. Iansen.

III Nec discessero ab huius loci Salomonis elucidatione, quin premam pro Deiparæ immunitate præfata verba: *Creauit enim vt essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum:* Nimirum priori illo hemistychyo: *creauit vt esset*: omninò affirmat: Non hominem modo, creaturam adeò nobilem, & illustrē ad imaginem scilicèt Dei factam, sed & *omnia*, quantumuis vilia creata fuisse à Deo *vt essent*: vel vt est in Græco *ad esse*, id est, vt essent talia qualia poterant pro viribus, quas eis tribuisset Deus ad propriam felicitatem (cuius singulæ creaturæ capaces sunt) assequēdam (vt ibi ex proprietate verbi *sum, es, fui*, quod sæpè idem est, quod *valeo*, & ex Auctorum vsu latiùs confirmo:) Deinde verò *sanabiles*, dixit *Nationes orbis terrarū*, id est *salutares*: & vt premit Græcam vocem Isidorus clarius quæ est, *seruare, tueri, conseruare in statu sano, integro, valente, sospite*: & in nominandi casu tam deseruit actiuæ, quam passiuæ significationi: *sanas, sospites incolumes, integras, permanentes*: Sed quæ hæ nationes? Respondent Lectio Tigurina, & Vatablus, *initia mundi*: Explicatius verò, alij à S. Hieronymo edocti legentes *generationes*, dicunt hoc nomine intelligendos Adamum, & Euam: & quidem accommodatè ad Græcam vocem, quæ propriè significat *stirpem nati-*

Lect. Tigurin. Vatab. Hieron.

uitatis, itidemque *locum vnde quis nascitur*: vt Genes. 11. versicul. 28. & cap. 31. versicul. 13. & Ezechiel 16. vers. 1. pro loco, & stirpe ponitur: Vndè omninò vult Salomon, hominem sanæ integræ, & sospitis stirpis à Deo factum, aptumque, vt seruari absque interitu posset, atquè etiam incolumitatem in posteros deriuare: Ex his iam collige, quid dicendum de MARIA sit; & quam opportunè à Dionysio, *Filia vitæ* appellatur: Nam si Deus quatenus Auctor naturæ, & generalis creaturarum Artifex, eò quod vita sit, & quod factum est in ipso viuens, & vitale est: *Creauit omnia, vt esset: & initia mundi*, primosque parentes, tanquam cæterorum hominum stirpem salutares, & incolumes constituit, & (vt Glossa Interlinearis ait: *Non ægrotare fecit*) quanto magis, vt Mariæ pater ipsam, quæ in eo facta est, vt Filij sui generosa stirps esset futura: sanam integram, valentem, nullique ægritudini, aut veneno obnoxiam, germanam scilicet Filiam vitæ creasse dicemus? Certè hac crediderim de caussâ PP. dicere solitos MARIAM paradisum Dei manu consitum fuisse; in quo nimirùm nulla stirps vitiata, nulla planta degener, nulla radix amaritudinis, siue nullum medicamentum exterminij inueniretur: Sic namque primum ipsam affatur Sanct. Athanasius oratione *in Christi Domini occursum*, apud recentissima Bibliothecæ Græcorum PP. Auctarium tomo primo: *O intactissima, impollutissimaque, quam Dauid quidem arcam appellat* sanctificationis: *Salomon autem lectum aureum, & thronum, ac liliorum conuallem, diuinarum, reor, virtutum, paradisumque diuina plantatum manu*: Sic Sanct. Athanasius. Ad quem etiam modum Ecclesia Græca in Menæis 5. Martij

Genes. 1. vers. 28. Ezech. 16. v. 1.

S. Ath.

S. Ath.

in

in veſperis de Sanct. Canone cum MARIAM, ita ſalutaſſet: *Salue, quâ nihil vnquam magis peregrinum inter mortales auditum:* Explicans, quid tandem ſit illud, quod in Virgine magis peregrinum, hoc eſt magis procul à patria, & extra ſolum patrium ſit (id enim propriè eſt, peregrinum eſſe) ſubiicit: *Salue ſacroſanctum paradiſi lignum ab ipſo Deo plantatum:* Pulchrè: vt Mariam plantam cœleſtem nõ huius terræ: *Dei manu*, hoc eſt, Diuini ſpiritus gratia præueniente à peccato originali in ſui Conceptione, tãquam Dei Filia præſeruata.

Eccleſia Græca.

IV

Apto hìc quod alibi obſeruaſſe me memini in accuratis dicendi modis, quibus tam Matthæus, quam Lucas Chriſti genealogiam per Mariam recenſentes vſi ſunt: dum nimirùm vterque progenitorum Chriſti ſeriem contexentes, cum Mariæ parentes per quos ipſe ab Abraham originem ducebat maxime recenſere debuiſſent; illos omninò ſilentio prementes ad patrem Ioſeph diuerterunt ſtylum. Etenim Matthæus cum primum ab Abraham expreſſus dixiſſet: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham:* tandem verſicul. 16. concludit: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus:* Lucas vero eumdem ſecutus recenſendi modum per Ioſeph: eius genealogiam inverſo ordine recenſuit ab eius parente vſque ad Adamum ſeriem ducens hunc in modum: *Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*, ſiue vt Græcè habetur: *qui fuit ex Deo*, Lucæ 3. verſicul. 38. Sed quorſum id? Sanè vt quamuis indubitatum eſſet MARIAM ex parentibus Ioachim, & Anna ortam fuiſſe; tamen vt vitiatæ à peccato originis ſuſpicio in ipſa remoueretur; eamque Sacroſanctum *paradiſi lignum*, crederemus, *ab ipſo Deo plantatum:* de induſtria parentum ipſius mentio facta non eſt, tacitè nobis inſinuantibus Euangeliſtis, ita Deiparam à communi generis humani contagione immunem fuiſſe, ac ſi nullum a terrenis parentibus ortum duxerit, ſed velut è cœlo delapſa fuerit: Quæ ſanè epitaſis ſubeſt verbis Lucæ: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, ſiue *ex Deo:* vt dum duplex Adami ſtatus fuit: alter eius a Deo recenter factus: alter peccato iam obnoxij, illè notanter primi ſtatus *ex Deo* meminiſſet: vt innueret MARIAM quidem Adæ filiam eſſe, ſed Adæ *qui fuit Dei* reduplicatiue (vt inquiunt Logici) quatenus Adam creatus eſt à Deo *in iuſtitia, & ſanctitate*, vt quemadmodum ipſe Dei, & ex Deo fuit, ita Maria quo ad originalem rectitudinem, & iuſtitiam Filia Dei dici poſsit, & debeat. Ita quidem vt in ſuperioribus vidimus opportune premebat Petrus Comeſtor, qui Hiſtoriæ Scholaſticæ Auctor dicitur, ea Vatis verba Pſalm. 86. verſicul. 5. quæ frequenter MARIÆ aptantur: *Et ipſe fundauit eam Altiſſimus:* vim faciens in pronomine *ipſe* hunc in modum: *Intellige, quod ait* ipſe fundauit eam Altiſsimus: *Ipſe, non alius: non Vetus Adam: ſed nouus nouum fecit fundamentum, ſuper quod tam præclarum, tam inſigne ſurgeret ædificium: alioquin ſi veteris ruinæ manſere vestigia, ſi veteri ſuper ædificatum eſt vetus Adam non ipſe fundauit eam Altiſsimus.* Sic ille in libello de purâ Virginis Conceptione. Cui obſeruationi omnino concinit expoſitio, quam iis verbis Iob 28. verſicul. 16. *Non conferetur lapidi Sardonycho pretioſo:* adhibet Richardus à S. Laurẽtio, dum illa de Deipara accipit hũc in modum: *Per quem poteſt ſignificari Adam in ſtatu innocentiæ, qui etiam quandò totus fuit innocens non*

Matth. 1. v. 16.

Lucæ 3. verſ. 38.

Pſal. 86 ver. 5.

Iob 28. verſ. 16. Richard. à S. Laur.

potest comparari Mariæ comparatione adæquationis: ita ille: Satis ad rem, quia vt Maria, non solum ex Deo vt Adam, sed etiam in dignâ Matrem Dei formata est.

V Iam verò Sanctum Germanum Patriarcham Constantinopolitanum eadem qua Dionysius locutione Mariam Filiam vitæ appellâtem in medium proferamus: Enim vero in officio Diuino Ecclesia Græcæ Conceptionem Deiparæ celebrantis die 9. Decembris, quod posteà suo loco integrum exhibebimus ex Menæis Græcorum: hæc ex S. Germano ponitur stropha in vesperis: *Illud absconditum Angelis, & hominibus magnale Dei: illud inquam inusitatum, & à sæculo per oracula præsignificatum mysterium: nempè Maria Dei Filia in Annæ castæ visceribus infantilem figuram accipit: & vnà præparatur nunc ad habitationem vniuersalis sæculorum omnium Regis, & item ad restaurationem generis nostri: Mariæ igitur agite: in conscientiâ purâ supplices mus exclamantes ad illam: patrocinare nobis apud Filium tuum, & Deum, vt saluentur animæ nostræ, vt potè quæ nostrum Christianorum omnium præsidium existis.* Hactenus Germanus apud Ecclesiã Græcam: vbi obserua Mariam, non modo appellari à Germano Filiã Dei, sed aucto censu dici, ipsam in Annæ visceribus concipi Filiam Dei: itidemque magna omninò emphasi addi: esse *illud absconditum Angelis, & hominibus magnale Dei:* notanterque *inusitatum mysteriũ*, quæ omnia manifestissimè Deiparæ immunitatem ab originaria labe significant: alitèr enim qua ratione dici poterat, tùm Mariam Dei Filiam in Annæ vtero infantilem figuram accipere, hoc est concipi, si peccato obnoxia: hoc est diaboli mancipium, & Dei abominatio fuisset? Tùm etiam Mariæ Conceptionem abiconditum Angelis, & hominibus magnale Dei, & inuitatũ mysterium fuisse; si ad instar cæterarum creaturarum vsitato modo, & iræ Dei obnoxia ipsa concepta fuisset? Est nè id inusitatum mysterium? Est nè id absconditum Angelis, & hominibus magnale Dei? An potius indignationi, & supplicio communi subiacere?

Sed nec fuerit in hanc rem prætereundum, quod subdit S. Germanus: *Et vna præparatur nunc ad habitationem vniuersalis sæculorum Regis:* omninò affirmans. Oportuisse Mariam esse Filiam vitæ in Cõceptione sua, vt esset idonea Mater vitæ, hoc est Filij Dei, qui aliter non videretur a Patre pro dignitate honoratus, sapienter id expendente Celio Pannonio Viro litteris, & pietate in primis conspicuo in commentariis in Cantica, quæ asseruãtur in Monasterio celeberrimo ordinis S. Pauli Lypograuæ in Croatia (vt affirmat P. Laurentius Chrysogonus in Mundo Mariano part. 1. discursu 20. numer. 41.) vbi cum dixisset: *Decuit quippè summè puram esse, quæ Candorem lucis æternæ, & speculum sine maculâ conceptura, & intra viscera gestatura erat, quæ singulari gratia præseruata fuit, vt non penetraret ad eam labes ista connaturalis: quandò corpus afflatu spiritus consecratum suscepit animam in plenitudine gratiæ creatam:* subiicit pro nostro sensu: *Quod citra altercationem potuit Deus facere, & fecit: alioquin non tantum honorasset Pater Filium, si Matrem aliquandò infamiæ malum subiisse passus esset. Quem alioqui summè honorificari voluit, atque idcirco hominem quoque fieri, vt tanquam Redẽptor ab omnibus honorificaretur in cœlo, & in terrâ, & etiam apud inferos: vt docet Apostolus ad Philippẽses cap. 2.* Hæc Celius Pannonius, qui pergit multis in hanc rem. Bene

VI

S. Germ.

Celius Pannoni.

Laurent. Chrysog.

illud:

illud: *Non tantum honorasset Pater Filium, &c.* Ergo qui ipsum sibi maximè dilectum, & in quo bene complacuit honorare, & magnificare voluit: eam ipsi Matrem præparauit, quæ Filia vitæ conciperetur, & nunquam infamiæ malũ subiret.

VII Sed iam ipsamet Deipara seſe Filiam Dei esse explicet, & pro sua Conceptione ex Deo causſam dicat: *Ego* (inquit Maria) *ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnẽ creaturam*, Ecclesiastici 24. vers. 5. *Eccl. 24. vers. 5.* Quæ quidem verba præterquam quòd omnes qui in Deiparæ laudes excurrunt, ei illa accommodant; Mater Ecclesia Conceptioni ipsius signatè assignat: Et quidem per opportunè, vt illam puram, & incontaminatam, ac proinde Mariam Filiam Dei asserat: Quid enim aptius explicet? Quam Maria ex ore Dei originem, & ortum ducens. Vt verò huius locutionis vis, & sensus omninò appareat: tum primam Adami formationem: tùm etiam modum quo Dei Filius cæcum illum à natiuitate illuminasse dicitur obseruare fuerit operę pretium: & vt hinc incipiam audi Ioannem cap. 9. ver. 6. de Christo domino dicentem: *Ioan. 9. vers. 6.* *Expuit in terram, & fecit lutum, & liniuit super oculos eius, &c. Et venit videſ:* Ad quem locum in primis dum PP. inquirunt cur luto Dominus cæcum sanauerit, cum posset tot aliis sanare modis? Eam frequẽtius rationem reddunt, quod ipse voluerit ostendere se eum esse, per quem homo ab initio factus fuit, cũ eiusdem Artificis sit ex eadem materia, & opus facere, & reficere: sic notanter præter alios PP. in superioribus adductos Seuerianus in Catena Græca Conderij in Ioannem inquiens: *Seuer.* *Lutum nobis antiquã formationem in memoriam reuocat secũdum quam fecit Deus hominem de puluere terræ:* Deinde verò cũ ambigitur, cur non ex aqua, sed ex saliua sua lutũ fecerit Dominus? Respõdet acutè Theophylactus probatus Maldonato, causſam fuisse, quod vt per puluerem humanum corpus, quod de puluere formatum fuit, ita per saliuam, quæ ore expuitur, anima significetur, quam Deus initio in Adami corpus iam formatum, quasi ore suo inspirauit: atquè id circo voluisse Christum ostendere esse se: qui & corpus hominis formasset, & ei animam dedisset. Vnde habemus etiã in his Ecclesiastici verbis: *Ex ore Altissimi prodiui*, peculiarem illam alluſionem ad primã hominis formationem à Moyse descriptam illis verbis: *Et fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem:* Genes. 2. vers. 7. vbi meminisse oportet obseruationis à nobis in præludiis factæ: nempè pro verbo: *inspirauit*, Hebraice esse *Napach*: quod propriè vertas *respirauit*, eamque respirandi functionem ad vitam referri: viuentemque denotare: vti ibi allatus Plato in Cratylo dicebat. *Nam quia cum anima in corpore est, causſa ipsi est, vt viuat, respirandi ei vim præbens, simul autem, vt respiratio desinit corpus interiit: & homo moritur: propterea mihi videntur animam veteres phsuxim appellasse:* quod Ambrosius libr. de bono mortis sic breuiter præstrinxit: *Vita est spirandi munere frui: mors, priuari:* vt inde significaretur tum Deum arcano sermone ad vitam respirare dici, cum vitam creaturæ inspirat: tùm etiam notanter eo modo Adæ vitam inspirasse suum veluti flatum, immò suam ipsi (quodammodo) vitam & animam inspirando, quod ipse humani generis parens esset futurus, vt inde nosset, non alio modo viuere, quam vitam aliis communicando.

Theoph. Mald. *Genes. 2. vers. 7.* *Lect. Hebrat.* *Plato.* *Ambr.*

Ex quibus iam vide, quam ma- VIII

nifeste

nifeſte in his Eccleſiaſtici verbis quibus Maria *ex ore altiſſimi* prodiiſſe dicitur, & puriſsima ipſius Conceptio ſubſiſtat, & ipſa iure optimo *Filia vitæ* appellari debeat: quæ velut reſpiratio, & vita: immò & anima ipſa Dei ad inſtar primi parẽtis ex ore reſpirantis Dei, tota vitalis, & viua prodiuit, non ſibi ſolum, ſed toti generi humano vitam habitura, quæ Mater viuẽtium futura erat. Quemadmodum ingerebat ei Damaſcenus orat. 1. *de Natiuitate Virginis*, inquiens: *Vitam naturâ ipſâ præſtantiorem habebis, non tibi ipſi: neque enim tui ipſius cauſſâ progenita es:* Ergo ſi bene æſtimas dum ſemel Maria ex ore Altiſsimi prodiiſſe dicitur, ipſius immunitas, vel ex ſolo verborum tinnitu ſtabilitur, quin fuerit opus lectorem per ambages, etſi ſuauiſsimas circumducere: cum nihil purius, ſanctius, innocẽtius, immò nec diuinius poſsit excogitari, quam quod ex ore Dei prodit: niſi forte ori Dei velis obiicere, quod apud fabularum fartorẽ hoſpiti ſuo diffidens dicebat Satyrus ille. *Ex vno ore, & calidum promis, & frigidum.* Verũ vt in his dulciſſimis ambagibus tantillũ expatiemur, & viam ſternamus elucidandis verbis Dionyſij Alexandrini de Deiparâ *à pedibus vſque ad caput benedictam ſeruauit:* Cõpone quæſo Mariæ Conceptionem, & vitam ipſi à Deo datam, cum vitâ primo parenti à Deo inſpirata, de quâ ita meditatur Tertullianus libr. *de Reſurrectione carnis*, cap. 6. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, & ita ſâ in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat.* Vt hinc noueris: quam pura, atque perfecta, & à capite ad pedes ſancta & benedicta è Dei manibus euaſerit Maria: fuerit nè Deus in formando Adæ corpore, & animo illi inſpirãdo, ita occupatus, ac deditus, ac in Mariæ Conceptione? Diligentiorem operam in Adæ corpus, quam in totam Mariæ ſtructuram nauauerit? Scitè Caſsiodorus *lib. de animâ* cap. 16. premens veſtigia Tertulliani de Adæ corpore à Deo formato dixit: *Debuit enim conſilio ſummo fieri, quod videbatur rationabili animæ eſſe coniungendum:* Quid ergo de Mariæ corpore, & anima, cui Dei Ratio & Verbum tanquam Filius coniungendus erat? Opportune etiam Chryſoſtomus lib. *de ſtatuis*, apud Glycam diſput. 2. corpus Adę recenter à Deo formatum cum aurea ſtatua ita compoſuit. *Sed ſi noſcere quæritis, quale a principio corpus noſtrũ finxerit Deus: paradiſum ingrediamur, & ab initio hominem conditum inſpiciamus. Non enim vt nunc corpus illud corruptibile, & fluxum erat, ſed tanquã aurea quædam ſtatua recens è conflatorio educta, & clarè fulgens ita omni corruptione vacabat.* Inſpice hinc ergo Mariam elaboratiſsimum Dei opus, cui manum, ſenſum, conſilium, ſapientiam, & prouidentiam in eius Conceptione adhibuit, & tanquam auream ſtatuam omnibus numeris perfectã à capite ad pedes pulchrã, è ſapientiæ ſuæ conflatorio eduxit. A quo ire non videtur S. Sabbas in Menæis Græcorum Deiparam in hunc modum ſalutans. *O auro comã tefulgẽtiſsima Turris! Ciuitas ſuperna mœnibus duodenis cincta! Irrigate ſolaribus radiis throne! Incomprehenſum denique prodigium!* Pulchrè *auro comante*, hoc eſt radiante, & ſplendidos radios emittẽte, vt Maria tota ſit aurea, tota radians, & à pedibus vſque ad caput ſplendidos puritatis radios vibrans.

(?)

Damaſ. *Caſsiod.* *Chryſoſt.* *Glycas.* *AEſop.* *Dionyſ. Alex.* *S. Sabb.* *Tertull.*

A B C D E

IHS

DISSERTATIO IV.

MARIAM IMMACVLATE fuisse Conceptam, ad Diuini spiritus honorem spectare.

MARIAM immaculatè Conceptam fuisse, quòd in Conceptione sua Spiritus Sancti sponsa fuerit.

ADNOTATIO I.

I ECCE tibi nouam, eamque necessariâ pro MARIA immaculatè conceptâ argumêtationē, vt eius immunitas ad Diuini Numinis honorē signatè spectare credatur: quod MARIA Spiritus Sancti sponsa signatè esse perhibeatur (vt Scriptura sacra, & eius interpretes, atque PP. omnes passim testantur) Augustissimis, atquè diuinis hisce sponsalibus in ipsomet primo Conceptionis instanti initis, vt opportunè obseruatum à Petro Chrysologo sermon. 140. videris inibi animaduertente notanter apud Lucam cap. 1. induci Gabrielem Angelum, tanquam cœlestis connubij paranymphum, vt Mariam diuinæ desponsationis admoneret iā pridem in primâ sui Conceptione initæ: Sic namque inquit: *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei spōsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum, neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero oppignerata:* Vndè scite infert: *Christus ergo suam sponsam recipit, non præripit alienā:* Hæc Chrysologus satis ad rem, cum Mariam ab vtero hoc est à primo Conceptionis instanti Diuino sponso pignoratam faciat: eaque ratione illum sibi totū sponsæ suæ affectum iure vendicare affirmet. Hinc iam eam ratiocinationem, quam promisimus pro Deiparæ ab omni labe originaria immunitate sic format in primis S. Bernardinus serm. 51. cap. 3. tom. 2. *Cōgruebat, vt illa quæ placuit. Altissimo, ita vt fieret illius Sponsa, & Mater vnigeniti Filij sui, sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne:* ita ille: Cui ita subscribit Ioannes Gerson super *Magnificat*, Alphabeto 38. littera G. *Beatam respice primo modo, dum ab instanti suæ Creationis initiatum est matrimonium cum æterno sponso Deo per arrham Fidei, Spei, & Charitatis, & cæterarum virtutum.* Hæc Gerson: Planè vt carnalis thalamus Diuinum Sponsum

Lucæ 1. vers. Chrysol.

A

B

S. Bern.

C

Gerson.

procul

procul arceret, nè Mariam in sponsam assumeret: ita & originaria labes, quæ animam, vel admittans temerasset, iure ipsam ab hoc purissimo thalamo remoueret. Videtur autem hæc duo coniunxisse Hesychius Ierosolymitanus oratio. 2. *de Deiparâ* in superioribus adductus hos cum Virgine sermones miscēs: *Quia munda es à concubitu nuptiali: quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conseruasti, & Pater hospitatur apud te, & Spiritus Sanctus obumbrat, & assumpta carne Filius ex te nascitur.* Sic Hesychius. Ecce pulcherrimum, ac differtissimum genium Spiritus Sancti, qui non aliam Sponsam, quàm quæ corpore, & animo ab omni corruptionis labe exors fuerit, quæ videlicet, & sit corpore integra, & ab originaria macula immunis, ducere velit: quippe cum ipse summa omninò puritas & ab omni malo alienatio, & totius sanctitatis fons sit, comparem puritate, & sanctitate Sponsam, quantum humanæ naturæ ad tantum fastigium assurgere licet, omninò ambit.

Hesych.

II

Sed ipsummet iam Diuinum Spū sum pro hac cogitatione fideiubē tem, audire erit operæ pretium: Sic namque sacram Sponsam suam alloquitus dicitur Cantic. 4. versic. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea: Ecce tu pulchra es: Oculi tui columbarū, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad:* Quibus in verbis (si rem benè æstimas) omnis Diuini Spiritus cura in celebranda Mariæ immunitate est. Nam in primis, vt duplicatam illam corporis, & Spiritus integritatem repetitâ pulchritudinis laudatione cōfirmet opportune ab oculis exorditur: benè enim dixit S. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 268. *In corpore valentior pulchritudinis pars, est oculorum pulchritudo:* Vndè ad ea verba P. Martinus del Rio. *Ab oculis orditur, quia omnis pulchritudinis, quasi initium sunt oculi:* Vt verò constet ab hac oculorum Mariæ pulchritudine, hoc est ab ipsius immunitate à communi peccati originalis maculâ, ad ardentissimum eius amorem Diuinum Spiritum allectum fuisse: erudite inibi obseruat idem del Rio Hebræam vocem *Ionim* propriè significare *depradatores*: siue *vim inferentes*: quasi hæc signa è pulchritudinis pars in sui dilectionem cœlestem sponsum rapuerit. Sed iam merito inquiris, quid peculiariter oculis, & peccato originali sit? Siue quâ ratione in Deiparæ oculis eius immunitas à peccato originali conspiciatur? Cui interrogationi, vel *cæcus* quispiam *à natiuitate*, facilè satisfaciat: Nimirum cum *præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate, interrogauerunt eum discipuli eius: Quis peccauit? Hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Ioan. 9. v. 1. Vbi, si attendis, animaduertes de nullo ex iis ægrotis, qui a Domino sanati sunt, sed neque de vllo ex pluribus cæcis ab ipso illuminatis, nisi de cæco hoc *à natiuitate*: similem interrogationem à discipulis factam fuisse: quippè ipsi in oculis cæci nati peccati originalis vestigia singillatim conspexisse videntur: vt sapiēter ad id loci adnotauit Augustinus tractatu 44. in Ioannem hūc in modum: *Breuiter ergo cæci huius illuminati commendo mysterium. Ea quippè quæ fecit Dominus noster IESVS Christus stupenda, atque miranda, & opera, & verba sunt. Opera, quia facta sunt verba, quia signa sunt: Si ergo quid significet hoc, quod factum est cogitemus, genus humanum est iste cæcus: Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatū, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim*

Canti. 4. v. 1.

Isidor. Pelus.

Martin del Rio. Hebr. Lectio.

Ioan. 9 vers. 1.

Augus.

cæcitas

cæcitas est infidelitas, & illuminatio Fides, quem fidelem, quandò venit Christus inuenit? Quandoquidem Apostolus natus in gente prophetarum dicit: Fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ, sicut & cæteri. *Si filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ*: & statim explicatius: *Quomodo natura? Nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit? Si vitium pro natura inoleuit, secundum mentem omnis homo cæcus natus est*. Hactenus Augustinus: Obserua illa. *Hæc cæcitas contigit in primo homine per peccatũ de quo omnes originem duximus*: itidem & hæc: *peccante primo homine vitium pro natura inoleuit, &c.* A qua sententia non videtur in primis ire Pharisæorum in hunc cæcum iactum dicterium, vers. 34. *In peccatis natus es totus: & tu doces nos?* in natiuâ illius cæcitate velut in speculo originariæ maculæ hæreditatem agnoscentes: quia *secundum mentem omnis homo cæcus natus est*: Deinde verò illam sic notanter illustrat Theodofridus Abbas libr. 4. *epitaphij* cap. 1. originariam labem in oculis sic statuens: *Quia prævaricationis lignum pulchrum, & delectabile visu, & gustui suaue per guttur protaplasti demissum ad viscera totius posteritatis transiit vt acutissimus gladius, & insanabile inflixit vulnus, in summis amaritudinibus noster (proh dolor!) versatur oculus*: Hæc ille in seqq adnot. latius expendenda: contenti modo in illis obseruare ex sensu Theodofridi insanabile originalis peccati vulnus in oculis filiorum Adæ amaritudinem suam effundere.

III

His ita constitutis prodit se iam signatissima Mariæ laus: & à peccato originali immunitas in his verbis Salomonis: cum ipsius *oculi* dicuntur *columbarum*: perinde enim idest, ac si dicatur: ipsam totâ dotorum Spiritus Sancti suppellectile impia Cõceptione ornatam: itidemque illuminatam fuisse, vt cum cæteri filij Adæ secundum mentem cæci concipiuntur; MARIA plena luce, plena donis gratiæ concepta fuerit: Sed obserua LXX. quorum lectioni Gregorius Nyssenus, Philo Carpatius, & alij PP. adhærent signatè reponere: *Oculi tui columbæ* cum manifesta allusione ad Spiritũ Sanctum, qui *in columbæ specie* solitus est apparere: vt sensus sit: Diuinum Spiritum in Mariæ Conceptione in ipsius oculis resedisse, vt pro peccati tenebris in quibus omnes concipimur; ipsa lumen, & ignem Diuinum; immo & illos oculos qui à Diuina luce perinde illuminati habentur, vt in ipsis Diuina Spiritus Sancti columba conspiciatur, perceperit: Vndè opportunè hæc verba sic effert Rupertus. *Isti oculi mei sunt oculi tui: oculi omniũ gratiarum*, ita ille: Preme id: *Isti oculi mei sunt oculi tui*: Sed quâ ratione? Sanè non vna omnino, sed duplici: Altera, quam reddit indidem Gregorius Nyssenus hom. 5. in Cãtica inquiens: *Laus pulchritudinis oculorum est forma columbæ, quæ apparet eorum pupillis*. Pulchrè omninò: quippe considerauit Nyssenus oculorum pupillas speculi vim, & vicem habere, vt inquit Plinius lib. 11. cap. 37. *Adeo ius (oculis) absoluta vis speculi, vt tam parua pupilla totam imaginem reddat hominis*: ac proinde cœlestem Sponsum in oculis Mariæ sese intueri, & ipsius oculos, Mariæ oculos esse: vt videlicet in eius Conceptione Diuinum Spiritum condentem, possidentem, & occupantem illam habuerit: (ita id firmante ad id loci Philippo Abbate statim afferendo) immo vero ex vi ardentissimæ dilectionis sese in illam transformantem, vt quemadmodum Spiritus Sanctus columba, ita & Maria columba esse videatur vt iam cum vides mortales omnes

Ioan. 9. vers. 34.

Theodof.

LXX. Nyssen. Philo.

Plin.

Philipp.

secun-

secundum mentem cæcos natos, & Adamum in oculis commoſtrãtes, Mariam videris Spiritum Diuinum in oculis ferentem, & ab omni labe & veſtigio originalis delicti priorſus immunem.

IV Sed & altera ratione ſapienter dictum eſt à Ruperto ſub Sancti Spiritus perſona *iſti oculi mei ſunt oculi tui*, quod Maria omnibus donis Diuina Spiritus in Cõceptione ſua ornata ſit: benè monente Ruperto Spiritus Sancti dona in oculis adũbrari apud Zachariam, de Chriſto Domino, ſuper quem requieuerunt cuncta Diuini Spiritus dona, dicentem: *ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*, Zachar. 3. verſ. 9. Ergo ait ille poſt prafata verba: *Oculi omniũ gratiarum, vel ſpirituum tu effecta es particeps*: ſubdit. *Nec eſt nouum vt ipſa ſeptem dona dicantur oculi: nam & apud Zachariam Prophetam ipſamet ſignificãtur per ſeptem oculos, qui ſunt in vno lapide Chriſto Ieſu*: ita Rupertus. Cui ita ſubſcribit indidem Philippus Abbas. *Denique Spiritus Sanctus in columba viſus eſt apparere, nobis inſinuans, non paruam habere cum iſta ſimilitudinem: dum & ipſe ſeptem donis principalibus inuenitur inſignis, & iſta grato ſeptenario inſignitur*: Pergit inde inferens: *Cum ergo Sponſus oculos Virginis perhibet eſſe columbarum ſeptẽ gratiarum munera in ea commendat.* Ita Philippus: Enim vero, vbi Diuini Spiritus dona ſunt, ibi & ipſemet Diuinus Spiritus eſt, qui *Donũ Dei* & eſt, & dicitur: Sic enim videris Paulum in ſalutationibus epiſtolarum ſolummodo Dei Patris, & Domini Ieſu Chriſti hunc in modum mentionem facere ſolitũ: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto*, ad Philipp. cap. 1. verſic. 2. vbi cum inquiſiuimus cur Apoſtolus Spiritus Sancti non etiã meminerit, & ab ipſo ſicut à Patre, & Filio gratiam, & pacẽ fuerit deprecatus? Facile reſpondimus ex S. Thoma: *Ideò ibi perſonam Spiritus Sancti non ponit, quia intelligitur in donis eius, quæ ſunt gratia, & pax*: pro quâ ratione Ambroſium fideiubentem adduximus: vide ibi: Sed modo iis adde Hilarium libr. 12. de Trinitate in vltima clauſula ſub hoc ſenſu omninò capiendum, dum ait: *Conſerua, oro, hanc Fidei meæ intaminatam religionem, &c. Patrem, ſcilicet, te noſtrum: Filium tuum vnà tecum adorem, & Sanctum Spiritum tuum, qui ex te, per vnigenitum tuum eſt, promerear.* Obſerua notanter dictum ab Hilario Sanctum Spiritum promerendum: non quidem quod ipſe æquè, ac Pater, & Filius orandus, & adorandus nõ ſit: cum ſit verus Deus, ſed quod Dei donum ſit, & in donis ſuis intelligatur, vt hinc iam videris opportunè ſub Spiritus Sancti perſona dictum Mariæ *iſti oculi mei ſunt oculi tui*: Cum Diuini Spiritus dona in Mariæ oculis, ideſt in eius Conceptione inhæreant.

V Sed age, & dum ex hac lectione LXX. *oculi tui columbæ* Diuini Spiritus oculos in Mariæ oculis eſſe, ipſumque inibi reſidere vides; inde noua, & peculiari ratione illam ab originaria Adæ labe omninò immunem facito: ſed enim vt huic rationi viam communias, primum quis, qualis ve primus parens peccato infectus, qualesque eius poſteri hæreditariam ab ipſo labem percipientes effecti ſint: ſiue quæ horum nota quodque peccati veſtigium cẽſeatur: Deinde verò, quæ ſit natura, & genium Diuini Spiritus, quodque in iis, quos poſsidet, munus exerceat, noſſe oportet: & de Adamo quidem cœleſtis cõuerſationis experte; & terrenis rebus, ſiue ſuppliciis addicto ſic loquitur Apoſtolus 1. ad Corint. 15. verſ. 47. *Primus homo de terrà terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, ta-*

Zach. 3. verſ. 9. Rupert. Philipp. Abbas Philipp. 1. verſ. 2. Hilar. 1. Cor. 15 verſ. 47.

les, & terreni: qualis cœlestis, tales & cœlestes: vbi singularis quidem epitasis subest nostro peropportuna instituto lectioni Græcæ, atque Syriacæ dum vtraque habet- *Primus homo puluurulentus ex terrâ: homo secundus Dominus è cœlo: Quemadmodum est puluurulentus ille, sic & puluurulenti, &c.* Sanè vt innuatur, hominem in peccatis conceptum, puluerem esse, & puluere constantem; & oculos puluere plenos habere, vt secundum mentem cæcus nascatur, cum ignoratione boni, & prochuitate ad malum, atquè ad terrena, & puluurulenta desideria. De genio verò, siue conditione Diuini spiritus illud omnino pro comperto habemus, ipsum hunc puluurulentæ naturæ maxime aduersari, adeo vt nec minutissimũ puluerem in animo, quem possidet residere sustineat: Sapienter id monente Bernardo sermon. 1. de *Spiritu Sancto*: Vbi cum præmisisset: *Quid à te quærit, qui tantâ sollicitudine te quæsiuit, nisi sollicitum ambulare cum Deo tuo?* Subiicit: *Hanc sollicitudinem non facit, nisi Spiritus Sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circunspectionis exurit Spiritus dulcis, & suauis:* Hæc ille. Vides vt pugnet cum puluere terreni Adæ, aut festucâ terrenâ Diuinus spiritus? At enim vt cogitatio hæc vndequaque subsistat; minutissimum hunc puluerem è corde extractum ad oculos, in quibus sumus, aptiùs transferes cum Regio Vate dicente: *Custodi me vt pupillam oculi*, Psalm. 16. vers. 8. & Ambrosio hanc imaginẽ, & sensum Vatis, sic elucidante lib. 6. *Hexamer.* cap. 4. *Vndè tutum auxilium postulans Propheta ait:* Custodi me Domine, vt pupillã oculi: *Vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita, & tuta custodia, quam pupillã oculi tu-*

Lectur. Græc. Lect. Syriac.

Bernar.

Psal. 16 vers. 8. Ambr.

tissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est: quia innocentia, & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratiæ suæ munus amittit: & ideò perspiciendum est, nè quis eã puluis erroris oblimet, aut vlla vexet festuca peccati: Hæc opportunè Amb. nec minus ad rem Saluianus Massiliensis lib. 3. *de Prouidentia, & gubernatione Dei* eandẽ minuti puluer is pupillã lædentis imaginem, sic persequitur: *Perfectæ quidem, vt sinceriss imæ sanctitatis volens nos cultores suos facere Saluator, iussit ab eis cautissime etiam minima vitari, vt quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita, & sicut salua intus incolumitate puluer labem in se oculus non reciperet: sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.* Sic Saluianus: Vbi iam facile vides, tùm exactam puritatem, & innocentiam nõ minus fortiter, & pertinaciter cum leuissimâ sorde, aut labe pugnantẽ, quam lucida oculi pupilla cum minutissimo puluere, aut minimâ paleâ, à quâ nõ potest non grauiter lædi, atque obscurari: tùm etiam Diuinum Spiritũ cõstantissimè pro perfecta innocentia, & puritate decertare, quin in corde, aut oculis in quibus habitat, vel minimum labis puluerem patiatur residere.

Saluia.

VI

Ex his iam planum fit: quid sibi velit Salomon cum in Mariæ oculis Spiritus Sancti columbam residentem facit: nempe; illam ab omni originariæ labis minutissimo puluere, quem in filiorum suorum oculis Adamus inspergit, omninò esse immunem: cum Diuinus Spiritus, vel leuissimum sordis puluerem in electo sibi habitaculo non sustineat, vt quam pura est pupilla oculi paleam, aut puluerem vndequaque respuens; tam pura, & immaculata fuerit Mariæ Cõceptio tutissimo gratiæ vallo à Sãcto Spiritu ardentissimo eius Sponso communi-

ta: Etenim si ipse in animo cuiuslibet iusti, quem possidet: *Nec minimam paleam patitur residere* (vt inquit Bernardus) quâ ratione electissimæ sibi sponsæ oculis noxium illum Adæ puluerem illos obscurantem, atque lædentem subesse patietur? Quod si argutulus quispiam sic hanc rationem contorquere velit, vt quamuis vno ex capite admittat, verum quidem esse sanctum Spiritum mundissimum hospitium sibi exoptantem, nec minimâ in eo paleam, siue festucam sustinere, quin statim igne subtilissimæ circunspectionis exuat: ex alio tamen contendat, ab hoc non omnino ire, Mariæ Conceptionem in primo instanti Originariæ labis expertem non fuisse, sed in secundo Diuinum Spiritum tabernaculum suum sanctificasse, & Adæ puluerem ab oculis Mariæ diligenter eiecisse; insulsæ, ac importunæ huic cogitationi facilè occurram: tum ex ipsa quam persequimur oculorum imagine, cum in ipsis Conceptio adumbretur, & dum puluerulenti sint peccatum originale illis subesse constet; cum vero Diuinum Spiritum inhabitantem habent, lucis, & gratiæ cõsortes sint, quemadmodum singulari Dei dono Mariæ euenisse affirmamus: vt dum in aliorum pupillis speculi vicem gerentibus primus parens obscurus, & obscurans; infectus & inficiens conspicitur: in Maria oculis se se Diuinus Sponsus intuens eos claritatis suæ igne illuminet, & inflammet: signate vero donis suis sollicita, & tutâ custodiâ communiat. Quin vllus ad illam mali accessus esse possit: vt quemadmodum dicebat Ambrosius: *Protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita, & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est:* Nimirùm Diuini Spiritus dona non tantum munerum, sed murorum etiam vicem sortiuntur, nè aliquid inquinatum in sponsam cœlestem irrumpere valeat: scitè id obseruante Richardo à S. Laurentio libr. 11. *de laudib. Mariæ*, vbi Deiparã componens cum cælesti Ierusalem, illius mœnia de quibus Ioannes Apocalyps. 21. versicul. 18. ait: *Erat structura muri eius ex lapide pretioso* ad septem Spiritus Sancti dona, quibus ipsa simul ornatur, & munitur, ita reuocat. *Quia murus dicitur à muniendo, appellatur Maria Ciuitas munitaratione murorum suorũ: vndè potest dici, quod habebat, quasi murum septemplicem, scilicet septem dona Spiritus Sancti:* Sic Richardus. *Apoc. 21. ve. 8. Richar. à S. Lau.*

Quid quod? Præfatam argutuli illius rimam penitus obstruit accurata, & quæsita locutio Ecclesiastici cap. 1. versicul. .(quam præfatâ adnotatione de libro Mariæ, Spiritus Sancti calamo cõscripto exposuimus) de Maria dicentis: *Vnus est Altissimus creator omnium omnipotens: ipse creauit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est:* ipsam ita elucidante S. Bernardino Senensi sermon. 51. articul. 3. cap. 2. tom. 2. Tanta fuit perfectio Virginis, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud Ecclesiastici: *ipse creauit illam in Spiritu Sancto, &c.* Hæc ille: cũ creationis locutio ad primum Conceptionis instans referri debeat: quippè creari perinde est, ac primitus concipi, & in Spiritu Sancto creari omninò significat, sanctũ, & vndequaque immaculatum fieri, vt argumẽto sit Diuinam columbam in Mariæ oculis existentem purissimam eius Conceptionem, & tutissimum Diuini spiritus præsidiũ in prima formatione adũbrare: Qui quidẽ sensus itidẽ subest simili laudationi, quã sub eadẽ colũbæ imagine, idẽmet cœlestis spõsus sic adornat Cant. 6. v. 8. vna est columba mea, perfecta mea (Hebruicè immaculata mea) *vna est* VII *Eccl. 1. v.* *S. Bern. Senien.* *Cant. 6. v. 8.*

Matri

Matri ſuæ: electa genitrici ſuæ: & ſtatim: *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, &c.* Quæ dum de Maria, ſi quæ alia Canticorum verba, commodiſsimè accipiũtur, ex columbæ, ex perfectę, ex immaculatæ nominibus, ſignatè verò ex emphaſi, qua μονὰ vocatur, ideſt vnica: ad ipſius immunitatem à peccato originali opportuniſsimè, & quaſi neceſſaria litteræ, & vocum, & ſenſus ſerie referenda videntur: quippè vt Nyſenus, & ab eo Guillielmus obſeruant. Columba, quæ matrem habere dicitur, columbæ filiam eſſe neceſſe eſt: quæ autem ſit columba Mater à qua Maria ortum duxerit, niſi Diuinus ſpiritus, qui per Antonomaſiam columba dicitur: & ſub columbæ ſpecie apparere conſueuit; vt ſub hoc omninò ſubſiſtat Eccleſiaſtici ſententia: *Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto.* Sed iam Nyſſenum hæc diffundentem audire eſt operæ pretium. Porro cũ dixiſſet. *Neque verò eſſe nobis obſcurum poteſt, quænam ſit columbæ illius Mater cum ex fructu cognoſcere arborem liceat. Vt enim homine conſpecto non dubitamus, ortum eſſe illum ab homine: Sic cum electæ huius columbæ matrem quærimus, non aliam quandam, ſed columbam, hanc eſſe intelligimus, nam in illo parentis omninò natura conſpicitur:* ſubiicit ad rem. *Quare eum id quod ex Spiritu gignitur ſit ſpiritus, & verò filia cum columba ſit, omninò etiam Mater huius eſt columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem deuolauit, quemadmodum Ioannes teſtatur: Hanc igitur felicem prædicant iuuenculæ: hanc Reginæ laudant, &c.* Hæc Nyſſenus: Vbi cum Maria Spiritus Diuini filia eſſe dicatur: pulchrè Diuinus Spiritus, non tam Patris, quam Matris, apud quam filiorum Conceptio peragitur, nomine ſignificatur; nè videlicet de Maria dici cogitariue poſſet illud Vatis Pſalm. 50. verſic. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea:* Sed Diuino Spiritu, Diuina bonitate, & Dei gratia Matris vicem gerente, in Spiritu Sancto creata dicatur, vt ab ipſa quæuis peccati originalis, aut maculæ vmbra procul fuerit: Applaudit huic expoſitioni diſſertiſsime Venerab. Ioannes Gerſon tractat. 3. ſuper *Magnificat:* Nam cum præmiſiſſet. *Conabimur inaniter, ſi verbis æquare poſſumus plenitudinem eius, quæ ſub Deo maior nequit intelligi, colligens in ſe omnes pulchritudines ſparſas in creaturis.* Hinc ſic infert: *Ita vt ſit verè vna ſpecioſa vnius ſponſi: vna perfecta ſua: vna Matri ſuæ: electa genetrici ſuæ, quæ genitrix eſt gratuita Dei bonitas, quæ pulcherrima pulcherrimã ſibi fecit.* Hæc ille.

A B C D E

EIVSDEM ARGVMENTI.

MARIAM ab omni originaria labe eſſe immunem, quod Diuini ſpiritus ſponſa ſit.

ADNOTATIO II.

I *Nyſſen.* PREMO rurſum pulcherrima Gregorij Nyſſeni verba: *Cum id quod ex ſpiritu gignitur, ſit ſpiritus: & verò filia cũ columba ſit, omninò etiã Mater huius eſt columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem deuolauit,* itidemque illa:

Neque verò potest nobis esse obscurũ, quænam sit columbæ illius Mater, cum ex fructu cognoscere arborem liceat: quod talis tantaque Mariæ in Conceptione sua pulchritudo sit, vt ex illa omninò deprehendatur, non Adæ, sed Diuini Spiritus, hoc est Gratiæ Dei filiam esse: *cũ ex fructu cognoscere arborẽ liceat:* nimirũ si in Conceptione labe originali cõmaculata fuisset, nec ipsa diceretur columba, nec columbæ filia, sed potius mali corui, qui eam denigraret, & à quo degener, & dissimilis coloris prodiret: Vndè Maria tum à Diuino Spiritu, & pulcherrima Dei bonitate in Conceptione præseruata; pulcherrima itidem concepta asseritur, tanquam Matri per omnia similis: iuxta Vatis oraculũ Ezechiel 16. vers. 44. & 45. *Ecce omnis qui dicit vulgo prouerbium, in te assumetur illud dicens, sicut mater, ita & filia eius: Filia matris tuæ es tu:* tum etiã columba, & oculos columbæ habere dicitur: lecus quidem ac Eua de quâ scitè Rupertus in cap. 4. Canticorum inquit: *Oculi eius non sicut columbarum, immò sicut oculi coruorũ rapacium:* nè videlicet Maria filia Euæ dici possit, cui prouerbium, *sicut Mater, ita & Filia eius* minimè potest conuenire: Nec inibi omittendum quod subdit Salomon *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt,* quod indidem Nyssenus ad peculiarem, & eximiã felicitatem retulit, inquiens: *Hanc felicem prædicant iuuenculæ:* quia immunitas a peccato originali, quę Mariæ obtigit non eius meritis, sed singulari felicitati prouenienti à gratuita bonitate Diuina (quæ vt ipsam dignum Filij Dei habitaculũ elegit; ita corpus ipsius, & animam Spiritu Sancto cooperante præparauit) omninò adscribenda est.

Ezech. 16. v. 44 & 45.

II Verum hoc in loco deinde obseruanda cum Guillielmo ibi, notanter Diuinum Spiritum, siue Dei gratiã, nomine genitricis Mariæ significari, quod Maria ab ipsa primitus, siue primo ictu (vt dicitur) viua in lucem edita sit; cũ cæteri à Diuina gratia non tã geniti, siue generati, quã regenerati dicamur, quod in peccatis concepti, & Deo mortui, ab ipso regenerati dicamur à Petro epist. 1. c. 1. vers. 3. *Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis,* siue vt habet lectio Syriaca *genuit nos denuo,* sub quo sensu Magnus Athanasius eandem Deiparam, quasi nouam Euam, & Matrem viuentium, regeneratricẽ nostram appellauit in serm. de Sanctissima Deipara ad finem inquiens: *Decet enim te Matrem, regeneratricem, Dominam ac heram cognominare, eò quod ex te prodiit Rex Dominus.* Ita ille. Sed audi venerabilem Guillielmum ad hunc locum Canticorum apud P. Martinũ del Rio dicentem. *Columba mea, cui ego singularis pullus sum: perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam,* & paulò post: *Vna quoque est Matri suæ: electa genitrici suæ, Mater seu genitrix eius: redemptrix illa gratia est, per quam nos regenerati sumus in filios Dei qui prius eramus natura filij iræ:* Sic ille. Apud quem pende accuratam sermonis structuram: dum de Maria inquit: *Mater seu genitrix eius, illa gratia est, quæ videlicet ipsam genetrauit, viuam & viuentem in Spiritu Sancto, filiam columbæ, filiam gratiæ, & dilectionis,* de nobis vero inquit: *per quã regenerati sumus,* quod in peccatis concepti nõ gratiæ, sed *naturâ filij iræ* eramus: illa ergo gratia quæ Mariæ genitrix, & redẽptrix dicitur: nostri nõ genitrix, sed regeneratrix est. Nec pigebit hic appingere verba, quibus P. del Rius, Guillielmo subscripsit, eiusq; sensum elucidauit, post transcriptum præfatũ locum sic inquiens. *Potuit illa iræ filia nasci, sed id filius nõ permisit. Cõmunis tamẽ Mater illi est gratia illa*

1. Petr. 1 vers. 3.

Athan.

Guiell:

P. del Rio.

Redemptrix: immò & singularis, quæ præripere malum maluit illi, quam (vt in nobis fecit) sanare illatum: Sic illa vna genitrici suæ, quia omnes nos hoc priuilegio supergressa: Hactenus ille: Adstipulatur his Paschasij obseruatio lib. 2. *in Matth.* *Paschas.* Dum enim ille in quæstionem vocat, cur signatè Spiritus Sanctus in columbæ specie visus fuerit? Non itidem Dei filius, qui in similitudinem hominum factus habitu inuentus est homo? Respondet: *Quia Dei filius venit, vt exemplū viuendi Deus homo homini exhiberet, & covnitus ei per carnem eum morte redimeret: illa vero vt donum ipsum, quo ex gratiâ bene viuendo peruenitur, expressius significaret:* ita Paschasius: Ecce ergo quid interfit inter gratiam redemptricem Mariæ, & cæterorum? Quod cum Maria vna sit genitrici suæ, eam gratiam habeat, quæ donum ipsum, id est Diuinus spiritus sit, ac proinde nihil in ipsa extiterit, quod non sit donum, & gratia pura, mera, & cui nihil præcesserit, quod abluendum, aut mundandum fuerit, quod quidem in cæteris hominibus secus est, qui gratiam eo modo redemptricem habent, vt ab ea à peccato mundati, & à tenebris in lucem vocati regenerantur, audiantque vocem: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ad Ephes. 5. versiculo 14. *Ephes. vers. 14.*

III Et vero pro hac Paschasij obseruatione illud etiam facit in rē nostrâ, quod Domino in Iordane Baptizato Diuinus Spiritus apparuerit, & super eum manserit, vt ipsius innocentiæ manifestum redderet, & ineluctabile testimonium: Sic namque Matthæi 3. versicul. 16. *Baptizatus autem IESVS confestim ascendit de aquâ: & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cœlis dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* *Matth. 3. v. 16.* Vbi si ambigas cur potius in Baptismo, quam in passione Diuinus Spiritus, sicut columba super Christum descenderit, cum nihil posset videri opportunius, quam vt in summo illo innocentiæ discrimine pro Christo Diuinus Spiritus fideiuberet? Facile obuiam ibimus ex rei, ac temporis opportunitate: quę quidem multo maior fuit in Baptismo, vt Christus testimonium acciperet à Diuino Spiritu in columbæ specie, quam in Cruce: cum Baptismatis lauacrum maculæ, ac peccati speciem ex se ipso præferre videretur: cui omnino debuit Spiritus Dei occurrere signis, & vocibus manifestum faciens, nihil innocentius, nihil candidus Christo esse posse, qui filius Dei dilectissimus, & naturalis erat: Quod quidem discrimen Christi innocentia in Cruce minime patiebatur, cum pro illâ tota ipsius vita sanctitate, & miraculis plena, signatè verò adamantina, & inuicta ipsius patientia fide iuberent. Vndè sapienter Tertullianus *in libro de Patientia*, capit. 3. Pharisæos Dominum in Cruce subsannantes, sic reuincebat. *Tertull.* *Hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret: talia tantaque documenta, quorum magnitudo apud Nationes detrectatio fidei est: penes nos vera ratio, & institutio, satis aperte non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant his, quibus credere datum est: patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.* Hæc ille: Ergo patientia ad Diuinitatem, columba verò ad immaculatissimam Christi innocentiam spectat. Compone igitur columbam in Christi baptismate cum

columba in Mariæ oculis,& cõceptione,vt vtrobique videris Diuinũ Spiritum pro innocentia,& puritate fidei ubentem.

IV Sed & in hanc cogitationẽ, quæ dum Mariam Spiritus Sancti sponsam facit,ipsam ab originali labe cẽset immunem, mirè etiam firmat sequens imago,quam in præfato Cãticorum loco a cæsarie sponsæ composita cum capreis,quæ ascenderũt de monte Galaad sic proponit: *Cant.4. vers.1.* *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* Cantic.4.vers.1.vbi LXX.notanter reposuerunt: *LXX.* *Capillamentum tuum,* hoc est cæsaries,quę non mediocris pulchritudinis pars est,a quâ amantium oculi,& illici, & ligari dicuntur:In his autem verbis tria ad minus pro Maria immaculatè Conceptâ obseruabis.Primum, quod vt in capite mulieris velato primæ labis,atquè supplicij eius vestigia insunt,ita in capite non velato, sed cui cæsaries promissa,& sine velamine subest, omnimoda libertas, atquè sui iuris status denotatur: Paulus siquidem 1.ad Corinth.11.vers. 3.cum dixisset: *2.Cor.11 vers.3.* *Caput mulieris vir,* & vers.7. *Vir quidem non debet velare caput suum,quoniam imago, & gloria Dei est,mulier autem gloria viri est:* inde vers.10.sic infert: *Ideò mulier debet potestatem habere* (idest *velamen* vt legit Irenæus lib.1.*aduers. hæreses*,cap.1.& ex contextu clarè liquet) *Irenæus.* *super caput suum*, quod sic explicat Tertullianus lib. *de velãd. Virgin.*cap.7. *Tertull. Amb.* *Velamen iugum illarũ est*:Pergit vero Ambrosius reddẽs rationem: *Quia præuaricatio ab illâ orta est.* Vnde quidem facile vides Mariam à cæsarie promissa, & capillamento effuso laudari: perinde esse,atque ipsam à prima præuaricatione,& pœnâ illi irrogata liberam,atque immunem cẽseri: A quo non abit Philippus Abbas signatè obseruans;ideò capillamenti, siue omnium simul capillorum in cæsariem diffusorum mentionem fieri, & cum toto grege componi, vt in eorum quemlibet irrumpere fera bestia non auderet, sed eiurie fatiscante apertis,nec expletis faucibus obstuperet:Pulchrè,vt inde contẽpleris,quomodo delusa fuerit fera bestia dæmon,qui vt ad Cõceptionem Mariæ hianti ore dentes acuerit, maligras tamen facus explere, neque implere nequiuerit, ad singularem illius gratiam,& pulchritudinem obstupefactus: Cui quidẽ obseruationi proxime hæret alterum, quod promisimus, adnotantibus scilicet Ambrosio,& Philippo Abbate dilucide hæc verba exponẽtibus, peculiari ratione Mariam,nõ cum ouium grege in camporũ planitie pascentium, sed cum capreis iisque ascendentibus ardua montium:vbi extra omne luporum periculum,aut canum morsus iucunde pascuntur à Salomone componi,vt argumento fuerit Mariam in Conceptione sua extra omne periculũ, aut aleæ iactum in altissimo gratiæ culmine constituram,feri lupi, siue canis vngues effugisse: Audi Ambrosium: *Philipp. Amb.* *Nè vilia tibi videantur ista animalia. Vides quod in altis grex iste pascitur. Audisti in montem? Ita quę vbi aliis præcipitia: ibi capris nullum periculum,* & statim: *Amb.* *Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt:* Hæc ille, & alia suo loco appingenda:vt dixerit in Cõceptione,vbi aliis omnibus peccati,& mortis præcipitium est:quos *in hanc vitam naufragos quidam naturæ fluctus expuerit*, vt ex Ambrosio alibi vidimus:Mariæ nullum omninò periculum fuisse.Sed vt hũc Ambrosij sensum,& imaginis venustatem exhaurias,quid de caprea prærupta montium,& rupium conscendente,& absq; vllo discrimine trãscendente,deceptis canibus, qui il-

lam

lam casuram inferius ad prædam expectabant dixerit Martialis obseruatio: sic namque ille.

Marti.

Pendentem summâ capream de rupe videbis.

Casuram speres, decipit illa Canes.

O imaginem perpulchram, & verba opportunissima. *Casuram speres: decipit illa canes:* nempè sperabat lupus, seu canis casuram in Conceptione sua Mariam, sicut & cæteri filij Adæ, vt eius præda esset, sed *vbi altis præcipitia ibi* Mariæ *nullum periculum:* decepitque illa canè, sed & decipi quoque illi Canes videntur, qui eam cecidisse opinantur: cū ipsa Diuini Spiritus ope extra omne discrimen, siue extra telorum iactum semper fuerit. A

V

Iam tertium notatu dignum existimamus, dum huic caprearum gregi cum quo Maria immaculatè Cōcepta componitur, sigillatim additur, quæ ascenderunt de Galaad: obseruante hic Ruperto, ideò montis Galaad signatè sacrum Scriptorem meminisse, vt in gratiam Mariæ egregium illum Prophetam Heliam nobis in memoriam reuocaret: Sed quorsum? Inquis. Respondet ille: *Quia Helias de habitatoribus Galaad sic repente in libro tertio Regum introducitur, vt ante nusquam Scriptura meminerit: quis? Vel vndè fuerit progenitus?* Sanè vt occasione huius ratiocinaremur, adeò nihil cōmune fuisse Mariæ, ac hæreditariæ labi originali ab Adamo, ac si ipsa, sine patre, & sine matre esset; nec vndè fuisset progenita (vt Helias) sciremus. Quod ab Ambrosio Catharino illustri ex Dominicana familia Scriptore pulcherrime diffusum videris, ad cap. 3. Genesis hunc in modum. *Ecce de Beatissima Virgine, nihil ferè habemus in scripturis, nec ex quo patre, nec ex quâ matre descenderit, solum accepimus eam esse Christi Matrem, id verò multi mirantur, sed magnâ Dei prouidentia factū esse, non est dubitandum. Ostendere enim voluit Spiritus Sanctus, secundum quam partem considerandā esset in genealogiâ sanctissima Virgo: & non quidem vt habens patrem, & matrem peccatores, per quos fuerit in eâ vllum peccatum transfusum, sed vt existens Dei Mater: vt ab ea nota fuisse præseruatam, facilè persuaderemus: & ita illi profuisse se Deum genuisse, vt quod attinet ad contractionem peccati originalis non obfuerit illi, ab hominibus prognatam fuisse:* Hactenus sapientissimus Scriptor: vt videris quam opportunè in prædictis Canticorum verbis facta fuerit à Salomone immunitatis Mariæ studiosissima mentio gregis caprarum *ascendentium de monte Galaad*, cum allusione ad Heliam cuius nusquam Scriptura meminerit, *vnde fuerit progenitus.* B

Rupert.

Sed vt ad Diuinum Spiritum Mariam in Conceptione sua sibi in spō iam assumentem reuertar: iuuat rursum in hunc sensum premere præfata Chrysologi verba de Angelo ex parte Dei Mariam annunciante. *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ despōsationis arceat, & suspendat affectū, neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero oppignerata:* Vt hinc necessaria argumētatione concludā Virginem in Cōceptione sua malo illi hospiti peccato, siue dæmoni minime subiacuisse: Nā cui curæ fuit humanæ despōsationis cum sanctissimo Ioseph cōtractæ affectū suspēdere, vt tota vndequaque sponsa cœlesti spōso esset addicta quin vllo modo humano affectui esset obnoxia: quomodo nō fuisset sollicitus ipsam à iugo, & iure dæmonis immunem, & omninò exortem facere, quinab ipso, vel ad instās temporis captiua teneretur: Scilicet purissimus sponsus, in sponsæ suæ amore fragrantissimus tantū dedecus patienter ferret, vt ipsam C D E

Chrysol.

VI

sub-

subiugum atrocissimi hostis inducilætis oculis aspiceret? Rei indignitatem iam dudum explicui ex illa Romanorum Cõsulum infelici sorte à T. Liuio lib. 30. relata, cum illi *T. Liui.* A à Sãnitibus bello capti, ita delusi, & fœdâ ignominia affecti fuere, vt paludamentis detractis seminudi subiugum fuerint transmissi, circumfusis tunc hostibus, armatis simul, atque exprobrantibus: subijciente scriptore contumeliosam hanc indignitatem, vel ipsimet ferocissimis hostibus, qui prius eos lacerandos censuerant, tantam commiserationem fecisse, *vt suæ quisque cõditionis oblitus ab illa deformatione tantæ maiestatis velut à nefando spectaculo oculos auerterit.* Coniice ergo hinc (si placet) quonam modo terre potuisset Diuinus sponsus, Mariam purissimam sponsam suam, à sæuissimo hoste captam, seminudã sine paladamento gratię sub iugum mitti: Adiice huic imagini illam, quam apud magnum poetam lib. 2. *Virgil.* Æneidos habes, cum Troia capta, hostibus Casandram virginem Coræbo Principi desponsatam vinctis post tergum manibus captiuam inter spolia ducentibus, tristissima ista species Coræbi spõsi oculis obiecta, ipsum simul, & socios in victricia, & furentia hostium arma, & in certissimam mortem ruere coegit, dicente Vate.

Non tulit hanc speciem furiata mente Coræbus.

Et sese medium iniecit moriturus in agmen.

Insequimur cuncti, & densis incurrimus armis.

Apta hanc rursum imaginẽ, vt præcedentem Diuino Sponso, & hùc iterum aduoca Angeli verba, *Gratia plena* Lucæ 1. vers. 34. quæ pro *Lucæ 1. vers. 34.* Mariæ immunitate nõ semel adduximus, hac illis modo ex Beda explicatione subiecta: *Vt quantũ valeat Spiritus Sanctus, ostenderet:* vt *Beda.* iam de Virginis immunitate, atque victoria simus securi, cum Diuino Spiritu pro ipsa pugnante, & quantum valeat, ostendente, in hostes valuisse, & prœualuisse citra dubitationem sit. Et vero vt illi opus nõ fuerit se se medium in agmen iniicere, qui omnia nutu gubernat: nos quidem quotiescunque opus sit pro Deiparæ immunitate medijs in agmen morituros (certus victuros) iniicere, minime dubitabimus.

His opportunè duo subiicienda occurrunt: Alterum ex Hugone de Sancto Victore in allegoris Gotfridi Tilmani ad capit. 3. Geneseos expendente, de industria a Domino vetitũ fuisse ab ipso mũdi initio, nè in colũbæ corpus ad tentãdũ Heuæ animum diabolus ingrederetur: cum tamẽ illa foret suggestioni magis opportuna: quod iam tunc præuisum esset, Diuinum Spiritum in columbæ specie aliquando fore appariturum: nec decens vllo modo videretur: vt ea homini forma redderetur inuisa, in qua Sanctus Spiritus se se conspiciendum daturus erat: Audi illum sic hæc diffundentem: *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui fortasis, si permissum fuisset, in formâ columbæ venire maluisset: sed hoc vas sibi Spiritus Sanctus reseruauit: Quia profecto dignum non erat, vt Spiritus malignus formam homini odiosam faceret: in qua post modum et Spiritus Sanctus apparere voluisset.* Sic Hugo: Premę illa: *Sed hoc vas sibi Spiritus Sanctus reseruauit*: Pulchrè, *sibi reseruauit*: nè columba quæ suis vsibus destinata erat, vel ad horam à malo hospite cõspurcaretur: Quod si vetitus dæmoni in columbam ingressus, quod illam Diuinus Spiritus tantisper in ea mansurus sibi reseruauit: quo modo credideris ipsi fuisse permissum? Vt in illius verissimæ columbæ animam, non tantũ externæ habitationis hospes, sed e- VII *Hugo à S. Vict.*

tiam

tiam legitimæ poſſeſsionis inquilinus ingrederetur: quam ſibi cœleſtis ſponſus deſponderat? Quod ſi dæmoni itidem de induſtria prohibitum fuit, nè in columbam ingrederetur, nè homini odioſam faceret nõ eam quidem columbam, adquã ipſi aditus eſſet, ſed aliam ipſi ſimilem; quanto magis in illammet columbam, quam ſibi ipſi ſpiritus Diuinus reſeruauit malo dæmoni prohiberetur ingreſſus, nè ipſam ei odioſam faceret, quæ ſibi gratiſsima futura eſſe debebat?

VIII Addo alterum à ſimili ex Ambroſio in aquarum viuificatione Diuinum ſpiritum contemplante, & ab hæreticorum deliramentis vindicante: Enim verò cum Moyſes Geneſ. 1. verſ. 2. de Spiritu Domini in ipſo mundi initio ſuper aquas reſidente dixiſſet: *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* SS. PP. ad Diuinum Spiritum vitalem vim, & fæcundam viuacitatem aquis ad creaturas producendas tribuẽtem omninò retulerunt, ſic enim hæc accipiunt Baſilius, & Diodorus ibi: & Hieronym. in qq. Hebraicis in Geneſim vbi explicationi de Diuino ſpiritu ſubiicit: *Confouebat, & viuificabat aquarum naturam, quemadmodum ſolet auis outũ incubare, & vitalem quamdam vim eis infundere.* Pergit verò Tertullianus *libr. de baptiſmo*, cap. 3. & hæc Spiritum Sãctum Baptiſmi aquas confouentem & ſalutarem vim ad vitam animis conferendam illis indentem prafigurare aſſeruit inquiens: *Habes, ò homo in primis ætatẽ venerari aquarum, quòd antiqua ſubſtantia. Dehinc dignationem, quòd Diuini Spiritus ſe dederit ſcilicet cæteris tũc elementis:* & ſtatim. *Si quæ vitam æternam gubernat, & in cœleſti procurat, &c. in quibus & ratio Baptiſmi recognoſcitur prima illa, quæ iam tunc etiam ipſo habitu prænotabatur ad Baptiſmi figuram, Dei ſpiritum, qui abinitio ſuperuectabatur ſuper aquas, intinctos reformaturum:* Hæc ille. Verum enim vero veteres hæretici, quibus omnia recta detorquere mos fuit: hoc teſtimonio abutentes ad exitiale illud dogma de dæmone malarum rerum auctore importuniſsime reuocarunt, tãquã ille ſpiritus, qui fouebat aquas non bonus, ſed malus & mali principiũ fuerit: in quos Ambroſius lib. 1. Hexameron cap. 8. ſic pulchrè, & lapienter invehitur. *Vbi igitur tenebræ nequitiarum ſpiritualium locũ habere potuerunt, cum auguſtæ huius decorem figuræ mũdus induerit? Numquid ſimul malitiã Deus creauit? &c. Quomodo ergo eum initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Eccleſiam putauerunt. Hinc Marciones: hinc Valentini, hinc peſtes illæ Manichæorum funeſta ſanctorum mentibus tentauerunt inferre contagia.* Ex quibus opportunè concludit: *Quid nobis in ipſo lumine vitæ tenebras mortis inquirimus?* Hæc omnia Ambroſius aliò quidem, ac nos intentus: Sed nos eam interrogationem: *Vbi tenebræ nequitiarum ſpiritualium locum habere potuerunt, cũ auguſtæ huius decorem figuræ mundus induerit?* Noſtro inſtituto accõmodandam putamus. Qui enim ratione credamus tenebras nequitiarum ſpiritualium, cum Mundiſsimus Mariæ Mundus Auguſtæ figuræ decorem primum induit, locum habere potuiſſe? Pranunciante Regio Vate ipſi Domino: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Pſalm. 25. verſ. 8. Vndè rurſus rationem hanc cũ Ambroſio vrgemus. *Quid nobis in ipſo lumine vitæ tenebras mortis inquirimus?* Cum multo decentius, multo magis opportunè exiſtimemus, Mariæ Conceptionem limen, & lumen vitæ fuiſſe à quã nequam ille ſpiritus, quam longiſsimè ab fuerit

Geneſ. 1. verſ. 2.

Baſilius. Diodor. Hieron.

Tertull.

Amb.

Pſal. 25. verſ. 8.

&

& cui Diuinus Spiritus, qui per Mariam (quæ *Mater viuentium* erat futura, & quam Ecclesia salutat *vita, dulcedo, & spes nostra*) mundum erat viuificaturus, omnino adfuerit, & tãquã solet auis ouis iucubare, spiritum, & vitã illi infuderit, vt a Diuina Sancti Spiritus columba, purissima Mariæ columba oriretur, & in quam postea superuenturus erat, iam exinde aduenire t.

IX Sed vt hæc non incõmodè sumpserimus ex Ambrosio: Pontificio tamen edicto obtemperantes, quod omnem verborum acerbitatem interdicit; non ideò opinionem Mariæ immunitati non fauentem, feralem opinionem vllo modo appellauerimus, quippè quæ & bonæ rei prætextu ducitur, & bonos habet auctores, sed solummodo contenti erimus si ipsam minus piam, minus opportunam, dixerimus, quod Diuino Spiritui charissimam eius spõsam in Conceptione sua præripere, nec illi antea reddere, quam ab spiritu nequam mortis tenebris obscurata fuerit, quodammodo videatur.

MARIA digna forma Dei, quæ vt digna Spiritus Sancti Sponsa esset, immunitatem à peccato originali pro dote habuit.

ADNOTATIO III.

I IAM vero, quamopportunè ad Sponsalium rationem inter Diuinum Spiritum, & Mariam hanc omnimodam à peccato originali immunitatem spectare videamus: Et quidem ille peculiaris in hanc rem locus esse videtur, Canticorum 4. versic. 13. cum præconio *Horti conclusi, & fontis signati* præmisso, quod è re etiam immaculatæ Conceptionis esse, alibi vidimus: subiicit Sacer Sponsus: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus:* Egregia quidem, & per opportuna verba ad sponsaliorum rationem siue imaginem, quam persequimur. Nam in primis vox *emissiones* cui plures ex Græco, & Hebræo fõte subsũt significationes à Theodoreto accipitur pro muneribus, quæ dotis nomine ab Sponsa in Sponsi domum afferuntur, siue Sponso mittuntur: sic enim ipse Sponsi nomine eam effert: *Hæc omnia misisti mihi, & tempore nuptiarum attulisti.* Ecce ergo tibi Mariam minimè indotatam, sed cœlesti Sponso dotalia munera, siue dotem pro tanti matrimonij dignitate afferentem. Sed quid iam in Maria dotis nomine censetur? Sanè mundissima ab originaria labe puritas, & egregia in sua Conceptione de hoste parta victoria: Id namque fuerit paradisi mentionem feciſſe: nec contentus paradisum nominasse, subiecisse: *Malorum punicorum.* Vt multiplici hinc ratione Mariæ immunitatem confirmaret: Quarum illa prior se se statim oculis ingerit, cum Mariæ emissiones, quæ propriè sunt primæ germinationes, siue florum, aut plantarum eruptiones, cum paradisi arboribus, nec cum quibusvis, sed signatè cum malis punicis, quæ non modo pulchræ, & medicinales sunt, sed adeò mirâ etiam supra cæteras plãtas eminentia, & regio decore, ac maiestate præditæ cũ corona egrediuntur, vt quod primum in ipsi erũpat, corona sit: adnotante sponso cœlesti primam Mariæ egressionem siue eruptionem coronatam, atquè victricem fuisse, nec aliter in mun-

Cant. 4. vers. 13.

Lection. Græc.

Lection. Hebr.

Theodor.

dum

dum ingressam, quam regia corona, tanquam Regis sponsam insignitam: nec prius viuere, quam vincere, & triumphũ de hoste agere incepisse. Pulchrè subhoc sensu capiẽte Damascenoorat. 1. de *Natiuitate Virginis*, verba Vatis: *Astitit Regina à dextris tuis in fimbris aureis*, A dum sic inquit: *Hæc fœmina summo Regi Deo tanquam fimbris aureis amicta virtutum elegãtiam offert. Spiritus Sancti gratiâ coronata.* Sic Damascenus. Quod equidẽ ipsamet dixisse videtur Prouerb. 8. 23. illis verbis: *Ab æterno ordinata sum*: cum ibi ex Hebræo ab eruditissimis interpretibus legatur: *A sæculo princeps initiata, siue inaugurata sum.* Quibus originalis Mariæ puritas, quasi ex prætatâ imagine adstruitur: quod ipsius originis conditio ab aliorum origine, quam longissime abeat, dum cæteri tanquam mancipia peccato subditi concipiantur: ipsa verò tanquam Regina sublime & regium supra originariam culpã, supra pœnam, supra læthalia decreta, caput attollat; eiusque origo primæuæ origini, cum homo *in iustitiâ & sanctitate creatus*, ex Dei imagine creaturarum princeps effectus est: dicente Domino. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli* Genes. 1. ver. 26. & in ea verba Basilio Magno hom. 10. *In ipso tuæ creationis articulo, vt præsses creatus es: vniuersa enim hæc humano substrauit imperio*: & post pauca: *Nobis enim principio statim conditionis delatum est in cætera ius imperij. Animal itaque es, ô homo, imperio natum, &c.* Enim verò cum homo regnum istud, & legitimum imperij ius per peccatum amiserit, cunctis in eum creaturis excusso dominationis iugo rebellãtibus: Mariam reginam cõcipi, perinde omninò fuerit, ac integræ illius felicitatis participem fuisse; nec Adamo ex imperio deturbato, sed in ipso creationis articulo, vt præesset creato, respondentem.

Sed deinde illa à cœlesti sponso paradisi facta mentio pulchrè hanc cogitationem firmat præsertim si (quod in superioribus iã vidimus) obserues Hebraã vocem, quæ respondet latinæ *emissiones* itidem significare *Halitum*, siue odorem: vt commodè hæc verba verteris: *Halitus tuus paradisus*, vt velit sponsus primam Mariæ egressionem, siue in vitam ingressionem paradisum spirare, diuinumque efflare odorem: secus quidem ac cæteri mortales, quorum ingressus in mundum tetrum odorem emittit, quid enim immunda in peccato conceptio, nisi mortem, & infernum oleat. Certe Paulus quæsito vocabulo peccatũ appellauit *opera mortua*, ad Hebr. 9. 14. vt ad ea verba adnotauit Chrysostomus inquiens: *Mortua quippè opera sunt, quæ vitam non habent, quæ putorem spirant, qua contrectant appropinquantes*: Ad quem etiam modum Chrysologus serm. 17. in immundis illis animantibus de quibus apud Marcum cap. 5. 12. obseruauit, nõ alia de causa, quam ob tetrum dæmonum odorẽ se se in mare præcipitasse: *Sic est odor eius* (diaboli) *tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura potuerit sustinere: denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quam eius immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Ergo aliis a peccato tetrum, ac putridum fœtorem in Conceptione emittentibus, Maria paradisi fragrantiam, & cœlestẽ ac diuinum odorem efflare dicitur: Quæ planè ipsius etiam mens esse videtur cum de se ipsa inquit: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Ecclesiastici 24. vers. 5. Quid enim ex ore, nisi halitus prodeat? Quis ex ore Altissimi halitus, nisi suauissimus,

Damas.

Prou. 8. vers. 23. Lect. Hebræ.

Genes. 1. vers. 26. Basilius.

II

Lect. Hebræa.

Chrysost.

Chrysol.

Mar. 5. vers. 12.

Eccl. 24 vers. 5.

puris-

purissimus,& vitalis? Vndè quidē rursum allusio hìc esse videtur ad illud spiraculum vitæ,quod in primâ hominis creatione in eius faciem Dominus inspirauit. Etenim pro illis verbis Genes. 2. versic. 7. *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Hebraice habetur *halitum vitarum*: vtramque scilicet vitam spiritualem,& animalem vno ictu Deus homini impertitus, vt Mariæ Conceptio, siue halitus in ipsam à Deo inspiratus in eius Conceptione *halitus vitarum* fuerit, à quo ipsa simul anima, & corpore viuens substiterit.

Genes. 2 vers. 7. Lect. Hebræa.

III

Nec minor epitasis ineſt præfatę significationi vocis *emissiones*, quâ Hebræi frequentius vsurpant pro plantationibus, siue germinationibus plantarum,& florum erumpentium,quod quasi emissiones quædam ipsius soli,aut horti sint, iuxta quam significationem Pagninus legit: *Plātationes tuæ paradisus, &c.* vt sensus fuerit: non secus Mariam Conceptam,atque plantatam,quā primæ paradisi plantæ à Deo consitæ fuerunt: subito videlicet, & nulla interposita morâ proferente terra *herbam virentem, & facientem fructum*, Genes. 1. versicul. 11. & arbores prægrandes, fructibus onustas,dum ipsa simul cum flore naturæ,& fructu gratiæ erupit,tanquam paràdisi planta Dei manu sata,quæ fructum vitæ erat allatura. Sub quo itidem sensu cum lilio inter spinas erumpente a Diuino spiritu composita videtur, Cantic. 2. versic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quo in loco quemadmodum vbi spinas audis, illico tibi in mētem occurrit peccatum,& ab eo maledictio illa proueniens: *Spinas & tribulos germinabit tibi:* à qua nec rosa ipsa pulcherrime florens euasit: eleganter dicente Ambrosio lib. 3. *Hexameron*, cap. 11. *Surrexerat autem floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimè, sine vl'a fraude vernabat, postea spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatē perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpè compungat:* ita planè in lilij imagine Mariam procul à peccato originali,& à maledictione illi annexa vides. Quid enim lilio cādidius? Quid mollius? Quid suauius? Quid tandem ab spinis magis alienum, aut remotum. Potuit ergo Diuinus spiritus Mariam rosam appellare: eo plane sensu, quo dixit Ambrosius. *Surrexerat floribus immixta teneris, sine spinis rosa:* à quo non abiit Bernardus sermon. *de Beata Maria*, vbi Euam cum spina,& Mariam cum rosa, sic composuit: *Eua spina, rosa Maria. Reverà Eua spina fuit, quæ & viruu suum ad mortem pungit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit: inde Apostolus.* Per vnum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatum mors,& sic in omnes pertransiit: ad Roman. 5. versic. 12. *Eua ergo spina fuit: Maria rosa extitit; Eua spina vulnerando, Maria omnium affectus mulcendo: Eua spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem:* Verum enim vero nè ipsam appellans rosam, dubium, & sub litè maneret: vtrum de rosa, quæ ante peccatum, *surrexerat floribus immixta teneris sine spina* an verò de ipsa peccati maledictioni obnoxia, cum *postea spina sepsit gratiam floris*, sermo esset: notanter eam lilium appellauit, vt eam ex candidissimi, & mollissimi floris imagine extra telorum iactū (vt prouerbio dicitur) & extra vllam maledictionis Euæ suspicionem poneret.

Pagnin.

Genes. 1 vers. 11.

Cant. 2. vers. 2.

Amb.

Bernar.

Rom. 5. vers. 12.

Quæ quidem omnia tam breuiter,quam pulchrè præstrinxit Venerabilis Guillielmus apud P. Martinum del Rio inquiens: *Virgo lilium, quia nihil in eam de maledictione ma-*

IV

Gaillie. P. Rio.

tris

tris Heuæ transierat: vt dixerit: *Emissiones* Mariæ *paradisus*: atquè ideò ipsã nõ secus germinasse ac lilium, quod candore, odore, & pulchritudine sua planum faceret, paradisi emissionem, & plantationem esse, quin ipsi ex vitiatâ Adæ radice, aut ex Heuæ maledictione aliquid obtigerit. Pro quo Guillielmi sensu pende vnâ ex parte, quid Heuæ peccatrici fuerit Dominus minitatus: ex alia verò, quibus laudibus ipsemet Dominus lilii fuerit prosecutus. Nimirùm de primo inquit Moysses Genes. 3. vers. 16. *Mulieri quoque dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios*: siue, vt habent LXX. *Multiplicãs multiplicabo tristitias tuas, & gemitum tuũ, &c.* Quod perinde est; ac illud quod Adæ itidẽ Dominus dixit vers. seq. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas & tribulos germinabit tibi*: vt primis parẽtibus pro mercede iniquitatis suæ germinauerit terra pungẽtes curarum, dolorum, & tristitiarũ spinas, & vberrimam malorum segetem: vti eleganter dixit Tertullian. lib. de pallio de Adamo, *exterminatum paradiso, pellitum orbi, vt metallo datum*: vt pro iustitiâ originali, quæ eius dos erat, vt beatum cum Domino ad cuius imaginem, & similitudinem fuerat creatus, coniugium iniret, miseram dolorum, & laborum commutationem reciperet. Quod alibi idem Tertullianus scitè expressit hâc de re inquiens: *Deus posti tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adã auspicata: post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum*: Sic ille libro *de pœnitẽtia*, c. 2. vbi obserues velim eum dicendi modũ Tertulliani, *condemnatũ hominẽ cum sæculi dote*: qui bifariã, & quovis modo opportunè nostro instituto accipi potest: tum vt sæculi dos, sit originalis iustitia, quæ hominem Deo similẽ, & amicũ reddebat, vt bonus scholiastes Ludouicus la Cerda sic explicat: *Vnica dos hominis fuit originalis gratia, & iustitia, & reliqua bona, quæ à tanto bono, quibus humana sæcula florentissima: hæc bona omnia adempta misero homini: omnes gratiæ, priuilegia, immunitates*: ita ille: tùm etiam vt sæculi dos sub opposita significatione opponatur præfatæ originalis iustitiæ doti, significetque spinas, & tribulos laborum, dolorum, atquè curarũ, & miseriarum, quę loco primęuę felicitatis homini aduenerunt; cui sensui modo adhæremus.

P. Cerda

Iam vero, quam gratum Dei Filio fuerit lilium in Matris suæ gratiam cuius illud typum gessit, quibusque laudibus fuerit id prosecutus audi apud Matthæum 6. versic. 28. & Lucam 12. versicul. 27. *Considerate lilia agri quommod crescunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est, sicut vnum ex istis*: Compone ergo lilium, quod non laborat, neque net, cum Heua dolente, laborante, ærumnis, & tristitiis obnoxia: nec non cum Adamo spinarum, & tribulorum segetem metente: vt noueris in lilio Mariæ non laborante, neque nente nihil in eam de maledictione matris Heuæ transisse; ipsamque procul à tristitia; & gemitu, & ab spinarum compunctione fuisse: quippè quæ lilium fuit è paradisi plantationibus: Ego verò sic existimo, nihil aptius excogitari potuisse ad Mariæ immunitatem asserendam, quam hæc lilij imago, Christi Domini verbis elucidata: quid enim fuerit ipsam lilii esse, quod nõ laborat, quod non net, quã ipsã ad Adami, & Heuę peccato obnoxiorũ, & à paradiso exsulũ sortẽ minime pertinere, sed extra communẽ

V

Genes. 3. vers. 16. & 17. LXX.

Tertull.

Matth. 6. v. 28. Luc. 12. v. 27.

legem,& pactum,& transgressionē velut paradisi municipem fuisse plātatam;cui desuit originalis gratia, & iustitia,vt opportune cælesti spōso nuberet,dicente ipso: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*: siue *Halitus tu⁹ paradisus*: certè in lilio, prę-
Plin. terquam quod *nulli florum excellitas maior*,vt inquit Plinius libr.21. cap.5.signatè ab ipso laudatur, & color eximius,& fragrantissimus odor,& illustris splendor,quæ omnia vt procul abeunt à notis peccati;ita eximiam,& natiuam puritatem denotant,vt sub rosæ imagine S.Iosephus Confessor in Menæis Græcis
S. Iosep. Confess. die 15.Ianuarij in superioribus adductus dicebat. *Te integer ille,ac purus, ò vndique intaminata! tanquam Rosam instar vnguenti flagrantem in conuallibus reperit.*

VI Opportunè vero hæc omnia eum sensum habent apud Theodoretum(vt vidimus:) *Hæc omnia misisti mihi,& tempore nuptiarum attulisti*:vt censeantur legitima,& adapti connubij leges inter pares initi inter cœlestem sponsum, & Mariam contracta sponsalia: ipsa originalem iustitiam pro dote afferente,quæ sponsam alioqui dignitate inæqualem sponso parem facit, cū sæpe à dote veniant sagittæ, vt ille
Iuuen. dixit.

Libertas emitur, veniunt à dote sagittæ.

Enim verò pro hac cogitatione nō solum facit,cælestem sponsum signatè ante prafata verba quibus spōsam lilium inter spinas appellauit idemtidem se ipsum appellasse *li-*
Cant. 2. v.1. *lium*.cum ait:*Ego flos campi, & lilium conuallium*, Cantic.2.vers.1. vt à candore,& incontaminata puritate sponsi,sponsa quæ itidem lilium dicitur ab omni labe immunis deprehenderetur:sed illud est signatissimum,& opportunissimū, quod
Psal.44. in titulo cum Psalm.44.diuinum epitalamiū sit,in quo *speciosus forma*,cum *Regina à dextris* adstāte,nuptias plenas dignitatis,& concordiæ contraxisse celebratur:singillatim vero spōsa ibi ab immunitate à peccato originali non semel commendatur,nēpè quod *oblita sit domus patris sui*: hoc est Adæ,vt ex Imperatore Leone in superioribus vidimus:nec non quod *à dextris* consideat, qui electorū locus, & sedes est: præterum vero,quod *vestitu de aurato, & fimbris aureis* ornata dicatur: vbi Hebraicè(quod non vna tantum vice adnotauimus)vox *Chethempaz* illud tantum aurum significat, quod est purum,intactum,sincerum , & omni mixtura caret:quodque itidē sponso attribuitur, Cant.5. versic. *Cant. 5. vers. 11.* 11.dum dicitur: *caput eius aurum optimum*.Regius Vates arcano cōsilio, & accurata industria hunc ei Psalmo præfixit titulum:*pro liliis*:vt non tantum significaret nuptias dignitatis plenas,sed etiam a paritate immunitatis a peccato originali,augusta paritate,& æqualitate si felicissmas. A qua cogitatione no abit *S. Sabbas* S. Sabbas initio libri adductę,cū apud Menæa Græca die 29. Ianuarij Ode6.*de trāslatione S. Ignatij*.Deiparæ inquiebat. *Ex te sola tanquam purissimo lilio in medio spinarū inuēto,vterū incolēs tuū sponsus ille tuus processit*:Hæc ille,quibus innuit cęlestem sponsum quæsisse ,& inuenisse inter spinas cæterarum fœminarum Mariæ lilium , quod à dote, siue immunitate ab omni originaria labe opportunè eam sibi in spōsam assumeret.

VII Quod,si verè æstimas,videtur expressisse Angelus,cum Mariam Dei *Lucæ.1. vers. 28.* nomine salutans inquit: *Aue gratia plena*,Lucæ 1.vers.28.præsertim *P. Lud. Alcaz.* si attendis cū P.Ludouico del Alcazar to.2.in Apoc.lib.3.ad c.2.Cāt. sect.1.adverterē,& perpetuo vsitatā Annūciationis Mariæ picturā , qua Angel⁹ liliū in manu ferēs inducitur

quippè

quippe cælestis paranymphus, quæ ſua hâc ſalutatione, & lilij geſtatione, dotis ſuæ, & immunitatis ab originaria labe admonuit; nè ipſa quaſi indotata, ac proinde diuino connubio impar, huc importuna refugeret petenti exhibere cõſenſum; frequenter in hunc ſenſum hęc verba inflectentibus SS. P. Nam in primis Græcus Auctor S. Thomæ familiaris in Catenâ in Lucam ad hæc verba ſic inquit: *Quod autem digna cognoſceretur ſponſalium atteſtatur cum dicit: Gratia plena, quaſi enim quædã arrha, aut dos ſponſi oſtenditur, quod fœcunda ſit gratiis.* Sic ille: Premę illud *dos ſponſi*, nec non iſtud: *digna ſponſalium*, vt à dote digna ſponſa fieret: Quæ verò fuerit dos? *Quod fœcunda ſit gratiis, & gratiâ plena:* vt quidquid in Mariâ, aut eſſet, aut fuiſſet totum à gratia, & nihil à culpâ aduenisſet: ita hæc verba explicantibus S. Fulgentio ſermon. *de laudibus Mariæ*, & Richardo à S. Laurentio lib. 1. *de laudibus Mariæ* hic enim prior: *Cum dixit* Aue: *Salutationem illi cæleſtem exhibuit, cum dixit:* gratia plena: *oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam:* Hæc ille: Obſerua accuratum dicendi modum: *Ex integro iram excluſam primæ ſententiæ*, qui tùm ſenſum communem habet cum verbis Guilhelmi: *Virgo lilium, quia nihil in eam de maledictione Hevæ tranſierat:* Tùm etiam egregiam continet epitaſim dum affirmat in Mariâ ex integro reſciſſam primam ſententiam, & excluſam iram, quæ filios Adę filios iræ facit, ac proinde primam illam benedictionis gratiã, quã Deus primis parentibus ante peccatum impertiuit (Geneſ. 1. veſ. 28.) ei fuiſſe reſtitutã: Nec minus plenè Richardus plenitudinem gratiæ Mariæ ad omnimodam culpæ excluſionem ſic referẽs: *Quomodo enim cum tota gratiæ plenitudo deſcendiſſet in eâ, vacuum aliquid reliquiſſet in eâ: Sic etenim vſque quaque impleta eſt gratiâ, vt nihil in eâ culpa obtineret, nihil in eâ culpæ relictum eſſet:* Sic Richard.

S. Tho. — Fulgen. — Richar. à S. Lau.

Pergit vero Sanct. Gregorius Thaumaturgus orat. 1. *in Annũciationẽ*, & Deiparam gratia plenam dictam fuiſſe, ad dignitatem ſponſalium ſic reuocat. *Tanum enim verè eſt, auere, atque gaudere, quoniam tecum diuina gratia, vt nouit habitationem elegit:* vt vero explicet, quid ſit Diuinam gratiam, vt nouit quod ſibi cõueniens, & opportunum eſſet, cum Maria habitationem elegiſſe? illico ſubiicit: *Cum impollutâ, is qui ſanctificat vniuerſa:* vt adſtruat Gregorius ſacri connubij dignitatem, & opportunitatem: dùm Spiritus Diuinus, qui totius ſanctitatis fons eſt, ſponſam ſibi delegit, omni labe carentem, vt ſibi inuicem adhærentes vnus in Deo Spiritus fierent.

Gregor Taum.

VIII.

Enim verò huc facere videtur Mariæ ad tam inſolitam ſalutationẽ turbatio; nam quæ benè nouerat, eã quæ Dei genitrix eſſet futura, ab omni originali labe expertem fore, cum ſe tanti doni comporem eſſe vix noſſet, non potuit non turbari: quod vel hac ratione ſe ſe tam grãdi Sacramento imparem recognoſceret: dixit quippe S. Petrus Damianus ſerm. *de Annũciatione*, hęc omnia Virgini ab Angelo tunc fuiſſe nunciata: *Traditur* (inquit) *epiſtola Gabrieli, in qua ſalutatio Virginis, incarnatio Redẽptoris, modus Redẽtionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* Sic ille: Quem quidem ſenſum virgineę turbationi reddere videtur Origenes dum eadẽ hæc verba *gratiæ plena*, homil. 2. in Lucam ſic elucidat. *Vbi in ſcripturis legerim nõ recordor; ſed neque ad virum iſtius modi ſermo eſt. Saluè gratia plene. Soli Mariæ hæc gratia ſeruabatur. Si enim ſciſſet Maria, & ad alium quem-*

Pet. Damian. — Origen.

piam ſimilem factum eſſe ſermonem (habebat quippè legis ſcientiam, & erat ſancta, & Prophetarum vaticinia quotidianâ meditatione cognouerat) nũquã quaſi peregrina eã ſalutatio terruiſſet: Ita Origines: Obſerua illud *peregrina ſalutatio*, quod *gratia plenã* dici, hoc eſt omnis culpæ originalis expertẽ (nam ab actualibus etiam leuiſsimis alieniſsimam non poterat, non virgo ſe ſe eſſe cognoſcere) non eſſet res propria huius terræ maledictioni obnoxiæ, immo extranea, & peregrina: vt proinde Maria cœli domiciliaria, & mundo peregrina videretur: vndè quidem huic turbationi Angelus ſignatè occurrit illis verbis: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, Lucæ 1. verſic. 35. notãtiſsimè vſus *ſuperueniendi* verbo, vt ipſam certiorem redderet iam pridem in Cõceptione ſua Spiritum Sanctum in ipſam adueniſſe, vt opportunè id adnotarunt Sanctus Ildephonſus ſerm. 3. *de Aſſumptione*, & ſapientiſsimus ille Idiota lib. *de Contemplat. Mariæ*, cap. 2. ita enim Ildephonſus: *Sẽtiebat Angelus in Beata Virgine iã ſpecialiter Dominum ineſſe: & futura nouerat diuini myſterij Sacramenta:* Quæ mihi ſic ſonant, vt Angelus cui ſecreta cœleſtia iam fuerant reuelata, bene quidem noſſet, Virginem à primo Conceptionis ſuæ inſtanti ab Spiritus Sancti gratia fuiſſe præuentam, atque poſſeſſam, vt Dominicæ Incarnationis Sacramentum opportunè in ea compleretur: Sed luculentius hæc expreſsit Idiota Mariæ ſuggerens. *Nemo æqualis eſt tibi: nemo maior te niſi Deus, Spiritus Sãctus ſuperueniẽs in te, & virtus Altiſsimi obumbrans tibi, quæ eras omnium virtutũ, & gratiarum ornamentis prædotata:* (ita legendum ex correctiſsimis exemplaribus, non verò *prædecorata*) *pulchritudinem, puritatem, ſapiẽtiam, & omnium virtutum gratiam adauxit:* Hæc ille, pulchrè affirmãs: Virginem ante Spiritus Sancti ſuperuentionem fuiſſe gratiarum ornamentis prædotatam, vt aptè videlicet Diuino ſpiritui nuberet. Quod verò Idiota pulchrè affirmauit; pulcherrimè explicuit ſubiiciẽs. *Inueniſti gratiam apud Deum: ò dulciſsima Virgo, gratiam cæleſtem: quia fuerunt in te ab originalis peccati labe præſeruatio, Angelica ſalutatio: & Spiritus Sancti ſuperuentio.* Sic Idiota præſeruationem à labe originatiæ culpæ pro dote Virgini aſsignans.

Nec pigebit in hunc ſenſum afferre Ioannẽ Geometrã in hæc met verba: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te: in Catenâ Græcâ in Lucam: quod eius verba clauis vicẽ habeãt ad aperiendam aliorum Patrum mentem; dum de Mariæ puritate, & immunitate agentes verbo *purgandi*, aliquando vtuntur; quod cõtrariæ ſententiæ Auctores in gratiis ad maculæ ablutionem referant; cum ipſi non niſi de abalienatione à macula ſimpliciter loquantur: ergo ait Geometra: *Spiritus itaque ſuperueniet, qui præparet Filio introitum, & præinhabitet, & præpurget ipſi thalamum: vel potius exornet tametſi præpurum, & præornatum:* Sic ille. Obſerua, & oſculare in Geometra attentiſsimam correctionem verbi *præpurget*, ſiue diſſertiſsimã explicationem, nè ex illo anſam non nemo præriperet, vt Mariã purgatione aliquãdo indiguiſſe ſuſpicaretur: dum ſubdit: *Vel potius exornet, tametſi præpurum, & præornatum:* quib⁹ omninò adſtruit Mariæ thalamum Diuino ſponſo paratum ad ſacrum connubium celebrandum ſemper fuiſſe omnimodis præpurum, & diuina gratiã præornatum, quin aliqua ei labes aliquãdò adhęſerit, quæ cũ Auguſtiſsimis Spiritus Sancti ſponſalibus non benè ſe gereret.

Lucæ 1. vorſ. 35. *S. Ildep.* *Idiota.* *Ioann. Geomet.*

A B C D E

X IX

X Porro hanc omnimodam puritatem adeò è re, & dignitate opportunæ desponsationis, & aptæ cõiunctionis animorum Diuini Spiritus, & Mariæ esse, vt sine illa, nec aptè, nec ex æquo subsisteret; illa eiusdem cœlestis sponsi verba innuunt, Cant. 4. vers. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: montis myrrhæ nomine Mariam opportunè intelligens, quæ ex celsissima meritorum altitudine mons est, & ab omnimoda puritate, & immunitatè à labe originali, myrrhæ proprietate gaudet, quæ carnem ab omni corruptione anticipata medicina præseruat, vt superius vidimus ad illa verba eiusdem sponsę: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. Canticorum 1. versicul. 13. sed obserua Hebræam Lectionem, quæ signatè reponit. *Vadam mihi ad montem myrrhæ*: Quam etiam habent LXX. & ab iis plures ex PP. Quod si inquiras, quid significet hac locutione sponsus? Occurrit Hugo de Sanct. Victore libr. *de amore sponsi ad sponsam*, tom. 2. referens ad singularem sponsi Amorem, qui impatiens consortis est, ad hunc modum: *Ibo ait mihi: Sibi vadit, quia singularis amor participem secreti non recipit. Sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, qui non patitur consortem amoris.* Sic ille non multum ab scopo, siue à nostro instituto aberrans, dum Diuinus sponsus MARIAM in Conceptione sua singulari hoc amore prosequitur, qui cum impatiens consortis sit, eam à peccato, & auctore peccati, vel ad momentum possideri minime patitur: Sed illud videtur opportunius, quod excogitauit Philippus Abbas, vt ea locutione significet sponsus, ipsum rem suam agere, nec minus sibi, quam Mariæ consulere, cum ipsam à peccati corruptione præseruat, quòd aliàs non sibi omninò decens, atquè opportunum illius connubium foret. Sic enim Philippus: *Ibo ad Virginem, & nè frustra ire videar: Ibo mihi: illi quidem consulere, illi quærens satisfacere, & etiam mihi*, & statim. *Vadam ad Virginem, quæ altitudinem montis myrrhæ mirabiliter iam vsurpat, cuius carnem integram natiua sanies non deturpat:* Ita ille: Notentur primùm extrema hæc verba: *Cuius carnem integram natiua sanies non deturpat*, quæ ex myrrhæ significatione præseruationem MARIÆ à natiuâ humani generis labe manifeste confirmant: Deinde verò, vide quam aptè dixerit Philippus: *Ibo mihi, illi consulere, & etiam mihi.* Quod cum sponsis omnia communia sint: Diuinus sponsus Mariæ in hac immunitate consulens, sibi ipsi consulere, & satisfacere videatur.

Cant. 4. v. 6.

Cant. 1. v. 13.

Hugo de S. Vict.

Philipp.

A B C D E

MARIA digna forma Dei, quæ vt opportuna Diuini Spiritus sponsa fieret, pulchra vt bona opinio extitit.

ADNOTATIO IV.

I NVLLVM laudationis genus magis eximium, & accuratũ, Diuinum spõsum instituere potuisse opinor ad Mariæ puritatem commendandam, quam eius pulchritudinem cum bonæ famæ, siue bonæ opinionis spe-

cie componeret: ipsomet ei dicente. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*: Cantic. 6. *Cant. 6. vers. 3.* vers. 3. vbi quamuis imago Ierusalem, illius scilicet, quę libera est, Ierusalem cœlestis plenam laudationis materiam continere videatur, cum ab illa omnium gratiarum, & virtutum ornamẽta in Deiparâ cõgesta prædicentur: at enim verò pro ingenio, & officio sponsi opportunissima est comparatio, quæ lectioni Ambrosij subest: dum ipse libr. 1. *Amb.* *de Virginibus*, hunc locum sic effert. *Formosa es proxima mea, vt bona opinio: pulchra, vt Hierusalẽ*, atque hũc in modum explicat. *Non caduci itaque corporis pulchritudo, vel morbo peritura, vel senio; sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum nunquã moritura meritorum virginibus est decori.* Nimirùm nulla omninò pulchritudo adeo omnibus numeris, & partibus absoluta excogitari valeat, quæ cum decore, ac pulchritudine bonæ opinionis cõponi queat: alia quippè externa faciei, alia bonæ opinionis pulchritudo est, nam de illa pulchrè dixit Tertullianus *Tertull.* lib. 1. ad *Nationes*, cap. 5. *Necesse est in corpore, & quantum velis integro, aut paro, vt næuus aliquis effrutices, aut verrucula exsurgat, aut lẽtigo sordescat. Cœlum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, vt non alicuius nubeculæ flocculo resignetur.* Addit verò, vel hinc specialem decori vænustatem aduenire: *Modica macula in fronte, in parte quâdam exemplari visa, vniuersitas munda est. Maior boni portio modico malo ad testimonium sui vtitur:* at verò bonæ opinionis pulchritudo, adeo delicata, & scrupulosa est, vt nec modicam maculam, siue leuissimã nubeculam, aut minimum næuum admittat, quin ab ipso cadat, & pereat. Quo in primis reuoco præfatã sponsæ pulchritudinem, quam celebrauit sponsus illis verbis. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 4. vers. 7. tum iuxta lectionis Hebreæ energiam, quam superius expendimus, in qua nullo tẽporis appositio verbo habetur: *& macula non in te*: vt indicetur, nullũ omninò tempus fuisse in quo Maria maculæ fuerit obnoxia: nimirùm cũ dicitur *macula non est in te*: fortè cõtentiosus litigator dixerit, ita quidẽ verum est, in Maria maculam non esse: at tempus siue instans fuisse, in quo macula non caruerit: at enim verò in legitima hac lectione, quæ de industria verbum temporis enũciatiuum admit ea suspicio omnino excluditur: studiosa verbi subtractione monente Diuino spiritu, nullum omninò tempus inueniri excogitative posse, in quo macula cum Maria coniungi siue cõponi valeat, tùm iuxta sententiam Athanasij ser- *Athan.* mon. *de sanctissima Deiparâ*, vbi cũ dixisset: *Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco* gratia plena *cognominata est, &c.* subiicit: *Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.* Hęc ille: omnia omninò tempora Virginis gratiæ tribuens, vt omnia omninò tẽpora maculæ, & peccato originali deneget.

Cant. 4. vers. 7.

II

Ecce ergo appositam, & conuenientem spiritus Diuini Sponsam, quæ nullo vnquam tempore maculæ subiacuerit: Nam si Principi cuipiam aptam velis dare sponsam: nõ equidem minus diligentem de elapso tempore, quã de præsenti inquisitionem, & examen institues: & verò vt vt in præsenti innocentissima, & castissima dicatur: si tamẽ de anteacta vitæ conuersatione leuis aliquis rumor famam lædens peruase-

rit,

rit, omninò à regis thalami spe deiicitur, quia innocentia, & integritas non tantum leui sorde violatur, vt dicebat Ambrosius, sed etiam leui rumore denigratur, & gratiæ suæ munus amittit: dixit quippè dissertissimè Tertullianus lib. *de carne Christi*, cap. 3. *Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur: quia nihil interest, vtrum sit quid aut non sit, si cum non sit, esse præsumitur.* Quod quidem idemmet Ambrosius probauit. Nimirum si attendis, innocũs illa, & castissima Sussanna criminis impudicitiæ accusata non modo ingemuit, sed quodammodo

Tertull.

Horrendis fertur cœlũ pulsasse querelis.

Sic enim primum Daniel capit. 13. v. 35. *Flens suspexit ad Cœlũ*, deinde vers. 42. *Exclamauit autem voce magna Sussanna, & dixit. Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant. Tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior:* A qua quidem si inquisieris? Cur exclamet? Cur deploret? Cur vicem suam doleat? Cur innocentiam suã repetitis vocibus iactet? Cum nihil ipsi salubrius: nihil illustrus, vtilius, aut pretiosius, quam pro iustitia, pro veritate, pro fide duraquæque tolerare, ac mortem oppetere, siue etiã cum nihil sit pulchrius, quam cum Domino periclitari: Respondebit pro ea Ambrosius ipsam non equidem mortem, non pœnam, sed neque extincti pudoris culpam, deflere; sed tantummodo famam suam, qua sola sydera adibat, dum ipsam calumnia denigratam, violatamque videbat, iure iactanter deplorare. Audi Ambrosium lib. *de fugâ sæculi*, cap. vltimo dicentem: *Plorauit cum crimen obiiceretur: plorauit cum sibi de pudicâ, & castâ adulteri iudicium vendicarent: non mortẽ deplorans, sed castitatis calumniam:* Sic ille. Ad quem sanè modum Chrysostomo obseruatum est sanctum Iobum post tot, tantasque de diabolo relatas victorias, & post quam cunctas ab eo emissas sagittas excipiens pharetram exinaniuit vniuersam, diris tamen maledictionibus diem in qua natus est, deuouisse, illis verbis Iob 3. vers. 1. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est Conceptus est homo:* Quod qui labores suos patientissime tulerat, quin os suũ ad querelas depromendas aperuisset, cum apud amicos, qui ad cũ consolandũ venerãt, se non bene audire, suãq; existimationẽ denigratã esse cognouit vix ferre potuerit: Sic nãq; ille in Catena in Iob ad c. 2. versic. 11. *Maximè verò lacerabat eum non vis sanè malorum, sed quia tanquam in hominem impium, & ex legem, tanquã in Dei hostem, & qui virtutem antea esset ementitus, calamitas illa incidisse videretur. Nec ita de corporis lue, vt is de nominis existimatione laborabat.* Hactenus Chrysostomus.

Daniel 13. v. 35

Amb.

Iob. 3. v. 1.

Iob 2. v. 11.

Chrysost.

III

Quod verò statim subdit. *Non ambitione quidem vlla, siue quod ad vulgi opinionem vitam institueret, sed ea re potissimum, quia suis ille ærũnis plerosque offendi animaduertebat;* adeò quidem verum est, vt ipsemet Assertor, tum pleraque in legis obseruantia ad quæ minime tenebatur, vt Baptismum, & Circuncisionem suscipere diligentissime fuerit executus, tùm etiam accurato studio dixerit apud Matth. 5. 18. *Nolite putare quoniam veni soluere legẽ, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere:* Ad quæ verba dum ambigitur, quorsum fuerint à Domino dicta, cum nemo tunc temporis aliqua ratione posset suspicari ipsum ad soluendam legem venisse? Respondet opportune Auctor operis imperfecti homil. 10. in Matth non frustra, sed de industria, cum nihil tale in hominum mentem venire,

Matt. 5. 18.

tunc poterat, Dominum id præmonuisse, vt anticipato remedio suæ existimationi prouideret aduersus eos, qui postea erant eum calumniaturi, quod legem solueret in Sabbatho medicinam ægrotis adhibens. Sic enim ille. *Auctor Oper. imper.* *Quia futurum erat, vt Iudæi calumniarentur eum in Sabbatis operantem, & lepram tangentem, tanquam soluentê legem: ideò priusquam incurrat in calumniam, calumniatoribus satisfacit dicens: Nolite putare, quoniam veni soluere legem:* Sic ille: Tanti videlicet fit à Domino boni nominis existimatio, vt futuræ calumniæ occurrere, sibi videatur operæ pretiũ, nè ab ea præsenti possit vulnerari: vt ab ipso tanquam à germaná Dei sapientia emanasse videatur Pauli monitum 2. ad Corinth. 8. 21. *2. Cor. 21.* *Prouidemus bona non solum coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus,* quod opportunè elucidauit Athanasius *in exhortatione ad Monachos,* hunc in modum. *Atha.* *Vt ex abundanti, sic omne, quod fingi potest, tanquam possit, & credi, caueamus: nè in vllo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina, priusquam linguis nutriantur intereant. Non tantum nobis fides facti; sed possibilitas etiam releganda mendacij. Beata enim vita est præclara, de qua nihil licet falsitati. Neque enim ego hoc iudicium meum austerus censor arripui; sed cœleste imperium monitor blandus assumpsi. Nã & sic ait Apostolus.* Prouidemus bona non solùm coram Deo; sed etiam coram hominibus: Hæc Athanasius.

IV Sed cũ hæc eò eant vt ex scrupulosa bonæ opinionis pulchritudine Mariæ decorem omnibus numeris absolutissimum adstruamus, eandẽ cogitationem ex ipsius Mariæ suffragio confirmemus, equidem cum sacrilegus ille Heluidius, & mali oui peiores pulli impurato ore perpetuum virginitatis Mariæ splendorem obscurare tentarunt, & armata iis fide, & pietate manu Sanctissimus Ildephonsus occurrens, & verbis, & scriptis non modo illos confutauit, & fregit; sed etiam ex Hispaniâ, quam longissime expulit: tunc Purissima, & benignissima Domina, vt se se de seruo suo optimè meritam profiteretur, Leocadiâ virginem Angelico comitatu stipatam cum sacrâ veste Ildephõso misit, quæ hæc ei renunciaret: *Ildephõse per te viuit Domina mea, quæ cœli culmina tenet:* Egregia quidem, & emphasi plena verba: Obserua pro re bonæ opinionis illud: *per te viuit Domina mea.* Quid est enim? *Per te viuit.* Nonne Mariæ puritas (quæ signatè cum vita cõponitur, quod ipsi non minus chara, quam vita fuerit) extra telorum iactũ erat? Nõne etiam immortalis ipsius fama, & bonum nomen morti, aut casui nequibat subiacere? Quam longe Deus bone! ab hoc iuerit iustus ille gemitus infelicis Reginæ malo merito suo dicentis. *Extinctus pudor, & quâ sola sydera adibam, fama prior.* Cur ergo per Ildephonsum Mariam viuere testatur Leocadia? Sanè, quod bona opinio tam delicata res sit, vt tanquam mundissimum speculum quo vis halitu infici videatur: nec a propria conscientia tantum; sed etiam ab aliorum placitis pendeat: ideòque cum in hominum opinione ex Ildephonsi studio, & doctrina perpetua Mariæ Virginitas subsistit, tunc ipsam per illum viuere professa est.

Iam hinc vides (opinor) qualis bonæ opinionis pulchritudo sit: Et quomodo bona opinio, à bona cõscientia differat: dum hæc prouidet *bona coram Deo:* illa etiam *coram hominibus,* dum non contenta virtutibus: *Ex abundanti sic omne, quod fingi potest, tanquam possit, & credi,* cauet *nè in vllo famæ nostræ vulnere* V

serpat

ſerpat nata ab occaſione ſuſpicio. Quid adeò delicatũ? Quid ita ſcrupuloſum? Sentiroſumve fuerit? Quam quidem eximiam, & ſummã pulchritudinem notanter commẽdabat Salomon Sapientiæ 4. verſ. 1. exclamans. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate: Immortalis eſt enim memoria illius. Quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* Quem locum omnium optimè videtur interpretatus S. Cyprianus ſiue Auctor libri de ſingularitate clericorum, capit. 23. his verbis: *Hoc exigit ſancta ſingularitas clericorum: vt antequam transfiguretur* (in reſurrectione vbi *non nubũt, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Matth. 22. 30. nullumque periculum, nullaque ſuſpicio à conſortio virorum cũ fœminis eſſe poterit) *iam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum. Quæ omnia ſibi amputans concupiſcentiæ certamina deprædatur. Cuius laudes Salomon exequitur dicens: Melius eſt eſſe ſine filiis cũ claritate.* Et paulò poſt. *Non eſt cum claritate, niſi ſingularitas ſola, quam non ſolum continentia ſua nullis ſordibus maculat, ſed etiam nullæ opiniones ſuſpectæ pluralitatis infamant: Nã ſi caſtitas (quod eſt difficile) maſculum, & fœminam pariter in Virginitate conſeruet, non habet claritatem, quam communitas ipſa non poteſt, niſi quibuſdam probroſitatis tenebris obſcurare. Singularis verò ita clara eſt omnibus, & exerta, vt cunctis ſplendore ſui cãdoris pura manifeſtetur, & lucida.* Hæc Cyprianus. Apud quem vides, eam caſtitatẽ ſplendoris & claritatis veram, & germanam notam adipiſci, quæ non modo nullis ſordibus maculatur; ſed etiã adeò extra ictũ ſuſpicionis, & opinionis malignæ eſt: vt iam velut transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum: vt quemadmodum de Angelicis ſpiritibus nihil ſordidum excogitari, aut fingi poteſt: ſic *ipſa omne quod fingi poteſt, tanquam poſsit, & credi* caueat. Quò nitefacit ſeuerum illud iudicium Senecæ Hieronymo probatum de Claudia Virgine Veſtali, de quo Sanctus Doctor lib. 1. aduerſus Iouinianũ cap. 26. vbi cum factũ retuliſſet his verbis: *Claudia Virgo Veſtalis, cum in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulachrum matris Idæ in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiã ſuam fertur cingulo duxiſſe nauim, quam multa millia hominum trahere nequiuerant,* ſubiicit. *Meliùs tamen* (inquit *Lucani poetæ patruus,*) *cum illa eſſet actum, ſi hoc quod euenit, ornamentum potius exploratæ fuiſſet pudicitiæ, quam dubiæ patrociniũ:* ita ibi ſanè quaſi caſtitas: quæ ſuſpicionibus obnoxia fuit, nõ omninò clara, & ſplendida reapſe extiterit: Quippè ea eſſe debuerat, vt quemadmodum monuit Titum Apoſtolus cap. 2. verſ. 7. *Is qui ex aduerſo ſtat, vereatur nihil habens malũ dicere de nobis,* ad quæ verba Hieronymus *Vt aduerſarij vitæ, & doctrinæ noſtræ ſanitate perterriti, non audeant accuſare: Hoc eſt nihil veriſimile in accuſatione confingere:* Sed quare improbus quiſque nõ audeat aliquid quod veroſimile videatur, in accuſatione confingere? Pergit Hieronymus: *Nemo eſt enim tã immoderatæ impudẽtiæ, vt ſolis radios poſsit accuſare tenebroſos, & clarũ lumen caligine noctis offundere:* Sic Hieronymus.

Sapie. 4. verſ. 1. — *Cypria.* — *Matth. 27. 30.* — *Iouian.* — *Titũ 2. verſ. 7.* — *Hieron.*

VI

Ergo illa omninò bonæ opinionis pulchritudo eſt, quæ adeò clara & ſplendida inuenitur vt cum ſolis radiis: immò verò eũ Angelica claritate, quæ extra omnem ſuſpicionis ictum eſt, vndequaque componatur, quæ videlicet omne, quod fingi poteſt excludat: vt perinde fuerit illam impugnare, ac radios ſolis accuſare tenebroſos, & clarum lumen caligine noctis offundere: Ec-

ce ergo tibi, quid sibi velit Sacer ipse, cum Mariæ pulchritudinē adornās inquit. *Formosa es proxima mea vt bona opinio: pulchra vt Hierusalē*: ab ipsâ nimirum non modo omnem omninò maculam, sed etiam omnē maculæ suspicionem auertens, vt non magis in ea, quam in solaribus radijs, vel hilum obscuritatis possit inueniri: Vndè notanter Mariam idem cœlestis sponsus sic describit. *Pulchra, vt Luna, electa vt Sol: terribilis vt castrorum acies ordinata*: Cant. 9. vers. 9. vbi præter Solis, & Lunæ imagines, quæ ad hāc pulchritudinem commendandam peropportunæ sunt: Obserua illam in re pulchritudinis insolitam laudandi locutionem: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Quid enim ingenti speciei, & appositæ venustati, cum tanta terribilitate, siue horrore, quem incutit armata phalanx ad irrumpendum paratissimam? Sane ad hanc, quam persequimur, bonæ opinionis, siue Mariæ pulchritudinem nihil aptius, nihil illustrius hac similitudine potuit excogitari: est enim Sapientis mēs eadem ac Pauli dicentis: *Vt is qui ex aduerso stat vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*: Eam videlicet Mariæ, ac bonæ opinionis esse pulchritudinem, vt illam non magis, a chomo inermis castrorum aciē ordinatā impugnare, quis audeat? Etenim vt quiuis cætera temerarius foret: quomodo, aut qua spe armatam aciem horribili ensium, telorū, bellicarum machinarum, & tormētorum igneorum stridore iam irrūpentem aggredi auderet? Cui cogitationi sic opportunissimè subscribit Richardus à Sancto Victore lib. 11. *de Emmanuele, cap.* 28. inquiens: *In cæteris sanctis magnificum fuit, quod à vitijs non sint expugnati; in Virgine autem, quod & in modico non sit impugnata*: Sic ille: quippè quæ terribilis, vt castrorū acies ordinata omnem inimico expugnationis spem præcidens, ab ipso impugnata nunquam fuit: vt hic etiam locum habeat, quod alibi ex Isidoro Pelusiota lib. 2. epist. 287. Mariæ aptauimus. *Pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui in ipsius pulchritudinem irrumpere cupiunt, spes excindit*: Quam enim spem irrumpendi in Mariæ pulchritudinem malus ille potuit concipere, quam pulchram vt Lunam, electam vt Solem, terribilem, vt castrorum aciem ordinatam à multiplici donorū Dei munimine circūspexit.

Iam verò Mariam pulchram cum claritate bonę opinionis, hoc est puram, & ab omni labe immunem, vide apud Salamonem toties repetitis à nobis verbis: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera*, Sapient. 7. 25. quippè Origines lib. 1. *Periarchon*, cap. 2. & Augustin. lib. 1. *de Incarnatione Verbi*, cap. 13. legunt. *Emanatio omnipotentis gloriæ purissima*, vbi tam vox latina *gloria* quam Græca vox *doxa*, quæ respōdet *gloriæ*, propriè significant bonā opinionem de aliquo susceptā, seu existimationem, specimen, famam, rumorem, & honorem: vt sensus fuerit Conceptionem Mariæ esse emanationem purissimam claritatis, & glorię, & bonæ opinionis, & existimationis Dei: eiusque pulchritudinem adeò immaculatam, & incōtaminatam esse, vt quemadmodum Solis radios nemo potest accusare tenebrosos: itidem nec Mariæ Conceptionem cum diuina claritate, & gloria, ipsaque bona opinione Dei compositam. Explico hæc posteriori hemistychio, siue epitheto, quo Mariæ pulchritudinem expressit Salomon inquiens: *Pulchra vt Hierusalem*: Quod pulchram in hunc sensum emphasim habet. Nam si benè æstimas nulla maior vrbis pulchritudo, quam munimentum, & fortitudo,

Cant. 6. v. 9.

Richar. à S. Victore.

Isidoro Pelusiot.

VII

Sapien. 7. 25. Augus. Origin.

do, qua hostibus imperuia, & inaccessa est: Vndè de Maria adeò strictè accepit Richardus à S. Laurentio libr. 11. de laud. Mariæ, illud Isaiæ 26. ver. 1. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in eâ murus, & ante murale*: vt nulli præter ipsam conuenire possint sic affirmet. *Quæ sit vrbs illa declarat per illud, quod sequitur. Saluator ponetur in eâ murus. Et nota, quod si Saluator ponetur in eâ, intra eam concluditur, & si murus ponitur, concludit eam. Hæc ergo descriptio vrbis specialiter Mariæ conuenit, nec potest alij conuenire. Nam in ea conclusus est Saluator per Incarnationis mysterium, & ipse eam conclusit vt murus per defensionis ministerium:* Sic ille. Vides emanationem gloriæ omnipotentis Dei purissimam, quæ eandē cum Filio bonam opinionem, existimationem, & famam habere videtur; cum ab ipso tanquam firmissimo muro munita, & concluſa sit, vt qui in bonam hanc opinionem irrūpere velit, prius cum muro Saluatore rem sibi habendam fore nouerit.

Richar. à S. Lau. Isai. 26. vers. 1.

VIII. *Augus.*

Quæ quidem omnia Deiparæ immunitati apta esse videtur Augustinus egregiâ illa sententia, quæ ad stabiliendam piam opinionem omnium ore circunfertur lib. *de naturâ & gratia contra Pelagium* cap. 36. etenim cum præmisisset istum Pelagij egregiè de Deiparâ iudicantis sensum: *Domini, ac Saluatoris Matrem, quam dicit sine peccato esse, cōfiteri necesse esse pietati:* illum omnino confirmat hunc in modum: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de quâ propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur volo habere quæstionem: Inde enim scimus, ei plus gratiæ fuisse collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum:* Vbi maximè obseruāda sunt illa verba Augustini, *nullā prorsus habere volo quæstionē:* quibus non modo suam sententiam de Mariæ immunitate absolutissime pronunciat; sed etiam illam sic extra vllam dubitationem adstruit, vt nec in quæstionem vocari debeat: quasi ipsa solummodo dubitatio, aut suspicio, immò & cogitatio, tā Filij, quam Matris honorem dedeceat. Enim verò potuit Augustinus de Mariæ immunitate dissertationē primum instituere, & subinde pro summa ingenij, & doctrinæ vbertate, & dexteritate illam felicissimè absoluere, omni modo, & ratione Deiparam ab omni labe originariâ exsortem esse demonstrans: sed qui Dei ingenium, & delicatissimā puritatis naturam optimè nouerat, multo opportunius existimauit futurum, si nullam hac de re haberet quæstionem, nè quæstio dubitationem pareret, dubitatio aliqualē in hominum opinione suspicionem de maculâ à Maria contracta ingeneraret: indeque fieret, vt ipsa pulchra, vt bona opinio, non subsisteret: Ergo *Saluator ponetur in eâ murus, & ante murale*, vt propter honorem Domini nulla de Mariæ immunitate dubitatio, nulla suspicio sit.

IX

Verùm enim vero in rem nostrā mysterium auget muri huius saluātis structura, siue qualitas: ipsomet Saluatore dicente apud Zachariā 2. vers. 4. *Absque muro habitabitur Hierusalem*, vbi statim ais: ergo direptioni, & vastationi obnoxia dicente Salomone: *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum:* Prouer. 25. vers. 28. Sed tantisper sustine: & audies statim Dominum omnem tim ēdi occasionem vrbi suæ sic adimentem: *Ego ero ei (ait Dominus) murus ignis in circuitu:* o vrbem fortissimam & inexpugnabilem: *Quam munit*

Zachar. 2. vers. 4.

Prou. 25 vers. 28.

S. Cyril. Alex. *ipse Christus* (sic S. Cyrill. Alexand. ibi) *viribus quantas oratio complecti nulla potest, vrens aduersarios, & gloriâ suâ implens:* Sed obserua iam eam, quam in præsens instituti persequimur emphasim in muro ignis: Et nonne inquis satis erat murũ ex lapidibus validissimis, siue etiam ex adamantinis constrúi; vt apud Amos cap. 7, vers. 7. *Ecce Dominus stans super murum litum* vbi LXX. habent: *Ecce Dominus stabat super murum adamantinum*: Quid opus fuit murum igneum vrbi suæ, ideſt Mariæ Dominum fuisse? Sane vt omninò peculiare, & præter rerum naturam, & omnem bellandi vsum vrbis huius munimentum, ac proinde ipsius securitas esset: Nimirum si murus ille lapideus, aut ahæneus, aut adamantinus esset; hærere ei saltem hostiũ scalæ possent, ac proinde nonnulla forsan illis inuadẽdę, aut oppugnandæ vrbis fiducia subesse posset; at igneo muro, quæ possint adiungi scalæ? Quæ non prius comburantur, quam admoueri valeant? Aut quis adeò insanus, & temerarius fuerit miles, qui per igneũ murum irrumpere tentet? *Vrẽs aduersarios* (inquit Cyrillus) *& gloriâ suâ implens.* Iam vt videris, quã verè dixerit Richardus *Hæc ergo descriptio vrbis specialiter Mariæ conuenit, nec potest alij conuenire.* Comminiscere Mariæ apud Ioannem Apocalyps. 12. 1. *Amictæ Sole*, quæ videlicet tota Solis lãcea, & igneo muro circumuallata erat: ad ea verba Bernardus pulchrè expẽdit: etenim cum præmisisset. *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimum diuinæ sapientiæ, vltra quã credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa:* subiicit: *Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi; sed operiri magis vndique, & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi:* Vides igneum murum, cui hærere scalæ non possint? Qui nõ modo non expugnari; sed neque oppugnari valeat? Crede ergo Bernardo subiicienti. *Candidissimus sanè; sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in eâ non dico tenebrosum; sed obscurum saltẽ, aut minus lucidum; sed nè tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari:* Hæc ille: vt dixerit de Maria: *Formosa es, vt bona opinio, pulchra vt Hierusalẽ:* de qua nihil non summe purum, mundum & radiis solaribus lucidius, aut luminosius, nihil non igneo muro munitum, *liceat suspicari.*

Amos 7. ve. 7.

Richar.

Apoc. 12. 1.

Bernar.

MARIA digna forma Dei, quæ pulchra vt bona opinio adeò omnem à se suspicionem maculæ repellit, vt omnem ab hoc euntẽ sermonem, aut cogitatum intercludat.

ADNOTATIO V.

SIiis, quæ præcedenti adnotatione diximus fidem habes, & vim facis in bonæ opinionis sensu, & efficacitate; ex his omninò coniicies, magnæ curæ Deo semper fuisse, vt (quẽad

modum

Bernar. modum dicebat Bernardus de MARIA: *nihil non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, aut minus lucidum, sed nè tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum valeat suspicari.* Ita quidem iam dudum obseruasse me memini, signatè voluisse Dominum à Maria non innuptà; sed desponsata concipi, & in lucem edi, quod etsi vnâ ex parte Diuinitati hominibus persuadendæ magis cõgruere videretur vt Dei Filius ex eâ virgine nasceretur, quæ omnino foret innupta, quò tantum miraculum homines in sui admirationẽ euidentius, ac manifestius raperet, animosque hominum facilius sedaret, cum Christum de cælo descendisse dicentem audirent: maximè cum hic apud Pharisæos lapis offensionis esset, matrem simulque Ioseph um, qui eius pater putabatur, de facie cognoscere: mussantibus apud Ioan. 6. cap. 6. vers. 42. *Nonne hic est Iesus filius Ioseph? Cuius nos nouimus patrẽ & matrem, Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* At enim vero, cum ex alia, Deiparæ existimationi apud ineruditum vulgus officeret filium habere, quin matrimonio fuisset adstricta, cum hinc in suspicionem temeratæ pudicitiæ possent venire; nè aliquid tenebrosum aut minus lucidum homines de ipsa vllo modo suspicarentur: sed bonum Mariæ nomen, & existimatio saluum, & incolume semper subsisteret: de ipsa iam nuptâ potius, quâ innupta nasci voluit: obseruante id Ambrosio lib. 2. *in Lucam:* his verbis: *Et benè vtramque posuit Scriptura, vt & desponsata esset, & virgo: Virgo vt expers virilis consortij videretur: desponsata, nè temeratæ virginitatis adureretur infamiâ, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de sui ortu, quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim, teneram esse Virginis, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendã.* Sic Ambrosius opportunissime adstruens Dei Filij erga Matrem suam vrbanitatem, & reuerentiam, quâ maluit *aliquos de sui ortu*, de suâ scilicet Diuinitate, *quam de Matris pudore*, qui quidem illi semper saluus apud Deum, & apud cordatos, & fideles erat, *dubitare*: nè vnquàm in hominum mentem obscurum aliquid, aut minus lucidum, quod Mariæ existimationem læderet aliquo modo deueniret: tãti scilicet apud Deum bonum Mariæ nomen, & fama est.

Dixerim, hoc diuinæ sapientiæ sensu, & exemplo edoctũ Matthæũ accuratissimo stylo grauem Mariæ aluum descripsisse: audi illum: *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*: Matth. 1. versic. 18. obserua hæc *habens de Spiritu Sancto*, quæ à narrationis serie videntur hic superfluere, cum in eâ non tàm de Spiritus Sancti in Mariam superuẽtione, quam de ipsius vtero, qui tunc Ioseph ignaro mysterij negotiũ facessebat, ageretur: præsertim cum hæc eadem verba denuo statim repetenda essent ab Angelo hunc Iosepho scrupulum sic excutiente, versicul. 20. *Ioseph Fili Dauid noli timere accipere MARIAM coniugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est:* Sed enim minime superfluum, aut non è re suâ, sed potius opportunũ, & necessarium prudentissimus Euangelista iudicauit: nulla vel breuissimi temporis interposita mora MARIÆ, verum ab Spiritu Sancto grauem quantocyus enunciare, nè vel illud modicum tempus, siue instãs, quod inter vnam, & alteram periodum interfluit, lector, vel auditor in bono nomine, & existimatione Mariæ tantisper hæreret: pulchrè atquè

Ioann. 6. vers. 42.

Matth. 1. ver. 18 & 20.

Amb.

subtiliter id expendentibus PP.

Anſel. In primis enim Anſelmus cum præmiſiſſet. *Habens in vtero, id eſt grauida poſt tres menſes, ſcilicet cū de Eliſabeth rediiſſet:* ſubiicit: *Habēs de Spiritu Sancto. Hoc ex parte ſuâ Euangeliſta adiunxit, vt cum diceretur habere in vtero, omnis mala remouerentur ſuſpicio à mentibus audientium.* Ita ille. Quod videtur bibiſſe è patera Paſchaſij, qui in eadem Matthæi verba ſic locupletius diffudit.

Paſch. *Illud verò quod additum eſt.* Habens de Spiritu Sancto: *Matthæus ardenti probatur amore præueniendo addidiſſe, antequam Angelus id exponeret: maximè nè Lectoris animum mox ſubriperet ſuſpicio, quæ poſtea dictis Angelicis purganda eſſet.* Hæc Paſchaſius, quæ commodè ad Mariæ immunitatem à labe originali tranſtuleris: Nam ſi Matthæus ardenti in Virginem amore, anticipata oratione Lectoris, ſiue audientis ſenſum præuenire curauit, nè vel ad inſtans temporis ſuſpicione puritati MARIÆ contraria pungeretur, quæ poſtea verbis Angelicis purganda eſſet; quanto (crediderís) maturiore, & prouidentiore conſilio Spiritus Sāctus, qui amore in MARIAM infinito interuallo ardentiori ferebatur, præuenire curauerit, nè ipſa, vel ad temporis inſtans reapſe (non opinione, aut ſuſpicione tantum) cōmacularetur, eamque labē contraheret, quæ poſtea purgari, & elui neceſſe eſſet?

III *Matt.* 1. v. 19. *Lect. Syriac.* Sed pergo expendere, quæ Matthæus de MARIA ab Spiritu Sancto grauida immediatè ſubiicit, verſicul. 19. *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante* (ſiue vt Lectio Syriaca habet. *Quum autem hæc illi veniſſent in mentem*) *ecce Angelus Domini apparuit ei in ſomnis dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam, quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt:* Vbi primum pendo illa: *Hæc autem eo cogitante: ſiue, quum hæc illi veniſſent in mentem:* Quæ ſolum indicant primum cogitationis impetum ſiue dialogiſmum contrariarum cogitationum: his pro MARIÆ puritate; illis ex aduerſo inter ſe pugnantibus: anxiâ ſollicitudine Ioſepho adhærentem, quin ſtatim oppreſſus, ſiue ſubuerſus ab eo fuerit: Deinde obſerua à Matthæo in vnum coniungi in Ioſepho hunc cogitationis motum cum ſomno: nimirùm is dicendi modus: *Hæc eo cogitante ecce Angelus*; omninò indicat ſomnum cogitationi immediatè ſubſecutum, ſiue ipſi cogitationi præſentem: cum Angelus tunc omninò adfuiſſe notanter innuatur illo aduerbio demonſtratiuo *Ecce*: Ex hisiam tandem nota ſignatè à Paſchaſio in hæc verba, cum ſomnum Ioſephi cum ſomno Apoſtolorum in Dominicæ Paſſionis nocte componi: nam cum premens ſubitum Angeli aduentum præmiſiſſet: *Hoc verbo diuina Scriptura frequenter tali vtens eloquio poteſtatem ſemper ſignificat apparentis, vt nos altius erigat ad conſideranda cauſſarum negotia, quibus benè ſe ſemper conformat exhibitio demonſtrantis:* ſubiicit opportunè: *Hinc quia Ioſeph angore dubius illo prægrauatur ſomno, quo in paſſione Apoſtolorum oculi premebantur, quamquam non ex duritia cordis hæc dubietas eueniret; ſed de admiratione rei magnitudinis, ſaltē in ſomniis inſtruitur, vt ex eo pateſceret interius quid corde geſtaret.* Hæc ille: Et quidem rectè præmiſit, *ex huius ſomni imagine altius nos erigi debere ad conſideranda cauſſarum negotia quibus bene ſe conformauit hæc exhibitio demonſtrantis.* Quippè hoc Ioſephi

Paſchaſ.

ſomno

somno,& reciproco cogitationum de Mariæ puritate æstu manifestè instruimur; nullatenus omninò de Mariæ puritate dubitandum: nihil omninò quod præter ipsius bonam existimationem fuerit,nec in somnis quidem vnquam admittendũ: itidemque nullam de ipsius honore dubitationem ore promendam: vt in Iosepho obseruauit Chrysostomus hom.4.inquiens: *Ita erat ille vir ab huiusmodi passione mundus, ac liber, vt nè in minimis quidẽ Virgini vellet inferre mæstitiam*, & paulo infrà. *Neque enim aut in iudicium tradidit sponsam, aut ipse saltem ei manifestum vteri exprobrauit tumorem:* & fusius post nonnulla: *Non modo non puniuit aliunde grauidam; sed nè cuiquam mæroris sui caussam retexit: nè illi quidem ipsi, de quâ ipsum suspicio mordebat, sed secum ipse fluctuationum suarum fluctibus æstuando, ab ipsa etiam virgine studuit abscondere tanti caussam doloris.* Hæc ille.

Chrysos.

IV Deinde verò hoc Iosephi somno cum Apostolorum somno eorũque *oculis grauatis præ tristitiâ*, Matthęi 26.vers.43.composito,à quavis sinistra de bona Mariæ existimatione suspicione, siue dubitatione grauiter absterremur: dicente ibi Hieronymo de eo somno. *Languescebant, & opprimebantur Apostolorum oculi negatione vicinâ*: vt vicinum infidelitati censeri debeat de Mariæ puritate dubitare, aut non cõtinuo dubiæ cogitationis motum retũdere. Vndè ibi Paschasius. *Quod autẽ Angelus Domini in somnis, & non in alia manifestius reuelatione illi apparuit, dubietas animi designatur, Quia dum inter angustias anxietate dubius velut infidelitatis somno opprimitur, Angelum conspicuâ visione videre non meruit.* Talis quippè ac tanta in Virginem debetur pietas,& reuerentia, vt quidquid bonam ipsius opinionem lædat: quidquid cum eximia ipsius puritate nõ consentiat, quidquid ore depromptum possit, nè in minimis quidem ei inferre mæstitiam, velut ad infidelitatis somnum, siue ad dormientis deliramentum quodãmodo pertinere videatur. Vt vt sit, certè hùc facere videtur, quod Ruperto adnotatum est in cap.1. *Matthæi*, tunc primum Spiritus Sancti nomen dilucide,& apertè pronunciatum fuisse, cum Angelus primos cum Virgine de Domini incarnatione sermones habuit; quòd de Maria cum magna reuerentia cogitandum, cũ magna reuerentia loquendum est: *Ab hoc loco ferè* (inquit ille) *primùm sonuit in auribus nostris hoc reuerendum, & insigne vocabulum, propriũ, & absolutum Spiritus Sanctus, vbi Angelus ad Mariam ait*: Spiritus Sanctus superueniet in te: *Quam ob caussam? Nisi quia cum magnâ reuerentiâ cogitandum est, maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic spiritus Domini, quod Sãctus sit*: Ita ille: Sanè vt dixerit, quidquid in Maria diuinus spiritus operatus est: & quidquid ad Mariã spectat in ipsum Sanctum Spiritum refundi.

Hieron.

Paschas.

Rupert.

V Hinc opportunius Mariæ victoriam Virginem adscripseris, quam septenario numero attribuit Philo lib. *de opificio mundi*: de eius numeri excellentia hunc in modum disserens. *Quam ob caussam cæteri quidem Philosophi numerum hunc assimilant natæ sine matre Virgini Victoriæ, quam ex Iouis capite exortam narrant fabulæ.* Et verò fabulas Philoni relinquens, Victoriam virginem iam dudum in lib. *de optimo Principe*, lib.1.ad[illegible]at.17.n.5. sic explicui, vt ea esset, quę cum anima ob impenetrabilem fortitudinem, adeò non potest expugnari, vt nec oppugnari valeat, dum omnem aduersario vincendi spem præcidit, ita vt ipse ante oppugnationẽ dif-

Philo.

fidens manus dederit,& sese victũ: siue imbellem ad pugnandum, & vincendum profiteatur: Quam cogitationem illustrabam egregiis illis Isidori Pelusiotæ verbis lib.3.epistol.287. *Pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui in ipsius pulchritudinem irrumpere cupiunt, spes exscindit. Quisnam enim huiusmodi oculum suauitate, & ingenuitate temperatum conspiciens propius accedere audeat? Quisnam autem linguam, quæ honestatis, & grauitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem intercluſum arbitretur? Quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animaduertens, præposterum consilium dare non pertimescat?* Sic Isidorus: Vt Mariæ septiformi Spiritus Sancti dono munitæ victoria Virgo adscribenda omnino fuerit: Quæ de ipsâ aliquid, quod non illustre, & victoriæ, ac triumphi plenum sit cogitare, aut dicere, sic vetat, vt qui ex aduerso est vereatur nihil habens sinistrum, quod dicere de illâ, vel in dubium afferre possit. Porrò si Senatori Præposito Rex Athalaricus apud Cassiodorum libr.9.variar.epistol.24.iure dicebat: *Nescivit quisquam de te submurmurare contraria, cum tamen de Principali gratiâ sustineres inuidiam. Derogare cupientes vicit integritas actionis: aduersarij tui sæpè locuti sunt coacti, quod animus non habebat. Nã quælibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri, dum generalibus odiis videtur exponi:* quãto verius, quanto opportunius eam Mariæ victoriam Virginem attribuas, quâ eius integritas, puritas, & cælestium donorum in eam cumulata plenitudo vincat omnem dubietatem, dum quilibet *formidat cõtra manifesta bona aliquid profiteri.*

Isidor. Pel.

Cassiod.

VI

Quò iuerit ille situs, ille ornatus Mariæ dum à Regis Vate sic primum inducitur: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate:* Psalm.44. versicul.10. quæ de Deiparâ Athanasius sermon. de *Sanctissima Deipará*, & frequens PP. ac interpretum expositio capit, & circa ipla Richardus à S.Laurentio lib 6. *de laudib. B. Mariæ*, ait: *Commendatur hæc Regina à vestimentorum, id est virtutum, vel meritorum, seu dignitatum, vel præmiorum multitudine:* deinde verò versicul.14.& 15. subditur à Psalte: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbris aureis, circumamicta varietatibus:* vbi pro extremis hisce verbis Hieronymus ibi legit *in scutulatis:* quam lectionem Hebraico textui subesse affirmat in Epistol.140. *ad Principiam:* Sanè quasi Virgo regio scutorum ornamẽto circumquaque decorata fuerit. Sed quid inquis, siue interni ornamenti significationi scutorum imago deseruire commodè possit? Quæ vè hæc vestium elegantia? Aut quis spiritualis pulchritudinis decor hic sit? Occurrit quidem dubio Hieronymus epistol.2.monens: *Habeto Prudentiam, iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem: his cæli plagis includere: Hæc te quadriga velut aurigam Christi ad metam concita ferat: nihil hoc monili pretiosius, nihil hâc gemmarum varietate distinctius: gemmæ vertuntur in scuta:* Hæc ille: Ecce Mariam *in fimbris aureis in scutulatis;* cum omnium virtutum ac donorum Diuini spiritus gemmis ornata est: quippè hæ *gemmæ vertuntur in scuta,* quibus à quovis linguæ, siue suspicionis telo vndequaque munita, & protecta est, vt bona existimatio, & pulcherrima opinio, non ex septenario numero, quem victoriæ Virgini abscribebat Philo, sed ex septenario Diuini spiritus dono orta victoriam ante præoccupet, quam maledicæ linguæ, aut sinistræ suspiciones aliquam ad eam denigrandam ansam

Psal. 44 *v.*10.

Richar. à S.Lau.

Hieron.

possint

possint arripere, quæ proculdubio victoria virgo dicenda est, quæ nõ stricto gladio sanguinem profundens; sed scuto protecta aduersariũ vincit, ad eum modum quo dicebat
1. *Pet.* 2. *vers.* 15. Apostolorũ Princeps epis. 1. c. 2. v. 15. *Sic est voluntas Dei, vt benefaciẽtes obmutescere faciatis imprudentiũ ignorantiam.*

VII Explico iam me ipsum, & quæ hactenus dixi, quæ solum ad generalem Mariæ laudationem spectãt, ad ipsius immunitatem à labe originali transferamus: & id quidem inde contendimus, quod ipsa à cælesti spõso *pulchra, vt bonæ opinio* prædicetur, dum bona opinio non modo omnem maculam, aut labem aliquam; sed etiam quamcumque maculæ suspicionem, aut dubitationẽ excludit, quæ videlicet non tam gladio armata ad debellãdum hostem, quam scuto protecta vincit: *Nam quælibet malitia formidat cõtra manifesta bona aliquid profiteri:* vt hinc in primis victoriam Virginem Maria obtinere debeat, quæ tot, tantarum Dei gratiarum, & donorum scutis protecta de aduersa opinione, siue suspicione palmam referat: Deinde verò non ineptè a simili ratiocinari credimus: non solum argumentatione factâ à bonæ opinionis similitudine; sed etiam ab ipsamet Mariæ bona existimatione, & nomine. Nimirum si Dei Filius tanti fecit Matris suæ bonum nomen, & famam, *vt non putauerit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendam:* ideoque maluerit aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: cur non itidem existimabimus ipsam Matris suæ originem, siue originis suæ famam omninò curasse: præsertim cũ inde nemo de suo ortu dubitare posset: immò verò ortum suum, non nisi diuinum credere debeat. Certe illud manifestè pro hac re facit, quod cum bonam Maria opinionem de Conceptionis suæ puritate, & absque omni labe immunitate apud bonos viros, siue apud omne hominum genus per tot sæcula possederit: apud omnes inquam Ecclesias Orientales, & Occidentales, apud omnes pœne Academias, & doctissimorum hominum Vniuersitates, apud infinitos, vt sic dixerim, Scriptores, apud omnium piorum animos, & quod caput est, apud Romanæ Ecclesiæ Pontifices Conceptionis festum solemniter celebrari præcipientes: (de qua communi hominum conspiratione suo loco inferius agendum) iuri consonum minime videatur ipsam sua possessione deturbare velle: cum non modo in re tam manifestâ; sed etiam in dubiâ ius possessori faueat.

VIII Porro si ad acuta veniamus, iuris possessio à Iuris peritis, notanter verò à Iurisperitorum Antesignano Bartolo *ad legem primam, D. de adquirendâ, vel amittendâ possessione:* sic diffinitur. *Ius insistendi alicui rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri.* In quâ quidem diffinitione, ideò dicitur: *Ius insistendi alicui rei*, quòd possessor rem pacifice tenere, & tam iuris remediis, quam manu armatâ aduersus perturbatores tueri possit: itidemque additur: *rei tanquam suæ*, quia videlicet illa ad ipsum, non casu aut vi sed legitima de caussa, siue ratione peruneat; & quæ etiam possideri prohibita non sit: nam iure contradicente, nemo in rem aliquam ius potest accipere. Ex quibus videris, quam legitima ratione bonam opinionem, & existimationem de Conceptionis suæ puritate MARIA possideat, quæ optimum ius habet insistendi huic immunitati, *tanquam suæ.* Quid enim magis proprium MARIÆ, quam exactissima puritas? *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?* Vt ait *Ambr.*

Bartol.

Ambros. lib. 3. *de Virginibus*, maximè verò cum bona hæc opinio, siue nomen non sit prohibita possideri, Conciliis, & Summis Pontificibus, itidemque Regibus, atquè Principibus piæ de bonâ opinione Virginis opinioni perpetuo suffraganibus, & spiritualibus armis illam protegentibus, & aduersus perturbatores, qui in publicis concionibus, & disputationibus è propriis sedibus conuellere nituntur, acriter tuentur: ita si quidem Sacrosanctum, & Oecumenicum Concilium Tridentinum: Sessione 5. Canone 2. & Canone 4. cum de peccato originali ageret, atque illud in omnes homines pertransisse; eoque obnoxios esse diffiniisset: de Beata Mariâ sic decernit: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; sed obseruandas esse constitutiones fælicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat:* vt videlicet possessioni Mariæ omninò faueret doceretque ipsam habere ius insistendi piæ opinioni, *tanquam suæ non prohibitæ possideri.* Deinde verò Paulus V. & Gregorius XV. Pontifices Maximi huic possessioni Mariæ adeò fauere voluerunt, vt publicè aduersus eam disputare, aut concionari sub grauissimis pœnis interdixerint, de quo silentij fræno inferius agẽdum. Denique Principes, atquè Dynastæ auxiliarem manũ, nec inermem quidem, dederunt: cum præter alios inclytus Ioannes Aragonum, & Valẽtiæ Rex egregium diploma ad statuendam hanc possessionem piæ opinionis dederit anno 1394. vbi sic primum Regio ore, & stylo ait: *Huius itaque beatæ Conceptionis beatissimæ Virginis colimus puro corde mysterium, & eius festiuitatem solemnem, quam Regia domus nostra quolibet anno deuota exultatione concelebrat, & perinde perpetuam nostri prædecessores illustres memoriæ recolendæ, & nos vtique dedicamus confratriam. Disponimus, & iubemus per omnia Regna nostra, & terras annuatim, cum reuerentiâ maximâ celebrari perpetuò ab vniuersis, & singulis fidelibus ortodoxis.* Et statim pio in piam opinionem zelo armatus subiicit: *Nec à modo liceat (immò fortiter prohibemus) quibuslibet Euangelizantibus siue prædicantibus Verbum Dei quidquam exponere, vel proferre in aliquam puritatis ipsius benedictæ Conceptionis iacturam. Sed potius dicti prædicatores, & qui aliud voluerunt sentire, aut voluerint, strictè digitum ori suo apponant.* Et post nõnulla alibi à nobis appingenda districtius præscribens concludit. *Perenniter huius serie statuentes expressè, quod si fortè de cætero aliqui Prædicatores, vel cæteri, cuiuscunque fuerint conditionis, vel sexus in nostro dominio, non seruauerint ordinationem huiusmodi: nullo alio præcedẽte edicto nostro, claustra, domusque suas prorsus deserant: & quamdiù in contraria opinione in confessione permanserint, fiant tanquam inimici nostri extra omnes terminos vniuersæ Regiæ nostræ ditionis.* Hactenus felicissimus ille Princeps.

(?)

Concil. Trident.

A B C D E

MARIA digna formâ Dei, quæ vt aptæ Diuini Spiritus sponsæ, quæ à peccato originali immunis esset, specimen daret, oculos à terrenis abstractos semper habuit.

ADNOTATIO VI.

I *Theofri. Abbas.*

EXPLICO, vt promisi, præfata verba Theodotridi Abbatis lib. 4. *Epitaphij* c. 1. quibus impressam nobis a peccato originali notam sic pulchrè adūbrabat: *Et quia præuaricationis lignum pulchrum, & delectabile visu, & gustui suaue per guttur protoplasti demissum ad viscera totius posteritatis transiuit vt accutissimus gladius: & insanabile inflixit vulnus, in summis amaritudinibus noster (prob dolor) versatur oculus:* Iob 17. Hæc ille. Ad quæ merito ambigas, quid ligno suaui per guttur Adæ demisso & in viscera totius posteritatis trāsmisso, & humanis oculis commune fuerit? Vt ab illo nostri oculi in summis amaritudinibus versentur? Nōne læthale illud virus cor, & animū potissimum peruasit? Cur ergo oculis vulnus inflixisse dicitur? Sed ad manum est responsio ex S. Zenonis Veronensis sententiâ totam mortis tyrannidem; hoc est mundi amorē noxium ad oculorum lenocinium hunc in modum reuocantis serm. 2. in Psalm. 130. *Oculorum lenocinio mundus in flore est*, vt dixerit cum Ieremia cap 9. 21. *Intrauit mors per fenestras*: & iterum *oculus meus deprædatus est animam meam.* Threnor. 3. vers. 51. Nimirum vt loquar ore S. Hilarij Arelatensis hom. 3. in die Sancto Paschæ. *Qui alienum malum respicit, qui in alienam rem anxia cupiditate suspirat, qui alienam mulierem importunis oculis, & mortem ad se trahentibus considicit, hic toxicato spiculo in corde percussus est:* sic ille: Obserua toxicatum spiculum cor feriens, & insanabile infligens vulnus: Sed è quâ phraretrâ depromptum? *ab importunis*, videlicet *oculis, mortem ad se trahentibus:* vt sit quod est in Prouerbio, *accersitum malum:* quippè *Deus mortem nō fecit* (inquit Salomon Sapientiæ 1. v. 13. & 16. *nec delectatur in perditione viuorum: impij autem manibus, & verbis accersierunt illam, & æstimātes illam amicam defluxerūt, & spōsiones ad illam posuerūt.* Quod vtique idem S. Zenon eleganter diffudit serm. 1. in Psal. 130. componens verba illa Vatis: *Nec elati sunt oculi mei:* cum iis Ioannis epist. 1. cap. 2. 16. *Omne quod est in mundo: concupiscentia carnis est: & concupiscētia oculorum, & superbia vitæ:* hunc in modum: *His enim auctoribus (oculis) cōcipitur, his ducibus geritur: his ministriis impletur quidquid quotidie concupiscentia, ambitione, auaritia ardet in sæculo.* Hæc S. Zeno: Ex quibus vides originalis peccati virus è corde ad oculos erumpere, quod ab oculis in cor, & animum defluxerit, dum *oculorum lenocinio mundus in flore est:* ipsis videlicet fucum, & noxium, siue falsum, fallentemque colorem mundi bonis indentibus, à quo animus illectus decipiatur, & in mortem ruat, immò illam sibi accersat.

Thren. 3 vers. 51. *Hilar.* *Sapiē. 1. vers. 13.* *Zeno M.* *1. Ioan. 2. v. 16.*

II

Ecce tibi Theofridi sententiam, & sensum, vulnus peccati in oculis statuentis; *quia præuaricationis lignum pulchrum, & delectabile visu per guttur protoplasti demissum ad viscera totius posteritatis transiuit,*

Zeno M. *Ieremi. 9 vers. 21.*

vt acutissimus gladius: quippè primorum parentum oculi malum virus hauserunt: dum falsa pulchritudine decepti aliter de ligno vetito, quam debebant, iudicarunt; turpitudini decorem, acerbitati suauitatem, mendacio veritatem, morti vitam, & diuinitatem attribuentes: notanter id exprimente Moyse cũ ait: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo:* Genes. 3. vers. 6. vbi notanter dictum: *Vidit igitur:* aliis scilicet oculis, quam antea: nã vt scitè ibi Pereyra: *Viderat antea mulier arborẽ illam; sed simplici, & innocenti aspectu vidit tunc; sed ardẽs iam cupiditate illius fructus edendi:* Sed vndè ardẽs illa cupiditas? Planè ab attenta, sed lubrica, & fallente oculorum inspectione, serpente sese visui insinuante, & oculos fascinante; *ac fascinatione nugacitatis obscurante bona:* vt ait Salomon Sapientiæ 4. vers. 12. ita id adnotante Ruperto lib. 3. *de Trinitate*, cap. 9. in hunc modum: *Non temere dictum est:* vidit mulier, *quasi non eam arborem antea vidisset. Et reverà nondũ eo modo viderat, quia eam hâc præsumptione, quâ nunc intuita est, nec dum considerauerat. Notandũ quippè quod non dixerit Scriptura. Vidit igitur mulier lignũ, & tulit de fructu eius, & comedit;* sed vidit mulier (*inquit*) quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius. & comedit. Vidit igitur, *id est considerauit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & iudex eorũ, quæ attendit, ipsa esse voluit:* Vndè statim Rupertus dum apponit mulieri tribunal, & prolatam ab ipsa sententiam perpendit: sapienter observat causſam; cur interiores animi oculi, mens, ratio, atque iudicium aduersus externos oculos non præualuerint: quod videlicet ab his iã præpediti, & fascinati essent. Sic enim subdit: *At illi, qui de hoc iudicare debuerant interiores oculi, exteriorum iam erant concupiscentia præpediti, vt non viderent, neque solã mortem corporis, vel quod duplicem illatura esset mortem non natura ligni; sed transgressio mandati. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni cõsiderauit, & deprehendit, male cauta, quod in fructu ligni non esset venenum mortis; erat enim bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Hæc Rupertus.

Quod si attendis, non tantum interiores; sed & ipsi etiam exteriores oculi à male sano intuitu, & curiosa inspectione, infirmi ac cæcutientes, siue fascinati erant: cum nõ modo non viderint latens in fructu ligni venenum, & mortem insidias tẽdentem; sed etiam longius euagati acerbum, & immaturum pomum, viderunt florens, atque maturum: quippè vbi nos legimus: vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis &c. Gregorius Nyssenus oratio. *in Quadraginta Martyres*, legit. *Vidit quod esset oculis, & gustui pulchrum, & maturum:* manifesta videlicet oculorum impostura: qui tùm non contenti de aspectu, quod illorum proprium erat, iudicare; de gustu itidem, quod ad illos non spectabat, iudicium tulere: tùm etiam fructum, qui plane acerbus, & crudus erat, coctum, atquè maturũ viderunt: Quod si obieceris: fructũ reapse coctum, atquè maturum a Deo fuisse creatum, atque ideò non fuisse culpandos oculos, qui illum maturum, & esui aptum viderunt: obviam ibo pulchra huius loci lectione, quæ habetur apud Leontiũ Arabissi Episcopum sermone *de creatione*, in Bibliothecà Photij, qui reponens cum Nysseno epitetõ *maturum*: addit non à tempore; sed a

Genes. 3. ver. 6.

Pereyra.

Sap. 4. v. 12.

Rupert.

Nyssen.

Leontius

III

morte fuisse decoctum, & maturatũ vt videntis oculos fascinaret, atquè deciperet. Sic namque legit: *Vidit fructum flore mortis maturum*: opportunè quidem *flore mortis*, primũ vt faciat mortem imponentem oculis Euæ, & peculiari colore fructum cum suo flore maturum, & opportunum, ac gustum titillantem reddentem: vndè Bernardus in tractatu *de gradibus humilitatis*, Euam sic salubriter monebat: *Quid tuã mortem tam attentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia lumina iacis? Quid spectare libet, quod manducare non licet*: & statim: *Latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blãdè alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit, &c. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Haurit virus peritura, & perituros peritura*. Hæc ille. Deinde verò: vt appareat, verissimam esse Hebræam paræmiam: *Oculi proxenetæ peccati*, cuius meminere Rabbi Dauid, & Elias in Lexico Hebræo ad vocem *Sarser*: qui in hunc sensum explicans eam vocem, inquit: *Sarser esse eum, qui mediat inter emptorem, & venditorem*: quẽadmodum, & vocem proxenetæ exponunt Iurisconsulti aientes: *Ii sunt quorum beneficio, & interuentione inter duos negotia contrahuntur; vel nomina, vel nuptiæ, vel amicitiæ*. Etenim exteriores Euæ oculi inter fructum vetitum, & interiores animi oculos, animum, atque iudicium vt nuptias siue amicitias contraherent, diligente interuentione mediabant, vt pulchrum, delectabilẽ, atque maturum viderent, atquè iudicarent: quin Eua male cauta deprehenderet, quod ille dixit: *Non potest in eo esse succus diuturnꝰ, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum* (M. Tullius lib. de Oratore) siue potius, quod flore mortis maturum erat.

Bernar. *Elias.* *R. Dau.* *M. Tul.*

IV Vt iam hinc videris, quam sapiẽter dixerit S. Zeno: *Oculorum lenocinio mundus in flore est*: itidem. *His auctoribus concipitur: his ducibus geritur: his ministris impletur quidquid quotidie concupiscentia, ambitione, auaritia ardet in sæculo*: florẽ, colorem, caloremque mũdi rebus, & sæcularibus bonis lenocinio suo oculis dantibus: at quibus bonis? Vanis quidem, inanibus, frigidis, arentibus, & quod peius est venenatis, & mortem afferentibus, quæ si sani oculi videant contemptui, & derisui habeant: cum verissimè dixerit Augustinus epistol. 45. tom. 2 *Mundus iste tanta rerum labe contritus est, vt etiam speciem seductionis amiserit*. Iam vero, quod interiores oculi exteriorum concupiscentia, vt aiebat Rupertus sint præpediti, atque accensi pulchra, matura, atque florentia vident, quæ arida, & pereuntia sunt; vndè Sanct. Gregorius homilia 28. in Euangelia cum dixisset, eadem qua Augustinus mente. *Ecce iam mundus in se ipso aruit. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur; vndique amaritudinibus replemur*: subiicit: *Et tamen cæcâ mente carnalis concupiscentiæ ipsas eius amaritudines amamus*: Obserua illud: *cæca mente*, id est occæcatâ ab oculorum lenocinio, qui tanquam proxenetæ malis artibus animum ad mortem trahunt: ita id ad præfata verba genesis de Eua fructum vetitum vidente, obseruãte eodem Gregorio lib. 21 Moraliũ cap. 2. dum ait: *Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus prouidendum nobis est, quia intueri nõ decet, quod non licet concupiscere. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam: Neque enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret, &c. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus*

S. Zen. *Augus.* *Gregor. Mag.*

mode-

moderamine erga illicita vsum restringere nos, qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortem venit: Ita Gregorius. Audis oculos *raptores ad culpam*: decepti ac decipientes, fascinati, & fascinātes.

V

Quo omninò facit sapientis monitum: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedāt gressus tuos*: Prouer. 4. vers. 25. vbi *recta videāt*, perinde est, ac rectè videant, siue res vt verè, & reapse sunt, & suis nō alienis coloribus inditas inspiciāt, ne nobis accidat, quod à Domino per Prophetam reprehenditur: *Væ qui dicitis malum bonum; & bonū malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*, Isaiæ 5. verſic. 20. Quare premens hæc verba Ambrosius *lib. de bono mortis*, c. 9. Sapienter ait. *Vidisti meretricem, captus es vultu eius, & formâ decoram putasti? Errauerunt oculi tui, oculi tui peruersa viderunt, aliena nūciauerunt*: sed enim huic Ambrosij sensui non nemo occurrat ex præfatis Isaiæ verbis: *Ponentes amarū in dulce, & dulce in amarum*; nam si mulier illa forma decora sit, vt ponit Ambrosius; cur errauerint oculi, qui formosam viderunt, formosam esse nūciauerunt? Quis iste fuerit oculorum error? Pulchrum videre, pulchrum enunciare, quod reapse pulchrum subsistit? Respondet quidem Ambrosius. *Nam si verè vidissent* (oculi) *vidissent deformem meretricis affectum: inhorrentē procaciam, indecentem impudicitiā, marcentes libidines, tetram colluuionem, animi vulnera, conscientiæ cicatrices*: Hæc ille: quibus Euæ oculos, visum que æque castigat, qui pulchrū, delectabile, & maturum viderūt, quod acerbum, deforme, & læthale erat; nullus quippè decor, nulla forma, nulla omninò maturitas ei rei subest cui peccatum inhæret; sed omnia turpia, deformia, & horrentia iudicanda sunt: Vndè qui iuxta Sapientis monitum, recta videt: non nisi quæ Deo grata sunt, pulchra, aut bona esse enunciat; cui sententiæ omninò concinit alia eiusdem Salomonis Prou. 23. verſic. 32. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquitur peruersa*: Sed obserua hæc verba apud LXX. sic legi. *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa*: siue vt enucleatius habet S. Nilus in Ascetico: *Cor tuum loquatur aduersa*: vt sensus fuerit: oculis renunciantibus meretricis pulchritudinem, siue rerum temporalium nitorem, tanquam errantibus, & in errorem inducentibus repugnandum, atquè dicendum: *errauerunt oculi, peruersa viderunt, aliena nunciauerunt*: scite id obseruante ibi S. Nilo, ad hunc modum: *Idcirco fores templi reticulatas legislator instituit: significans, eos qui mentis suæ templum purum seruare volunt, quemadmodum illud cancellatis foribus instructum erat, nè quid immūdum ingredi posset; sic ipsos obstacula sensibus præponere oportere: nempe horrenda futuri iudicij monumenta, quæ species, ac imagines rerū impuras ingressu prohibeant: Hos cācellos visui præfixit Salomō inquiēs*: Cum oculi tui viderint alienam: tūc cor tuū loquatur aduersa: *Aduersa vocat ea, quæ in tempore retributionis sunt euentura: Hæc enim rectè considerata prohibent omnem periculosum oculorum obtutum*: Hactenus Nilus: Bene quidem aduertēs *periculosum obtutum*, illum scilicet, cuius lenocinio mundus in flore est, illum, à quo concupiscentia, ambitio auaritia ardent in sæculo.

VI

Ex his in primis liquido apparet impressa ab originali peccato oculis nota, & quasi propriuscharacter, nempè vt turbato visu res videat, & post res varias fornicentur: & in flammantes concupiscentiam, & a

Prou. 4. vers. 25.

Isaiæ 5. vers. 20. Amb.

A

B

C

D

E

Prou. 23 vers. 31.

LXX.

S. Nilus

concupiscentia inflammati mortem ad se trahant; vt pœne sit, videre, & appetere: quod satis innuit Petrus epist. 1. cap. 4. vers. 15. dum monet. *Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor:* nam pro extrema hac voce *appetitor*, græcè posuit Petrus *episcopos*, id est *inspector*, siue *speculator*, vt legit Tertullian. *in Scorpiaco*, cap. 12. quasi inspectioni, quæ attentior, & cum curâ visio est, ipsa appetitio subesse soleat: cui obseruationi non nihil adstipulatur Galenus, cum lib. 1. de *cõpage membrorum*, dum quid quisque planetarum in humani fœtus formationem conferat, longius persequitur, Mercurio oculorum simul, & vnguium formationem sic signatè tribuit. *Mercurius secundum calidũ & humidum, frigidum & siccum æquus, in quo manualis habetur scientia, & ponit supercilia, oculos scindit, & palpebras, crescere facit capillos, & vngues*, eadẽ videlicet manu, & oculos aperiente, & vngues dilatante; vt videre, appetere, & arripere fuerit. Deinde verò hinc omninò videri s Mariam ab omni labe originariæ maculæ immunem, dum purissimi ipsius oculi ab hâc hæreditaria nota, quàm longissimè eunt: diuino Spiritu postcommendatam iterum, atquè iterum eius pulchritudinem iis verbis: *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es:* de illis enunciante: *Oculi tui columbarum*: Cantic. 1. versic. 15. Hebræo textu, & LXX. reponentibus: *Oculi tui colũbæ*. Iuxta quam lectionem facer ipõ sus non instituit comparationem oculorum Mariæ cum oculis columbarum: sed cum ipsis columbis; vel potius cum nullum adiungat aduerbium, quod comparationem adornet indicat: oculos Mariæ esse ipsas met columbas: Quid verò id sibi velit, ipsamet Dei sapientia, quæ olim per Salomonẽ locuta est, post modum in Euãgelio aperuit apud Matthæum 10. vers. 16. monens: *Estote simplices, sicut columbæ*, & apud Lucam 11. vers. 34. affirmans: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuũ lucidum erit:* Vbi Dominus oculum simplicem dixit (vt Maldonatus in cap. 6. Matthæi, & alii interpretes aiunt) *oculum purum, mundum, non prauis humoribus affectum*: quod plus statim explicuit Assertor comparatione oculi nequam, quem opponit simplici subdens: *Si autem oculus tuus fuerit nequam*, id est *male affectus, vitiatus, immundus*; vt affirmet, ab oculorum simplicitate, & puritate totam animæ claritatem subsistere: dum animus in vnũ Deũ oculos figit, nihil præter ipsum appetens, nihil concupiscens, nihil videns: Quod oculis simplicibus tanquam columbæ optimè exprimitur: vt apud Isaiam capit. 60. vers. 8. dicitur: *Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & tanquam columbæ ad fenestras suas*: sic premente hæc verba Gregorio Magno hom. 5. in Euangelia. *Vidit quippè terrena eos despicere, mente cælestibus propinquare, &c. Fenestræ autem nostri sunt oculi, quia per ipsos anima respicit, quod exterius concupiscit. Columba verò simplex est animal, atquè à malitia fellis alienum.* Quasi columbæ ergo ad fenestras suas *sũt, qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, & in hæc, quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur:* Pergit Gregorius: *At contra miluus, & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis considerat rapinæ desiderio anhelat.* Hæc ille.

Nulla ego in oculis Mariæ peccati originalis nota: cuius *oculi, columbæ*, simplices sunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, qui dum nihil in hoc mundo concupiscunt: mundus illis, non in flore, sed aridus est, à quibus nec auaritia, nec cõcupis-

2. *Pet.* 4 v. 15.

Lectur. Græc. Tertull.

Galen.

Cant. 1. *vers.* 15. *Lectur. Hebr.*

Luc. 11. *vers.* 34.

Mald.

Isai. 60. *vers.* 8.

Gregor. Magn.

VII

centia

centia, nec ambitio ardet; ac proindè in amaritudinibus nullatenus versantur: Enim verò dum Mariam ab ipso Conceptionis instanti in suam sibi sponsam Diuinus Spiritus assumpsit, legem illam à se latam seruauit, de quâ Deuteronomij 21. ver. 12. dicitur: *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tuâ captiuosque duxeris. Et videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem. Introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues:* siue vt LXX. legunt: *Et circuncides vngues eius:* vt videlicet Marię Cõceptio alia omnino fuerit ab omniũ hominum formatione: dum cæteris Mercurius simul oculos scindit, & crescere facit vngues; qui videlicèt in peccato concepti ex accepto ab eo vulnere, ad ea, quæ oculis considerant rapinę desiderio, tanquam mihi anhelant: Mariæ verò oculi non à Mercurio, sed à Diuino Spiritu, vt columbæ formati sunt, circunciśisvndequaque vngubus, qui nihil in hoc mundo concupiscerent, & in hęc quæ vident rapacitatis studio minimè traherentur: hùc acutissimè reuocante Richardo a S. Laurentio Gabrielis verba *Spiritus Sãctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. 35. quæ in græcis codicibus leguntur: *obumbrabit super te*: vt ex eius sententia perinde fuerit obumbrare, ac vero cœlestium bonorum splendore falsum sæculi nitorem operire, & à lenocinio oculorum florentẽ mũdum arefacere, ne fucatâ pulchritudine, & ementitâ claritate Mariæ oculis lucere vllo modo posset: ad eum plane modum, quo falsa lux siuè temporalis gloriæ, siuè impurarũ delitiarum, vel etiã blandientis fortunę mortalium oculis tenebras offundens, vera, solida, & ęternum duratura virtutis bona sic obumbrat, & obscurat, vt vix de facie cognoscantur, dicente Salomone verissimà, & accuratissimâ locutione: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concuspicentiæ trãsuertit sensum*, Sapient. 4. vers. 12. ideſt nugacibus sęculi rebus falsâ luce hominum oculis imponentibus, atque infirmam eorum aciem præstringentibus, siuè etiã, si mauis, maleficis artibus animos incantãtibus, ne verũ virtutis lumen cognoscant, sed ipsam squalidam, atque mendicam, & (vt ille dixit) vt nomen vacuum arbitrentur: sed iam audi Richardum lib. 12. *De laudibus MARIAE*, hæc præstringentem dum Angeli verba sic exponit. *Virtus quoque Altissimi obumbrauit ei, vt omnem nitorem temporalis gloriæ, omnem fauorem blandientis fortunæ ab affectu, & aspectu eius præamore cœlestium intercluderet:* Hęc ille: Quæ opportunè possis diffundere ex pulcherrimâ illa Vverrici Abbatis serm. 3. *In natali SS. Petri, & Pauli* ad Deum factâ deprecatione: *Aspira ò dies dierum: obumbra super caput nostrum in die belli: inclina super nos vmbras salutis, & refrigerij, & inclinentur subtus nos vmbræ torporis, & tædij, immò cæcitatis, & mortis; & licèt contingant nos vmbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ; ideſt vmbræ crassiores de amore eorum, sed semper respiremus in luminosum amorem tuum.* Hæc Vverricus: Quod sanè votum MARIÆ sic aptaueris, vt in ipsa omnino impletum videris: dum tam felix Spiritus Sancti obumbratio, siuè tam luminosus Amor, & tam salutifer sa-
lutis vmbræ super ipsius caput obũbrarunt; atque adeò clara, ac splendens diuinę pulchritudinis lux Mariæ oculis illuxit, vt ab ipsa cunctus sæculi ementitus fulgor euanuerit, quin vnquam in eius affectu immò,

Deut. 21 vers. 12. — *Sap. 4. vers. 12.* — *LXX.* — *Richar. à S. Laur.* — *Richar. à S. Laurentio.* — *Vverric.*

nec

nec aſpectu conſiſtere valuerit: vt in MARIA maximè locum habeat, quod opportunè Hebræus Philo lib. *de temulentia* dicebat. *Si verè noſſes eum qui eſt, non crederes vllum aliud eſſe Deum: ſicut enim Sol exortu ſuo ſtellas abſcondit, tãto ſuo ſplendore perfuſis noſtris oculis; ita quoties animæ oculi ſincero, puro, ſulgentiſsimoque Luciferi Dei ſenſibili ſplendore irradiãtur, nihil aliud poſſunt inſpicere.* Sic Philo. *Philo.*

MARIAM dignam formã Dei, quæ in ipſo Cõceptionis ſuæ inſtanti Dei faciẽ manifeſto in lumine vidit àclaritate in claritatem in Dei imaginem tranſformata, ab omni labe immunem exſtitiſſe opus fuit.

ADNOTATIO VII.

I MAIVS iam aliquid molimur; ſed quo maius, & Mariæ dignitati aptius, & opportunius, eò maiori ſiue apertiori ore enunciandum, & à Deiparæ cultoribus obuiis manibus libentius amplectendum: Ergo vt MARIÆ Conceptionem immaculatiſsimam, & puriſſimam fuiſſe extra dubium, vt noſtra fert pia opinio ponamus: ipſam in primo ſuæ Conceptionis inſtanti Deum clarè vidiſſe, & pulcherrima, quæ diximus ſponſalia cum eo iniiſſe, piè & animoſe credimus, vt ante nos meliores quidem Auctores, & de Deiparâ optimè meriti etiam crediderunt: de quo videndus P. Salazarius cultiſsimi ingenij, ſummæ eruditionis, & eximiæ pietatis Auctor in egregio opere *de immunitate Virginis*, cap. 32. §. 4. qui hoc argumentum dilucidè, & neruoſe optimis rationibus, & coniecturis innixus perſequitur. Nos illud cum ipſo inprimis ſumimus: Deiparam non ſemel in via Deum clare vidiſſe, & beatifica fruitione aliquoties pro re natâ fuiſſe portam, plurium PP. Scholaſticorum ſententiam eſſe: pro quâ Salazarius affert Bernardum homil. 4. *ſuper Miſſus eſt*, & ſermone de *Verbis Apocalypſis*, & ſermon. 3. *de Aſcenſione*, Rupertum lib. 3. *in Cantica*, S. Antoninum 4. part. titulo 15. cap. 17. §. 1. Albertum Magnum *in Mariali*, capit. 132. & cap. 149. Sanct. Bernardinum Senenſem tomo 2. ſermon. 51. articul. 1. cap. 2. Sanct. Thomam à Villanoua Archiepiſcopum Valentinum ſermone *de Reſurrectione*, Dionyſium Carthuſianum in Sanct. Dionyſium *de cœleſti hierarchiâ*, artic. 18. Ioann. Gerſon tractatu *in Magnificat*, Alphabeto 82. littera R. & Alphabeto 83. littera E. & Alphabeto 88. littera Z. Vbertinum Caſſalium lib. 1. Arboris vitæ capit. 9. Medinam quæſt. 27. art. 5. & egregium illud par Procerum Scholaſticæ Theologiæ P. Franciſcum Suarez tomo 2. in 3. part. diſputation. 19. ſection. 4. & P. Gabrielem Vazquez tom. 1. in 1. part. diſputation. 56. cap. 2. iis autem à Salazario adductis alios non paucos poſſis adiungere, qui cultu, & deuotione in Deiparam feruente eidem ſententiæ ſubſcripſere: hi ſunt ex Schola Societatis P. Spinellus lib. *de Maria Deiparâ*, c. 5. n. 10. P. Caniſius de *Salazar.* *Bernar.* *Rupert.* *S. Anton in.* *Albert. Magn.* *Bernardin.* *S. Thom. à Villanoua.* *Carthuſian.* *Gerſon.* *Vbertin.* *Medina* *Suarez.*

Vazqu. Spinell. Canisius. Sãdæus. Henriq. Fasolus. Salas. Banes. Benzon. Echius. Raulin. Nouat.

Beata Virgine, lib. 1. cap. 13. & lib. 4. cap. 2. P. Maximilianus Sandæus par. 1. Theologiæ lib. 3. commentatione 31. exercitatione 1. disquisitione 1. P. Henriquez libr. 1. Summæ Theolog. cap. 11. Hieronymus Fasolus in 1. part. quæst. 12. art. 11. dub. 10. P. Ioan. de Salas in 1. 2. tractat. 11. disput. 10. ex aliis verò scholis Dominicus Bannes 1. part. quæst. 12. art. 11. dub. 1. §. *Probatur*, Bẽzonius super *Magnificat*, libr. 2. c. 22. dub. 3. Echius sermon. 3. *de Assumptione B. Virginis*. Raulinus tom. 1. *sermon. de Sanctis*, serm. 16. Ioann. Baptista Nouatus in pulcherrimo libro *de eminentia B. Virginis*, tom. 2. cap. 7. *de prærrogatiuis, & perfectionibus B. V.* quæst. 11. & 12. Addo insuper Dionysij Carthusiani testimonio eundem Dionysium alio in loco nimirum in 1. sentent. quæst. 2. hæc dicentem. *Dicendum reor, quòd præelectissima Virgo, quandiù vixit in corpore adhuc mortali fuit viatrix, quamuis certissimè credatur interdum rapta in diuitias gloriæ Dei, vsque ad summæ Trinitatis visionem perspeciem, multo vtique elarius, & vt puto multò frequentius ac diutur nius, quam Paulus, aut Moyses*: Sic Dionysius.

II

Et vero cum de tempore, quo Beatissima Virgo hanc omnium felicissimam felicitatem consecuta fuit, prædicti PP. & DD. inter se nõ omninò consentiant, & res agatur coniecturis: aliis ad cõceptum, vel partum Filij sui, vt S. Bernardinus Senens. & S. Antoninus volunt, in eorum mentem inclinantibus Bernardo, & Cypriano: aliis ad horam Resurrectionis Christi, cum Matri Filius se se videndum obtulit, quæ fuit mens S. Thomæ à Villanou.: aliis ad Ascensionis diem: aliis ad aduentum Spiritus Sancti in die Pentecostes referentibus: alijs verò non minus probabiliter omnia hæc tempora complectentibus, atque Deiparam, & quando Filium Dei concepit, & quandò peperit, & quandò à mortuis suscitatum conspexit, & quandò ad cœlos ascendentem intuita est; & quandò Spiritus aduentui interfuit; & insuper pluries repetitis vicibus iuxta Diuinæ benignitatis, & singularis in Matrem suam beneuolentiæ dictamen, perspicuâ Diuinæ essentiæ fruitione fuisse donatam. Nos vestigiis sapientissimi P. Salazarij insistentes in ipso Conceptionis simul, & sanctificationis suæ priori momento, Deum vt in se est, clarè vidisse, piè, & animosè pronunciamus. Et quidem vt egregia PP. monumenta, & optimas rationes, quibus ipse innitur, nè actum agere videamur, omittamus; ad hanc thesin confirmandam, rursum ad præfata Canticorum verba de oculis columbæ, & ad oculorum imaginem redire, est operæ pretium. Quare huic denuò aduoco læthalem originariæ culpæ in oculis impressam notam: de quâ scitè dicebat Abbas Theofridus lib. 4 epitaphij cap. 1. *Quia prænaricationis lignum pulchrum, & delectabile visu, & gustui suaue per guttur protoplasti demissum, ad viscera totius posteritatis transiuit, vt acutissimus gladius, & insanabile inflixit vulnus, in summis amaritudinibus nostter (proh dolor!) versatur oculus*: Quod si inquiras, quid sit à vulnere originalis delicti nostrum oculum in summis amaritudinib⁹ versari? Occurrit Sanct. Petrus Chrysologus sermone 111. vbi cum ad Pauli verba ad Roman. 5. versicul. 12. *Sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit*, dixisset: *Miserum me! Ipse querat causa bonorum omniũ, ianua factus est hic malorum, & c. aduersa est hæc potestas, quæ videtur in opere, sentitur in pœnâ, impugnat animam, vulnerat mentem: ipsam violat, confun-*

Salazar.

Theofr.

Chrysol. Rom. 5. vers. 12.

A B C D E

ditque

ditque naturam: Subiicit ad rem nostram. *Et quid plura fratres? Hoc est peccatum naturæ, quod fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Vtique purus, & lucidus est oculus per naturam; sed perfumi conturbatur, & obscuratur iniuriam.* Hæc ille. Vt ex vtriusque Patris sensu, in peccatis concipi perinde sit, ac mētis aciem hebetari, & interiores hominis oculos velut à fumo obscurari, conturbarique. Quod vtique indicauit Iob; cum natiuitatem suam ad diem; conceptionem verò ad noctem retulit inquiens: *Pereat dies in quâ natus sum, & nox, in quâ dictū est, conceptus est homo*, Iob 3. vers. 3. Ad quæ verba eruditè obseruauit P. Pineda hominis conceptionē apud veteres rationem noctis, & tenebrarum habuisse; atquè ideo Pythagoram, & Platonem, vt Macrobius *in somno scipionis*, capit. 12. refert, duas esse hominis mortes, censuisse; vnam animæ, alteram corporis; priorem scilicet, illam, quā vulgus vitam vocat; cū anima ad quasdam tenebras mortis, idest mortalis corporis impellitur; posteriorem verò; cum anima in corpore velut in carcere inclusa absoluitur, & ad veras naturæ diuitias, atque ad propriam libertatem remittitur.

Iob 3. v. 3. *Macro.*

III. Ergo cum omnis omninò homo nocte concipitur: & oculi fumo peccati obscurati, in summis amaritudinibus versantur, & in quasdam mortis tenebras impelluntur: Maria in sui Conceptione facie vndequaque in solem conuersa; & diuinę claritatis radios, siue totam solis iustitiæ lanceam, iubarque excipiens; tanquam aurora consurgens a Salomone sic inducitur. *Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens; pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Cantic. 6. versicul. 9. Et verò, vt auroræ similitudinem in præcedentibus adnotationibus ad lucis splendorem nocturnis tenebris contrarium retulimus, vt ab eo à peccati originalis nocte immunis MARIA subsisteret; ita modo plusplus hanc imaginem prementes MARIAM in primo sui conceptu Auroram contemplamur, quod tunc signatè in ipsam Sol diuinus faciem suam conuerterit, & se se illi videndum, fruendumque dederit: non obscurè id insinuante Bernardo *in Deprecatione ad gloriosam Virginem MARIAM*, dum ait: *Et rectè quidem Auroræ implesti officium: ipse enim Sol iustitiæ de te processurus ortum suum quâdam matutinâ irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosissimè transfudit:* Ita ibi Bernardus. Quid enim fuerit, Solem iustitiæ in MARIAM lucis suæ radios transfudisse; quam ipsam supernæ visionis, siue essentialis claritatis diuinæ splendorem excepisse, vt in lumine Solis, Solem ipsum videret? Vti dicebat de futurâ beatorum felicitate Psaltes: *In lumine tuo videbimus lumen*, Psalmo 35. versicul. 10. Sed & rursum Bernardus sermon. de verbis Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole:* dum MARIAM Sole ipso vndequaque circumamictam contemplatur (quod ex verbo *apparuit* ad primam Conceptionem, & existentiam commodissime refertur) sic opportune loquitur: *Candidissimus sanè, seu calidissimus huius mulieris amictus; cuius omnia, tam excellenter irradiata noscuntur, vt in eâ non dicotenebrosum; sed nè obscurum saltem, vel minus lucidum: sed nè tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari:* Sic ille: Obserua illa: *Cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur*: faciem videlicet suam in MARIAM, sic explicante, & imprimente Sole,

Bern. *Psal. 35. ver. 10.* *Bernar.*

Cant. 6. vers. 9.

vt illa ipsius *Solis imago expressima*, fieret: vt ipsam appellat Alcuinus alibi à nobis adductus.

IV

Sed vt iam ad columbæ oculos, cum quibus nobis res est, redeam: quo modo Diuinus Spiritus hanc prius columbam euocauerit, nosse est operæ pretium: & quidem Canticor. 2 verticul. 10. Sic ipsam tunc futuram, tanquam præsentem alloquitur, & vt adsit rogat. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* In quæ verba primum audiendus est Rupertus; qua ad primum MARIÆ in hanc vitam aduentum, idest ad primam sui Conceptionem sic reuocat: *Sic accipite, tanquam verba desiderantis, tanquam festinantis, & optantis iã adesse materiam tantæ salutis: scilicet Virginem; cuius caro illi materia foret assumendæ carnis:* & statim: *Tanquam præsenti loquebatur: illamque iubebat surgere, & properare, id est nasci, & hospitium cito præparare.* Sic ille. Ecce tibi Deum desiderantem, optantem, festinantem adesse iam Mariam: iam audi quibus verbis ipsam cum iam concipitur, demulceat: *Ostende* (inquit) *mihi faciem tuam*, Canticor. 2. 14. Sed quam ad rem? Respondet ibi Theodoretus: *Vt in illâ tanquam in speculo imaginem suam repræsentatam videat.* Quæ sic capio, vt ipsi se se Dominus manifesto in lumine videndum exhibea. Quæris: vndè locus? Aperio ex similibus Moysi verbis à Deo enixe obsecrantis, vt se sibi clare videndum proponeret: sic namque ille Exod. 33. vers. 13. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* pro quibus verbis LXX. reponunt. *Ostende mihi te ipsum manifestè*, cui lectioni hæret Augustinus lib. 12. in Genes. *siue ostende mihi te ipsum cognoscibiliter:* Quam quidem locutionem Augustin. epist. 112. & lib. 2. *de Trinitate*, c. 16. & 5. Gregor. Magn. lib. 18. Moral. c. 36. necnon S. Thomas in epist. 2. ad Corinth. cap. 12. omninò referunt ad claram diuinæ essentiæ visionem, quam Moyses petierit, & adeptus fuerit: Sed denuo inquiris: Vndè valeat ex hâc verborum similitudine confici argumentum? Cum sensus qui illis subest, omnino sit alius: Quid enim vtraque visio commune habeat? Aut quid magis distans excogitari possit, quam creaturæ faciem à Deo videri, aut Dei faciem videri à creaturâ? Verum respondeo: his in locis non minus sensum, quam verba eodem ire. Nimirum dum Dominus Mariæ suggerit, vt ei faciem suam ostendat, vt in ipsâ se ipsum tanquam in speculo repræsentet: perinde quidem est, ac ei speciē expressam sui velle indere; quâ ipsa eum videat, & in ipsum transformetur: vt ex speculi imagine apparet: quam sic illustrauit Plin. libr. 33. c. 9. *Non aliud illa imago, quam digesta claritas materiæ excipientis vmbram:* Hæc ille, quæ ad sanctissimam animam, & mundissimam carnem MARIÆ velut digestam claritatem materiæ excipientis diuinam imaginem aptissimè retuleris: nempè vt non semel ex Dionysio Carthusiano lib. 1. *de laudibus Virginis*, articul. 35. vidimus. *A planta pedis vsque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in animâ indecens, reprehensibile, indecorum: immò totum fuit Diuinæ sapientiæ cincinno formatum, pulcherrime circumcisum ab omni superfluitate, plenissimè, ac speciosissimè operatum.*

Augus. Plinius. Carthus.

V

Quò mirè facit explicatio, quam ipsmet verbis: *Ostende mihi faciem tuam*, reddit Origenes homilia 4. *ex quatuor*; quasi cœlestis Sponsus in priori illo naturæ (vt aiunt in Scholis) priusquã in MARIAM, tanquam in speculo

Cant. 2. vers. 10.

Rupert.

Cant. 2. vers. 14.

Exod. 33 vers. 13.

in eius Conceptione se se ipsum intueatur: experiri velit, an omni ex parte in illa digesta claritas materiæ excipientis vmbram sit: an videlicet aliquid obscurum ex primæuis Adæ tenebris traxerit, quæ cum diuina facie non conueniant: sic namque capio hæc Origenis verba ibi: *Origen.* *Profectò vt videat si aliquid in vultu eius veteris velaminis habeat; sed possit intrepidis obtutibus gloriam Domini speculari.* Sic ille: Quæ quidem *Bernar.* videor mihi vidisse Bernardum sermon. 62. *in Cantica*, atquè illis hunc in modum subscripsisse. *Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque id posset, nisi clara quoque ipsa esset, & pura; vtique transformata in eandem, quam conspicit claritatis imaginem: alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reuerberata fulgore.* Hæc Bernardus: pulchra omnia, & omninò ad rem: obserua illa. *Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest*, quibus Bernardus, Sponso MARIÆ faciem videre cupienti; vt de eius pulchritudine (quod Sponsorum proprium est) sibi ipsi satisfaciat, pro illa fideiubere: eumque ab hac parte securum reddere videtur, quod in ipsa vndique sit digesta claritas materiæ excipientis vmbram: *neque id posset, nisi clara quoque ipsa esset, & pura*, quippè quæ à plantâ pedis, vsque ad verticem nihil penitus, neque in corpore, neque in anima indecens habeat: nihilque in vultu eius veteris velaminis subsit, obquod dissimilitudine resiliret insolito reuerberata fulgore: Audiẽdus hic omninò ille Angelus est, qui apud B. Brigittam in sermone Angelico cap. 5. MARIAM sic alloquebatur: *Deus in te ante tuam creationem plures virtutes præuidit, quam in omnibus herbarum, florum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, quæ inueniri possunt in totius orbis amplitudine. Vndè mirum non est, si Deus in te, ò minor munde, qui adhuc creandus eras magis delectabatur, quam de hoc maiori mundo*: Hæc Angelus. *B. Brigitta.*

Neque hinc discessero, quin, vt hæc verba Moysis ad Deum, & Dei ad MARIAM, *ostende mihi faciem tuam*, non tam ex sono, quam ex sensu composuimus, itidem obseruem, eadem etiam omninò esse, quæ Deus Moysi, & MARIÆ se se videndum exhibiturus præscripsit, vt optata tutò consequi possent: nãque vt Moysi versic. 21. & 22. dixit: *Exod. 33 vers. 21.* *Ecce est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ donec transeam*: Sic etiam Mariam immediatè omnino ante præfata verba: *Ostende mihi faciem tuam*: prænonuit: *Columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ*: siue vt reponunt LXX. *Columba mea in tegumento petræ iuxta promurale*, siue vt alia translatio habet: *iuxta præmunitionem*. Vndè vtrumque locũ sub eodem sensu inter se commisit Origenes homil. 2. *ex duabus*, & hom. 4. *ex quatuor*: opportunè docens promurale, sinum esse Patris, & illuc Sponsam vocari: quam quidem expositionem statim diffundam, vt modo ex Aponio in hæc verba Canticorum obseruem, columbam ad foramen petræ euocari, vt feros accipitris vngues auiculas dilaniantes effugiat: vt videlicet in tuto visionis diuinæ, & gloriæ faciei sponsi collocata à diris vngubus sæuientis draconis virus peccati originalis spirantis quam longissimè sit, & sua uissimâ diuinæ faciei contemplatione fruens, illius tyrannidem, & artes opportunissime irrideat. Quò dixeris ire communem Ecclesiæ sensum pro mundissimâ MARIÆ Conceptione: tùm ipsam

VI

LXX.

Origen.

Apon.

adumbrantes, siue depingentes in illa imagine à Ioanne proposita. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*: Apocalypsi 12. versicul. 1. tùm etiam ex Ioannis sensu describentis draconem hunc mulieri primum insidiantem, deinde verò ab ipsa prostratum, atquè deiectum sub Mariæ pedibus contritum, & proculcatum ad eum modum, quo dicitur a Paulo ad Rom. 16. vers. 20. *Dominus conteret Sathanam sub pedibus vestris velocitèr.* Quid namque solis amictus Mariâ interius, & exterius circumambiês, atquè illustrans, nisi lumen illud *in quo videbimus lumen*, Psal. 35. vers. 10. opportunius adumbret? *Candidissimus sanè sedet calidissimus* (inquit sæpius à nobis adductus Bernardus ibi) *huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscũtur.* Quid itidem *proiectus draco*, vt inibi Ioannes ait, quã accipitrem, siue dæmonem à Maria triũphatum, & illusum, vt qui capere volebat captus, & seruituti mancipatus fuerit, aptius significet? Audi Bernardũ indidem. *Vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps sub Mariæ pedibus conculcatus, & cõtritus miseram patitur seruitutem.* subiicit: *Nimirum ipsa est, quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura.*

VII Ecce tibi columbam in foramine, siue in tegumento petræ accipitrem irridentem dum fixis oculis, & inconniuenti pupillâ Diuinam faciem contemplatur: Qui quidẽ sensus subesse videtur columbæ oculis à Diuino Spiritu signatè commendatis illis verbis, quæ in superioribus adnotationibus expendimus: *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es; oculi tui columbarũ*: Cãtic. 1. vers. 15. vbi in primis ad priora verba: *Ecce tu pulchra es*: Audi Ambrosium sic illa explicantẽ sermon. 3. in Psalm. 118. *Ecce bona es, quæ vidisti gloriæ meæ decorem, & ipsa speciosa es, & decora*: Sane vt nõ prius in Conceptione sua mortali huic luci oculos Maria aperuerit, quam immortalem illã, & in accessibilem lucem diuinam: & Dei decorem viderit, & ab illo in eãdem imaginem fuerit transformata: sic vidimus in præcedẽtibus dixisse, ad hæc verba Gregorii Nyssenum homil. 4. *in Cantica. Laus pulchritudinis oculorum est forma columbæ, quæ apparet eorum pupillis*: Quia vtitidem ibi de oculis dicebat Plin. libro 11. cap. 37. *Adeò tis absoluta vis speculi, vt tam parua pupilla totã imaginem reddat hominis.* Ergo inde Mariæ oculi laudantur, quod dum in illis diuinus Spiritus se se tanquã in speculo intuetur; ipsa in eandem imaginem à reciprocâ Dei visione transformetur: aptissimè hanc cogitationem firmante Paulo 2. ad Corinth. 3. versic. 28. cum ait: *Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginẽ trãsformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*: Quo in loco Græcum participium *speculãtes*: (vt omnes omnino interpretes adnotant secuti Augustinum, qui primus id monuit lib. 15. *de Trinitate*, cap. 8.) tùm non deducitur a speculum, quasi sensus sit, tanquam è speculum prospicientes; sed à speculo: tũ etiam non actiuum est, sed passiuũ, ac proinde idem est, quod *instar speculi imaginem suscipientes*, siue *reddentes*, vt illud vertit Caietanus ibi. Quod vel inde liquet, quod Pauli institutum ibi sit; faciem nostram reuelatam, id est sine velo, faciei Moysi velo ocultatæ opponere, vt dixerit. Non facimus vt Moyses, qui velo faciem suam ocultauit; sed reuelata facie speculi vicem gerentes gloriam Domini in ea receptâ exhibemus, & à claritate faciei diui-

Apoca. 12. v. 1. *Rom. 16 v. 20.* *Psal. 35. vers. 10.* *Bernar.* *Canti. 1. vers. 15.* *Amb.* *Nyssen.* *Plinius.* *2. ad Corint. 3. v. 18.*

A B C D E

næ in eãdem imaginem transformamur: siue (vt Tertullianus legit) *trãsfiguramur*: nam imago in speculo recepta quodammodo forma speculi est: Iam verò quid hæc sibi velint, sic explicat citato loco Augustinus: transformamur *de gloriâ creationis in gloriam iustificationis, de gloria fidei in gloriam speciei, de gloriâ, qua filij Dei sumus in gloriam, qua similes ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est*: Hæc ille, quæ omnia in eodẽ Cõceptionis instãti Mariæ euenisse, vt simul, & creata, & iustificata, & diuinâ visione fruẽs trãsformata a claritate in claritatẽ, quâ similis Deo euasit quoniam vidit eũ sicuti est: columbarum oculi de quibus ab sponso laudatur, notanter euincunt: Vndè ad hunc locum Nyssenus premens priora verba: *Columba mea, formosa mea*; opportunissimè ait: *Pulchra quia appropinquans ad Deum instar speculi imaginem in se susceptt diuinæ pulchritudinis: columbæ verò, quia pulchra ob susceptã Spiritus Sancti imaginem*: ita Nyssenus.

Augus. *Nyssen.*

VIII. Hæc omninò firmant superius à nobis ex libro Sapientiæ allata verba ex frequenti PP. & interpretum Mariæ acommodata dum ex illis, vt peculiari ratione Dei filia asseritur ab omni peccati labe expers esse credatur: nam cum in hanc sentẽtiam præmisisset Salomon: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatũ in eã incurrit*; Quibus, vt vidimus, adstruit Mariam, adeò puram Dei emanationem esse, cui nihil fucatũ aut dissimile subsit, vt quasi radius ipsius diuinitatis esse videatur: subiicit rationem peremptoriam, atq; necessariam: *Candor est enim lucis æternæ, & speculũ sine macula Dei maiestatis: & imago bonitatis illius*: vt dixerit: quomodo non sit, vndique immaculata, & omnis labis expers, quæ in sua Conceptione, & a Deo emanatione purissimi speculi vicem gerens à claritate in claritatem transformata similis ei euasit, quoniam vidit eum sicuti est? Quare expende singula: & in primis illud: *cãdor est lucis æternæ*: na Græca vox, vt iam monui, proprie significat *relucentiam*, &, vt ita dicam, *resplendorem*, cuius modi prouenit à corpore splendido splendorem relidente: vt hinc dicatur MARIA *à claritate in claritatem in eãdem imaginem* Dei transformata, à claritate scilicet, & eximia puritate, quæ ipsi per gratiam suberat, in claritatẽ gloriæ, & visionis diuinæ: Super quem sensum molliter cadunt verba illa S. Petri Damiani in serm. *de Assumptione*, quæ in præsens institutum non sua sponte venire existimauit P. Salazar loco superius citato num. 56. *Caro Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit: sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Pulchrè affirmans singularem, Mariæ puritatem in candorem lucis æternæ conuersam fuisse, ad eum modum, quo relucentia à corpore splẽdido reliditur: Vndè subiicit maioris explicationis gratia sapiens, Mariam esse *speculum sine macula* (Græcè *limpidissimum*) *Dei maiestatis*, & imaginem bonitatis illius, quod eius faciem non tantum quà optimã, & sanctissimam; sed etiam quà gloriosam, & Diuinitatis radios vibrãtem reddat,

Sapien. 7. v. 25.

Græc. lexicon. *Petr. Damian.* *Salazar*

IX. Quò itidem facit Mariæ Conceptionem, siue emanationem cũ Diuinæ Sapientiæ, hoc est Vnigeniti Filij Dei emanatione quodammodo componi: Nam cum Dei Filius à Patre æquè, ac ipsemet genitor gloriosus, & maiestate conspicuus procedat; sic ibi etiam ipsa a summo parente non in gloria; sed *in Candorem lucis æternæ conuersa* concepta dicitur: Enim verò de Dei vnigenito

à Patre procedente inquit Ioannes: *Ioann. 1 vers. 18.* cap. 1. 18. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*: notanter dicens: *qui est in sinu*: non qui fuit, aut erit: vt indicet gloriosam cum Patre coexistentiã, quam pulchrè explicuit S. Zeno M. *S. Zeno M.* cum dixit: *Filium sinus Patris esse nobilem inquilinum*; adquem itidẽ modum suo modo a cælesti sponso columba ad foramina petræ, siue ad promurale, hoc est ad sinum Patris, vt explicabat Origenes homil. 4. *ex quatuor*, in sua Conceptione euocabatur, vt clara Dei visione perfrueretur. Iam verò, si rectè sapis, vt nihil in Mariæ laudem, & gloriam illustrius, honorificentius, atque sublimius hac diuina fruitione in ipso Conceptionis suæ momento afferri potest: ita nihil opportunius, aut accommodatius, vel si mauis, venustius pro immensa Dei erga illam dilectione excogitaueris. De magna quidem, & inopinata felicitate Prouerbio dicitur: *De remo ad tribunal*: vt is qui in summæ miseriæ sordibus versabatur ex illis ad regiam, & florentissimam fortunam emergat: itidemque pro iucundissimo spectaculo habetur aliorum naufragia è terra intueri: rem ob oculos ponente Lucretio initio lib. 2. ad hunc modum: *Lucret.*

Suaue mari magno turbãtibus æquora ventis.
E terrâ magnum alterius spectare laborem.
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas.
Sed quibus ipse mali careas, quia cernere suaue est.

Sed quid hæc fuerint: si cum summa & pœne immensa Mariæ felicitate comparentur? Quæ non è remo ad tribunal; sed pro remo seruitutis peccati regium tribunal, & sceptrũ auspicata est; quæ non modo secura, & in columis commune omnium in huius vitæ ingressu naufragium vidit: *Quos naufragos in hanc vitam quidam natura fluctus expuerit* (vt dicebat Ambrosius orat. de obitu Theodosij) sed interea diuinæ beatudinis satietate, & regię mensę cõuiuio, & Angelorum pane reficiebatur: notantissimè id iterum prafato loco Canticorum sub imagine capillorum gregum caprarum celebrante sacro sponso.

Nimirùm, vt vidimus adnot. 2. huius dissertationis num. 4. signatè Salomon MARIAM in Conceptione sua, quam ab oculis columbarũ descripserat, non cum ouium, sed cũ caprarum grege cõponebat: quod capreæ non in camporum planitie vt oues; sed in arduis montium verticibus, & in altis rupibus procul à luporum, aut canum feritate, & discrimine pascantur: hæc scitè præstringente Ambrosio sermon. 16. in Psalm. 118. illis verbis iam adductis: *Itaque vbi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum*: sed modo vide, vt ad rem nostram pergat Ambrosius subdens: *Ibi gregis huius alimentum: ibi cibus dulcior: ibi fructus electior.* Hæc ille peropportune sublimi huic cogitationi de Maria in Conceptione sua diuina visione fruente: vt vbi cunctæ oues ingẽtis gregis in peccati originalis præcipitium cadunt: ibi Maria diuinæ mensæ epulis, & satietate repleatur: ibi vitæ alimento: ibi cibo dulciori Diuinitatis: ibi fructu electiori beatitudinis refecta, à fonte vitę, & ab vbertate domus Dei inebriata fuerit, atquè in circumscriptum lumen, & lucem inaccessibilem viderit: vbi omnes omninò damnationis chirographo ligantur, ibi Maria tam sit à carnis nexibus, & seruitute peccati libera, vt quod Regius Vates pro omnium vitæ laborum mercede sperabat cum dicebat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Psalm. 16. vers. 15. ipsa in manibus habeat: *Ibi cibus dulcior: ibi fructus electior:* Subiicit Ambrosius: *Ibi fœcundæ*, arbores fru-

Origin. *Amb.*

fructum integrum ſubminiſtrant: quem fructum? Audi Ioannem Apocalyp. 22. verſ. 2. cœleſtia gaudia, & dulciſſimum gloriæ cibum deſcribentem: *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum:* vt Deipara illo cibo, & fructu integro, quem cœleſtibus mentibus ſupernæ arbores ſubminiſtrant, in ipſomet in mundum ingreſſu veſceretur,

Apoc. 22. v. 2.

A

XI. Nec omnino abs re in hanc cogitationem inflecti poteſt, quod in ſuperioribus de Marię Conceptione ex imagine conceptus margaritæ diximus: quippè & ipſam ex ſenſu PP. pretioſam illam margaritam a bono negotiatore tam diligenter quæſitam, & tanto cum gaudio inventam fecimus; & margaritę conceptum rore cœli perfici ex Plinio adſtruximus, illo affirmante, *margaritis cœli maiorem ſocietatem eſſe, quam maris:* Ex quibus opportune inferas Mariam in conceptione ſuâ illud iure vſurpare potuiſſe, quod ad Philippenſes 3. verſ. 20. dicebat Paulus: *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Verum ijs addendum fuerit Græcum verbum, quod reſpondet voci *conuerſatio*, tum verti poſſe *vita* cũ Concilium Sardicenſe Canon. 14.

B

Plin.

Philip 3. v. 20.

C

eâ voce expreſſerit *viuere*; vt græcę linguæ Magiſtri adnotarunt: tũ etiã à Tertulliano lib. de *coronâ militis*, Hieronymo, & Caſiano; quos inibi attulimus accipi pro municipatu: atque ideò legi: *Municipatus noſter in cœlis eſt:* à quo non abit Plutarchi vſus huius vocis: qui eſt, *ius ciuitatis habere:* vt inde pulcher is reſultet ſenſus; primum vitæ ſiue ingreſſus in mundum Mariæ adeò diſcriminis expers fuiſſe: vt *viuere* illi idem fuerit, ac Deo frui, & cœli municipem fuiſſe; ac proinde iure ciuitatis cœleſtis via, non modo cũ primum vitæ oculos aperuit,

Tertull.

Lect. Gr Plutar.

Victorque ad ſydera mittit
Sydereos oculos, propiuſque aſpectat olympum,

Manil. lib. 4.

ſed etiã cũ ſuper ſydera, & ſuper Olympũ Dei illos aſpectui, & gloriæ aperuit: Nec dixerim *ſydereos oculos* tũc Virginẽ habuiſſe, quę oculos *columbæ* ſiue *columbarũ habuit:* qui vt diximus ex proprietate vocis Hebreę ſunt *raptores*, ſiuè *deprædatores*, vt iuxta Domini regulam: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; Matthæi 11. ver. 12. Maria in primo ſuæ Conceptionis inſtanti ſuo quaſi iure cœlorum Regnum rapuerit; atque illud felicißimam hanc vim gratanter paſſum fuerit,

Matt. 11. v. 12

IHS

DISSERTATIO V.

DE PECVLIARI HONORE Mariæ Deiparæ adueniente ab eius immunitate à peccato originali.

SANCTISSIMAM VIRGINEM PRO DIGNItate non laudari; niſi communibus Deiparæ laudibus illa addatur, quod fuerit immaculatè concepta.

ADNOTATIO I.

I CVM nihil apud Sãctos PP. ſolemnius, nihil frequẽtius, antiquius aut certius nihil ſit, quam Mariæ laudes ſupra omnem linguã, intellectum, & cogitationem eſſe, atque omnem omnino laudationũ legem excedere; ac proinde eum, qui aliquem Deiparæ laudibus terminum aſsignat; à fortiori verò qui excogitatis iam laudationibus, & encomiis aliquid demit, ipſam pro dignitate, & dignitatis magnitudine non laudare: neceſſariâ conſecutione hinc euinci videtur, ſolam opinionem piam; quæ nullum Mariæ puritati terminum præſcribit, atque eam extra telorum iactum ſemper ſublimem, ſemper Dominam, ſemper Dei Sponſam, & amicam, ſemper pręclaram, & ſplendentem, ſine vlla viciſsitudinis obumbratione facit: dignis ipſam laudibus, & opportunis celebrare, ſiue pleno ore laudare, cum nihil omninò de eius dignitate, & immunitate demat, nullumque tempori ſanctitatis ipſius deſignet terminum.

Nec metas rerum, nec tempora ponat.

A Sed hac iam de re Patres in modo ſine modo Mariæ laudandæ audire vt operæ pretium, ita & periucundum erit: Et in primis S. Ioannes Damaſcenus orat. 2. *de Natiuitate Virginis*: abſolutè pronunciat: *Virgo omniam encomiorum legem excedit: nec ſi omnes in toto orbe diſperſæ linguæ in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſunt*: Et eodem ductu Bernardus ſerm. 2. in Salue Regina: *Si linguæ* (inquit) *centum reſonarẽt: oraque centum, ferrea vox mihi, Maria, nihil dignum tibi dicere poſſem*: Pergit Epiphanius horum rationẽ orat. *de laudibus Mariæ*, ſic reddens: *Pertenuem enim vocem habet humana lingua illius habità ratione, & imminuta eſt lingua, quæ pro dig-*

Damaſ.

Bernar.

Epipha.

nitate

nitate facultatem dicendi nō habeat: Ista siquidem, vel cœlorum virtutes in stuporem conuertit. Quæ quidem sic eleganter cecinit Baptista Mantuanus lib.1.Parthen.

Baptist. Mant.

Nulli adeò viuax animi solertia, nulli
Tam felix aderit florentis gloria linguæ,
Vt Mariæ possit laudes æquare loquendo.
Quæ data sunt illi, nunquam mortalibus vllis.
Antea concessit, nec post concedet Olympus.

Vndè quidem,& Richard.à S.Laurentio lib.9 de laudibus B. Mariæ in hunc sensum inflexit verba Canticorum 4.versic.12.de ipsa: *Hortus conclusus, fons signatus*: ad hunc modum: *Signatus id est clausus: quia paucis cognita est multitudo miserationum eius, & abundantia gratiarū & diuitiarum spiritualium magnitudo*: & Rupertus illud eiusdem libri cap.4.versic.1.*Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet*, sic premit. *Absq; eo quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt: nobis autem, quia inexpertum, idcirco ineffabile: immò, & incogitabile*: Hæc modo PP. Apud quos non nulla obserua: & illud in primis in Damasceno: *Virgo omnium encomiorum legem excedit*: vt dixerit, Aliæ eloquentiæ leges, alia quidem non humana, sed diuina laudādi ars desideratur: alterius naturæ,& conditionis linguâ ad Mariæ laudes concinendas opus erat: nam quantumcumque vocem extuleris, ita vt Stentorem vincas, rationem tamen & modum laudationis non æquabis: quia virgo sanctissima omnem laudandi artem, omnem legem excedit: & omnes laudationis leges, omnes artes, omnes linguæ, omnes cogitationes infra eius dignitatē sunt, quod hęc nobis inexperta, ineffabilis,& incogitabilis est: Vndè, si sapis quidquid in nostrâ encomiorū arte, & quidquid in humanâ cogitatione pro Maria laudādâ, celebrāda extollēda inuenitur, iure ipsi debetur: vt piaculum quodammodo videatur, vel minimum demere: aut in laudes eius satiari: sapienter aiente Bona uentura *in Psalterio Mariæ*, ad ipsam: *Iucundus homo, qui nō satiatur in laude tuâ: exortum est in corde illius lumen Dei: Spiritus Sanctus illuminat intelligentiam eius*: itidemque Georgio Nicomediensi in oration. *de oblatione Mariæ. Quis honor exhiberi poterit puritati Deiparæ exæquo respondens.* Ergo hinc dubitari non potest, quin pia opinio, præ non pia Deiparam prodignitate opportunius laudet, quæ *non satiatur in laude* eius; nec de encomiis iam ipsi attributis, nec de piis,& benignis erga ipsam cogitationibus aliquid demit: & honorem, quem potest, eius puritati exhibet.

Cant.4. vers. 12.

Rup. lib. c.4.v.12

Bonau.

Georgio Nicom.

II

Sed dicent forsitan nobis opinionis non piæ Doctores, suos etiā pietati siue benignæ laudationi scopulos esse, cum zelus non secundum scientiam, aut præter Fidei præscriptum, aut præter Theologicos canones laudationem instituit: ac proinde Deiparam non nisi iuxta exactæ rationis terminos, quos egredi non licet, Theologicâ quidē lingua laudari debere. Verum enim vero si de Theologica lingua agatur: *iam fumus ergo pares*; nullaque hac de re nobis erit contentio: quippe nos ex Euthymio Theologicam linguam ad Mariam opportunè laudandam necessariam esse volumus: Sapienter siquidem ille oration. *de zonâ Virginis*, inquit: *Oportet enim habere linguam Theologicam ad loquendū de Matre Dei sanctissimâ*: Sed quā ad rem oportet habere linguā Theologicam? Num vt modum aliquem laudibus Mariæ imponamus? Aut de laudibus,& encomiis iam ipsi con-

Euthy.

cessis scrupulosa Theologiæ limâ aliquid demere, aut scalpere debeamus? Minimè quidem: immò verò, qui Theologiæ peritus videri velit, ipsa Theologia manuducente, & Theologica prælucēte institutione inuestiget omnes rationes, & modos quibus omni ex parte laudari Maria possit, & nō aliam, nisi ipsiusmet Diuinitatis metam ei ponendā iudicabit: dicēte S. Epiphanio oratione *de laudibus Mariæ Virginis*, vt nō semel in superioribꝰ vidimus. *Quid dico? Aut quid proloquar? Quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo Deo excepto cūctis superior existis: naturâ formosior es ipsis cherubim, seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœlestis, ac terrena lingua minimè sufficit:* ita ille: obserua, & osculare illud. *Solo Deo excepto cunctis superior existis*: vt discas Mariam pro dignitate, & lingua Theologica laudare; omne illud excellentiæ, dignitatis, puritatis, splendoris, & immunitatis, quod infra Deum fuerit illi tribuens. Quo omninò etiam sensu sapiens Idiota dixit Mariæ. *Nemo æqualis est tibi: nemo maior te nisi Deus.* Hæc quippè germana Theologia: hæc consummata sapientia fuerit: tunc enim Theologus cæleste idioma, immo & diuinum se fuisse grandi Dei beneficio assecutum, merito existimabit: pulchrè nāque hac de re agens Richardus à S. Laurentio in prologo libri *de laudibus B. Mariæ*, dixit: *Scio quòd ineffabilis est laus eius: nec ad eam poterit homo viuens etiam si loqui detur Angelorum linguis, & hominū, vel si planè cœleste nouerit idioma, quoniā maior est omni laude. Hanc enim gloriā sibi retinuit supernus Artifex, cuius Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam. Quare de Maria per Prophetam dicit.* Secretum meum mihi Isaiæ 24 *Propter hoc etiam de eius specie toties replicat spūs in Canticis.* Absque eo quod intrinsecus latet, *soli peruiū Creatori, sed nulli cognitum creaturæ. Nam quanta sit Mariæ species, qui dedit speciem solus nouit.* Hæc Richardus. Quæ ergo, si sapis, erit lingua Theologica in Maria laudanda? Illa nè? Quæ de eius specie aliquid demit? An potius illa, quæ Mariæ speciem sic adornat, vt solo Deo excepto, cunctis creaturis superiorem faciat, ac proinde Angelos puritate, & primum hominem innocentia, & iustitia originali longissimo interuallo antefert?

S. Epip. Richar. à S. Laur. Isai. 24.

Nec minus huic rei opportunus sensus fuerit, sub quo etiam dixisse videtur Euthymius. Oportet enim habere linguam Theologicam ad loquendum de Matre Dei sanctissima, vt videlicet, quod modo dicebamus in ea laudanda, & prædicāda eam adhibeat metam, qua ipsam Deo inferiorem, & subditam faciat: ad eum modum, quo Paulus de se ipso 2. ad Corinth. 11. versicul. 6. lingua Theologica dicebat: *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, nè quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me:* planè innuens (vt obseruauit ad hæc verba Origenes homil. 25. in cap. 3. Lucæ) ea ipsum de se egregia, atquè mirāda referre potuisse, quibus permoti, qui audirent, in animū forsan inducerēt, eum non omninò mortalem, siue hominem; sed plus aliquid, & quodammodo ipsummet Christum esse: *Ne quis* (inquit Origenes) *de eo plus arbitraretur, quam cerneret, & mensuram honoris excedens diceret, quod dictum fuerat de Ioanne: quia ipse esset Christus.* Ita ille: Quam sanè fuisse videris mentem Epiphanij, non istius, quem modò citauimus: sed illius senioris, qui scripsit aduersus hæreses. Nimirum ipse hæresi 79. accurate obseruat, notanter à Domino Dei-

III

2. Cor. 11 vers. 6.

Origen.

param mulierem fuisse appellatam, nè quis de eâ plus arbitraretur, quã cerneret, & mensuram honoris excedens diceret, quod ipsa esset Numen: quemadmodum de se testatũ reliquit Dionysi⁹ Areopagita: solo fidei fræno se fuisse cohibitum, quo minus ipsam Deum esse crederet. Audi Epiphanium sic docentem: *Dionys. Ariop.* *Quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam Virginem: mulierem eam appellauit, velut prophetãs, quæ in terrâ futura esset hæresis Collyridianorum, qui Mariam pro Deo colebant:* Hæc Epiphanius: Ecce tibi, cur ad loquẽdum de Maria Theologica lingua opus sit: ea in primis de caussa ne præ immensa eius dignitate, & excellentia, quæ omnium encomiorum legem excedit, laudationis impetu animus abreptus mẽsuram honoris excedens ipsam, non tam mulierem, quam Numen esse diceret: deinde vt quidquid honoris, & gloriæ ei attribui possit, nulla omninò ratione denegetur iuxta illam à S. Basilio Seleucensi præscritam regulam: *Basil. Seleuc.* *O ter sacrosancta Virgo! De quâ, qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam quidem à veritatis scopo aberrabit: at tamen dignitatis magnitudinem nullâ vnquam ratione exæquabit.*

IV

Certè nemini non obseruatum est; Mariæ dignitatem, & laudes à Salomone sub mulieris fortis descriptione fuisse celebratas toto pænè cap. 31. Prouerbiorum, cuius initium est: *Prou. 31 vers. 1.* *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius:* vt toto libro ex PP. Efrem, Bernardo, Bonauentura, Damasceno, Dionysio Carthus. & Richardo multis in locis vidimus. Sed modo pẽde notãter Salomonẽ hisce Deiparæ laudib⁹ duo, & viginti versibus cõplexis, cũctas Hebraici Alphabeti litteras præscripsisse: singulis scilicet versib⁹ singulas; planè vt innueret se rẽ omnibus omninò numeris absolutissimã descripsisse: cui nihil in rebus humanis æquari possit, cui nihil ex omnibus perfectionibus & gratiis, quæ vel creaturæ alicui obtigit, vel in hominũ, aut Angelorũ linguã, aut cogitationem venire vnquam potuit, vlla ratione desit: ac proinde omnes omninò Alphaberi litteras, & characteres Mariæ elogiis præposuisse, vt argumẽto esset omnẽ litterarũ eruditionẽ, & sapiẽtiã eius laudib⁹ esse necessariã: immo verò post immensã scriptionẽ, & omnimodã laudationẽ, eius laudatores, vel elemẽtarios puẽros esse futuros, qui vix Alphabetũ norint: dicente Eccl. c. 16. v. 16. *Eccl. 18 vers. 6.* *Cũ cõsummauerit homo, tũc incipiet, & cũ quieuerit, aporiabitur.* Ita quidem de ipsismet supernis virtutib⁹ dixit S. Epiphanius in laudanda Maria velut elementarios pueros eius laudibus impares esse: Nimirum post prętata illa verba: *S. Epip.* *Cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minime sufficit:* signatè subiicit: *Etenim ipsi hymnũ, laudem, honorẽ protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.* Ad quem modum S. Petrus Damianus, qui sermon. *de Assumptione,* dixerat: *Petr. Dam.* *Hic totum decurrat ingeniũ, & aureus sermo tota decurrat maiestate, voluntaria oris nostri beneplacita faciat sibi Dei genitrix Domina mundi, cæli Regina: ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguã pauperis venustiori respergat eloquio:* vt vt ad laudandam Mariam se accinctum vidit imparem omninò, & velut elementarium puerum se se cognoscens sermo. 3. *de Natiuitate Virginis,* dicebat: *Et quid mirum si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperet, cum & ipsam humani generis naturam meritorum dignitate transcendat.*

V.

Concinit sibi ipsi Salomon sub personâ Sponsi Mariam sic demulcens: *Murenulas aureas faciemus ti*

Cant. 1. ℣. 10. *bi vermiculatas argento.* Canticor. 1. versicul. 10. vt ex murenularum imagine, quæ colli ornamenta esse optimi Auctores censent, vt in superioribus vidimus, primum dixerit Sponsus: cum te nomenque tuũ, ò Maria, exquisitissimis laudum ornamentis celebrauerimus, quidquid splendidum, & illustre, siue in cœlo, siue in terrâ est, tibi adscribentes non minus impares huic instituto nos esse cognoscemus, ac alphabetarij pueri omnimodæ sapientiæ, & scientiæ edisserendæ; ita hæc verba explicantibus Ruperto, & aliis. Sed pro ipsorum explicatione, & germano huius loci sensu obserua: siue potius in memoriam reuoca, quod in prioribus adnotationibus monuisse me memini, in Hebræo textu pro voce *murenulas*, haberi *margaritas*, siue (quod vocem Hebræam omninò exprimit, & exhaurit) *plures vno filo insertas margaritas*, Hispanè, *hilo*, *ò sarta de perlas*: & vero cum margaritæ cælestem aditũ, & ipsas supernæ ciuitatis portas significent, dicente Ioanne Apocalyps. 21. versic. 21. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, manifeste videris, Mariæ omnia omninò cælestia ornamenta attribui: & non nisi cum toto cælo componi, vt in ipsa cunctæ virtutes, gratiæ, dona, & benedictiones splendeant, & ab ipsa omnes feliciter pendeamus, sic nãque Rupertus: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento: id est ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis benedicendo, & gratias agendo Deo, quod sic fecit tibi, ita vt non sit locus, vbi vox laudis huius nõ audiatur; quæ tuum nomen celebrãs iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo pendeat:* Ita Rupertus. Deinde verò, quod è re nostrâ omninò fuerit; quomodo hæc verba apud LXX. & Pagninum legãtur nosce: sic namque illi iuxta Quintam editionem, & plures è PP. Græcis: *Similitudines auri faciemus tibi cum notis siue punctis minutis argenti:* Pagninus verò: *Margaritas aureas faciemus tibi cum punctis argenteis:* Iam verò quare punctorum siue pũcti mentionem fecerit Salomon eo refert Nyssenus hom. 3. in Cantica: vt quoniam sponsæ laudes omnem encomiorum legem, omnemque cogitationem, & humanum captum excedunt: quidquid de Deiparâ magnum illustre, & cæleste concipiatur, & prædicetur, ad instar puncti indiuidui sit: de quo nihil omninò demere possis, cum naturâ impartibilis, & indiuisibilis fuerit. Audi Gregorium Nyssenum sic hæc diffundentem. *Quod ergo per hæc significatur, est huiusmodi: nempe, quod superat omnem, quæ comprehendit, cogitationem: quæ autem de eâ nobis subest intelligentia, mentisque conceptio est similitudo eius, quod quæritur: non enim ostendit ipsam illius formã, sed per speculum, & ænigma describit quãdam illius, quod quæritur apparentem speciem, quæ inest animis ex quâdum coniecturâ: omnis autem oratio, quæ significat huiusmodi mẽtis Conceptiones habet vim cuiusdam puncti indiuidui, non valens cogitare id, quod vult mentis cogitatio.* Hæc omnia Nyssenus.

Hebr. Lectur. *Apoc.* 21. ℣. 21. *Ruper.* *LXX.* *Pagn.* *Nyssen.*

A B C D E

VI

Audisnè omnem orationem, quæ Mariæ laudes, & ornamenta celebrat habere vim cuiusdam puncti indiuidui? Audisti etiam eximium quempiam laudatorem Mariæ, quãtumuis neruos ad eius laudem, & gloriam contendat, perinde atque alphabetarium puellulum esse? Pende modo, quam egregia Deiparæ laus sit, statum gratiæ nullo vnquam peccato temeratum semper habuisse, & extra communia naturæ inquinatæ procul à maledictione, & subiectione dæmonis positam fuisse: Esse enim

istud

istud Deiparæ ornamentum: vndequaque eximium, extra omnem dubitationem est: vt maximè mirandum sit Abulensem tametsi de Mariæ Conceptione optimè sentientē, eamque immunem à peccato fuisse affirmantem, atque id & tutius, & planè eligibilius esse pronunciantem, eo tandem deuenisse, vt diceret: *Nō mutari in hoc, vel minui Deiparæ laudem, ac gloriā, si dicatur incurrisse originale peccatum, vt putant, qui non penetrant naturam originalis peccati*: vt verius ipsi obiici possit: virum cæteroqui maximum & sapientissimum minus penetrasse naturam peccati originalis: cum nō parua gloria sit, Deo similem perpetuo esse; & habitu dissimilitudinis Dei, quod peccatum originale est, semper caruisse: itidemque labe peccati naturâ suâ corrumpentis, & inficientis, immo interficientis animam Dei beneficio eximi: sicut è contrario, non potest, non minui eius laus, qui ea macula sordere supponitur. Sed ea Abulensis sententia, vel calori scribendi, vel sinceritati mentis tribuenda, ac proinde dissimulanda fuerit: ille verò cuiusdā prægrandis Doctoris, quē nolo nominare, minimè ferēdus videtur cōceptus, qui dum nos Romæ commoraremur; optimo Patri Hyppolyto Maraschio innumeros pœne Auctores, qui pro stabilienda Mariæ Conceptione ab omni labe immuni laborarunt, in suam Bibliothecam conferenti, obuiā iuit inquiēs: *etiam bestiæ absque peccato sunt conceptæ*: ratus videlicet, inde vilescere, ac depretiari eximium hoc immunitatis ornamentum. Sed ò quā velim à viro doctissimo id non dictum: Nam quis, ò bone, non videt, non esse bestiarum decus, quod sint sine peccato conceptæ, quia bestię, ac proinde peccati incapaces sunt, sicut, & sanctitatis, & gratiæ? At verò in subiecto sanctitatis capaci, cuius modi est persona humana, illibatę Conceptionis ornamentum insigniter splendet, vt facile æstimare est ex tetra labe, qua peccatum originis animam inquinat, & ex summa luce gratię, qua furua illa caligo dispellitur: Ergo iterum dico. Velim non dictum, vel ea saltem ratione, nè dixerit non nemo, vocem istam, etsi à sano, & fideli pectore elicitam, quamuis non sensu, sono tamen nō abire ab illa, qua Manichæi apud S. Augustinū lib. *aduersus Manichæos*, cap. 14. Catholicis vrgentibus, quod Sancta Ecclesia tot Virgines haberet, occurrebant dicentes: *Etiam mula virgo est*.

Abul. *Hyppol. Maras.* *Augus.*

VII

Ergo cum inter Mariæ laudes omninò ponatur, ipsam in Conceptione sua ab omni labe, & debito originalis peccati immunem fuisse: & tā id, quam quidquid splēdidum, & illustre de ipsa dicitur vim quandam cuiusdam puncti indiuidui habere, cur velis indiuiduum hoc punctum diuidere? Et quod impartibile est partiri? Et integro Alphabeto litteram aliquam demere? Cur ipsam omni plenitudine gratiarum, omnisque quæ excogitari potest magnitudinis capacem non concipis? *Quid grandius Virgine Maria* (inquit S. Petrus Damianus serm. 1. *de Natiuitate Virginis*) *quæ magnitudinē summæ Diuinitatis intra sui ventris cōclusit arcanum?* Nonnè de ipsa sub sapientiæ imagine prophetico spiritu dicebat Iob cap. 28. v. 29. *Nescit homo pretium eius*, subdens. *Non dabitur obrizon pro eâ* (siue vt habet Lectio Tigurina: *Quod in thesauris cōclusum habetur*) *nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus: nec lapidi Sardonyco pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro eâ vasa auri*: Quibus tantum non dicitur: Non valet humana mens MARIÆ dig-

S. Petr. Dam. *Iob 28.*

nitatem dignè concipere, & ad eius laudes celebrandas consurgere ex pretiosissimarum rerum imaginibus, quæ aut Angelicam excellentiam, aut heroicas, ac præclaras mortalium virtutes adumbrant: quod his sit humanæ naturæ à peccato originali impressus næuus; Angelici autem spiritus infrà Mariæ dignitatem omninò fuerint, cui quidquid citra Deum incomparabile est: sic in hunc sensum infectente hæc verba Richardo à Sanct. Laurentio lib. 4. *de laudibus B. Mariæ. Nescit homo pretium eius, quia non est pretium, quod possit ei comparari, quia pretiosior est cunctis opibus corporalibus, & spiritualibus, & omnia, quæ considerantur non valent ei comparari. Nec appendetur argentum in comparatione eius, quia quidquid est citra Deum incomparabile est MARIAE.* Hæc Richardus. Pulchrè: *Quidquid est citra Deum:* quia etsi MARIÆ natura, & conditio mortalis, & humana sit: at eius Conceptio, vita, & dignitas humanam conditionem ita excedunt, vt non nisi à gratiæ plenitudine, & a diuinis vestigiis pensitanda fuerit. Concludo egregiis illis Sanct. Petri Damiani verbis præfato sermone de Natiuitate Virginis. *Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi:* Ita ille. Digniùs ergo opus istud Adamo in iustitiâ, & sanctitate creato: dignius Seraphinis charitate diuina a sui creatione ardentibus.

Richar. à S. Lau.

S. Petr. Dam.

Concludo summatim dicta repetens, & argumentatione ex illis hũc in modum factâ: Maria omnium encomiorum legem excedit: de MARIA, qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam quidem a veritatis scopo aberrabit: In Maria omnia ornamẽta benedictionis, & omnes omninò gratiæ, excellentiæ, atque priuilegia siue Angelis, siue hominibus data inueniuntur: *Cum ipsam humani generis naturam meritorum dignitate transcendat:* Ergo ipsa ab omni labe, & debito peccati immunis est. Probo consequentiam ex S. Thomâ 1. part. quæst. 20. art. 4. ad 5. absolutissimè affirmante. *Maior gratia fit ei, qui conseruatur in innocentiâ, quam cui remittitur culpa:* Ex eius enim sensu planum fit: eum qui MARIAM in innocentia conseruatam negauerit; minorem ipsam gratiam a Deo accepisse, quam Angelos, qui in ea conseruati fuere necessariâ ratione fore affirmaturum. Quâ quidem de causa Petrum illum Cellensem Bernardi studiosissimum de immunitate Deiparæ cum Nicolao Monacho acriter prius contendentem, ei tandem manus dedisse, & in piam opinionem manibus, & pedibus, vt dicitur securum iuisse omninò crediderim. Sic namque ille postquam vltro citroque decertatum esset, epistolæ ad Nicolaum initium fecit (vt habetur tomo 12. Bibliothecæ PP. libr. 9. Epistol. Petri Cellensis, epistol. 10.) *Credo, dico, assero, & iuro, Beatissimam Virginem nostram in æternâ prædestinatione singulari priuilegio munitam; nec à sua Conceptione in aliquo violatam; sed semper mansisse, & permansisse illibatam: & sicut beata vltra humanam, & cæterorum hominum naturam, sic secreta, & incognita manet vltra omnium notionem:* Hæc ille. Inde Virginem singulare immunitatis priuilegium adeptam fuisse colligens, quod & beata vltra humanam naturam; cui in primâ creatione illud fuit concessum: & maior omni laude, & quacumque mentis nostræ cognitione sit. Ergo quicũque Deiparam cõgruis

S. Thom.

Petr. Cellens.

VIII

laudi-

laudibus ornare cupis, vade, & tu fac similiter.

VIRGINIS studiosos signatè dotari, & decorari charactere opinionis piæ, MARIAM immaculatè conceptam asserentis.

ADNOTATIO II.

I

PIE quidem, & sapienter Richardus à S. Laurentio libr. 2. *de laudib. Virginis Mariæ, particulâ tertiâ*, studiosis eius cultoribus ea aptabat verba, quæ de Diuinâ sapientiâ inquit Salomon Sapient. 7. versic. 10. *Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen eius: venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honestas per manus illius:* vt nihil sit felicius, nihil beatius, nihil tutius, quã Deiparæ ardentem amatorem esse, & pulchro hoc charactere notari: sic enim ille allatis præfatis verbis inquit. *Nam omnis istorum temporalium adquisitio deficit homini in necessitate extremâ: sed beata Virgo, nec in vita, nec in morte deest amatoribus suis: immò prout frequenter legitur in miraculis suis, ipsorum animas de corporibus exeuntes benignè suscipit, & protegit ab incursu malorum spirituum*: Hæc ille: & quidem rectè: nam quomodo non omnia bona cum Mariâ homini veniant, quæ nec in vita, neque in morte deest amatoribus suis; & cuius character adeò est felix, atque glorioſus, vt velut signaculum diuinæ electionis, siue adnotationis in libro vitæ sit: diſſertè monente S. Bonaventura in Psalterio Mariæ: *Qui habuerit characterem Mariæ adnotabitur in libro vitæ*: quod argumentum libro *de Maria forma Dei* fusius fumus persecuti.

Sapient. 7. v. 10.

A B C D E

II

Sanè cum hoc ita sit: ecce tibi, bone Lector, nouam responsionem præfatæ interrogationi *cui bono* sit pia de Mariâ immaculatè concepta opinio? Nimirùm quòd qui tam piè, & studiosè de Mariæ immunitate sentiunt, & eã ardenti in Deiparam deuotione propugnãt, inter studiosos Virginis signate numerarari debeant, & charecterem Mariæ habere censendi sint. Scitũ est enim illud S. Anselmi hom. 1. *in festo Conceptionis*, à Ioãne Bachonio, & aliis Scriptoribus relatum. *Non est verus amator Virginis, qui respuit colere diẽ Cõceptionis, & creationis eius*: Quod totidem verbis affirmauit auctor ille, qui communiter appellatur *discipulus*; quo ipse, præ egregia animi modestia nomine in libro suo vocari voluit; quique, & proprium nomen Ioannem Heroldũ, & professionem Ordinis S. Dominici habuit vt Auctor est Antonius Possevinus in suo Apparatu. Hæc sapientissimi Magistri huc Discipuli in sermone de *Conceptione B. Mariæ*, verba sunt. *Quicumque recusat festum Conceptionis B. MARIAE, quod est initium B. MARIAE, & exordium salutis nostræ, celebrare solemniter: talis non est verus amator B. VIRGINIS*: Ita ille. Quamuis non ideò omninò probauerim sensum Franciſci Titelmani boni quidem auctoris, & cuius omnia scripta etiã Philosophica iudice Card. Bellarm. in lib. de *Scriptor. Ecclesiasticis*, miram spirant sanctitatẽ, qui nõ dubitauit non pios, siue non pie-

Anſel. Bacchon

Discipulus. Possevin

Titelm. Bellar.

tatis insimulare eos, qui renuerint pietatem suam erga B. Virginē prodere, hoc immunitatis ipsius a labe originali decus agnoscendo, profitendo, ac celebrando: nam multò opportunius, ablegatâ omni prorsus verborum amaritudine; contenti erimus solummodo dicere, illos qui Virgini mente, & animo hoc ornamento decorare satagunt, vt ei statum gratiæ nullo vnquam peccato temeratum tribuant, pietatem & affectum suum erga ipsam signatè prodere, & eâ in re præ aliis pios esse.

III Sed quare? Dixerim, quod hæc natura veri amoris sit, vt nullis limitibus circunscribatur: dixit enim ex prophanis non nemo: *Verus amor nullum nouit habere modum*: & magnus poeta.

Proper. Virgili. *Et Sol crescentes decedens duplicat vmbras*
Me tamen vrit amor, quis enim modus adsit amori.

Hieron. Et ex nostris Hieronymus epist. 8. ad Celantiam. *Dilectio ordinem nō habet, & impatientia nescit mensuram. Vndè in Canticis Canticorum, quasi difficile præcipitur: Ordinate in me charitatem*: & luculenter Venerab. Gillebert. sermon. 19. in Cant. *Amor exæstuat, se ipsum non capit, superfluit sibi, immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui imponere.* Quod itidem expressit *Nazian.* Nazianz. in Thetrasticis inquiens: *Diuinus amor satietatis legum est nescius*: Vndè quidèm de amore tepido, terminis, & modo circunscripto scitè dicebat Seneca Pater libr. 2. controuers. *Senes sic amant*, & indidem: *Facilius in amore finem impetres, quam modum.* Quod si dixeris: Quorsum hæc? Occurram: Verum amatorem Virginis, vt eatenus ipsam sibi diligendam decernit, qua tenus diligenda est: ita etiam quidquid de illa illustre, præclarum, & mirum in modum præexcellēs prędicatur; mente credit, amplectitur, osculatur, & toto animi impetu excipit, atque defendit; præclarum scilicet hunc S. Ildephonsi Deiparæ studiosissimi in lib. 1. de *B. Virgine*, sensum sibi proponens, atque exprimens: *Beata fidei nostræ: beata tu animæ nostræ: beata dilectioni nostræ: beata præconiis, & prædicationibus meis. Prædicem te, donec prædicanda es: diligam te, donec diligenda es: laudem te, donec laudabilis es: seruiam tibi, donec seruiendum est gloriæ tuæ.* *S. Ildep.* Hæc Sanctus Ildephonsus, quibus non solum pulchrè, & vrbanè; sed etiam sapienter, & Theologicè adstruit, nullum fore terminum præfigendum Mariæ laudibus, & gloriæ; sed vt omni modo diligenda: ita omni ratione laudanda, & prædicanda est, atque eius gloriæ toto animo, mente, & linguâ inseruiendum: quin vlla vnquam illi meta, aut terminus ponatur. Et verò cum illustris, atquè egregia gloriæ, & laudis Mariæ portio sit, immunem ab originaria labe prædicari, omninò dicendum videtur, quam proprium quidem germani amatoris Mariæ est, sic ei inseruire donec seruiendum fuerit ipsius gloriæ: tam etiā necessaria ratione teneri, immunitatem illius credere, prædicare, & omnibus persuadere.

IV Nec pudebit pro hac tatione argumentationem conficere ex disertissima Plinij Iunioris mente, qui libro 7. epist. 28. Septitio illi conscriben ti, immò & monenti; notari ipsum à nonnullis, quod nimia in amicos suos procliuitate ipsos ex quātalibet occasione supra modum laudaret; hunc in modum obviam ibat: *Plinius Iun.* *Agnosco crimen: amplector etiam: Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti, qui amicos meos melius norint? Sed vt norint, quid inuident mihi felicissimū errorē? Vt enim non sint tales, quales à me prædicantur: ego tamen beatus,*

quod

quod mihi videntur: igitur ad alios hanc ſiniſtram diligentiam conferãt: neceſunt parum multi, qui carpere amicos ſuos, iudiciam vocant: mihi nũquam perſuadebunt, vt meas amari à me nimium putem: Hæc Plinius ſuauiſsimus Hieronymo appellatus: mihi verò opportuniſsimus inſtituto, quod perſequimur: Quare ſingula ei verba aptare placet: Ergo ſi auctores opinionis minus piæ, pro ipſa nobis religionem obtendãt: quaſi Mariam immaculatè conceptam affirmare, ſupra modum laudare ſit, ratione Theologica aliò eunte: nõ ſine epitaſi, & ironiæ ſono piæ opinionis ſectator reſpondebit: *Agnoſco crimen: amplector etiam*: & libenter in hoc pecco: vt enim ex Plinij ſenſu minime peccat, qui maxime amat, quos amandos putat; ita etiam Deiparam vltra omnem modum laudare, & ei inſeruire, quatenus inſeruiendum eſt gloriæ ipſius: adeò crimen non eſt, vt egregia potius virtus ſit: *Quid enim honeſtius culpâ benignitatis*, hoc eſt erga Virginem in re dubia (nobis quidẽ minimè dubia) benignum ſe ſe exhibere? Maximè cum ab Eccleſia ad Mariæ immunitatem aſſerendam manuducimur. Sed illud. *Qui ſunt tamen iſti, qui amicos meos melius norint?* Peropportunè aptabimus: Quis namque Mariam melius norit, quam qui de ipſius gloria ſublimius ſenſerit? Quis melius norit, quam qui omnia illuſtria, magnifica, & diuina in ipſam conferit? Quis melius norit, quam qui ſenſui Eccleſiæ de ipſa adhæret? Quis melius norit, quam qui immenſitatem laudum ipſius æmulatur; nec gloriæ eius metam vllam ponit? O ſenſum (dicam ironicè errorem) feliciſsimum: Quid nobis illum inuident? Vt enim Maria immaculatè Concepta non ſit; (quod conſtantiſsimè negamus) nos tamen beati, quibus ipſa vndique immaculata, & ab omni labe immunis videtur, immunis prædicatur: dixit quippe veriſsimè S. Baſilius Seleucienſ. orat. de *Annunciatione*: eos, qui in Maria laudã da effuſiores ſunt, manifeſtum ſpecimen dare, tùm ardenti illos dilectione ipſam proſequi: tùm vel maximè peculiari Spiritus Sancti illuminatione eſſe illuſtratos: Audi. *Nõ eſt quorumlibet promeritas laudes Virginis perſoluere, ſed eorum, qui diuinæ gratiæ lumine inſigniter illuſtrati ſunt: & ipſam teneriſsimè amãt.* Amat ergo amare Virginem: amat diuinæ gratiæ lumine inſigniter illuſtrari, qui promeritas laudes ei perſoluens immaculatè conceptã credit. *Baſilius Seul.*

III. Hinc iure quidem animum non nemo inducat, vt exiſtimet, hac inter alias de cauſſa à Domino ardẽtiſsimo Virginis amatore fuiſſe diſpoſitum, vt hæc tam acris, ac vehemens de Mariæ immunitate cõcertatio fuerit exorta, tandiùque dura uerit; cum tamen primo ad faciem aſpectu gloriæ Deiparæ magis conſultum iri videatur, ſi æquè ab omnibus omnino fidelibus ipſa ab originaria labe exors credatur, & prædicetur; quia videlicet ab hac cõcertatione ſtudium cultorum Deiparæ vehementius exardeſcit; & ipſi pulcherrimo hoc charactere notantur: vbi non poſſum non comminiſci dubij illius, quod magnus Athanaſius quæſtione vndecima *ad Antiochũ* mouet; cur Deus homines tentari, & impugnari permittat; & acre inter eos, & da monem bellum geri? Cui ipſe reſpondet; non ingratus in conſultiſsima prouidentia id eſſe diſpoſitum: vt à bellandi peritia, & reſiſtendi fortitudine, quinam ſtrenui, & dextri milites ſint dignoſcãtur, & veri amatores Dei a tepidis diſcriminentur: Audi illum ita interrogantem: *Cuius rei gratia permiſit Deus, vt bellum eſſet inter genus humanum, & diabolum?* Deinde verò *Athan*

hunc

hunc in modum respondentem: *Vbi, qui Deum diligunt manifesti fierent: vbi namque nullus est aduersarius non manifestantur dextri Regis milites.* Hæc ille. Sed non ideò dixerim, opinionis minus piæ sectatores non esse Virginis studiosos, cum norim, insigniter ipsi esse deuotos: quis namque sanæ mentis sub tanto discrimine Mariani obsequij, & characteris, qui omnium glorioſior est, eâ opinionem tueatur? Affirmauerim tamen, illud inter vtrosque Deiparæ studioſos intercedere discrimen, quod qui illam immaculatè conceptam credunt, & profitentur, vt ei *seruiunt, donec seruiendum est gloriæ ipsius*: ita etiam iuxta dicendi modum Athanasio vsurpatum, *manifesti, & dextri* dilectores Mariæ esse videntur: qui contrarium opinantibus iure dicunt. Qui sunt tamen isti, qui Mariã melius norint? Sed vt norint, quid inuident nobis feliciſsimũ errorẽ? Vt enim non sit talis, qualis à nobis prædicatur; nos tamen beati, quibus pura, immaculata, & ab omni næuo originali immunis videtur.

VI Enim verò omnes omninò fideles, quoquo modo de Deiparæ immunitate senserint, eam in animo, & corde, siue pro corde habere dubium non est: ita enim S. Petrus Damia. sermonẽ vndecimũ, qui *de Annunciatione B. Virginis* est, exordiebatur: *Exultate fratres in Domino, quia de Domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris, sibi vendicat principatum*: & eadem mente Hesychius in Catenâ Græcâ in Psalm. 44. Vatis verba: *Eructauit cor meum verbum bonum*: sic inflexit, vt Maria Ecclesiæ, ac fidelium cor à Dauide appelletur: sic enim ille: *Dicuntur hæc ex personâ Ecclesiæ quæ Virginem Deiparam cor habuit. Nam quemadmodum cuiuslibet animantis præcipua pars anima constituta est. Ita etiam Virgo Dei Mater nostrorum omnium, & necessariorẽ mysterium est pretioſiſsimum: ſiquidẽ in câ tanquam in cordis delium vita Christus habitauit cum Deus esset, & Verbum.* At enim, qui Virginem à peccati labe immunem profitentur, videntur sanè ardentius, & tenerius erga cor suum affici; cũ iuxta Salomonis monitũ *omni curâ* illud custodiant. Prou. 4. vers. 23. & nullã commutationem pro instanti vitæ illius volunt accipere. Nimirùm diuinum illud Domini consiliũ. *Quid prodest homini, si vniuersum mundũ lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matthæi 15. vers. 26. itidem sibi dictum sub eo sensu existimant, vt cum Maria, quæ cor, & anima ipsorum est, in primo vitæ, siue Conceptionis instanti vita spirituali animata fuerit (quemadmodũ cor tefte Aristotele lib. 12. *de generatione animalium*, cap. 4. primum est, quod in viuente generatur) hoc nomine Conceptionis viuę, purę, & illibatæ adeò lætantur, vt nolint vlla ratione aliquam pro eo cõmutationem accipere; nec iis acquiescere, qui pro Conceptione in eius festiuitate *Sanctificationis* nomẽ obtrudunt. Sed & deinde, quod ait Hesychius: *Quemadmodum cuiuslibet animantis præcipua pars anima cõstituta est: ita etiam Virgo Dei Mater nostrorum omniũ, & necessariorum mysterium est pretioſiſsimum*: sic capimus, vt ipsam immaculatè Cõceptam fuisse, adeo omni ratione, & modo eius studioſi nitantur tueri, atque propugnare, vt pro pia opinione stabilienda quoduis discrimẽ subire paratiſsimi sint. Pulchrè quidem dixit Seneca epist. 74. *Amaratione: huius te amor contra duriſsima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas, & inconsultus impetus præstat indomitas: iuuenilia nonnunquã ingenia cupido gloriæ in contemptum tam ferri, quam ignium misit: species*

Prou. 4. v. 23.

Matth. 16. v. 26

Arist.

Seneca.

quoſ-

quosdam, atquè vmbra virtutis in mortem voluntariam trudit: quanto his omnibus fortior ratio est, quantò constantior, tanto vehementior per metus ipsos, & pericula exibit pulchrius: & nos affirmabimus Mariæ studiosos ipsius amorem contra durissima armaturum, atque ipsos à validissima ratione, quæ pro eius immunitate est, quanto constantiores, tanto vehementiores extituros.

VII Vbi non fuerit ab hac cogitatione alienum, quàuis obiter, illud obseruare, quod perdocti viri constâter affirmare minimè dubitauerunt, eum, qui in contestationem veritatis piæ opinionis, & pro perpetua Deiparæ ab omni labe immunitate, contestatur se malle vita excedere, quam negare piam, & veram esse Assertationem Mariæ immaculatè concepta; veris Martyribus fore annumerandum. Quod & Pater Franciscus Suarez affirmauit, quem affert, & sequitur Venerabilis à sanctitate, & doctrina P. Iacobus Granado lib. *de immaculatâ Conceptione*, toto cap. 51. latè in hoc argumento exspatiatus; & Ægidius à Præsentatione lib. 3. *de immaculatâ Conceptione*, quæst. 8. §. 4. allegans Doctorem Aluarum Picaño de Palacios, vt indubitatum statuit.

EIVSDEM ARGVMENTI.

DE charactere Amatorũ Deiparæ ab opinionis piæ propugnatione.

ADNOTATIO III.

I SED redeo ad characterem amatorum Virginis, qui cũ propugnatione immunitatis ipsius videtur esse coniunctissimus. Et quidem, si attendis, S. Petrus Damianus in serm. *de Annunciatione*, sic Deum ardentem Virginis amatorem inducit, vt eapropter ipsam ab originaria labe expertem fecerit: *Germinat igitur virga Iesse de tortuo sâ radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnium ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit, infructuosa quæque non habet:* itidemque addidisset: *Statim de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur.* Quæ ad exprimendam Mariam immaculate conceptã ire iam in superioribus vidimus; subiicit. *Videt, & ardet ille vehemẽs amator, & totum epitalamium in laudibus eius decantat. Vbi manifestè sponsus inducitur spirans amorem sinceriſsimum, nec vltra valens dissimulare quod patitur:* Ita ille: pulchrè Sanctissimæ Deiparæ immunitatem cum ardenti, & vehementi amore Dei coniungens, vt & ab ipso immunitas Mariæ prodierit, & ipsa purissima munditie Mariæ iam præuia in eius amorem denuo vehemens amator exarserit: Sed obserua etiam illud: *Vbi manifestè sponsus inducitur spirans amorem sinceriſsimum:* Sed quid? aut quando est illud *vbi*. Sane cum de Maria ab omni labe immunitate cogitatur: hic enim est Amor sinceriſsimus, qui nullum patitur in re amata consortium; nec vllo modo sustinet Virginis corpus, & animam peccati labe, & dæmonis seruitute fœdari, hic est sinceriſsimus amor, qui sponsam ardenter amatam quantalibet donorum, & gratiarum suppellectile adornat, hic est sinceriſsimus amor, cuius modus est sine modo: *Qui se ipsum non capit* (vt Gillibertus iam citatus dicebat) *immensitatem æmulatur, dum metas nescit affectui imponere:* At qualem metam affectui suo

S. Petr. Dam.

Gillib.

impo-

impoſuiſſet Deus ſi cum poſſet Matrem ſuam à dæmonis captiuitate, & peccati originalis turpitudine exortem facere, ipſam in benedictionibus dulcedinis non præoccupaſſet: ſcilicet ſinceriſsimus, & ardentiſsimus Dei amor mortaliũ erga Deiparam affectui cederet, & dum hic vult metam neſcire, ille ſe ſe cohiberet: Nonnè (vt alibi vidimus) S. Thomas a Villanoua in Maria laudanda, extollenda, & omnibus donis, gratiis, & chariſmatibus ornanda ſoluendas affectui, cogitationi, & intellectui habenas admonebat cum ſerm. 2. de *Natiuitate Virginis*, dicebat: *Quænam obſecro pulchritudo? Quanam virtus? Quæ perfectio? Quæ gratia? Quæ gloria Matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas: dilata intellectui fimbrias, & deſcribe apud te in animo Virginem quandam puriſsimam, prudentiſsimam, pulcherrimã, deuotiſsimam, humillimam, mitiſsimã, omni gratiâ plenam, omni ſanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus chariſmatibus decoratam, Deo gratiſsimam*, ſubiicit opportunè; *Quantum potes, tantũ auge: quantum vales, tantum adde: maior eſt iſta Virgo: ſuperior eſt Virgo iſta. Non eam Spiritus Sanctus litteris deſcripſit; ſed tibi eam animo depingendam reliquit: vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionũ, aut gloriæ, quam animus in purâ creaturâ concipere poſsit, defuiſſe: immò re ipsâ omnem intellectum ſuperaſſe.* Hactenus egregius Pontifex. Apud quem vide, vt ſapienter, & accuratè dixerit: *Quantum potes, tantum auge, quantum vales, tantum adde*, vt deſignaret ardentem, & germanum Mariæ amatorem, qui pro mẽtis viribus, pro animi impetu, pro cogitationis velocitate, & immenſitate, quidquid in gratia præclarũ, & in gloria excelſum concipere, cogitare, & inuenire poteſt, totum id de eius puritate, & immunitate ab omni labe profiteatur: & potius de augendis, & addẽdis laudibus, quã de minuendis cogiter.

S. Thom. à Villan.

A

B

C

D

E

Sed & illud appoſite à B. Thoma excogitatum eſt. *Non eam Spiritus Sanctus litteris deſcripſit, ſed tibi cã animo depingẽdam reliquit.* Sed quã, rogo, ob cauſſam? Valentior nè tuę mentis penicillus ad Mariam depingendam fuerit? Minimè quidẽ: ſed, ſi verè æſtimas, voluit de induſtria Diuinus Spiritus Deiparam tibi exculpendam relinquere, vt affectum tuum erga ipſam, & intenderes, & oſtenderes, omnes omninò Diuini Spiritus gratias, & dona, omnes perfectiones, & excellentias in eam cumulando, ratus germanum amatorem in Mariæ laudatione, nec hilum habenas contracturũ, ac proinde de eius immunitate minime dubitaturum fore: Quod quidem ipſamet ſanctiſsima Virgo Beatæ Birgittæ aperuiſſe fertur: vt illa libr. 6. *Reuelationum*, cap. 55. teſtatur dum Deiparam ſic cum ipſa loquentem facit: *Scito quod Conceptio mea non omnibus nota fuit: quia voluit Deus, quòd ſicut ante legem ſcriptam præceſsit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali: & poſtea veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: ſic placuit Deo, quod amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareret in tempore præordinato.* Hæc Maria immaculatè concepta: cuius in verbis præter obſeruationem, quam alibi perſequimur de diſcrimine cœleſtis ſtyli ab humano, dum Deipara eos, qui de Cõceptionis ſuę immunitate ambigunt, & eam peccati originalis maculæ obnoxiam faciunt, & amicos Dei, & pios vrbaniſsime appellat; atque ipſorum de hac re zelum excuſare nititur. Vincentius vero Bandellus in prologo libri de *Conceptione*, a quo non multũ abeũt

II

B. Brig.

B. Bandell.

Caie-

Caiet. Spina. Caietanus, Spina, & alij, eos qui in ſtudiũ Virginis proni piam de eius immunitate opinionem defendũt; *ſtultas mentes, & pectora cæca* appellant; & opinionem, quam nos piam dicimus; ipſi *ſcelus inauditum facinus deteſtandum, & deliramẽta nequitiæ*, dicti tant: notetur ſimilitudo legis naturalis, & ſcriptę, quâ Deipara vſa eſt, vt oſtenderet ingenuam indolem, & peculiare eorum in ipſam ſtudium, qui piam de eius immunitate opinionem amplexantur, quin Pontificium diploma, & ſcriptam legem præcipientem expectẽt; quemadmodum illi, quibus cum ſcripta non eſſet lex, *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis:* ad Roman. 2. verſ. 15. indicantes (vt ibi inquit P. Benedictus Iuſtinianus) *ſe viuere ex rationis præſcripto, & habentes intus in animo legis præcepta inſcripta digito Dei condentis naturam:* Cũ quâ cogitatione ſenſum communẽ habere videtur obſeruatio Auguſtini in ea verba Pſalmi primi verſ. 2. de iuſto: *Sed in lege Domini voluntas eius:* dum committit cum illis ea Apoſtoli, 1. ad Timothæum, 1. verſ. 4. *Iuſto non eſt poſita lex*: & vtraque ſic exponit. *Iuſto non eſt poſita lex (vt dixit Apoſtolus) ſed aliud eſt: eſſe in lege: aliud ſub lege. Qui eſt in lege ſecundum legem Dei agitur: ille ergo liber eſt, iſte ſeruus:* Hæc Auguſtinus. Quę ſi noſtro inſtituto, & verbis allatis Deiparæ aptaueris, facile videris opinionem de Mariæ immunitate piè ſentientem, eorum eſſe, qui præ ſtudio, & amore illius oſtendunt illam ſcriptam in cordibus ſuis: & in lege ſecundum legem agunt, non expectantes legem ſcriptam, ſeù diploma præcipiens: ſicut opinionis minus piæ Auctores ſeſe expectare profitentur, ſub lege ſecundum legem acti.

Rom. 2. verſ. 15. Iuſtin.

Pſalm. 1 verſ. 2. 1. Ad Timoth. 1. v. 4. Aug.

III Ad hæc pro ſtudioſis Deiparæ, qui præ illius amore ab omni ipſam labe expertem credũt, ſuggerit nouam rationem Paulus, cum 1. ad Corint. 13. verſ. 7. inquit: *Charitas omnia credit*: quæ omnia? Ea ſcilicèt, quę proximo bona, & vtilia ſunt: vt bene explicat P. Cornelius hunc in modum: *Scilicèt, quæ prudenter poteſt ſine erroris periculo credere, facilè alijs aſſentitur: ait ergo Paulus: Charitas omnia meliora de proximo credit, & ſibi perſuadet:* ita ille ad mentem Chryſoſtomi ea verba ſic efferentis. *Quæcumque ſunt bona dilecto, non deſperat*; nec procul ab Anſelmo ibi dicente. *Sperat omnia, quæ ſibi dubia promittuntur:* quemadmodum dicebat ille,

O ſpes amantum credula!

Nec inibi id dixiſſe contentus Paulus, alibi opus iuſtitiæ eſſe affirmat; vt qui amat benè ſentiat, & benè ſperet de dilecto: ſic enim ille charissimos ſibi Philippenſes demulcebat cap. 1. verſ. 6. *Confidens hoc ipſum, vt qui cæpit in vobis opus bonũ, perficiet vſque in diem Chriſti IESV*; *ſicut eſt mihi iuſtum ſentire pro omnibus vobis, eò quod habeam vos in corde*: Audis, vt Paulus reuocet ad iuſtitiam, bonam ſpem de Philippẽſibus habere: Quam ob cauſſam? *Eò* (inquit) *quod habeam vos in corde:* quaſi is qui amat, teneatur, & debeat benè ſentire, & benè ſperare de eo quem amat: Quod ſi *charitas omnia credit*, & quęcumque ſunt bona dilecto ſperat, & iuſtum exiſtimat ijs aſſentiri, *cum prudenter poteſt ſine erroris periculo:* quomodo non Marię amatores de ipſius conceptione, vt puriſsima, & ab omni labe alieniſsima benè ſentire, & ſperare debeant, cum non ſolum prudenter poſsint ſine erroris periculo, ſed etiam cum laude, & merito manuducti ab ipſâmet Romanâ Eccleſia, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis?* Et annuentibus Pontificibus Summis, & ſuffragantibus PP. & cunctis Academijs fideiuben-

1. Co. 13 verſ. 7. Corn.

Chryſoſt Anſel.

Phil. 1. v. 6.

tibus:

tibus. Quod si opinionis minus piæ Auctores affectui nostro pietatem concedentes, intellectui ignorationem obiecerint: non absre dicendũ putabimus. Simus ergo, & nos, & illi Idiotæ; illis difficile Mariæ immunitatem credentibus, nobis difficilius illam non credentibus (dixit quippè Sidonius Appollinaris lib. 7. Ep. stol. 14. *Idiotarum siquidem est, sicut facilè conuincisita difficilè compesci*) sed nobis quidem non modo magnum solatium, sed ingens etiã gaudium, & firmum prædium in idiotismo nostro erit, quod charitate ducti Mariæ immunitatẽ, & quæcumque ad ipsius gloriam spectant, indubitanter credimus: tunc quippè sapiens mihi esse videbor, cum talis idiota fuerim: dixerimq;, quod alio intentus Iob cap. 19. versic. 4. *Nempe, etsi ignoraui, mecum erit ignorantia mea*; id est pro me, & mihi fauens. *Quid enim honestius culpâ benignitatis?* Vndè iterum dicimus: *Quid ergo inuident felicissimũ errorẽ*: vt enim nõ sit talis Deipara qualis à nobis prædicatur: nos tamen beati, quod nobis pura, & immaculata à primo Conceptionis instanti videtur.

IV

Verum enim verò: *Qui sunt tandem isti, qui amicos meos melius norint?* Cum charitas non tantum omnia credat, sed etiam omnia norit? Monente Augustino in Manuali capit. 20. *Qui vult habere notitiã Dei amet*, & testante Ioanne 21. versic. 7. ipsum præcæteris Apostolis Dominum ab inferis suscitatum in maris littore stantẽ cognouisse, & suggessisse Petro: *Dominus est*: & Petro Chrysologo serm. 78. rationem reddente: *Quia amoris oculus acutiùs intuetur*. Ita quidem obseruatum est a Philone in lib. *de nominum mutatione*, Iacobum è supplãtatore, hoc est strenuo pugile, euasisse Israelem, id est videntem Deum tanquã eum, qui è lucta coronam obtinuit. Audi. *Verùm Deum videntis proprium est è sacro certamine, non egredi prius, quam retulerit coronam, sed ob adeptam victoria præmia tollere. Quænam autem floridior, aptior ve corona victori animo necti posset, quam illa per quam ea, quæ sunt, acutè videre valeat.* Pergit opportunissime: *Præclarum igitur animo virtuti operam danti proponitur, vt oculatus fiat*: ita Philo. Iam si inquiras. Quid charitati, & notitiæ, huc cognitioni commune fuerit? Cum vna quæque sue intellectui, & voluntati commune sit? Cum vna quæque harum potentiarum proprium habeat obiectum, in quod signatè feratur? Occurit interrogationi Basilius Magnus homilia, cui titulus. *Quod sine diuinâ virtute, & gratiâ resistere Sathanæ non possimus* docens, charitatis diuinæ proprium munus esse, interiores mẽtis oculos ad cernenda diuina mysteria lucidos, & perspicaces reddere: sic enim ille: *Hic ignis trabem illam, quæ intus est in oculo nostro cõburens, mundam constituit mentis aciem, vt receptâ natiuâ perspicuitate admiranda Dei opera cõtinuò videat iuxta eum, qui dixit.* Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Hæc ille: Quæ ad Theologicos canones dixeris reuocasse S. Thomam in commentariis epistol. ad Philipp. vbi explicans verba capit. 1. vers. 9. *Et hoc oro, quod charitas vestra magis abundet in scientia, & in omni sensu*, sic reddit rationẽ: cur Apostolus scientiam cum charitate coniunxerit? *Quia qui habet habitum, si rectus est habitus, sequitur inde rectum iudicium de iis, quæ pertinent ad illũ habitum: si verò corruptus falsum:* Ita ille. Ex quibus bene colliges. Qui vult habere notitiam immunitatis Deiparæ, amet, quia amoris oculus acutius intuetur: & hoc præclarum Mariæ studioso proponitur præmium, vt oculatus fiat: pulchro hoc amore mundã

Sidonius Apoll. *Philo.* *Basilius.* *Philipp. 1. ver. 9.* *S. Thom.* *Chrysol.* *Augus. Ioan. 25. vers. 7.*

consti-

constituente mentis aciē, vt recepta nativa perspicuitate admiranda Dei opera erga Mariam videat, sicut ipsa dixit. *Quia fecit mihi magna, qui potens est*, Luc. 1. versic. 49.

Luc. 1. v. 49.

V

Enim verò a singulari amore, quo sponsa cælestem sponsum prosequebatur, egregia illa notitia oriebatur, quam ipsa de ipso habere testatur cū inquit. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*, Cant. 1. vers. 15. quibus omnino indicat illuminatis oculis se sponsum de facie cognoscere: & contemplari mirabilia Dei. Nimirum vt bene pendit Nyssenus, id indicasse videtur Sponsus hanc laudationem ita ei rependens: *Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.* Sed obserua ipsum LXX. secutum reponere: *oculi tui columbæ*, vt & sermo sit de Diuino Spiritu,

Cant. 1. v. 15.

LXX.

A

B

cui se sponsa charitate coniunxerat, & quem in oculis ferebat: & sensus fuerit; tunc sponsam reuelatis oculis mirabilia de Sponsi sui pulchritudine cognouisse, cum ipsum ardenter amauit, quod ab eius dilectione mentis acies munda constituta perspicuitatem nativam percepit: Quæ sic breui præstrinxit Nyssenus: *Nunc enim primum virgo in Sponsi formam intendit oculos: quoniam Sponsum habebat in oculis.* Ad hunc ergo modum, qui Mariæ amore feruet; atque eam in oculis, & in animo fert; in eius pulcherrimam formam intendens oculos; ipsam videt vndequaque purā, & immaculatam, & ab omni næuo siue actuali, siue originali alienissimam.

Nyssen.

IHS

DISSERTATIO VI.

DE VTILITATE, QVÆ A MARIÆ immunitate Populo Christiano obtingit.

MARIÆ IMMVNITATEM FIDELI Populo, & vniuerso mundo esse vtilissimam.

ADNOTATIO I.

I

PERGIMVS satisfacere factæ interrogationi: *Cui bono* fuerit credere Mariam ab originaria labe omninò immunem, & exortem fuisse? Constanter affirmantes, vtilissimum, & saluberrimum siue Ecclesiæ toti: siue omnibus omninò creaturis Dei esse, in Mariæ immunitatē totis am-

plexibus ruere, & festiuis gaudiis celebrem facere: ita quidem in officio Conceptionis, à Pontifice Maxim. Sixto IV. approbato in secunda lectione quintæ diei infra Octauam, fertur dixisse Anselmus. *Qui diem Conceptionis tollit Ecclesiæ Dei, aut non benè attendit, aut attendere negligit, aut nescit bonum, quod inde processit omni creaturæ Dei.* Quod luculentius expressit Ecclesia canens: *Conceptio tua Deigenitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo.* Sed enim in ipsa immunitatis opinione, & celebritate inhærentes, eò potissimum vtilitatem referimus (quod potissimum, & maximum est,) vt eius obtentu sanctificationem, & gratiam à Deo in purissimâ Genitricis suæ Conceptione maximè complacente obtineamus: sub hoc sensu de MARIA dicente Vate: *Solium gloriæ altitudinis à principio: locus sanctificationis nostræ.* Ieremiæ 17. versicul. 12. quippè vt nihil est opportunius, & apud PP. frequentius, quam MARIAM Dei solium, & sedem appellare: de quo in superioribus multis egisse me mimini: ita hæc verba de ipsa, vt immunis ab omni labe censetur, accipiunt Richard. à S. Laurētio pluribus in locis, & Petrus Galatinus lib. 7. *de arcanis*, cap. 28. scitè premens Deiparam non vtcumque solium gloriæ Dei nuncupatam fuisse, sed notanter *à principio:* vt nullum omninò tempus, siue temporis instans, aut momentum fuerit, in quo Deus in MARIA gloriose non insederit: Nam cum præmisisset: *Ego per solium gloriæ gloriosam Virginem Messiæ MATREM intelligi arbitror, quæ est sedes Dei Altissimi:* subiicit: *Dixit autem à principio: vt ostendat, eam absque initiali peccato conceptam fuisse.* Cum hac verò omnimoda MARIÆ puritate, & ab omni labe originaria immunitate opportunè

Ansel.

Iere. 17. vers. 12.

Richard. à S. Lau. Pet. Galat.

nostra connectitur sanctificatio, vt subiunxerit Propheta: MARIÆ solium *locum esse sanctificationis nostræ.* Quid enim aptius, quam MARIAM omni munditiâ nitentem ad puritatem nos inuitare? Quid opportunius; quam nostram Aduocatam, & pro peccatis nostris Mediatricem omni omninò peccato, & labe carere? Audi Richardū a S. Laur. lib. 10. *de laudibus Virginis*, sic hæc diffundentē: *Ipsa enim est* locus sanctificationis nostræ: *Quia ipsa est templū Dei, in quo diuina mysteria celebrantur, & in ipse celebratum est illud Sacramētum, ex quo nostra sanctificatio processit, de quo Sacramento 1. ad Timoth. 3. Manifestè magnum est pietatis Sacramentum:* & statim, *vel ideò ipsa dicitur* locus sanctificationis: *Quia ipsam ad hoc mundam fecit, & sanctificauit Christus, vt posset mundare, & sanctificare nos: Recurre ergo ad eam quoties amiseris peccando sanctificationem:* Hæc per opportune Richardus à Sanct. Laurentio.

Richar. à S. Lau.

II

Quò mirè facit MARIAM notantissimè a PP. appellari peccatorum perfugium, sic ipsam Sanct. Ephrem sermone *de laudibus MARIAE* salutauit: *Aue peccatorum refugium, & hospitium: Aue refugium in Ierosolymis: ad quam nimirum confugere possunt peccatores: & hi, qui in Sanctâ Ecclesiâ per Ierosolyma significata degunt:* & iterum: intemerata prorsusque pura Virgo Deipara Regina omnium: Spes desperantium: sic Sanct. Laurentius Iustinianus sermone *de Annunciatione*, inquiens: *Confugium periclitantium: naufragantium portus, solamen laborantium, fluctuantium robur:* sic Sanct. Germanus Constantinopolitanus orat. *de Natiuitate Virginis*, hanc cogitationem pulchrè perficiens: *Vt iis, qui se enormibus pecca-*

S. Ephr.

Laur. Iustin.

S. Germ.

tis manciparunt eximiam remissionis gratiam conciliat: & iis qui supra modum omnem deliquerunt modo quodam eminenti veniam expedit: &
Idiota. sic sapiens Idiota in libro *contemplationis de Beata Maria*, cap. 1. *Peccatoribus impetras gratiam, quia aduocata es miserorum:* Sic Andræas
Andr. Cret. Cretensis oration. *de Annunciatione Dei Genitricis*, appellans: *Diuinam inter Deum, atque homines conciliationis profugium.* Quid verò Reginæ, Aduocatę, Mediatrici, & communi hominum profugio adeò opportunum, & quasi necessarium, quàm omni omninò culpa caruisse: ab absolutissimè pronunciante Paulo (ad Hebræos 7. versicul. 26.) *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus:* Adquæ verba sæpius adnotauimus præter eximiam innocentiâ, & puritatem, quam Dei Filio subesse innuunt, manifestè adstruere Mariæ immunitatem, dum Christum *segregatum à peccatoribus*: ideſt, quasi ab alio grege, qui maculæ originariæ obnoxius non sit, ortum ducentem faciunt: quod id signate ad veri illius Pontificis dignitatem, atque decorem pertineat, in Leuitico Canone præsignati, qui non contaminaretur *super Patre*, & *super Matre*. Leuitici 21. versicul. 11. Qua sane ratione de ipsamet Pontificis Matre, tùm quia Mater, tùm quia Mediatrix ad ipsum est, itidem dixeris sanctam, innocentem, impollutam, & segregatam à peccatoribus fuisse omninò decuisse, vti id præstrinxit Hymnus Græcus apud Buteonem pagin. 138. Mariam sic consalutãs. *Patrona mundi pura, & inculpata:* quasi ad suscipiendum mundi patrocinium Deiparam ab omni labe puram, & inculpatam extitisse, operæ pretium fuerit. Ad quem itidem modum S. Sabbas apud Menæa Græca 23. Ianuarij Ode 4. de *S. Clemente*, ipsam sic orabat. *O eminentissima castitate MARIA, quæ facta es Puritatis ipsius sedes, vtpotè ad inhabitandum peridonea Deo, impuritates ac sordes in animâ meâ stabulantes ad nihilum redige.*

Buteonē

S. Sabb.

Certè hac signatè de caussa Apocalypsis 12. versic. 1, MARIA a Ioanne sole ipso amicta sic inducitur: *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole:* vbi cum in solari amictu MARIÆ vmbra, & patrocinium, siue perfugium ad quod miseri peccatores, tanquam ad asylum confugiunt, significetur: duo in illo opportunè obseruabis: Alterum, vt MARIA sub vmbra tegminis sui, siue in vmbra alarum misericordiæ suæ, ad instar Solis, de quo Dominus notanter dixit: *Qui oritur super bonos, & malos*, Matthæi 5. versiculo 45. tam bonos, quam malos, iustos, & iniustos ad se confugientes foueat, faueat, & obumbret: hunc solis amictum premente Bernardo sermone *de Verbis Apocalypsis*, hunc in modum: *Nimirum ea est, quæ velut alterum solem indait sibi. Quemadmodum enim ille* super bonos, & malos *indifferenter* oritur, *sic ipsa præterita quoque non discutit merita, sed omnibus se se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu:* & indidem: *Agegratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissimâ miseratione prouidit, in quâ nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est: sapientibus, & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit.* Hæc Sanct. Bernardus, omnia quidem pulchrè, sed hoc omninò opportunè *omnibus misericordiæ sinum aperit*, vt Solis amictu omnes homines contegat, signatè verò peccatores ad ipsam con-

Hebr. 7. v. 26.

Leu. 21. vers. 11.

III

Matth. 5. ver. 45

Bernar.

fugientes protegat, ſicuti Beatæ Gertrudi opportuniſsima viſione commonſtratum eſt, quemadmodum habetur lib. 4. *Reuelationum*, cap. 49 in hunc modum: *Videbātur Beatæ Gertrudi, quaſi ſub pallium intemeratæ Virginis accurrere quædam diuerſi generis beſtiolæ per quas notabantur omnes peccatores ad ipſam ſpecialem deuotionem habentes, quas omnes Mater miſericordiæ benignè ſuſpiciens, & quaſi pallio ſuo protegens delicata manu ſua ſingulas contrectando, deliniendo, ipſis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis ſolet blandiri catulo ſuo, per hoc manifeſtè inſinuans, quam miſericorditer ſuſcipit omnes ſe inuocantes, & quam maternâ pietate defendat, ac protegat homines, adhuc peccatis deditos in ſe ſperantes, donec eos Filio ſuo reconciliet veraciter pœnitentes.* Hæc ibi: vides Mariam Sole amictam omnibus miſericordiæ ſuæ ſinum aperientem. Gertru.

Vide iam alterum, quod hic Solis amictus in Mariâ portendit: nimirùm immaculatiſsimam eius puritatem, & immunitatem ab omni labe originariâ. Quid enim aptius ad ipſam ſignificandam, quam ſolores radij? In quos nulla obſcuritas, nulla labes, nulla vel leuiſsima nubecula, aut vapor poteſt incidere? Vt eadem omninò ſolis imagine MARIÆ patrocinium, tùm commune ſiue iuſtorum, ſiue peccatorum, tùm etiam purum, incorruptum, & immaculatum ſignificetur; quaſi ad orandum, & exorandum pro peccatoribus oporteat Patronam puram, inculpatam, & ſolaribus radiis mundiorem, & nitidiorem eſſe. Quò peculiariter facit id, quod ex Auguſtino ſermone 20. *ad fratres in eremo*: de pretio Redemptionis noſtræ, ideo inter alia incorrupto, & puro, quod ex MARIA Virgine fuerit deſumpto, in ſuperioribus adduximus: ſiquidem cum ibi dixiſſet, *Dei Filius pro Redemptione hominum homo factus eſt, vt caro per carnem liberaretur, & humano generi de ſuâ ſumeretur pretium redemptionis, & inde remedium fieret, vnde vitium contractum fuerat, & in eodem monſtraretur, & peritia medici, & iuſtitia redempti, quandò de ſuo, & ſanando inuenitur remedium, & pretium redimendo:* inde tic ad rem noſtram infert. *Quia verò à corruptione liberandum erat, quia remedium; id circo pretium redemptionis, incorruptum eſſe debuerat: propterea MARIA Mater electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fœcundata: omni virtute, & ſanctitate in vtero repleta, vt de mundiſsima MATRE mundiſsimus Filius naſceretur, & ſicut in cœlo Filius habet Patrem immortalem, & æternum, ſic & in terrâ haberet MATREM omni corruptione carentem.* Hæc Sanct. Auguſtinus duplici quidem ex capite MARIÆ immunitatem confirmans, dum & ipſam quatenus omni corruptione caret, cum ipſomet æterno Patre, qui fons lucis, & puritatis eſt, componit: & inde redemptionis noſtræ pretium, quod purum, & immaculatam eſſe debuit, inde incorruptum adſtruit, quod ex mundiſsima MARIA fuerit deſumptum: vt & hinc etiam inferre liceat MARIÆ patrocinium omnimodæ ipſius puritati maximè inniti, indeque opportuniſsimam Mediatricem eſſe, quod luce ipſa, & ſolaribus radiis purior, & ab omni labe remotior fuerit. Sed id à Bonauentura in 3. diſtinctione 3. articul. 2. quæſtion. 2. diſertiſsimè admonitum audi. *Hoc*, inquit, *congruebat aduocatam generis humani, vt nullum haberet peccatum, quod ſuam conſcientiam remordere: vnde audiui narrari, quod*

IV

Auguſ.

Bonau.

ipsa cuidam personæ reuelauit, quod non reprehendebat eam cor suũ in omni vitâ suâ. Congruum erat vt B. Virgo Maria per quam aufertur à nobis opprobrium, vinceret diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum. Quare de ipsa exponit, tam Bernardus, quam Augustinus illud. Ipsa conteret caput tuum: Genes. 3. *Si ergo suggestio est caput diaboli, nulla suggestio ingressum, vel locum habuit in mente Virginis.* Hæc Bonauentura.

Genes. 3.

V

Concinit huic Solis amictui mutua illa Deiparæ cum Filio, & Sponso suo collocutio, Cantic. 1. versic. 6. illâ interrogante: *Indica mihi, quẽ diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes in meridie:* ipsoque respondente: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum:* Quid enim meridianus splendor siue meridiana solis altitudo, & æstus ab illo solari amictu differat, de quo Bernardus præfato loco. *Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellẽter irradiata noscuntur, vt nihil in eâ non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.* Quippè cum in meridiana luce nullæ vmbræ, nulla omninò caliginis vestigia conspiciuntur, perfectæ, & omnimodæ puritatis meridies imago est; ac proinde ad primæuam illam munditiam, & pulchritudinẽ, in quâ siue cœlestes spiritus, siue primi parentes creati sunt opportunè refertur: vti ad Adami innocentiam retulit Sanct. Petrus Damianus in ser mon. *de Assumptione* hunc in modum: *In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem conditoris, &c. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiectâ apostatæ spiritui falsâ promissione delinitus inhæsit, & se cum posteritate sua æternæ morti destinauit, & tenebris.* Sanè, vt Maria his verbis subobscurè pro sua modestissima vrbanitate cũ Filio de immunitate, & illibata Cõceptione loqui videatur: quasi tacitè ab Sponso perquirat: an ipsa ob omnimodam puritatem, & ab omni labe munditiam æquè, ac cœlestes spiritus, aut primi illi in iustitia, & sanctitate creati parentes ab illo pascatur? Cui quidem interrogationi opportunissime occurrit cœlestis Spõsus iis verbis: *Si ignoras teò pulcherrima inter mulieres egredere, & abi, &c.* Is siquidẽ illis sensus subest: Si tuam ò Deipara magnitudinem, & dignitatem, omni cogitatione superiorem ignoras: & vel oculis ipsis, te omnium esse pulcherrimam, quippè quæ nulli vnquam originariæ labi fuisti obnoxia, non cernis: saltem ex protectionis tuæ dignitate, & merito coniice: cum hæc tantum valeat, vt ipsosmet peccatores morti addictos, & tanquam hædos ad sinistram locatos saluti, & vitæ restituat: & de hædis agnos, siue de damnatis beatos faciat: elegantissimè hæc ad id loci obseruantibus Cardinali Hailgrino, & Guillielmo: Quorum prior ait: *Dicit, si ignoras te: hoc est: an ignoras te, & debet pronunciari* te: *cum pondere: ac si dicat: An ignoras te, quod sis stella maris, quæ non solum benemerentes dirigis, sed etiã errantes, ac deuios reducis ad portũ salutis? An ignoras te, quod sis mediatrix Dei, & hominum, vt peccatores discordantes à Filio tuo reducas ad concordiam.* Guillielmus vero hædorum imagini insistens post similia verba subiicit: *Sed tamen hædi sunt, à MARIA confouendi, sanandi, & paulatim in oues mutãdi, & de sinistra in dexterã transferendi:* Hæc hi PP. vt præfatæ à Maria de sua immunitate interrogationi factæ respondeãt illa verba: *An ignoras te, quod sis Mediatrix Dei, & hominum?* Eaque

Cant. 1. 6.

Bernar.

S. Petr. Dam.

Guillielm.

mediatrix, quæ hædos desiniſtrâ in dextram transferat: inde ergo neceſſaria argumentatione colligeinmeridie, ſiue in plenâ luce, & omnimoda immunitate à me paſci. Vbi non tantum vides, quantum valeat Mariæ interceſsio, & patrocinium; ſed etiã iſtud ipſius immunitati max imè inniti-

A

VI Quò quidem pulcherrimè facit pulcherrima a lilio, quo nihil candidius, nihil purius, Mariæ imago deſumpta illis ſponſi verbis Cant. 2. verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas: ſic amica mea inter filias*; quæ vt nullus non de Mariæ immunitate accipit: ita nos alibi penſiculatius de eâ elucidauimus. Ad rem verò præſentem de illibatâ Virginis conceptione ad impetrandam peccatoribus veniã opportunâ, obſerua appoſitam illuſtrium interpretum expoſitionem ex Hebræorum Magiſtris, ſignatè vero ex Rabbi Iehuda deſumptã: perinde hæc verba ad eximia alicuius iuſti merita referentium, quaſi ſuauiſsimâ virtutum eius fragrantiâ delectatus Dominus multis peccatorum millibus, quos ſuccidere vltionis falce decreuerat, benigne tandẽ parcat: in hũc ſenſum præfatis DD. componentibus hęc verba cum illis lib. 4. Regum 8. verſ. 19. *Noluit Dominus diſperdere Iudam propter Dauid ſeruum ſuũ*, quibus ſignificatur; tantum apud Deum valuiſſe vnius iam mortui Dauidis merita, vt commeritam in populum diuinam iracundiam fregerit, & euerſionis pœnam per multa temporis ſpatia prorogauerit: vbi minimè fuerit omittenda venuſta imago, ſiue parabola, quâ hanc cogitationem præfatus Rabbi ſic illuſtrat. *Simile eſt hoc cuidã Regi, qui in horto ſuo plãtãdas curauit radicẽ fici, & radicẽ vitis, & radicẽ malorũ punicorũ, aliorũq; pomorũ, traditoque eorum horto in curam colono abiit; cumque poſt multũ temporis rediiſſet: egreſſus eſt in hortum vt videret, quid feciſſet, vidit illum plenum ſpinis, & vepribus: iuſſitque illico venirent, qui omnia ſucciderent: interea autem vidit ibi roſam, ſeu lilium inter ſpinas florens: acceſſit, odoratusque eſt, & illius fragrantiâ recreatus eſt eius ſpiritus: dixitque, ob iſtam roſam, ſeu lilium totus ſeruetur hortus*: Iam verò, ſi licuit Hebræorum Magiſtris, hæc Canticorum verba Dauidi aptare, vt propter ipſum ſpinæ populi ab igne diuinæ vindictæ illæſæ ſeruarentur; quanto potiori nostiure ea, non per accommodationem, ſiue ad ſonum litteræ, ſed verò & germano ſenſu de potentia Mariæ pro cunctis peccatoribus ad eam confugientibus accipiemus, veriſsimè exiſtimantes Dominum peccatoribus antea infenſum, ſubinde diuinum Mariæ liliũ odoratũ, ſuauiſsimaq; illibatæ Conceptionis eius fragrantia delectatum, dum nihil labis in ipſa commune cum cæteris hominibus videt; ſed omnia vndique immaculata, omnia omninò ſancta, placidiſsimè dicere: *Ob iſtud lilium florens totus ſeruetur hortus*. Tanti ſcilicet eſt Deiparam ab originaria labe fuiſſe immune m, & tanti refert in ea nos exiſtimatione eſſe, vt iure ipſam, cum S. Germano Patriarcha Conſtantinopolitano oratione *de zona, & faſciis Virginis*, hũc in modum alloqui poſsimus: *Tu cum habeas maternam apud Filium tuum fiduciam, & potentiam; nos qui ſumus condemnati, & non audemus intueri cœli altitudinem, tuis interpellationibus, & interceſsionibus Deo efficis familiares: das ſalutem, & ab æterno liberas ſupplicio.* Sic Germanus germanè, & opportunè. Nec ab hoc iuerit ipſemet Dominus, cum apud Iſaiam 65. verſ. 8. inquit. *Hæc dicit Dominus. Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur. Nè diſsipes illud, quoniam benedictio Domini eſt: ſic faciam propter*

B

C

D

E

Cant. 2. ver. 2.

Regu. 8. verſ. 19.

S. Germ.

Rabbi.

Iſai. 65. verſ. 8.

pter ſeruos meos, vt non diſperdam totum. Sed obſerua LXX. ſignatè reponere: *Sic faciam propter ſeruientẽ mihi*, non tam ad ſeruos in plurali, quam ſignatè ad vnum omninò ſeruientem referentes. Vndè opportunissime de Deipara acceperis; quæ antonomasticè *Ancilla Domini* dicitur: & qua nullã vnquam creaturã melius Domino obſecundaſſe nouimus. Sed iam totam de roſa cogitationem accipeà S. Ioſepho Cõfeſſore in Menæis Græcis 15. Ianuarij Ode 3. de S. Ioanne Calybita in *clauſula* Deiparã ſic affatus. *Te integer ille, ac Purus, ô Vndique intaminata, tanquam Roſam inſtar vnguenti fragrantem in conuallibus reperit, atquè habitans in medio tui totum genus humanum fragrantiâ ſuaui repleuit:* Sic Ioſephus: obſerua illud. *O Vndique intaminata*: quo Mariæ immunitas omninò exprimitur: & ab ea roſæ fragrantia Deo gratiſsima, propterquam ab ipſo benedicimur, ipſi addicitur.

LXX.

Ioſeph.

VII

Quod ſi benè æſtimas non nihil iuris ſubeſſe dixeris ſectantibus piã opinionem, Mariæque immunitatẽ profitẽtibus, vt benè ſperare de ſua ſalute, itidemque a Domino eã impetrare poſsint: adſimili ſiue eadem argumentatione vſi, quà Regius Vates Pſalm. 25. verſ. 8. Deo blandiebatur: *Domine dilexi decorẽ domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: nè perdas cum impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitã meam*: pulchra ſcilicet conſecutione à iudicio, quo in illibatam Mariæ pulchritudinem pronus ferebatur, perpetuam animæ ſalutem expoſcens, & conſecuturum ſperãs: quippe, ſi meminiſti, hæc Dauidis verba ad Mariæ immunitatem fore referẽda in ſuperioribus monuimus: duo adnotantes: alterum: pro *decorem domus tuæ* Symmachum, & Aquilã legere *Palatium*, ſeu *Baſilicam Regiam*, vocem verò Hebræam ſignificare *rem oculis ſpectabilem, & viſu pulchram, quod apte, atque decenter ſit diſpoſita*, vt Princeps pro dignitate ſplendorem gloriæ ſuæ inibi oſtẽdat, atque explicet: Quod itidem exprimit vox *decorum*: quæ ſumitur pro re in qua, vt nihil vitij, aut turpitudinis eſt: ita omnia concinne ornata, & pulchra conſpiciuntur. Qui quidem decor, vt Sapienter ad ea verba Chryſoſtomus, ſiue Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 47. monuit, non ad diuerſitatẽ ſplẽdentium marmorum; ſed ad varietatem viuentium gratiarum omninò referẽdus eſt. Alterum: verbum *dilexi*: non voluntatis affectũ ſiue impetum, ſed charitatem à iudicio, & mentis decreto ortam ſignificare, vt alicubi inquiebat M. Tullius: *perpetuo quodam iudicio meo diligebã*, de quo vide me ad Philipp. capit. 2. verſ. 7. adnot. 5. num. 2. vt ea his verbis ad demulcendum, & placãdum Deum ſententia ſubſit: Ego Domine decorem domus tuæ, id eſt illibatã Mariæ Conceptionem, in qua velut in Regia Baſilica, & Palatio habitare voluiſti, non tantum amore, & affectu; ſed perpetuo iudicio, & firmo animi decreto, & electione *dilexi*, & totis viribus amplexatus ſum, & notã omnibus feci, quod id ad gloriæ tuæ ſplendorem explicandum maximè decens, atque conueniens iudicaui: *Nè*, ergo, *perdas cũ impiis animam meam*, ſed potius ad animæ meæ ſalutem, & vitam, tam pia, & benè ſentiens de bonitate, & dignitate diuina opinio mihi omninò proficiat.

Chryſoſt. Matth.

Philipp. 2. v. 7.

Pſal. 25. v. 8.

MARIÆ immunitatẽ noſtræ tã animæ, quã corporis ſaluti vtiliſsimã eſſe.

ADNOTATIO II.

I

Bernar. BENE quidem de MARIA dicebat Bernardus: *Per hoc, quod Virgo est, exaudita est pro suâ reuerentiâ in causâ tuâ, & totius generis humani.* Nam quid ni Filius Matrem reuereatur? Eam scilicet Matrem, quæ digna Mater digni Filij fuit? Eam Matrem, quæ Deitati proxima ab omnimodâ puritate, & munditia exstitit: *Puritas enim, & affectuum vitiorumque vacuitas, & ab omni malo alienatio, Deitas est,* vt inquit Gregor. Nyssenus orat. 6. *de Beatitudinibus:* eam Matrem, quæ vt opportuna Mediatrix in causa generis humani constitueretur perfectissimam imaginem Filij sui prætulit, de quò Paulus aiebat. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocēs, impollutus, segregatus â peccatoribus, excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre.* Ad Hebr. 7. vers. 26. & 27. quæ videlicet ab omni labe etiam originaria exors, & immunis fuit: sed enim vt hæc cogitatio vndequaque subsistat: prius in mentē reuoca: Deiparam peculiari quadā ratione cum Altari placationis à Patribus componi, vt peccatorum Asylum, & Arā clementiæ; in qua à Deo, benignissimo largitore condonantur peccata; & miserationum fontes effunduntur: Audi PP. & primò Methodium M. in orat. *de hypapante* Mariam sic affatum. *Tu animarum panis istius vitæ Altare,* deinde S. Petr. Damian. serm. 11. *in Annunciatione,* vbi agens de vtero Virginis; signate, ad illum tanquam ad Altare Dei Filium accessisse sic inquit: *Hic diuinis manibus vnctus est oleo lætitiæ, & sicut ad Altare in Sūmum Pontificē est cōsecratus.* Nec alio sensu Andræam Cretensem orat. de dormitione Virginis dixisse vides: *Placa Dominum pro communi figmento, &c. Te vniuersus mundus continet commune Propitiatorium:* Signatissimè vero Richard. à S. Laurentio lib. 2. *de laudib. Virginis,* part. 2. in hūc sensum verba Domini apud Isaiam cap. 60. vers. 7. *Offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo:* sic inflectentem: *Maria dicitur Altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, cum super hoc Altare offerunt dona, & sacrificia: de quo Altari ipse dicit: offerentur super placabili Altari meo.* Pergit verò perficere hanc cogitationem S. Epiphanius orat. de laudibus Mariæ, nec contentus ipsam Altare appellasse, sic itidem Sacerdotem dicit, *Virginem dixerim Sacerdotem pariter, & Altare:* eo scilicet sensu, vt Dominum pro communi figmento placare nunquam intermittat: vt ex his videre mihi videar Deiparā, tanquam Clementiæ Aram, & Altare circundatum infinitis peccatorū millibus, qui tanquam victimæ diuinæ vltioni iam deuotæ, ad hoc Asylum confugientes, aramque tenentes eius ope Dei benignitatem, & clementiam signatè assequuntur, quod ipse inter cætera in Mariæ puritate, & immunitate peculiariter sibi complaceat.

Nyssen. *Hebr. 7. v. 26, 27* *S. Petr. Dam.* *Andr. Cretens.* *Richa. à S. Lau. Isai. 6. vers. 7.* *S. Epip.*

II

Et quidem nemini in hanc rem non est obuia ea cogitatio, quæ, cū primum audis historiam illam apud lib. 1. Machabæorum cap. 4. vers. 45 cum Iudas Machabæus recuperato à gentibus templo, & pristinæ sanctitati restituto: *Cogitauit de Altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret: & incidit illis consilium bonum, vt destruerēt illud: nè forte illis esset in opprobrium: quia contaminauerunt illud gentes: & demoliti sunt illud: & acceperunt lapides integros secundum legem: & ædificauerunt Altare nouum secundum illud, quod fuit prius:* se se statim tibi per oculos ingerit pro Mariæ immunitate: vt multo opportu-

Mach. 4. v. 45.

nius:

nius,& conuenientius in Mariæ Altari constructo incidit Opifici consilium bonum, vt acciperet lapides integros à primo parente non contaminatos,ne forte illi esset in opprobrium:&illud nouum ab omni labe immune sibi,& nobis ædificaret.Sed enim,tum vt id nostro instituto omnino congruat:tũ vt iuxta Quintiliani monitum *noua communiter,communia nouiter dicantur*: obserua diuersum á Propheta Helia de altari initum consiliũ;cum ipse de religione, & veri Dei cultu cum Sacerdotibus Baal decertans; in ipsomet altari, in quo illi profana,& impia sacra dijs suis fecerant; quodque ipsi irati proculcauerant, & solo allisserant, quod ab idolis non fuerant exauditi, non dubitauit vero Deo sacrificiũ offerre; cõtentus altare reficere, & quasi vulneribus saucium curare: notanter id obseruante Sacro Scriptore hunc in modum:*curauit altare,quod destructum erat*,3.Regum 18.vers.30. Quod si vtriusque tam diuersi consilij rationem,& discrimen perquisieris ambigẽs:cur Elias nouum altare non construxerit, sicut Iudas Machabæus sapienti consilio fecit? Facile respondebo:non minus religiosè quam Machabæum se gessisse Eliam;nec minus sapiens pro rei opportunitate inijsse consilium; cum curatum ab Elia altare, non tam ad placandum Deum,quã ad excitandam vindictam in Sacerdotes Baal fuerit erectum:illudque Eliæ sacrificium, & preces, eum erant successum habiturę, vt prophani illi Sacerdotes in temporalem, & æternum interitũ irent:sic enim ibi vers. 40. *Dixitque Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal,& ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi:* Ecce ergo tibi vtriusque altaris discrimẽ ex vniuscuiusque ministerio, & euentu: nimirum illa Clementię Ara, & Altare placationis; in quo salutem,& vitam peccatores à Deo erant consecuturi; vt tanto muneri esset opportunum,nouum & impollutum,nullique labi obnoxium; nõ vero tanquam ægrum à vulneribus curatum, & amissæ saluti restitutum esse debebat:ne videlicèt *esset in opprobrium* tam ipsi Numini, quod in Altari Mariæ placare studemus;quã nobismet cum hanc clementię aã tenentes,preces, & vota pro salute nostra Deo offerrimus,hanc Mariæ aram à Dæmone prius fuisse contaminatam, superbumque hostem illi fuisse prętectum, atque in ea conedisse. Opportune ergo non curauit Dominus altare, quod destructum erat:sed nouum, & incolume ædificauit; tanquam *vellus* (ita appositissimè Bernardus hom. 2. *in Missus est* inquit) *quod vtique de carne tonsum est, sed sine vulnere carnis:* quod vtique curandum, & sanandũ foret. *Bernard*

Cui sanè cogitationi optimè inseruiunt verba Petri Cellensis lib. de *Panibus*, cap. 21. vbi cum præmisisset. *Filius est Sanctus Sanctorum: Mater est Sancta Sanctarum*: inde sic infert. *Filius est Altare de terrâ Sanctâ, quia corpus habet de Matre sine maculâ,in quo crematur holocaustomata dum condemnãtur peccata*: Nimirum hæc verba vtrumque Filij,& Matris altare sanctum,& immaculatum faciunt,dum Christi Domini altare ideò de terrâ sancta cõstructum affirmat, quia corpus habet de Matre sine maculâ: itidemque supponit Altare,in quo crematur holocaustomata,dũ cõdemnantur peccata,vt Mariam PP. appellant, sanctum & impollutum esse debere, *quod vtique de carne tonsum* fuerit, *sed sine vulnere carnis*.Certè cum Angelus Mariam salutaturus, & cum eâ de humani generis redemptione; ac proinde de *Pet.Cel.*

3.Re.18 vers. 30.

Me-

Mediatricis officio ab ipſa ſuſcipiẽdo acturus, à Deo mittendus fuit non ad id miniſterium Raphael, qui in Tobiæ beneficium, & ſalutem ſedulam operam nauauit, ſed ſignatè Gabriel prælectus dicitur: quippè cum Raphael interpretetur *Medicina Dei*, Virginis obſequio nõ fuit viſus opportunus; nè ipſam curaturus ſiue ſanaturus veniſſe videretur, quæ corporis vellus ſine vulnere carnis habebat, cui nulla erat medicina neceſſaria: Gabriel verò ideò ſignatiſsimè huic miniſterio Virginis mancipatus aſſeritur: quod cum Dei fortitudinem ſuo nomine præferret, vel inde planum faceret, nihil à Maria magis alienum ſemper fuiſſe, quam agritudini ſubiacere; cui tota Dei fortitudo aderat, & militabat.

IV

Nec tamen negauerim vnum Mariæ languorem, atque infirmitatem; ſed eam quidem, quæ omni robore fortior, omni fortitudine valẽtior, & conſtantior eſſet, vt iure diceret. *Cum infirmor, tunc potens ſum*: quippè ipſa diuino amore ſe ſe languidã eſſe ita profitetur: *Amore langueo*, Cant. 2. verſ. 3. & Cant. 5. verſic. 8. vt dixerit, quemadmodum ad ea verba meditatur venerab. Guilhielmus: *Langueo in amore mei, præ amore Sponſi cæleſtis. Amor eius languidum, & remiſſum in me facit amorem mei ipſius. Meo amori mortua viuo ego: non iam ego viuit in me Sponſus: me namque amo non amore mei, ſed amore Sponſi, qui me amat. Non amo me in me, ſed me in ipſo, & ipſum in me.* At quid hoc languore robuſtius? Quid hac infirmitate valentius? Quid opportunius? Vt inde poſsis inferre, nunquam Mariam originali labi, à quâ noxius amor proprius ortum ducit, ſubiacuiſſe, (de quo alibi.) Certè ipſa huic ſanitati, & fortitudini fidens, animosè Sponſo (vt Mariæ accommodat hęc verba Rupertus) ingerebat. *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuũ.* Cantic. 8. verſic. 6. Sic enim effert ibi Rupertus. *Quid (rogo) iſta petit mulier fortis, niſi vt confidat in ea cor viri ſui? Quid enim eſt dicere.* Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuũ: *niſi, ac ſi dicat, cõfidat in me cor tuũ, roboretur adiutorio meo brachium tuum?* Hæc ille. Planè vt in Maria ornanda, & gratiis omnibus implenda eâ animi contentione *potentiam* Deus fecerit *in brachio ſuo*; vt Mariæ brachium non iam carneum, ſed patri diuino adſimile in robore, & fortitudine eſſe videatur.

Cant. 8. verſic. 6. Rupert.

V

Sed redeo ad Mariæ altare, omnino ſanum, & incolume ac proinde, quod ſine vulnere carnis expers curationis fuerit; & hanc illius ſanitatem, & perpetuam valetudinem firmo ex iis Sapientię verbis de Maria cap. 7. verſ. 23. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera: ideò nihil inquinatum in eam incurrit:* quæ cum primis ad Mariæ immunitatem opportunè retuleris cum Richardo à S. Laurentio lib. 5. de laudib. B. Mariæ Virginis: vbi ea cum illis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: ſic componit. *Tota enim pulchra eſt anima, cui nihil ineſt ſpiritualis turpitudinis, id eſt vitij, & peccati. Talis verè fuit gloriosa Virgo, quæ nec primam ſimilem habuit, nec habitura eſt in vtroque. Propterea primum dicitur de ea Sapientiæ 7.* ſincera eſt: & ideò nihil inquinatum in illam incurrit: *Deſecundo dicitur de ipſa Eccl. 24.* in me omnis gratia viæ, & veritatis: *& benedicit*: omnis gratia, *nulla enim defuit ei virtus, nec puritas Angelorũ, &c.* Deinde verò in illis perpetuã Mariæ ſanitatem, & bonam valetudinem deſcriptam videris. Nimirũ Græcum verbum *parempipti*, reſpõ-

Sap. 7. v. 23.

Richa. à S. Lau.

Sap. 7.

Eccl. 24.

Cant. 2. verſ. 3. Cant. 5. verſ. 8. Guilliel.

dens

dens Latino *incurrit*: quamuis generaliter significat intercedere, interlabi, interrumpere quasi tem alteri dissonam, proprie tamen è re medica est, quo Galenus, & Medici explicant pulsum intercidentem, qui est inæqualis systomaticus, *in quo spectatâ quiete, in medio tanquã* A *supervacuus aliquis pulsus sentitur*: & ita Galenus in finitionibus Medicis, quæ habentur in Isagoge fol. 48. hoc verbo vius pulsum intercidentem diffinit: *Intercidens pulsus est, quandò inter duos ictus, qui ordine proprio inferũtur, tertius alius ictus intercurrit*: vt ex hac obseruatione videris Salomonem omnimodam sanitatem, & perfectam valetudinẽ B Mariæ ab instanti suæ Cõceptionis tribuere, dum ab ipsa omnino remouet pulsum intercidentem siue dissonum, in quo peccatum originale significatur, quod à Dionysio Areopagita relato à Francisco Turriano in epistola *de peccato originali* appellatur *habitus dissimilitudinis ad Deum*: quippè quæ *emanatio quædã sincera sit à corde beneualente, immo totius sanitatis, & incolumitatis fonte.* C

Galenus

Dionisio Areop. Franciſ. Torrean

VI Vt verò hæc cogitatio vndequaque subsistat: & Mariæ altare sanũ, & integrum penitus appareat: preme in eisdem verbis vocem illam *sincera*, quę eadem est ac *simplex*: iti demque vt verbum *incurrit*, ad rẽ medicam, siue ad pulsum spectat: de quo hæc scripsit S. Isidorus Hispalẽsis lib. 11. *Ethymologiarum*, cap. 1. *Pulsus vocatus, quòd palpitet, cuius indicio infirmitatẽ intelligimus, aut salutem. Huius duplex est motus, aut simplex, aut compositus. Simplex est, qui ex vno saltu constat; compositus est, qui ex pluribus motibus inordinatus, & inæqualis existit*: vbi vides Mariæ sanitatem, tùm peccatũ originale graphicè descripta: quippè vt de hoc dicebat Dionysius esse *habitum dissimilitudinis ad Deũ*: quod ex pulsu intercidenti *in quo super vacuus aliquis pulsus sentitur*: & ex pulsu composito, *qui ex pluribus motibus inæqualis existit*, apprimè explicatur: ita de Maria affirmat Salomon, sincerum, & simplicem pulsum, *qui ex vno saltu constat*; illi in esse: cum à primo suæ Conceptionis instanti emanatio quædam sit claritatis omnipotentis Dei sincera, & incomposita. Quare obserua idem prorsus interesse discrimen inter Mariam, & Ioannem Baptistam: atque inter pulsum simplicem, & compositum: nimirum de Ioanne, quem in Conceptione suâ peccato originali obnoxium fuisse nouimus, postmodum cum ab ipso, Deiparâ aduenièn te, sanctificatus est, exultasse in Matris vtero, ipsamet affirmauit inquiens: *Exultauit infans in vtero meo*, Lucæ 1. vers. 44. quod perinde accepit Chrysostomus apud Metaphrastem, ac *saltus dedisse*: vt significaretur secundus motus, siue secũdus saltus, quo sanctificatus est, & mundatus fuit à primo saltu siue motu, quo in peccato originali conceptus fuerat, sicuti Angelus eodem c. versic. 15. dixerat: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*: vbi vides Ioannis pulsum non simplicem quidem, sed compositũ; ac proinde aliquando inordinatũ, & inæqualem, cui videlicet nõ vnicus, sed duplicatus subfuit saltus; alter à natura, à quâ iræ filius conceptus fuit: alter a gratia, a qua, Deiparâ interueniente mundatus fuisse perhibetur. D E

S. Isidor. Hispal.

Luc. 11. vers. 44.

VII Alius sanè Mariæ pulsus, qui simplex, & vno saltu in Deum sublatus, à primo scilicet Conceptionis instanti a Deo, & in Deum motus extitit: ipsamet Deiparâ manifestè pronũciãte: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, Lucæ 1. versic. 47. vt omninò de se dixerit: tunc primum cum vitæ spiritum, siue halitum accepit, à Deo Spiritu San-

cto repletam vnico tantum ſaltu in Deum euolaſſe, eiuſque ſpiritũ, primum ſcilicet Conceptionis initium Diuino ſpiritu fuiſſe occupatũ: quare compone hæc verba *exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo:* cũ illis 1. ad Corinth. 15. verſ. 45. quibus Paulus Chriſtum Dominum cũ Adamo compoſuit, immò oppoſuit inquiens: *Factus eſt Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem:* vt Mariæ ſpiritus in Deo exultans perinde ſit, ac primus vitæ halitus cœleſtibus intẽtus, & ſupra naturæ leges ſanctus, & immaculatus, qui ſanctificatione, vt Ioannes minime indiguerit: cũ pulſum vnico motu conſtantem, & à primo inſtanti vniformem habuerit: vt huic imagini per omnia concinat firmamenti ſimilitudo, quâ in Deiparâ laudanda vſus eſt S. Bonauentura ſerm. 1. de *B. Virgine Maria*, hunc in modum: *Domina fuit firmamentum vniformiter ſemper motum, & cœlum ſtelliferum per omnium donorum, & gratiarum Dei copioſitatem:* Quid namque bono, & conſtanti pulſui adeò ſimile, quã firmamentum vniformiter motum. Vt opponatur pulſui inordinato, atque inæquali: in quam rem, epitaſim habet illud *in Deo ſalutari meo:* nam vt Græca habet, *in Deo Saluatore meo:* ita Hebræa phraſis, vt inibi obſeruat Maldonatus, propriè effertur *Deus ſalutis meæ*, vt ſenſus fuerit, Deo à primo Conceptionis Mariæ inſtanti, bonam eius valetudinem peculiari curæ fuiſſe; ſed & illa obſeruatio doctiſsimis viris probata, quod Maria ſignate dixerit: *ſalutari meo:* non verò, aut *ſalutari*, quin aliud addiderit; aut *ſalutari noſtro*, quod Saluatoris mundi munus videbatur exigere, huic cogitationi firmandæ opportuniſsima videtur: non eâ tantum ratione, quam attigit S. Bernardinus tom. 4. ſermon. 8. *de ſeptem flammis amoris Dei*, quod nouerit Virgo ſapientiſsima, Dei Filiũ potiſsimũ ob eius ſalutem humanam carnem ſuſcepiſſe: ſic nãque ille: *Beata Virgo exultauit in Deo ſalutari ſuo, quaſi dicat ſingularis Saluator meus, quia aliqui DD. ſpeculantes dicũt, quod Ieſus aſſumpſit carnem potius, vt ſaluaret Virginẽ ſingularem, quam omnes alias creaturas:* nec ideò ſolum, quod ex vehementi amore, qui vni ſibi amatã rem aſsignat Deum ſibi vendicet, vt obſeruauimus ex Chryſoſtomo, & Saluiano in ea verba frontis epiſtolæ ad Philipp. *Deo meo:* ſiue etiã quod ea fuerit gratiarum, & donorum abundantia in Virginem effuſa, vt ipſa ſola ſufficiens Dominicæ incarnationis ſcopus videri poſsit, vt iam ex Ambroſio, & aliis PP. adnotauimus; ſed ea maximè ratione, vt indicauerit Deipara ingens hoc & ſingulare beneficium vni ſibi collatum, quin aliis fuerit commune, quod ſalutem, ſanitatem, & incolumitatem in primo Cõceptionis ſuæ inſtanti à Deo Saluatore fuerit aſſecuta, in illo auxilio opportuno, quod ſtantem firmat, nè labatur, & ſanum plusplus valentem facit; non vero in eo quod ſanitatem ægro reſtituit.

Ecce tibi Mariæ Altare integrum ſemper, ſanum, & incolume, nulli vnquam infirmitati, aut lãguori obnoxium: quod cum ipſa Ara Clemẽtiæ, & Altare placationis ſit, talis nobis deceat Mediatrix, ſancta innocens, impolluta, ſegregata à peccatoribus, & excelſior cœlis facta, vt talem nos miſeri peccatores arã tenentes, fidenter, & opportunè noſtris peccatis, tãque animæ, quam corporis infirmitatibus ſalutem, & bonam valetudinem efflagitemus; & per Mariæ immunitatem obtineamus: *Quia pro diuerſis miſeriis ad templum Virgineum accedentes* (ſic inquit Bernardus, ſerm. 2. *de Aſſumptione Mariæ*) *miſericordiam*

1. *ad Corint.* 15. *verſ.* 45.

S. Bona.

A B C D E

VIII

conſe-

consequimur. Quam quidem cogitationem ad Mariæ immunitatem pulcherrime retulit S. Iosephus Confessor in Menæis Græcorum PP. 13. Iulij Ode 5. de S. Golinduchâ M. omninò adstruens, opportunè nos Deiparam emaculare, quod sola fuerit semper immaculata. Audi. *Inquinatus ego turpitudine cogitationum, & homo nihili factus ob frequentia in leges Diuinas delicta, te perquam supplicitèr oro, quæ sola maculam in Te omnem ignoras, vt te moueat Miseratio mei.* Sic ille. Obserua hæc extrema, quibus MARIÆ misericordiam ab omnimoda ipsius puritate inflectere contendit Iosephus, vt quod ipsa omnis maculæ expers semper fuerit opportunè peccatorum misereatur, & paratum ipsorum auxilium sit. Nec minus opportunè Sanct. Sabbas apud eadem Græcorum Menæa, qui totam spem, atquè fiduciam in MARIA signatè se collocare affirmat, quod ipsa nulli vnquam culpæ fuerit obnoxia: sic namque ille 3. Iannuarij Ode 3. de Sãct. Malachia in clausulâ, seu Theotocio: *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuisti, spem omnem meam repono: vnàque lætus ad te omne ingenium meum, animumque conuerto.* Ita Sanct. Sabbas. A quo non abit indidem Sanctus Theophanes die 17. Ianuarij inquiens: *Vt inculpatissima conditoris Sponsa, me celeriter ex dæmonum machinationibus erue*: & post modum ode 8. eodem sensu, *O intaminatissima genitrix Dei inflictas à peccato cicatrices emunda.* Quare in memoriam reuoca quod lib. priori obseruauimus ex Richard. à Sanct. Laurentio de modo quo Helisæus amaras aquas sanasse fertur, iniecto in vas nouum sale, 4. Reg. 2. vers. 20. inquiẽs: *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal*: quod Mariæ immunitati iure aptauimus dicente Richardo lib. 1. *de laudib. Virgin. Mariæ*, cap. 3. *Sal in nouo vase, sapientia Dei in vtero Virginali*, & lib. 4. *Ipsa siquidem fuit vas nouum, in quo missum est Sal in Incarnatione Vnigeniti Dei.* vt hinc primum videris amaras infirmitatum nostrarũ aquas per Mariæ interuentionem sanatas, quod luculentissimè S. Methodius Martyr in *Hypapante* persequitur hunc in modum Virginem alloquens. *Te quoque eiusdem Eliæ successor Elisæus à Sapiente Magistro his sacris initiatus, tanquam iam existentem, quæ tamen nondum existebas, prafigurans, supra naturam signis quibusdam rerum earum, quæ posteà futuræ essent veris indicibus, auxilium, medicinamque indigentibus attulit, nunc per nouam hydriam salutare in se sal continentem aquas exitiabiles sanans.* Sic Methodius. Deinde vero signatè nouã hydriã infirmitatibus auxilium, & medicinã attulisse dixit, vt argumento esset Mariam iis qui puram, & illibatam ipsius Cõceptionem confitentur, & venerantur maximè salutarem esse: ita quidem in primis Apostolicus ille vir M. Ioannes de Auila sui sæculi decus in libro, quem inscripsit *Audi filia*, eos qui acriores carnis stimulos patiũtur admonet, deuotasque dã ad Deũ in honorẽ illibatæ Conceptionis Mariæ preces fundere, seriò affirmãs experientia cõpertũ esse, hac adhibita medicina plurimos à libidinis æstu illęsos abiisse. Sed & corporis lãguoribꝰ medẽdis piã de Mariæ immunitate opinionẽ, & cultũ valde salutarẽ fuisse testatũ nobis reliquit magnus P. Didacus Lainez secundus Societatis nostræ Generalis, qui graues, & desperatas ægritudines purissimæ Conceptionis Mariæ inuocatione curare solebat: inuisens siquidem ægrotos, peculiari illos studio de immunitate Virginis admonebat, & cum ad ipsam celebrandam, siue in eius peruigilio

S. Iosep. *S. Met.* *S. Mal.* *S. Sabb.* *4. Reg. 2. v. 20.*

ieiunantes, siue in die festo sacrâ cõmunione se se reficientes adhortaretur, bonã valetudinẽ, & egregia beneficia à Deo ipsis impetrabat. Quæ quidem omnia pulchrè firmat S. Anselmus in homil. de Cõceptione Virginis, cuius meminit Bernardinus à Bustis serm. 7. de *Cõceptione*, affirmans: *Huius solemnitatis celebratoribus datur à Filio Virginis Domino nostro Iesu Christo pax, & longa salus, & post transitum huius vitæ requies æterna.* Hæc ille. O illam omnes omninò, toto corde, & totis viribus, & toto animi impetu celebremus, veneremur, amplectamur, vt pacẽ, salutem, & requiẽ consequamur æternam!

S. Anſ.

Bernar. Buſtis.

A

B

MARIAM immaculatè cõceptam fuisse, maximæ vtilitatis est Populo Christiano, quod eius carnẽ in vulnerum medelam in Eucharistia sumat.

AD NOTATIO III.

I

CHristianum Populum charitati Mariæ debere Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo ille verum corpus, & sanguinem Christi ad animę salutem accipit, multis disseruimus in libro de Maria formâ Dei sub titulo. *Maria forma Dei medẽtis:* modo illud nostri instituti proprium esse videtur; inde euincere Mariam ab omni originaria labe fuisse immunem, quod diuinũ hoc Eucharistiæ antidotum, & Diuina medicina ad sanandos animæ morbos, & virulenta serpentis vulnera signatè de carne Mariæ cõfecta sit: in hunc itidem sensum conspirantibus PP. & primo quidem S. Thom. opusc. 58. c. 1. hâc de re agens, cum dixisset: *Tertia causa institutionis* (sanctissimi Eucharistiæ Sacramẽti) *est cibus hominis. Cibus inquã medicinalis contra mortiferi pomi corruptionẽ, quæ tam praua infusa est per primos parentes humano generi, vt esset incurabilis, nisi subueniret medicina optima, quam posset facere prudentia Dei,* statim subiicit: *Ecclesiastic.* 38. Altissimus de terra, *id est de carne Virginis creauit medicinã, & vir* prudẽs nõ abhorrebit eam. Ambros. *Corporis Christi medicina spiritualis est, quæ cũ reuerentia degustata deuotos purificat.* Hæc S. Thomas. Et quidem rectè, vt mulie re mortem mũdo inferente per venenum peccati, mulier etiam vitã mundo exhiberet, & homini salutẽ restitueret, medicinam animæ per carnem Filij sui à carne sua desumptam illi parando: ita enim lapsui reparatio; & Euæ pomũ vetitũ Adamo prebẽti, quo ipse cũ cæteris hominibus corruit, Maria cibũ vitę cõferẽs quo alimur in salutem ex ęquo respondet; quippè per eandem viã ad vitã redire debebamus, per quã ad interitum itum est, vt cũ mulier occasio, & causa mortis fuerit, mulier ministra salutis, & vitæ sit.

S. Thom.

Eccl. 38. vers. 4.

C

D

In quem sensum venustam epitasim habet, quod in verbis Elisabeth ad Virginem: *Benedictus fructus vẽtris tui.* Lucæ 1. vers. 42. excogitauit Andreas Hierosolymitanus orat. *in salutat. Angelicam*, notans Christum Dominum, qui *Deus effusus* dicitur Cant. 1. vers. 2. appellatum fuisse fructum ventris Mariæ: quod, vt oleum pro medicinâ sumitur ad euomẽdũ venenũ ebibitũ: ita opportunè Christus Mariæ fructus dicitur, qui à Maria natus veneni ab Euâ porrecti salutare antidotũ fuit, vt ipsa proinde primæui dãni reparatrix sit, dũ escâ vitæ nobis in Eucharistia exhibuit, quę cibũ

II

Lucæ 1. vers. 42. Andr. Hieroſo. Cant. 1. vers. 2.

E

mor-

mortis expellat,& euomere faciat: Audi ipsum aurea hæc verba dicentem: *Benedictus Fructus ventris tui, Fructus, de quo comedens Adã protoplastus euomuit vetcrem illam denorationem, qui deceptionis escam sumpserat. Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto Virginis surculo veluti profectus mirabiliter matures-cens botrus, enatus est fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicum producitur, & immortalis calix salutaris potio exhibetur.* Hæc ille: pulcherrimè opponens Mariam Euæ,& fructum ventris eius acerbo illi pomo vetito, à quo nobis mors, & originaria labes aduenit. Vide ergo iam, quam longe à peccati veneno Maria fuerit, quę talis effecta est, vt ex ipsa pararetur medicina contra peccatum originale? Quid igitur peccato,& Mariæ? Quid morbo,& medicinæ? Quid veneno,& antidoto? Aut quomodo medicina ex succo læthali a Medico sapientissimo conficeretur? Cum ex Medicis legibus contraria contrariis curantur: Ergo *Altissimus qui creauit Medicinam* Eucharistiæ *de carne Virginis*: prius ipsam carnem,& purissimam, & mundissimam, & ab omni labe, & succo peccati sanissimam effecit, vt ex ipsa medicinam morbo cõuenientem,& antidotũ contra peccatum opportunè pararet. Quod planè ipsummet verbũ *creauit*, quo vsus est sapiens,& quod S. Thomas in hanc sententiam inflexit omninò indicat: cum creare sit, de nihilo aliquid producere: vt quamuis Virgo verè, ac reapse (vt sæpe sæpius diximus) ex Adamo genita,& procreata sit per veram generationem: tamen quod attinet ad ea vitia, quæ aliis ex generatione euenire solent perinde se habuerit, ac si creata per se ex nihilo fuisset; & suam ex Adam generationem minime recenseret.

A

B

C

D

E

II Iam vt hæc cogitatio vndequaque subsistat obserua in præfatis Andreæ verbis pulchram antithesim, quâ Mariæ antidiotũ, peccati veneno opposuit, inquiens: *Fructus, qui ex incorrupto Virginis surculo veluti profectus mirabiliter matures-cens botrus enatus est fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus inquã Dominicũ producitur, &c.* habet quippè mirã epitasim illud mirabiliter matures-cẽs botrus, quasi à Maria fructus hic peculiarẽ maturitatẽ,& vitalẽ vim contra peccati venenum habuerit. Quare obserua peccati faciẽ, & venenum illis in verbis Gen. 3. v. 6. de muliere à dæmonis blanditiis fascinatâ,& conniuentibus oculis fructũ arboris vetitæ intuente. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Quo in loco notatu quidem digna est lectio hęc, quâ plures è PP. Græcis vtuntur, signatè verò Gregorius Nyssenus oratio. in 40. Martyres. *Vidit quod esset oculis, & gustui pulchrum, & maturum,* quam aucto censu extulit Leontius Episcopus Arabissi sermone *de creatione, & Lazaro rediuiuo,* apud Photium in sua Bibliotheca hunc in modũ: *Ipsa* (Eua) *verò manu cõtumaci defectionis scribẽs legẽ, acquisiuit prænaricãdo pulchrũ fructã, & flore mortis maturũ.* Vbi vides dæmonis astũ, & fallaciã, eò iuisse, vt mulieri persuaderet pomũ illud, quod reapse crudũ,& acerbũ erat, concoctũ iã,& maturũ esse, ac proinde gustui suaue,& opportunũ fore: habet vero peculiarem vim, quod addidit Leõtius, *flore mortis maturũ*, vt maturitas, quæ pomo à natura subesse putabatur, à morte ipsa esset, quæ fucũ floris ad imponendũ oculis addidit. Petunt hæc quidẽ penitiorẽ disquisitionẽ, quã aliũ in locũ transmittimus, cum illis Gregorij Nazianzeni verbis in Apologetico: *Scientiæ lignum intempestiue, & incommodè perceptum.* Modo, quod è re nostrâ est, peccatum con-

Gen. 6. v. 6.

Nyssen.

Leonit.

Nazian.

inderamus in pomo illo flore mortis maturo, quod ſpeciem maturitatis habens, omninò acerbum erat, quia intempeſtiue, & incõmode perceptum fuit, ac proinde amaritudinem, & ſtuporem dentibus totius humani generis attulit, iuxta illud Ierem. 31. v. 30. *Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius*: ita explicante Greg. Magn. lib. 11. Moral cap. 15. *Quid nãque vua acerba, niſi peccatum eſt? Vua quippè acerba eſt fructus ante tẽpus: quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat: qui ergo vuã acerbã ante tẽpus comedunt dẽtes eorũ obſtupeſcunt.* Ecce tibi peccatum originale ab Adamo in poſteros deriuatum ſub imagine pomi acerbi ſtuporem, & amaritudinem dentibus noſtris afferentis. Vndè immediatè in Ierem. v. 29. prædictum erat. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*: quod apud Hebræos vſurpatum fuiſſe in prouerbium, ſiue Adagium liquet ex Ezechiel 18. ver. 2. *Quid eſt quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium iſtud. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*: à quo non abit illud Thren. 5. verſ. 7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.*

Ierem. 31. v. 30. *Gregor. Magn.* *Ierem. 31. verſ. 29.* *Thren. 5. verſ. 7.*

IV

Iam verò cum immaturo hoc, & acerbo mortis fructu compone fructum ventris Mariæ, vt ipſa ab omni peccati originalis macula omninò aliena, & immunis appareat: in qua nullum acerbi pomi veſtigium, nullæ reliquiæ inuentæ ſunt, vt vidimus alibi ex Richardo à S. Laurentio lib. 8. de laudib. Virgin. dicente: *Hæc eſt petra ſuper quam non eſt inuentum veſtigium colubri*, immò potius edidit fructum ex diametro oppoſitum fructui mortis: quippè *qui ex incorrupto Virginis ſurculo velut profectus, non intempeſtiue, & incommodè, ſed mirabiliter matureſcens botrus enatus eſt fructus, ex quo vitalis ille panis corpus inquam Dominicum producitur*: vt videris nihil MARIAM traxiſſe à primis parentibus intempeſtiue fructum percipientibus: nec eius dentes ab acerba eorum vua edita vnquam obſtupuiſſe, quæ velut lignum ſecus decurſus aquarum diuinæ gratiæ *fructum dedit in tempore ſuo.* Pſalm. 1. verſicul. 2. ſiue vt Lectio Caldæa habet: *Cuius fructus matureſcet in tempore ſuo.* Quæ quidem omnia ob oculos habens Sanct. Amedæus homil. 1. *de laudibus Deiparæ*: cum prius de MARIA diciſſet: *Ipſa Virgo Virginum vernans in floribus, & in fructu ſuauitatis delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio paradiſi attollit verticem in altitudinem cœli*: poſt nonnulla plusplus ſe explicans ſubiicit: *Media conſurgit arbor*, quam diximus, *ſalutifera generans cibum vitæ, & manna cæleſte. Manna habens omne delectamentum, & omnem ſuauitatem: ad quod ſi primus Adam attingeret, mortem non guſtaret in æternum.* Sic Sanct. Amedæus: Apud quem vides adeò contrarium eſſe fructum ventris MARIÆ fructui peccati, vt ſi illo Adamus fuiſſet præuentus, tanquam clypeo ſalutis protectus diaboli ictum effugiſſet. Sed obſerua ſingula Amedæi verba: *arbor* (inquit) *plantata in medio paradiſi*: a quâ manu, niſi Dei? *Salutifera generans cibum vitæ*, quæ ex Dei gratia ſalutifera, omni videlicet ex parte ſana, & incolumis eſſet, & apta nata cibum vitalem proferre: ſubiicit: *Ad quod ſi primus Adam attingeret mortem non guſtaret*: quę non perinde accipienda ſunt, vt circunſcripto Adæ peccato Chriſtus, & Maria exrituri eſſent (de quo multis iã egimus,) ſed vt is illis ſubſit ſenſus talem fuiſſe huius arbo

Richard. à S. Laur. *Pſal. 1. v. 2.* *Amed.*

ris Dei manu consitæ gratiam: talẽ tamque vitalem eius fructum, vt datâ hypotesi, quod primus Adã illius particeps fuisset, diaboli insultus foret declinaturus: cum cibo vitæ mirabiliter maturascente in vtero Virginis nutritus, fructum ligni scientiæ immaturè, & intempestiue nõ esset percepturus.

V Quod si hæc alicui magis ad sonũ siue ad accõmodationẽ, quã ad sensum litteræ excogitata videantur, audiat, quæso, eãdemmet cogitationẽ apud Ieremiam in sensu litteralissimo pronunciatam, eodẽ omninò loco in quo vuæ acerbæ fecit mentionẽ: immo vero cuius occasione versauit prouerbiũ illud: *Patres comederunt vuã acerbã, & dẽtes filiorũ obstupuerunt*: sic nãque Ierem. eo in c. 31. v. 12. *Vsque quo deliciis dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouũ super terrã: Fœmina circũdabit virũ*, quæ verba cũ de Sacramento Dominicæ Incarnationis in vtero Virginis à PP. frequentissimè accipiantur, dicẽte inibi P. Sanctio. *Neminẽ hic nomino, ne cunctos referã, nemo enim ferme est, qui non ita cogitet*, hũc quidẽ sensũ vlterius promouentes LXX. interpretes ad Augustissimũ Eucharistiæ Sacramentũ omnino retulerunt: dum hæc verba sic transferunt: *Quoniã creauit Dominus salutẽ in plantatione nouâ: salutẽ circuibunt homines*; de quà explicandi ratione vide P. Ludouicũ del Alcazar in Apocal. notatio. 19. prœmiali n. 6 & nos in epist. ad Philipp. c. 2. vers. 7. adnotat. 10. nu. 6. vbi si attendis, & duas has lectiones interse cõmittis, omninò videris virum hoc est Christum à fœmina circũdatum, esse *salutem* (vt ipsum nomẽ Iesus sonat) *fœminã* verò de qua noster vulgatus, respondere *plantationi nouæ*: vt perinde sit Dominum fecisse nouum super terram dũ fœmina circundedit virum: ac dixisse Deum è noua plantatione Mariæ

Iere. 31. v. 12.

Sanctio.

LXX.

Alcaz.

parasse salutem, & vitam hominibus in Sacramento Eucharistiæ. Iam ad rem nostram in communi explicatione de Christo in vtero Mariæ homine facto, obserua vt dicatur nouũ fuisse à Domino creatum, non modo quod tam vir, quam fœmina, sine vllâ originariæ labis vetustate futuri essent, sed etiam quòd post recensita omniũ mortalium nomina, & existentias: Christi Domini, & Mariæ existentię decretæ fuerint, quod translatio LXX. omninò confirmat, quæ vt fructũ, ita & arborem nouã esse adstruit appellans Mariã *plantationẽ nouam*: sanè vt significetur Dei manu consitam fuisse, quæ minime ex veteri propagine, & radice peccati Adami vitiatâ, sed noua veluti radice satâ, nouo germine pullularit, vt quę de carne Virginis creabatur à Domino ad salutem hominum medicina, nihil de morbo veteri, & veneno peccati haberet, sed carnem Christi in Eucharistia manducaremus; quæ vt de carne Virginis sumpta, ita salutem nobis in plãtatione noua afferret: Cui explicationi mirè concinit, quod v. 29. subiicit Vates. *In diebus illis non dicent vltra Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescũt*: vt dixerit: procul ab esu huius carnis aliquid de vua illa acerba, quam primi patres comederunt, cum in carne de Maria suscepta totum sit nouum, totum salus: totum vita, totum dulcedo, & delitiæ: quippè *ipsa Virgo Virginum vernans in floribus in fructu suauitatis delicians, est velut arbor plantata in medio paradisi salutifera, generans cibum vitæ, & manna cæleste*. Sub quo sensu Georgius Nicomediensis apud Menæa Græca die 24. Martij *in profesto Annunciationis*, Ode 8. cum MARIAM mille modis salutasset hanc cæteris addit salutationem: *O vitis quoque MARIA! Compara te, vt per Angelicam vocem fæcundata bo-*

LXX.

vers. 29.

trum probe maturũ, neq; corruptioni obnoxiũ procrees. Ita ille: obserua *botrũ probe maturũ*: vt Maria procul ab Eua, procul à fructu acerbo, velut plãtatio noua Dei manu cõsita fructum benedictionis velut terra, cui à principio benedixit Dominus procreet. Vndè idem Georgius inibi sic pergit: *Euæ messis ac vindemia nihil aliud fuit, quam mors, eaque pestilens valde. At vero nunc ex medio tui germinauit ò Virgo fructus ventris tui Christus immortalitatis ille paracius nostræ, & mentium humanarum dulcedo.* A quo non abit Rupertus lib. 1. in Cant. qui componẽs verba Elisabeth *Benedictus fructus ventris tui*, cum illis sponsæ Cant. 1. vers. 3. *Exultabimus, & lætabimur in te*: ex illius persona inquit. *Iam enim incipimus ego, & infans in vtero meo exultare in gaudio à voce salutationis tuæ: & ex hoc, & nos, & qui vẽturi sunt post nos exultabimus & lætabimur in te, & cantabimus dicentes: quia Eua nos fecit plorare Maria nos fecit exultare. Nã quod illa tristis abstulit, tu reddis almo germine*: ideò exultabimus, & lætabimur in te: Hæc Rupertus.

Georg. Rupert. Cant. 1. vers. 3.

VI

Sed enim quandò hæc sponsæ verba sub hoc sensu commisit Rupertus cum illis Elisabeth: *Benedictus fructus vẽtris tui*: pergere quidem debuisset: & quæ subiicit sponsa itidem vsurpare: sunt enim omninò eiusdem argumenti: hæc scilicet: *Memores vberum tuorum super vinum*: siue vt legunt LXX. *diligemus vbera tua super vinum*. Theodoreto inibi sic illa explicante: *Per vbera illa admiranda, & vino præstantiora cogitu ineffabiles illos Altaris fontes, ex quibus nos pietatis alumni nutrimur*: vt videlicet in his verbis inducatur Christus Dominus in Eucharistiâ exhibens nobis diuitiarum & thesaurorum suorũ vbera, vt qui ab illo in vitam geniti sumus, diuino subindè ipsiusmet lactè nutriamur: tum egregiè, & dilucidè id cõfirmante Petro epist. 1. cap. 2. vers. 2. illis verbis: *Quasi modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*, quæ de Eucharistia omninò fore accipienda docent tam Iacobus Apostolus in suâ Lyturgia, Dionysius Areopag. *de Ecclesiasticâ Hierarchiâ*, cap. 5. Gaudẽtius Brixiens. tract. 2. de *Pascha*, Cyrill. Alexan. *hom. de cænâ Domini, & lotione pedum*, quàm recentiores interpretes Salmeron, Iustinianus, Lorinus, Cornelius, & Francisc. Turrianus magni in litteris nominis, perpetuusque hæreticorum malleus in lib. *de Eucharistiâ contra Volanum*, cap. 20. & 21. tùm etiam in hanc sententiam pluribus è PP. euntibus, vt Hieronym. in id cap. 55. Isaiæ *emite absque vllâ commutatione vinũ, & lac*: & Clem. Alex. lib. 1. Pædagogi cap. 6. & Irenæo libr. 4. cont. hæret. cap. 74. vocãte Eucharistiam *mamillam carnis Christi*. A quo nõ abit Petrus Blesens. lib. *de panibus*, cap. 7. itidem inquiens: *Pectus Iesu ibi refectorium*: Sed enim hoc in loco merito ambiges de proprietate siue concinnitate imaginis vberum: quì enim accommodato dicendi modo tribuantur cælesti Spõso vbera, quæ non nisi fœminæ sunt? Certè si Mariæ tribuisses, propriè & opportunè imago subsisteret. Vndè hoc quasi acumine punctus S. Germanus *in Theoria rerum Ecclesiasticarum*, fidenter dixit: *Crateras sanguinis Christi interpreteris mammas Deiparæ, salutare lætitiæ poculum, & tutelare, ac conseruatorium totius generis humani*: Verum vt in hâc imaginis pto prietate vbera Mariæ tribuũtur: ita sententiæ ac sensus veritas, qua in Eucharistia nos corpus, & sanguinẽ Christi, itidemque Diuinitatem ipsius percipere nouimus, quodãmodo obscurari videtur.

Theodo. 1. Pet. 2. vers. 2. Iacobus Ap. Dionis. Gaudẽt. Cyrill. Alex. Salmer. Iustinia. Lorinus. Cornel. Turrian. Hieron. Irenæus Clemen. Alex. Pet. Ble. S. Germ.

Verum

VII

Verum enim vero hæc non modo habent expeditissimam solutionem, sed opportunissimam epitasim,& venustatem in præsens institutum,quod persequimur:Certe cũ

Augus. Augustin.in Psalm.32. Dei Filium prius mensam cælestem, & panem Angelorum considerauit, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*:subinde componens cum his Ioannis verbis,ea quæ post modum subiicit:*Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*,Ioann.1.vers. 14.inquit: *Quis autem homo posset ad illum cibum? Vndè cor tam idoneam illi cibo? Oportebat ergo vt mẽ sa illa lacte sceret, & ad paruulos perueniret.* Ad quem modum Irenæus citato loco dixit:*Ille qui erat panis verus, & perfectus Patris lac nobis seipsum præstitit.* Pergit verò statim

Ioann.1. vers. 14. *Irenæus.* *Augus.* Augustinus explicans modum,quo mensa illa lactea facta ad nos paruulos peruenit:*Vndè autem fit cibus lac? Vndè cibus in lac conuertitur, nisi per carnem trahiciatur? Nã Mater hoc facit*:ita ille. Pulchrè. *Mater hoc facit*? Sed qua ratione? quo consilio id fecit? Suo loco latius id argumentum pertractamus: Modo breuiter dixerim: Ideò nos Mariæ Eucharistiæ lac debere, quod ipsa quæ se nõ sibi,sed toti mũdo genitã fuisse optime nouit:non tantum putauit se esse Christi matrem, sed etiam *membrorum Christi*, vt inquit

Augus. Augustin.lib.de sancta Virgin.cap. 6.*& Christianorum*(vt Origines homil.1.in diuersos) *& viuẽtium*,(vt Epipha.hæres.78.) Vndè opportunè dixit Athanas.serm.de Deipara *Decet te Matrem regeneratricem nominare*,& Bernardinus tom.3. ser. 6.art.2.*Ex tunc*(cum videlicet Dei Filium concepit)*omnes in suis visceribus baiulabat, tanquam verissima Mater Filios suos*:ac proinde tanquam vera Mater de lactis nutrimento filiis suis parando sollicitè

Epipha. Athan. Bernard.

curauit. Quoniam verò suo Maria lactè omnes in posterum filios nutrire, nec poterat; nec decebat,eam cum Filio suo pactionem iniisse videtur,vt illudmet purissimum lac,quod Deipara Filio Dei ad eius nutrimentum, & vitam daret;ipse itidem in Sacramento Altaris ad vitam,& nutrimentum *membrorum* suorum:hoc est *Christianorum*,& *viuentium* quorum Maria etiam Mater erat, vicissim impertiret:Quem sanè gustũ plura SS. PP. verba habere videntur,sic enim Andræas Cretensis oration. *de dormitione Deiparæ*,dixit:*Quæ ipsam Sapientiam secundum carnem genuit, totam se ipsam tanquam mensam mysticam, cælestemq; parauit*:Sic Vvertricus Abbas sermon.de *Assumptione*,affirmauit:*Mariam Matrem esse vitæ, quam viuunt vniuersi*:eo quidem sensu quo ipsemet Dei filius docebat:*Qui manducat me, viuet propter me*,Ioann. 6. vers.4. Sic etiam Augustinus in Psalm.98. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam dedit*, (sanè eiusdem Virginis oratu:vt alibi vidimus)sic itidem Ambrosius in Psalm.21.*Maria velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit: quem qui edere,aut manducare neglexerit, vitam in semet ipso habere non poterit,sicut ipse Dominus ait:* nisi quis manducauerit carnem meam, &c. Sic Petrus Blesensis tractatu *de Eucharistia*,cap.10. *Hunc panem,vitẽ sacram flos Virginitatis edidit huic mundo,fructum plenum Deitatis*,sic Richard.à S.Laur.lib.1.de laudib. Virg.cap.2.premens verba fœminæ illius à lactè Mariæ laudantis Dominum Lucæ 11.27.*Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*,piè argumentatur.*Quod si beatificat eam mulier, quæ adhuc carni, & sanguini eius communicare non meruit, longe magis à nobis beatificã*

Andr. Cretens. *Vvertr.* *Ioann.6. vers.4.* *Ambr.* *Petr.Bl.* *Richard. à S.Lau.* *Luc.11. vers.27.*

da

da est, qui de eius carne, & sanguine reficimur in Altari: ita PP. Ecce tibi Christum, & Mariam carnem suâ ad manducandum in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento dãtes: Ecce Mariæ vbera in Filium Dei translata: in quibus *cogita ineffabiles illos fontes ex quibus nos pietatis alumni nutrimur*: de quibus iure eidicimus: *Exultabimus, & lætabimur in te: memores vberum tuorum super vinũ.* Ecce lacteſcentem, & lacteam à Maria Eucharistiæ mensam: *Nam Mater hoc facit.*

VIII Iam verò, vt ad nostrum de Mariæ immunitate institutum redeamus, quid (rogo) de Mariæ lactè cẽses? Credis ne illud ab vberibus Euæ peccato obnoxiæ profluxisse? & non potius à gratiâ, & a cælo? Canẽte Ecclesia: *Ipsum Regem Angelorũ sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno*: Certè vel hac de caussâ Eucharistiam lactis imagine à Maria accepti significari crediderim: vt omnimoda tam filij, quam Matris in nos, qui Christi membra sumus, deriuanda puritas adumbretur: quasi Mariæ caro, lac, sanguis, ipsaque tota è cœlo defluxerit, vt de carne Mariæ, vt dicebat Augustinus, carnem Dei Filius acciperet, quam nobis daret manducandam: vti disertè dicebat Ambrosius: *Maria velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibũ dulciorem melle defluxit*, & disertissimè in hunc sensum S. Maximus homil. de Ramis palmarum, inquiens ipsam *Mariam manna dixerim*, cęlestem scilicet cibum, cælestem & ipsam, nobis dantẽ. Pro qua cogitatione non solum facit hostiam in Missæ sacrificio purã, & immaculatam appellari, sed etiã quod tradit Aloysius Nouarinus de Agno Eucharistico, cap. 77. num. 719. in Eucharisticis formis Virginis imaginem insculpi solitam: & in hostia consecrata aliquando visam Deiparam insidentem, vt affirmat his verbis Catanus lib. 9. cap. 3. *Cũ Adolphus Missam celebraret, & ante* Agnus Dei *hostiam leuasset ad frangendum, in ipsâ hostiâ Virginem in sede residere, infantemque in sinu seruare contemplatus est:* Quod eò refero, vt in Eucharistia Christus pro Matris immunitate, & Maria pro immaculatæ carnis Filij veritate reciproca fideiusione nobis fidẽ faciant.

Augus. Ambr. *S. Maximus.* *Nouar. Agno.* *Caſar.*

MARIAM nouum orbis, id est Ecclesię Christianæ fundamentum, & basim esse, atquè id circo ab omni originaria labe immunem.

ADNOTATIO IV.

ERGO is nostræ cogitationis, atquè instituti scopus est; vt à Maria non tantum noua rerum facies, sed nouus etiam sæculorum ordo, & series; noua lux, noua creatio, nouum creaturarum fermentum, noua domus fabrica, & structura sit, nouaque ędificatio Dei consurgat: quæ sanè omnia, vt omni modam Deiparæ puritatem omninò firmant; ita illa singillatim persequi est animus: & vt à nouâ domus Dei ædificatione incipiã: illico nobis occurrit Salomon Prouerb. 9. versic. 1. prophetico, & arcano sermone inquiens: *Sapientia ædificauit sibi domũ*, quæ de Ecclesia Christiana a Dei filio sibi construenda frequens PP. expositio accipit: ita ibi Nicolaus de Lyra, & Salonnius Vienensis, Augustin. lib. 17. *de Ciuitate Dei*, cap. 4. & 20, Greg. Magn. lib. 12. Moral. cap. 17. & Auctor qq. vete-

I *Proue. 9 vers. 1.* *Lyra. Salonni. Auguſ. Greg. Aucto. qq.*

Vet. & nou. Tes. veteris, & noui Testamenti, qui Augustini nomine circunfertur quæst. 52. & alij plures. Vbi facile est videre nomine *domus*, non intelligi superba palatia, aut ingentes, & magnificas ædes, sed posteritatē, & liberorum familiā: nam in scripturâ *fundare*, siue *ædificare domum*, non tam ad materialem ædificationem, siue contignationem domus, quam ad posteritatem, & familiam significādam vsurpatur: ita quidem dicitur, *Exod. 1. vers. 2.* Exod 1. vers. 21. *Quia timuerūt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*, id est dedit eis familias, & posteritatem numerosam, honoratam, insignem, ac diuturnam, & 1. Reg. 2. versic. 35. de domo, quam nouis titulis *1. Reg. 2. vers. 35.* ornatam, & claris nobilitatam virtutibus promittit, id est de sera posteritate illustribus filiis conspicua: inquit Dominus, *ædificabo ei domū fidelem*: sub quo sensu passim in libris Regum dicitur domus Iuda, domus Israel, domus Ieroboam, & signatè 2. Reg. cap. 3. vers. 1. *Facta est* *2. Reg. 3. vers. 1.* *longa concertatio inter damum Saul, & inter domum Dauid*, & 2. Regū *2. Reg. 7. vers. 18.* 7. vers. 18. inducitur Dauid, dicens Domino: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea: quia adduxisti me huc vsque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum*: vide similia 3. Reg. 21. vers. 29. vbi minitatur Deus Regi Achab domum, *3. Re. 21 vers. 29.* id est stirpem Regiam se fore euersurum, & Ruth. 4. vers. 11. *Faciat Do* *Ruth. 4. v. 11.* *minus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel*: A quo sensu non abit magnus Poeta.

Virgil. *Cum domus Assaraci victis dominabitur Argis.*

Chrstianam igitur Ecclesiam, & seram filiorum Christi posteritatem Dominus velut domum à primis fundamentis constructurus dicitur ædificasse domum: quod planè perinde est, ac *filios Dei, qui erant dispersi congregare in vnum*, vt inquit Ioan. cap. 11. vers. 52. hoc est *Redemptionem populo suo* afferre. Psalm. 110. vers. 11. corruptam videlicet Dei imaginem cum similitudine cō- *Ioan. 21. vers. 52.* *Psa. 110 v. 11.*

A iunctam homini restituens, & mundum nouis Sacramentis reparans, atquè reformans.

II Et vero cum Dei sapientia hanc Ecclesiæ domum singillatim ædificasse dicatur, omnino existimare debemus ipsi, tanquam cælesti Adamo *in auditorium* (Genes. 2. ve. 18.) *Genes. 2. vers. 18.*

B datam fuisse Mariam nouam quidē & cælestem Euam, quæ vera *Mater viuentium*, foret, vt in Christi, & Ecclesiæ epitalamio, id est in Psalm. 44. manifeste videmus. Nimirum tū *Psal. 44. vers. 6.* Dei Filius domum suam ædificans inducitur cum ex recensitis egregiis, atque diuinis eius dotibus decore, gratia, fortudine, regiis virtutibus, regia dignitate, vestimentorum fragrantia vers. 6. concluditur:

C *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*: quod Gabriel Angelus retenta domus imagine, quā persequimur explicatius annunciauit Mariæ, Lucæ 1. vers. 32. inquiens: *Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*: Iam verò, vt nouo Adamo, noua à Dauide adiungeretur *in adiutorium* Eua, vers. 9. subiicit de Deipara: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato circundata varietate*: vbi (si verè æstimas) notantissimè Maria *à dextris* Filij sui, tanquam adiutrix, & manum operi admouens inducitur: id enim phrasis adstandi *à dextris*, omnino significat: vt Psalm. 15. vers. 8. *à dextris est mihi, nè commouear*. & Psal. 108. vers. 31. *Quia adstitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequētibus animam meā*: & Actuum 2. versic. 2. *à dextris est mihi nè commouear* & cap. 7. v. 55. *Lucæ 1. vers. 32.* *Psal. 44. vers. 9.* *Psal. 15. vers. 8.* *Ps. 108. vers. 31.*

D

E

cum

cum Dei Filius *stans à dextris Dei*, Stephano se conspiciendum dedit: ipsi opem laturus dicitur à Gregorio Magno, hom. 29. in Euang. & aliis PP. Hanc expositionem his verbis opportunè adhibente S. Sabba in Menæis græcis (quorum ipse ante mille, & ducentos annos collector fuit) die 27. Ianuarij in vesperis de *S. Ioanne Chrysostomo*, dum hunc in modum Deiparam alloquitur. *Propheta Dauid, per te Auitus Numinis progenitor factus dulci cantu ad eum, qui fecit Tibi magna hunc in modum vaticinans exclamauit.* Adstitit Regina à dextris tuis. *Te quippe Deus, cum lubens Naturam ex te humanam induceret, pro Matre suâ, & vitæ æternæ comparatrice adhibuit, vt sic suam ipsius Imaginem refingeret, passionibus deprauatam: vnaque ouem, quam errantem in montibus deprehensam humeris suis imposuit, Patri diuino restitueret.* Hæc ille. Audis Mariam a Dei sapientia, tã pro Matre sua, quam pro vitæ æternæ comparatrice ad diuinã ipsius imaginem in homine refingendam adhibitam? Nec aliter quidem loquũtur pœne omnes PP. quorum plures alibi citamus: modo audi S. Petrum Damianum absolutissime de Maria in sermone *de Annunciatione* dicẽtem, *vt sicut sine illo* (Dei Filio) *nihil factum est; ita sine illâ nihil refectum sit:* Itidemque Andream Cretensem, & sapientem Idiotam in prioribus adnotationib⁹ adductos quorum prior dicebat: *Sola præternaturam fuit electa ad naturam renouãdam.* Idiota verò in contemplat. de Maria cap. 4. *Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ò Beatissima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Ita ille. Sed luculentius, quam cæteri Anselmus lib. *de excellentiâ Virginis*, cap. 11. inquiens: *Vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtilia fecit, in eo statu, quo condita fuerunt, esse destiterunt, & per hanc beatissimam Virginem in statum pristinũ reuocata sunt.* Vnde sic infert. *Sicut ergo Deus suâ potentiâ patrando cuncta, Pater est, & Deus omnium: ita beata Dei genitrix Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum: Deus enim est Dominus omnium singula in suâ naturâ propriâ iussione constituendo, & Maria est Domina rerum singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit gratiam restituendo.* Hæc Anselmus.

Gregor. Magn. — S. Sabb. — Petr. Damian. — Andr. Creten. — Anselm.

A B C D E

III

Nec me temperem, quin vt eludem præfata S. Sabbæ verba, aliunde, hoc est ex libro *de Maria formâ Dei* extraham ea, quæ nobis ob oculos ponunt modum, quo Deipara adstitit à dextris Filij, vt illi ad suã ipsius imaginem reformandam adiutrix foret. Quare in his Sabbæ verbis: *Vnàque ouem errantem in montibus deprehensam humeris suis imposuit*, obserua modum, quo pastor solet oues post se adducere, vt ipsum sequantur quemadmodum inquit Dominus, Ioan. 10. à versic. 2. *Qui autem intrat per ostium pastor est ouium: & eum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur.* Nimirum vt illum præcedentem sequãtur, ipse pelle ouina, quam oues recognoscant se se induit: vt dum aliquid sui oues vidẽt, similitudine illectę ire nõ refugiãt: atquè hinc obserua Dei Filium Mariæ carne, tanquam ouina pelle indutum homines post se allexisse, atque in illis suam imaginem reformasse. Quod quidem non nostrum, sed Damasceni inuentum fuit apud eadem Menæa Græca 22. Ianuarij ode 7. de S. Anastasio M. Deiparam ita salutantis. *Salue ò veneranda, & ex Adamo nata pellis ouilla, è quâ re verâ pellem eandem indutus processit Pastor ille, qui totum me homi-*

Ioan. 10. vers. 2. — Damas.

nem

nem ſuper exaltat propter incomprehenſam Miſericordiam ſuam: Hæc ille, quæ quidem ſenſum communẽ habent cum verbis Dauidis Pſalm. 64. verſ. 3. *Ad te omnis caro veniet*, iuxta Auguſtini interpretationem inibi dicentis. *Quare ad illum omnis caro veniet? Quia carnem aſſumpſit. Quò veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex vtero virginali: aſſumptis primitiis, cætera conſequentur, vt holocauſtũ compleatur*: & ſtatim plusplus rem explicans, & Eccleſiæ domum à Dei Filio MARIA coadiutrice ædificatam deſcribens ſubiicit: *Ad te omnis caro veniet: omnis caro dixit: omnis generis caro, ex omni genere carnis venerunt ad te. Quid eſt, ex omni genere carnis. Nũquid venerunt pauperes, & non venerunt diuites? Numquid venerunt humiles, & non venerunt ſublimes? Numquid venerunt docti, & non venerunt indocti? Numquid venerunt viri, & non venerunt fœminæ? Nũquid venerunt domini, & non venerunt ſerui? Numquid venerunt ſenes, & non iuuenes? Aut venerunt iuuenes, & non venerunt adoleſcẽtes? Aut venerunt adoleſcentes, & non venerunt pueri? Aut venerunt pueri, & non allati ſunt infantes? Poſtremo numquid venerũt Iudæi, &c. Aut venerunt Græci, & non venerunt Romani? Aut venerunt Romani, & nõ venerunt Barbari, & quis numeret omnes gentes venientes ad eum, cui dictum eſt.* Ad te omnis caro veniet: Hactenus Auguſtinus: vbi vides tùm oues ſequentes Chriſtum, quòd ouillam pellem Virginis geſtantem viderint: id enim ſibi vult Auguſt. inquiens: *Tulit inde primitias ex vtero virginali, aſſumptis primitiis cætera conſequentur*: tùm etiam ad Eccleſiæ domum firmiter ædificandam Dei Filium Mariam pro Matre ſuâ, & vitæ æternæ comparatrice adhibuiſſe: Hinc iam ipſius immunitatem dilucide oſtendere promptum erit.

Pſal. 64. verſ. 3. Auguſ. A

In quam rem cum primis obſerua, quid ſtatim verſ. ſequenti Reginæ Filij ſui in domus ędificatione coadiutrici ibi Vates ſic ſuggeſſerit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuũ, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum*: quibus futuram Deiparam de immunitate ab omni labe originaria, & ſecretione à communi generis humani maculâ; & infelici Euæ ſorte Vates certiorem reddidit, omninò affirmans nihil ipſam cum domo terreni patris ſui Adam habituram commune, quę in fundamentum domus cœleſtis Adam a Deo aſſumẽbatur: hãc cogitationem his Dauidis verbis affigente Leone Imperatore in oratione *de Annunciatione*, quam Iacobus Gretſerus noſtræ Societatis Theologus è Græco in Latinum optima fide reddidit, hunc in modum. *Cum adhuc in lumbis paternis contineris Progenitor tuus clamabat.* Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuũ, & domum Patris tui. *Audiſti verò, ò filia, commendationem, & oblita es populi tui, & ſortis, & domus paternæ: ſortis videlicet illius, quã Eua progenitrix toti generi diſtribuit infinito illo affectuum, paſſionum, & animi perturbationum cumulo, quaſi hæreditario relicto. At nihil hortũ tu in domum tuam intuliſti.* Hactenus Leo Imperator à commendatione immunitatis Deiparæ verè Auguſtus. Apud quem omninò obſerua duplicem domum, ſiue generationis ſeriem: alteram primi parẽtis cui infelix originariæ labis ſors inhæret: alteram verò generationis Chriſti, qui eſt cœleſtis Adam, & pater futuri ſæculi: pulchreque Leonem, cum peccatum originale, eiuſque notas deſcripſiſſet, Mariæ ſuggerere: *Oblita es populi tui, & ſortis, & domus paternæ, & nihil horũ tu in domum tuam intuliſti.*

IV *Pſal. 44. verſ. 11.*

Leo. Imperat.

B C D E

rum in domum tuam induxit: vt dixerit: Alia tua domus a domo Adã: alia sors, à sorte Euæ: alia à te ædificatio, alia domus constituitur, inquã nullam tu maculam, nullum hæreditariæ sortis vestigium intulisti: nec enim decebat vt ei, quæ in firmissimum domus Ecclesiæ à Domino constituendæ fundamentum assumebatur, pristinæ labis, & ruinosæ sortis aliquid subesset. Quæ quidem videtur esse mens PP. Cõcilij Basileæ cum immaculatam Deiparæ Conceptionem per imaginẽ fundationis d omus signatè expressêrunt illis verbis: *Alius autem â contrario dicentibus à principio Creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam ei cõtulisse, per quam à maculâ originali illam beatissimam personã liberans, & præseruans sublimioris sanctificationis genere redemit: cum fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset Mater eius in terris.* Hæc PP. vbi obserua Mariam fundatam à Deo, & fabricatam, vt esset Mater eius, atque idcirco maximè oportuisse, vt ab omni macula esset immunis, vt domui toti fundamenta ipsa responderent, quia sibi inuicem aliàs non bene conuenire, & adhærere poterant: opportunissime id monẽte S. Anselmo in sermone *de Conceptione*, quam Officio Conceptionis à se approbato, & commendato affixit Sixtus IV. Pont. Max. hunc in modum: *Si aliqua alicuius peccati macula Conceptio Virginis corrupta fuit; fundamentum habitaculi sapiẽtiæ Dei non congruebat, ipsi structura non cohærebat.* Hæc ille. Quæ nostrum institutum, & cogitationem, quam persequimur, adeò dilucide firmant, vt alio sponsore non indigeamus.

PP. Concil. Basil.

V Psal. 86. vers. 5.

Sed deinde obserua in illis verbis: *Cum fundaret eam Altissimus ipse*, PP. illos manifeste alluisse ad verba Psalm. 86. vers. 5. in quo cum de Maria ex frequenti expositorum consensu sermo sit, præmiseritque Vates: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, nõ sine magnâ emphasi subiicit Vates. *Numquid Sion dicet? Homo & homo natus est in eâ: & ipse fundauit eam Altissimus*: & verò quamuis hæc emphasis benè expendatur à Richardo de S. Laurentio lib. 11. *de laudib. Virginis*, hunc in modum: *Hæc sunt gloriosa, quæ dicuntur de ciuitate Dei, scilicet quod* Altissimus, *in quantum Deus* fundauit *eam prius, & post eius fundationem* natus est in ea *in quantum homo. Ideò cum loquitur Propheta de fundatione ponit præteritum scilicet* fundauit: *cum subiungit de natiuitate in vtero, ponit præsens tempus, scilicet*, est, *ad ostendendum, quod postquam eam fundauerat, vt Deus*, homo natus est *ex eâ, quod esset impossibile in puro homine: nusquam enim auditum est, quod architectus priùs domum fabricauerit, & postea in eadem domo nasceretur: sed Christus hoc fecit ad innuendum, quod eius natiuitas omnes alias præcelleret. Vndè Prouerb. 9.* Sapientia ædificauit sibi domum. Sic Richardus: at enim vero maior epitasis ineſt illi locutioni: *Et ipse fundauit eam Altissimus*, quę explicat, quã fuerit gloriosa Marię fundatio, cui & tota Dei domus, & ædificatio, & ipse Dei Filius ex ea nasciturus inniteretur: vt fuerit sensus huius domus fundamenta nõ ab Adam terreno, sed ab Adam cælesti iacta fuisse: *Nè in lubrico, atquè instabili* (vt aliò intentus dixit Plinius lib. 36. cap. 14.) *fundamenta tãtæ molis locarentur*: sic opportunissimè hæc verba in hunc sensum inflectente Petro Comestore, qui Auctor Historiæ Scholasticæ dicitur, in libello de *purâ Virginis Conceptione*: dum inquit: *Intelligequod ait*: ipse fundauit eam Altissimus: *Ipse non alius, non vetus Adam, sed nouus nouum fecit fundamentum, super quod*

Richa. à S. Laur.

Plinius.

tam

tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium: alioquin si veteris ruinæ manserè vestigia, si veteri superædificatum est: vetus Adam, non ipse fundauit eam Altissimus. Hæc ille, quibus nihil pulchrius, nihil magis ad rem dici potuit: quare pendè singula.

VI Et quidem appositè dictum est: *Super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium.* Quod? tum scilicet excelsissima Dei sedes, tùm etiam quidquid in Ecclesia salutare beneficum, & hominibus ad vitam, & beatitudinem opportunum est: vel quod de MARIÆ carne, è qua Dei Filius carnem susceptit, S. Bernardinus Senensis tom. 1. sermone 61. articul. 1. capit. 10. dixit, nimirùm: *De carne Virginis benedictæ, & in parte corporis excisa consistit, perficitur, ac terminatur totum decus, ac pondus Sacramentorum Ecclesiæ.* Quâ igitur ratione non induxeris animum, vt credas, nihil fuisse opportunius, nihil conuenientius, quam non super arenam, nec super originalis peccati lubricum tantæ, tamque præcelsæ magnitudinis fabricam fundari? Sed super firmissimam gratiæ, & diuinæ beneuolentiæ petram, nè Mortis fundamento vitalis domus inniteretur. Quod sanè vel à contrario collige ex notissimâ illâ, & peracutâ obseruatione Theodoreti quæstion. 46. in Genesim. Vbi cum occasione mortis Abel interrogasset. *Quare cū Adam peccasset: iustus Abel primus mortuus est?* Acutè respondet de industriâ à Deo id in mortis odium fuisse dispositum, nè mors firmo, & stabili fundamento, quale fuerat Adam peccatis obnoxius, sed fragili, & infirmo, vt Abel, cui quod innocens, & iustus mors non benè, & appositè conueniebat, inniteretur: *Debile* (inquit Theodoretus) *voluit esse mortis fundamentum. Si enim Adam prior obiisset, firmiori fundamento mors niteretur, primam mortuam excipiens peccatorem. Quia verò primum recepit eum, qui iniustè occisus erat, dubium fundamentum habet:* ita ille. Nimirùm qui morti, de industria debile, & dubium fundamentum apposuit; vitæ quidem è contrario firmum, & solidum locare fundamentum æquum iudicauit, vtqui mortem, quam *non fecit, nec lætatur in perditione viuorum* abolere volens, in lubrico lapsabundam posuit; vitæ, cuius ipse ardens amator, & factor est, firmam, stabilemque sedem pararet. *Nouus ergo nouum fecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium.* Vndè quidem Sanct. Bernardus sermone 3. super Salue Regina (nisi forte est alius Auctor Bernardo non multum dissimilis) Deiparam firmamento sic componit. *Omnibus firmamentis firmius firmamentum, Tu Domina.* Quibus verbis nihil adnostrum institutum explicatius, nihil ad Mariæ laudem excogitari dicique potuit sublimius.

Bernar-Senensis. *Bernar.*

Sed pro præfato Comestoris sensu opportunissimè locutus est Sanct. Anastasius Archiepiscopus Antiochiæ oratione, cui titulus: *In Annunciatione intemeratissimæ, Deiqne genetricis MARIÆ* premens Angeli verba: *AVE GRATIA PLENA:* hunc in modum. *Quam obrem cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus dicemus, quam neque Sol voluptatis flammam immittens adusit, neque fluxa vis Lunæ noctu læsit:* quibus extremis verbis ad immaculatam MARIÆ Conceptionem alluisse, ea quæ subiungit manifestè euincunt: reddit siquidem rationem: *Non enim dedisti in commotionem pedem animi, sed eo fixo in petrâ indeflexa mansisti, teque Dominus*

VII *Anast.*

Theod.

custodiuit: Sic Anastasius: vbi vides Mariæ fundamentum non sub fluxa vi Lunæ iactum, sed super firmam gratiæ petram, vt ipsa indeflexa, & sibi vndequaque constans minime daret in commotionem animi pedem. Nec omiserim hic appingere, tanquam valde opportunum, quod a Pat. Maximiliano Sandæo viro egregiè docto, & summe Virginis studioso obseruatum video ex Hermete in libro centum Aphorismorum Aphorismo 13. ædificia molientes, sic admonente. *Dum Lunâ erit meridionalis descendens in Scorpione, non incipias fabricare: cito enim huius fabrica diruetur.* Sanè quasi ob oculos haberet MARIÆ ædificium numquam in commotionem dandum, quæ fauente Luna gratiæ fixo in petrâ pede indeflexa stetit: *Neque enim fluxa vis Lunæ noctu læsit*, sed nox, sicut dies illuminata est: sese interponente Lunâ diro illo Scorpioni. *Cuius cauda* (vt de Scorp. inquit Plinius libr. cap. 25.) *Semper in ictu est*, vt mortales in mundum ingredientes ad mortem feriat. Cui cogitationi appositè fauet Regius Psaltes de Deo sanctificium, siue sanctificationem, hoc est domum sibi ipsi ædificante inquiens Psalm. 77. versiculo 69. *Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terrâ, quam fundauit in sæcula*: notantissime Deo, vt ædificium struenti vnicornis imaginem accommodans: de quo tùm ibi adnotant Hugo Cardinal. Lyranus, & Richius: *Quod cum extruit ædificium, aut lustrum, & foueam suam, prohibet diligenter, nè aliæ bestiæ accedant*: tum etiam omnes naturalis historiæ Auctores memorant, magnam vim habere aduersus venena, & virulentos serpentum flatus; Vndè opportunè additur de hoc ædificio: *Fundatum esse in sæcula*, quod è Græco transtulere Nicephorus, & Euthymius: *Maximum, & pulcherrimum, & forti structurâ*: & verò, vt vt id de Ecclesiâ totâ iuxta litteram primario sensu capiendum sit; non minus appositè ad MARIÆ ædificium, quæ domus sanctificationis Dei est, possit transferri.

Maxi. *Hermes* *Plinius.* *Psal. 77 vers. 9.* *Hugo. Lyra. Richil.* *Niceph. Euthy.*

Deinde verò vt videris, quam opportune dixerit Petrus Comestor: *Alioquin si veteris ruinæ manserè vestigia, si veteri superædificatum est; vetus Adam, non ipse fundauit eam Altissimus*, adi Psalmum decimum septimum, qui totus de Christo, & de Ecclesiæ ædificatione, & fundamentis est, vt ibi Augustinus, & Hieronymus in præfatione in capit. 17. Isaiæ, & alijs in locis Didymus, & plures alij adnotarunt: atquè ipsemet Psalmi titulus satis ostendit: est enim hic. *In finem puero Dauid*, (id est Christo, vt inquit Hieronymus) *qui locutus est Domino verba Cantici huius* (pro quibus Paraphrastes Chaldæus reposuit. *Qui cecinit in prophetia coram Domino verba Cantici huius*) *in die, qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius*: & quod caput est, Petrus, & Paulus in hunc sensum de Christo inflexerunt nonnulla ex hoc Psalmo verba: nam Apostolorum Princeps in Actis cap. 2. versic. 28. cum allusione ad versum 6. *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis*, de Domino à mortuis resurgente dixit. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*: Paulus verò ad Roman. 15. versicul. 9. de gentium conuersione singillatim accepit versicul. 50. *Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo*: In hoc siquidem Psalmo, de Ecclesiæ fundatione, siue fundamentis

VIII *Psal. 17. Augus.* *Hieron. Didym.* *Chald.* *Act. 2. vers. 28.* *Ad Roman. 15. vers. 9.*

agens

Psal. 17. *vers.* 8. agens Dauid, *in prophetiâ*, (vt dicebat Chaldæus) sic primum ait versicul. 8. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt:* vt dixerit: terram de loco suo motam, atquè idcirco ipsamet montium fundamẽnta adeò funditus concussa, atquè reuulsa fuisse, vt nihil ex ipsis supereslet: Ad quæ verba benè obseruant PP. Græci & Latini, & ex illis signatè Eugubinus nihil eorum, quæ hoc in loco commemorat Dauid, ei vnquam euenisse; ideoque de Christo, & de Ecclesiæ fundatione omninò fore accipienda, vt videlicet Ecclesiam ipse suam fundaturus, domum Adam paternis sordibus fundatam funditus primum exhauriret. Quare statim versic. 16. subiicit. *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamẽta orbis terrarum*, quibus omninò significat reuulsis vndequaque terrenis, & ruinosis fundamentis, quin aliquid ex ipsis permanserit, detecta, & reuelata fuisse prima illa orbis fundamina, cum primi scilicet orbis terrarum parentes creati sunt à Deo *in iustitia, & sanctitate veritatis*, ad Ephes. 4. versic. 24. vt super hæc primaria fundamenta cœlestis Adam Ecclesiæ suæ fundamenta locaret, & noua *Dei ædificatio* (1. ad Corint. 3. versic. 9.) siue *ædificatio corporis Christi* (ad Ephes. 4. versic. 12.) innixa subsisteret. Vbi ad amussim descriptam conspicis immaculatissimam MARIÆ Conceptionem, siue fundationem, dum terrenis fundamentis primum reuulsis, nihil è domo Adam, & sortis Euæ, è paternis inquam sordibus in domum suam intulit: nè in lubrico, atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur: & vt domus sibi vndequaq; cõstaret: nam *si aliqua alicuius peccati macula* (vt dicebat Anselmus) *Conceptio Virginis corrupta fuisset, fundamentum habitaculi Sapientiæ Dei non cogrueret: nec ipsi structura cohæreret*, siue (vt dicebat Petrus Comestor) *alioquin si veteris ruinæ manserè vestigia, si veteri super ædificatum est: Vetus Adam, non ipse fundauit eam Altissimus. Nouus ergo nouum fecit fundamentum.*

Eugubi. *Petr. Co.*

Nec dissident illa, *& apparuerunt fontes aquarum*, quæ per antepositionem dicta sunt: cum sensus sit, reuelata fuisse fundamenta orbis terrarum, & tunc fontes aquarum apparuisse: nimirum, vt inibi benè obseruat S. Thomas, per terræ submersionem, siue terræ motum venæ in fundo latentes scaturiunt, vt dixerit Vates: reuulsis terrenis fundamentis, vt nouæ ædificationi facerent locum, tunc pro nouâ Ecclesiæ fundatione, quæ a Conceptione Mariæ initium habuit: *Fons aquæ salientis in vitam æternã*, Ioã. 4. versicul. 14. hoc est diuina gratia scaturiens erupit: Anna videlicet, quæ gratia interpretatur, MARIAM concepit, quasi ipsa in sui Conceptione gratiæ vlnis excepta, & fonte donorum Spiritus Sancti conspersa fuerit.

S. Thom. *Ioan. 4. vers. 14.*

IX

Psal. 17. *vers.* 16.

Ad Ep. 4. ver. 24

1. Corin. 3. ver. 9. *Ad Ep. 4. ve. 12.*

Ansel.

MARIAM vt aptum Ecclesiæ de cœlo descendentis fundamentum esset, originariæ labi obnoxiam esse non debere.

ADNOTATIO V.

I

ENIM verò ouum ouo non adeò simile est, vt præfatis Dauidis verbis affinia sunt illa Zacha-

Zachar. 4. ver. 7. riæ, à nobis in epistol. ad Philippenses cap. 1. versicul. 7. adnotation. 8. numer. 4 pro MARIÆ immunitate expenia, cap. 4. versic. 7. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam, gratiæ eius:* Etenim quamuis frequens PP. expositio Cyrilli Alexand. Hieronymi, & aliorum per hunc lapidem primarium velint significari Christum Dominum, firmante hunc sensum Paraphraste Chaldæo, qui reponit: *Et emerget Christus: cuius ab æterno nomen dictum est*: at non minus apposita, & opportuna est interpretatio Rabbi Haccados, & antiquorum Hebræorum, apud Petrum Galatinum lib. 7. *de arcanis*, c. 3. quos nostri Recentiores maximè probant, per hunc lapidem primarium accipientium Matrem Messiæ, ex quâ ille excidēdus esset iuxta vaticinium Isai. c. 16. vers. 1. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petrâ deserti ad montem filiæ Sion:* Cui explicationi vox Hebræa *tasab* omnino congruit, quæ vt ibi monet P. Ribera nō masculini, sed fœminini generis est: quam vim vt exprimerēt nonnulli ex translatoribus reposuerunt signatè: *& educet petram primariam*: & verò cum de lapide fundamenti sermo sit; & Christus emergens à Maria Matre diuelli nequeat vtraque expositio in idem recidit, vt propter maximam, quæ inter Filium, & Matrem intercedit coniunctionem; necnon quod *cum venit plenitudo temporis* ædificandæ Ecclesiæ *misit Deus Filium suum factum ex muliere*, ad Galat. 4. vers. 2. etiam lapis siue petra primaria huius ædificationis Maria quodammodo dici possit: Quò quidem omninò facit in Apocalypsi à Ioanne conspectam fuisse mulierem habentem Lunam sub pedibus eius, Apocalypsi 12. vers. 1. *Signum* (inquit) *magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*: Quo in loco illi interpretes, qui litteratissimi videri volunt; dū per mulierem monent significari Ecclesiam, notanter inquiunt Mariā adūbrari in Lunā eamque sub pedibus mulieris, non quasi victam, aut despectam, sed tanquam Ecclesiæ basim, & fundamentum ita supponi. Quod si ipsis obieceris Paulū dicentem Christum omninò Ecclesiæ fundamentum esse, quin aliud ipsi subiici possit: *Fundamentum enim* (inquit 1. ad Corinth. 3. vers. 11.) *aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*: respondet P. Alcazar ad ea Apocalyps. verba notat. 2. *de significatione secundaria Lunæ*, ad finem: adeò non officere primario lapidi Iesu Mariam fundamentum Ecclesiæ esse, vt potius ipsiusmet solis mulierem circumvestientis, qua eius Mater est, opportune fundamentū, & basis quodammodo dici possit: Audi illum hæc dissertissimè diffundentē his verbis: *Præterea Ioannes vidit mulierem Lunâ fulciri, & Sole, ac syderibus ornari. Quod nobis innuit: Lunam, dum mulierem veluti basis sustentat, esse etiam fulcrum, ac basim, qua non stellæ ipsæ solum, sed sol quoque mulierē circū vestiēs quodammodo nitebatur. Hoc vero eleganter exprimitur in eo, quod Virgo sit Dei Mater. Filius enim quodammodo in Matre, sicut in basi columna fulcitur*, & statim in eiusdem sententiæ confirmationem. *Ideòque & Apostoli, & vniuersa Ecclesia sustentantur in Virgine, quod ipsa sit verè Dei MATER. Si autem Lunæ symbolum Virgini congruit propter coniunctionem maximam, & necessitudinem, quæ illi intercedit cum CHRISTO (qui primaria est Lunæ significatio) ex hâc ipsâ cum CHRISTO coniunctione, atque vnione deriuatur in Virginem, quod ipsa sit suo modo Ecclesiæ fundamentum, atquè adeò Lu-*

Chald. *Petr. Galat.* *Isai. 16. vers. 1.* *Apoca. 12. v. 1.* *Corint. 3 vers. 11.* *P. Alc.*

A B C D E

nam esse fœminæ illius basim, nobis indicat, cœlorum Reginam Dei ipsius esse parentem. Hactenus ex P. Alcazar, qui ex maxima Mariæ cum Christo coniunctione, *in eo quod ipsa sit verè Dei Mater*, optimè adstruit, ipsam suo modo Ecclesiæ fundamentum esse: vbi omninò A videsindeipsam omnis originariæ labis expertam esse: *Nam si aliqua alicuius peccati macula Cõceptio Virginis corrupta fuisset, fundamentum habitaculi Sapientiæ Dei non congrueret, nec ipsi structura cohæreret.*

II Iam verò quid de eductione, & excisione huius primariæ petræ, de Deiparæ scilicet primâ Conceptione B audi: *Et exæquabit gratiam gratiæ eius*, siue vt legunt LXX. *æqualitatem gratiæ, gratiam eius*, vel ex Hebræo verbo ad verbum: primum *æqualitatis gratiæ gratia eius*, vbi obiter pro nostro sensu obserua pronomen *eius* itidẽ esse in Hebræo fœminini generis. Deinde verò (quod Hebræa vox, quæ respondet *æqualitati*, ancipitem habet significationem: C) Pagninus, Vatablus & alij Rabbi Dauid secuti legunt: *Cum clamoribus, gratia, gratia ei:* Quæ omnia mirè firmant Mariam apud Deum semper fuisse gratiosam, quin vlli inquam maculæ subiacuerit: Nam quamcumque harum lectionem excusseris, sensus est Deum in gratiâ sua Mariæ cõmunicanda eadem benignitate in primo Conceptionis eius instanti, ac in toto illius vitæ decursu se gessisse, dum æquali gratiæ tenore primum illud Conceptionis instans, ac reliqua vitæ spatia, ab omni labe immune asseruit; id enim sibi vult Vates iuxta nostræ vulgatæ versionem: *Et exæquabit gratiam gratiæ eius:* primam scilicet gratiam eductionis, siue Conceptionis MARIÆ æqualem Deus in puritate esse voluit gratiæ totius vitæ, quam ab omni labe puram transegit: in quem sensum recidit lectio LXX. *Æqualitatem gratiæ, gratiam eius:* id est Mariæ gratiam nunquam claudicasse, sed a primo Conceptionis instanti æqualiter immaculatã fuisse, quamuis pro temporis augmento Dei gratia in ipsa operosissima fuerit, & ingentia sanctitatis incrementa perfecerit. Quo sensu Concilia, & PP. MARIAM per antonomasiã appellant *immaculatam*, & Sanct. Ioannes Damascenus in Menæis Græcorum 22. Ianuarij post Oden. 9. *de Sanct. Anastasio M.* notantissimè dixit. *O semper, & vbique inculpatissima Numinis Mater*, de quo nobis inferius latissimè disserendum est: vt modo addiderim posse etiam pronomen illud *eius*, in lectione vulgatæ non ad subsequentem MARIÆ gratiam, sed ad ipsiusmet Artificem, primarium hunc lapidem educentem, referri: vt perinde fuerit de eo dicere. *Exæquabit gratiam, gratiæ eius:* ac affirmare Matrem, ac Filium æquales esse in immunitate à peccato originali, & Architectum æquè vtrique lapidi, nempè Matri ac sibi cauisse, vt quando in domus fundamenta locabantur, firmissime vtraque petra subsisteret: Quam cogitationem aucto censu firmauit Verricus Abbas sermone 2. *de Annunciatione:* inquiens. *Si ergo petra Christus, vt ait Apostolus: non degenerat à Matre Filius, quandò & ipsa Petræ nomine censetur:* vbi obserua dicendi modum: *Non degenerat à Matre Filius:* quo MARIAM generis caput, siue nobilitatis, & claritudinis principium, à quo bonæ indolis filij, tanquam optimæ stirpis rami degenerare non debeant, facere videtur: quasi Christum immunitatem a peccato originali, hæreditario quodammodo iure à Maria desumpsisse, siue didicisse dixerit: non equidem,

LXX. Hebr. lection. *Pagnin. Vatab.* *Verric.*

quod ipſa Filio dignitate, ſed tempore, qua illius genitrix eſt præceſſerit.

III Nec fuerit omittenda Pagnini, & Vatabli lectio: *Cum clamoribus gratia, gratia ei*: iuxta quam inducit Prophetā Deiparę Conceptionem, ſiue primum in hunc mundum ingreſſum, vt omnibus creaturis gratiſsimam, & gaudium afferentem vniuerſo mundo: ita ab illis non modo ſummo plauſu, & gratulatione acceptam, ſed etiam, vt omninò purā, & immaculatam feſtiuis vocibus, & repetitis acclamationibus *gratia, gratia ei*, celebratam: vt non tantū dixerint: vti explicat hunc plauſum P. Ribera. *Omnia illi ſint fauſta: omnes hunc lapidem ament, & colant:* verum etiam admirabundi clamēt: ecce Mariam in gratiā conceptam, ecce gratiam ei in primo vitæ inſtāti collatam: & cum adſtipulatione, & plauſu: *gratia, gratia ei* detur: dignum quidem, & tantæ Virginis maieſtati conueniens eſt, vt ſimul cum gratia concipiatur: gratia, gratia ei cōgruit, quæ Dei genitrix, & Eccleſiæ fundamentum futura eſt. Quod ſi petas: quinā? aut vbi Mariæ Cōceptionem cum tam feſtiuo plauſu celebrarunt? Reſpondeo primùm cum S. Vincentio Ferrerio hoſce plaudentes, & feſtiua gaudia celebrantes, cœleſtes ſpiritus fuiſſe: quorum opportuna vox fuit, *gratia, gratia ei*: Sed audi S. Vincentium ſerm. 2. *de Natiuitate Virginis*: vbi cum clariſsimè aſſeruiſſet immaculatam Deiparæ Conceptionem his verbis: *Non credatis, quod fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, naſcimur, & nutrimur, ſed ſtatim poſtquam corpus Virginis fuit formatū, & anima creata, tunc fuit ſanctificata*, illico ſubiicit. *Ideò fit feſtum de eius Conceptione, quia facta eſt lux ſanctificationis in eâ, & ſtatim Angeli de cœlo fecerunt feſtum Conceptionis*, Hæc ille. Quò placet referre

P. Ribe.

S. Vince. Ferrer.

A Angeli verba ad Iacob poſt habitā cum eo luctam: *Dimitte me: iā enim aſcendit Aurora*, Geneſ. 32. verſic. 24. vt illis ſignificauerit, eâ orationum, & lachrymarū luctâ obtinuiſſe Patres antiquos Incarnationem Filij Dei ex Maria, tanquam ex Aurora prodituri, atque idcirco inſtante iam huius Auroræ feſtiuitate non poſſe, non ipſum reliquorum cœleſtium choro ſe ſe ad hanc feſtiuitatem celebrandam adiungere. Certè in hunc ſenſum appoſitè inflexit iſtam luctam opportunè Cardinal. Hailgrinus in id Cant. 6. verſic. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens?* hunc in modū. *Hæc eſt Aurora, de quâ Angelus ad Iacob in Geneſi.* Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora. *Siquidē per Iacob luctantem cum Angelo ſancti Patres deſignantur, qui luctantes cū Domino precibus, & lachrymis, extorquere, & obtinere à Domino Incarnationem Filij ſui tali inſtantiâ velut quâdam victoriâ nitebantur, ſed eorum cætui reſpondetur à Domino:* Dimitte me: iam enim aſcendit Aurora: *Ceſſet inſtantia veſtri luctaminis, quia iam lux naſcitur videlicet Virgo, quæ vobis pariet verum ſolem.* Ergo opportunè inducitur Angelus ſeſe luctæ ſubducens, vt feſtiuitati Auroræ celebrandæ in cœlis interſit.

Gen. 32. v. 24.

B

Cant. 6. verſ. 9.

Hailgri.

C

D

Concinit hisidemmet Dominus apud Iob cap. 38. verſic. 7. vbi cum arcana oratione futuram Eccleſiæ fundationem, vt Nizetas, & vtraque gloſſa interpretantur, ſic deſcripſiſſet, *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam? Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? Vel quis tetēdit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* ſubiicit. *Aut quis demiſit lapidem angularem eius? Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei*, ſiue vt LXX. habent. *Laudauerunt*

IV

Iob 38. verſic. 7.

E

LXX.

runt me voce magna omnes Angeli mei: vbi si benè æstimas, maius aliquid, quam terræ centrum cogitabat in his verbis Dominus: vt quid enim ad comprimendam humanæ mentis arrogantiam proponeret Iobo Deus istam de terræ fundatione, & grauitate quæstionem, quæ proculdubio humanæ cognitioni omninò negata non est? Ergo in lapide angulari Christum significatum fuisse collige ex frequentissima hac appellatione, quam ei Scriptura tribuit, quotiescumque de Ecclesiæ Christianæ fundatione agitur: ita Isai. 28. vers. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*, & ad Ephes. 2. vers. 20. *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, & 1. Petr. 2. vers. 6. *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, &c.* In demissione verò huius lapidis angularis non solum Christum precisè sumptum, sed ipsum vt ex Maria conceptum omninò intellige, eadem mittendi locutione: explicante id Apostolo ad Galatas 4. vers. 4. *Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suũ factum ex muliere*, itidemque Isaia. *Ecce ego mittam in fundamentis Siõ lapidem, &c.* perinde enim fuit Vati dicere *in fundamentis Sion*, ac Paulo *factũ ex muliere*: opportunè interpretante id Richardo à S. Laurentio lid. 11. *de laudib. Virginis*, hunc in modum. *Ecce ego mittam dicit Pater fundator*: in fundamentis Sion, *id est Mariæ, quæ paulo post appellatur Sion*; lapidem angularem probatum, pretiosum, in fundamẽto fundatum, *id est Christum*. Hæc Richardus: & verò ipsemet Vates se se satis expossuit, quin egeret interpretedum maioris explicationis gratia pro hoc sensu de Maria in fundamẽtũ Ecclesiæ posita, subiecit de Christo lapide angulari *in fundamento, fundatum*, factum scilicet *ex muliere* & Mariæ quodammodo innixum, vt de ipsa tanquam Ecclesiæ, & ipsiusmet solis basi, ex Alcazaris interpretatione superius dicebamus.

Isai. 28. vers. 16. — Ephes. 2 vers. 20. — 1. Pet. 2. 6. — Galat. 4 vers. 4. — Richa. à S. Laur.

A

Iam verò ad demissionem huius lapidis angularis cœlestium spirituum plausum, & acclamationes obserua, dicente Domino: *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, siue *laudauerunt me voce magnâ omnes Angeli mei*, quæ verba nec hilum differunt à verbis Zachariæ *cum clamoribus, gratia, gratia ei*. Vbi primum pende aduerbium *simul*, & verbum *omnes*, vt argumento sit nullum omninò Angelum, nec illum quidem, qui cum Iacob luctabatur huic cœlesti choro defuisse: immò verò illum ad Auroræ ascensum sese luctæ nodis extricasse, vt *simul* cum aliis omnibus voce magna plaudẽs clamaret *gratia, gratia ei*. Quo in loco, quod etiam è re nostra est, obserua cum Card. Caietano in hac acclamatione, & iubilo allusionem fieri ad peruulgatam consuetudinem Principũ iacientium primum fundamentum cum ingenti lætitia, & acclamatione musicorum instrumentorum; sed illud opportunius, Hebræum scilicet verbum *laudare* ibi significare lætiorem cantum cum iubilo, & acclamatione, itidemque referri ad gratiarum actionem cum lætitia, & alacritate persoluendam. Sed quorsum hæc gratiarum actio, & acclamatio cum iubilo? Respondet Chrysostomus in Catena Græca referendum id ad mundi huius creationẽ. *Angeli* (inquit) *ipso aspectu obstupuerunt, cum multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, vtilitatem, varietatem, ornatum, splendorẽ, concentum, cæteraque omnia, quæ multo illi, quã nos, melius vident, & intuentur*. At enim verò nõ absre, hoc in loco dixeris, quod alicubi sapiens: *Quorum si specie delectati,*

B

C

D

E

V

Caietan.

Chrysost.

quan-

quanto enim Dominator eorum ſpecioſior eſt? Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. Sapient. 13. verſ. 3. id eſt, ſi merito ex pulchritudine, diſpoſitione, vtilitate, ornatu, & ſplendore creaturarum Angeli, & laudauerunt Deum, & gratias ei egerunt: quanto potiori iure *ipſo aſpectu obſtupuerunt*: & magna voce laudes Deo canere, & immortales gratias agere debuerunt, cum Dei Filium ex Maria hominem factum ex pulchra pulchrum, ex ſplendida ſplendidum, ex immaculata immaculatum, *quod multò illi*, quam qui inter nos melius vident, intuentur. Ergo opportunè reſpondet interrogationi factæ Anaſtaſius Synaita libro 4. *Hexameron*, inquiens: *Hymnis Deum celebrarunt* (Angeli:) *quâ obrem? Quoniam facta ſunt aſtra? Non certè propterea, ſed cũ vidiſſent ſolem è terra recurrentem, in myſterio didicerunt Chriſti Incarnationem: & ideò cum vidiſſent eum ex ſanctâ Virgine, tanquam ex abyſſo exortum, ſtatim exclamauerunt, &c.* Ecce tibi demiſsionẽ lapidis angularis *cũ clamoribus, gratia, gratia ei.*

Sapient. 13. ve. 3.

Anaſt. Synait.

VI Nec velim vt has acclamationes & plauſus ad cœleſtes ſpiritus in cœlis feſtiuitatem Conceptionis Mariæ celebrantes tantum referas: cũ illis militantis Eccleſiæ chorus maximâ cum alacritate, & plauſu ſe ſe adiungat, prænunciante Vate Pſal. 47. verſic. 2. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ Mons Sion: latera Aquilonis: Ciuitas Regis magni*, quę de Deiparæ Conceptione communis Eccleſiæ. & piorum ſenſus ex ipſa fundationis locutione, & epiteto Ciuitatis Regis magni accipit, & Richard. à S. Laurentio libr. 11. de laud. Virginis illuſtrat. *Id eſt, vt per eam exultet vniuerſa terra, id eſt triplex terra, ſcilicet terra viuentium, quæ inde exultet, quia numerus Angelorum diminutus per caſum Lucifer per ipſam eſt reparatus. Terra mortuorum, id eſt mundus, qui per eam ſaluatus eſt, & gratia illuſtratus. Terra mortuorũ, ſcilicet infernus, quoad detentos in limbo, qui per eam inde extracti ſunt, & in paradiſum introducti, & hoc eſt, quod Dominus dicit Iſai. 65.* Ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Hæc Richardus, & quidem ſapienter: ſed nos vltra progredimur, & Mariæ immunitatem ab omnibus omninò gentibus magna cum feſtiuitate celebrari, mentem Vatis eſſe exiſtimamus, vt ex Hebraicis verſionibus latiſsimè oſtendimus in epiſtol. ad Philipp. cap. 2. verſ. 7. adnot. 8. tota: nimirum ex proprietate, & fœcunditate vocis *noph* legũt plerique *pulcher climate mons Sion*: vt videlicet ſub gratiæ, & diuini beneplaciti proſpectu; non vero ſub noxio originalis culpæ climate cõcepta ſit: itidemque *pulchra Nympha*, ſeu *ſponſa*, quod omnibus pulchritudinis ſpiritualis numeris abſoluta, quin vlla omninò macula, aut næuo fœdata ſit, in ſuâ Conceptione euaſerit: Vndè *næuo nulli ſubiecta* a PP. frequenter dicitur, vt ſuo loco videbimus: modo ſignatè vrgemus exultationem vniuerſæ terræ: Nam vt *Conceptio tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerſo mundo*: ita etiam vniuerſus mũdus cum ſummo gaudio, & lætitiâ toto animi impetu ipſam celebrare exoptat: Cui voto apto egregium ſenſum S. Ioanni Damaſceni apud Menæa Græca die 22. Ianuarij poſt Oden. 9. vbi cum prius Mariæ immunitatẽ ſignatiſsimis hiſce verbis aſſeruiſſet. *O ſemper & vbique inculpatiſsima Numinis Mater*: vbi ex egregio huius loci Scholiaſte P. Simone Vvangnerecklio obſerua, quâ accuratè Deiparam ab omni labe immunem faciat Damaſcenus: nimirum in aduerbio *ſemper* vniuerſitatem temporis comprehendit affirmans Virginem omnibus omninò

Pſal. 47. verſ. 2.

Richar. à S. Laur.

Iſai. 65. Lectio Hebræa.

Ad Philipp. 2. v. 7.

Damaſ.

Simon. Vvang.

tem-

temporibus inculpatam, etiam illo momento, quo sacratissima illius anima fuit creata: deinde dum ait *vbique*: vniuersitatem loci designat: hoc est, non solum in cœlo, aut terrâ, sed in ipso quoque vtero Matris: Tertio voce *inculpatissima* præsertim græcè spectata vniuersitatem culpæ excludit, id est in omni genere culpæ inculpata, nè culpa quidē originali excepta: post modum beatam Virginem ita salutat: *Saue colūba electa, quæ mētem habes pennis deinauratis spectabilem! Saue speciosissime turtur! Eximia super omnes hirundo! Passercule nitidissime absque vllâ næui vel vmbrâ. Saue Agno Dei nostri grauida Agna. Saue diuina iuuenca, quæ portasti iugū peccata nostra portantis!* Hæc ille. Et quidem dum Damascenus multiplicem cōparationem à gratiosis animantibus ducit, vt significet, quidquid amabilis gratiæ in viuentibus floret, id longe suauius, atque viridius efflorere in Maria: modo illam solum expendam, quâ Deiparam cū hirundine componit, vt significet Mariam diuinū nobis attulisse ver, per quod tota multitudinis humanæ vniuersitas reflorueri: atque eâ de caussa primum eximiæ huius hirundinis in terras aduentum debere nos plausu, & acclamationibus excipere: quemadmodum Rhodij apud Celium Rhodiginium lib. 16. cap. 10. olim facere sunt soliti, sub vernum annuæ hirundinis reditum exclamantes. *Venit venit hirundo* (Maria) *pulchras secum horas adducens, annosque formosos*: vt Mater Ecclesia festiuis gaudiis excipiens Deiparæ Conceptionem exclamat. *Cōceptio tua Deigenitrix Virgo gaudiū annunciauit vniuerso mundo: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitā sempiternam.* En pulchras horas, annos

Celius Rhodig.

que formosos à Mariæ Conceptione adductos, immo verò immortalem, & sempiternam vitam, eaque de caussa Ecclesiam cum acclamationibus, & plausibus primaria huius petræ eductionem celebrare.

Nè verò credideris nouum hoc à temporibus Xisti IV. inuentum esse, qui Conceptionis festum in Romanam Ecclesiam inuexit, & annua deuotione celebrari præscripsit, scito iam ante mille ducentos annos, vt suo loco ex Archetypis instrumentis inferius demonstramus, Ecclesiam Græcam peculiari officio (quod ex Græcis exēplaribus verbo ad verbū trāslatis, & ex Græcorum PP. concionibus ea die ad populum habitis illustratū inibi damus) hoc festum tantâ fidelium alacritate celebrasse, vt notantissime in concione eo die habita dixerit Georgius Nicomediensis, fidelium conuentum festum diem illustrantem, vicissim à festo illustrari. Nec pigebit verba quamuis pluscula appingere, quæ sint pro illustratione, & commentario verborum Zachariæ, *cum clamoribus, gratia, gratia ei.* Ergo orationem sic exordiitur Georgius. *Splendida quidem, ac illustris huiusce festiuitatis celebritas illucet, cortū tamen, quorum concursu illustratur magnificis studiis splendidior affulget. Habet sanè ipsa per se præclarum quid ad magnificentiam: id ipsam verò, quod tale habet, ex conuenientiū cœtus amplitudine palam facit: eadem que ipsa lætam faciem à multitudine obtinet, ex quâ gratiarum illustratione multitudinem lætitiâ afficit.* Vides Conceptionis festum lætam per se à conuenientium cœtus amplitudine faciem lætiorem obtinere? Dum omnes lætis animis celebritati studeant, & Mariam à peccato immunem celebrari gaudent, & plaudunt. Nec omittenda pulchra similitudo, qua statim Georgius præfatam sententiam sic cōfirmat.

VII *Georg. Nicom.*

Ac

Ac sicut Sol iste oculis subiectus in
se quidem habet, quod lætissimũ est,
cum vel à nullo conspicitur: oriens ve-
rò, atque è præcelsis montibus pro-
diens in pulcherrima quæque radios
explicat suos, eorumque illustratione
miraculi magnificẽtiam adauget. Sic
quoque hodiernæ diei festiuitas spiri-
tali luce gratiæ supra modum efful-
gens, habet quidem ipsa per se iugem
quendam splendorem, eundem tamẽ
congruè respondenti, parique confluẽ-
tium, ac illustrandorum conuentu
præmagnifice intendit. Hæc Geor-
gius orat. 1. in S. Deiparæ Concep-
tionem. Oratione verò 3. sub eodẽ
titulo elegantissimè Angelorum
chorum, itidemque vniuersa in Cõ-
ceptionis Mariæ obsequium, & piã
gratulationem conspirantia sic in-
ducit: *Enim vero occupat inuitãtem*
sermonem Angelorum chorus, eam-
que hodie celebri præconio effert, per
quam mysterij finem adspexit. Occu-
pant & cœli, nouique ac supremi fir-
mamenti illius altitudines honorant.
Præcurrũt luminaria, iisque radiis
quos spiritalis solis nubes mittit, læ-
tius illustrantur. Adest terra nemi-
ne inuitante, suoque ipsius honestatur
ac gloriatur germine. Nouis elemen-
tum aquæ motibus, subsultibusque
tripudians suæ Auctrici sanctificа-
tionis assistit. Deinde verò ipsemet
ad Angelici chori exemplum com-
positus omnes omnino homines,
omnis ætatis, ac dignitatis ad cele-
brandam Mariæ Conceptionem sic
adhortatur, & vrget. *Cum sic ergo res*
vniuersæ suam hodie exhibuerint li-
bertatem, congruentius ego omnium
maximè germanam naturam inuita
uerim hunc in modum penetrabili vo-
ce clamans. Eia age omnis ætas, ac
omnis dignitas, Sacerdotes pariter, ac
Imperatores, quique supernum sta-
tum, ac vitæ rationem in inferioribus
exhibetis, Principes simul, & subdi-
ti: senes, ac iuniores, Virgines, matres-
que, ac steriles, quique innocentia es-
tis pueri, impensiori, ac diuiniori læ-
titiâ salutarem hanc diem suscipia-
mus, & faustis ominibus prosequa-
mur. In eâ siquidem concepta est vni-
uersis congrua gloriatio: in eâ germi-
nauit ex infœcundis lumbis decor
Sacerdotum, imperij robur, eorũ cõ-
summatio, qui virtutem colunt: ma-
gistratuum subditorumque trãquil-
la ordinis compositio: infantum pru-
dentia, virginum ornamentum: ma-
trum corona, non habentium prolem
beata, amplaque proles: sterilitatis so-
lutio. Floruit ex sterili bonorum vber-
tas, ex iustis iustissimus fructus abũ-
dauit. Hæc omnia Georgius ibi: a-
pud quem non tantum festi celebra
tionem, sed etiam Mariæ immunita
tem obserua: dum ipse illam nouum
ac supremum firmamentum appel-
lat, itidemque florentem bonorum
vbertatem, & iustissimum fructum
in ipsa eius Conceptione nomi-
nat.

Sed vt ad fundamenti imaginẽ VIII
redeamus, quæ Mariam soliditati
gratiæ innixam facit: illa in hanc
rem pulcherrima verba sunt Domi-
ni Ecclesiam suam à fundamentis
erigentis apud Isaiam cap. 54. vers. *Isai. 54.*
11. *Ecce ego sternam per ordinem lapi-* *vers. 11.*
des tuos, & fundabo te in sapphiris:
Quo in loco cum Ecclesiæ lapides
per ordinem strati varios fidelium
ordines, & status significent, quibus
Ecclesia nõ aliter, atquè moles ali-
qua, aut fabrica lapidibus construi-
tur, & constat: non est dubium quin
Sapphirorum fundamenta eundem
sensum habeant, ac præfata verba
eiusdem Domini apud eundem Va-
tem: *Ecce ego mittam in fundamen-*
tis Sion lapidem: iuxta explicãtionẽ
Richardi à S. Laurentio, *in fundamẽ* *Richa. à*
tis Sion, id est Mariæ, lapidem, id est *S. Laur.*
Christum. Cui expositioni adstipu-
latur lectio LXX. quæ pulcherrime *LXX.*
distinguit inter Filium, & Matrem,
& peculiarem cuique rationem fun-
damenti assignat: dum hæc verba

sic

tic legit: *Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum: & fundamenta tua ſapphirum:* quod planè perinde eſt, ac carbunculum Chriſtum in fundamẽtis ſapphiri Mariæ: præſertim ſi credis Dalecampio in Plinium lib. 37. cap. 9. littera G. affirmanti nonnunquam reperiri ſapphirum Carbunculo miſtum: id eſt vnam, eandemque gemmam, quæ vnâ ex parte carbunculum, ex altera ſapphirum reddat: eamque ab Indis appellari ſapphiro rubinũ: Quæ viua, & ſpirans imago eſt tum Chriſti ex Maria facti, & Mariæ Chriſtũ progignentis: tum Eccleſiæ his pulcherrimis fundamentis innixę.

IX Et verò cùm ea ſit ſapphiri natura; vt aureis punctis colluceat, referatque cœlum cum ſerenum eſt: vt habetur Exod. 24. 10. *Sub pedibus eius, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt*: optimè quidem vtriuſque fundamenti Chriſti, & Mariæ conditio exprimitur dicente Paulo 1. Corinth. 15. verſic. 47. *Primus homo de terrâ terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis:* quibus verbis, vt Adamum de terra ſumptum affirmat, ita Chriſtũ de cœlo Mariæ factum omninò aſſerit: vt iuxta Vatem fundamentum in Sapphiris ſit Chriſtus cœleſtis, ſeu ſapphirinus a Maria ſapphirina, ſeu cœleſti: tùm propter ethymologiã ſapphir, à Hieronym. in nominibus Hebraicis ſic deſcriptam: *Sapphir Hebræo Syroque ſermone pulchra dicitur*: quæ mirè Mariæ quadrat, quæ pulchra progenuit pulchrum, vt bellisimè inquit S. Ioſephus Confeſſ. in Mæneis Græcor. 13. Ianuar. Ode 5. *de SS. Hermylo, & Stratonico*, hũc in modum: *Vt pulchra, vt florida, vt tota puritatis nitore circumfulgens ſermonem diuinum pulchritudine ſingulari florentem corpore ex te ſumpto cinxiſti, in què lucem protuliſti illum, qui rebus omnibus vi diuina, vt exiſtant, largitur, ceu bonitate prædiues.*

Hæc S. Ioſephus, quæ & cœleſtem de cœlo, ſiue ſapphirum de ſapphiro, & fundamenti imaginem opportunè exprimunt: tùm vel maximè propter eximiam puritatem, & animodam munditiam nulli maculæ obnoxiã, quæ in cœli imagine exprimitur, quâ de cauſſa nihil eſt frequentius apud PP. quam Mariam cœlum appellare: Sic enim in primis Eccleſia Græca in Menæis 4. Ianuarij Ode 6. de *S. Theoctiſto*, Deiparam alloquitur. *Qui ſola voluntate cœlum extendit: hic alterum te cœlum in terrâ produxit, ô genitrix intaminata, atquè idem ex te, tanquam Sol nobis caligine preſsis illuxit.* Sic S. Bonauentura. *in Speculo*, capit. 5. *Cœlum eſt Maria, tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus aliis virtutibus abundauit: tùm quia ſedes Dei altiſsima fuit, teſte Propheta, qui dicit: Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam.* Sic S. Chryſoſtomus ſermon. *de Annunciat. B. Virginis*, inducens Deum mittentem Gabrielẽ ad Virginem his verbis. *Vade ad alterum cœlum, quod eſt in terra.* Sic S. Damaſcenus orat. 1. de *Natiuitate Virginis*, de prima ipſius formatione, ſiue Conceptione inquiens: *Hodie ex terrena natiuitate cœlũ Deus condidit cœlo illo longe diuinius: nãque in illo ſolem effecerat: ex hoc iuſtitiæ Sol ortus eſt:* Sic opportuniſsimè S. Ambroſ. lib. *de inſtitutione Virginis*, cap 5. ait. *Iſaias exultans dicit:* Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, &c. *Vndè hoc munus? Non de terra vtique, ſed de cœlo vas ſibi hoc, per quod deſcenderet Chriſtus, elegit.* Sic Andreas Creteníſ. orat. in Annunciationem, ſic Rupert. libr. 5. in Cant. in initio, ſic S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 4. §. 2. ſic Auguſtin. ſerm. 15. de ſanctis, ſic Proclus orat. de Deipara, ſic Heſichyus homilia 2. de B. Virgine: & quis non? Ecce tibi Mariam cœleſti puritate nitentem, vt opportunum Eccleſiæ fundamen-

Eccleſia Græca.

Bonau.

Chryſoſt.

Damaſ.

Ambr.

Andr. Cret. Rupert. Anton. Auguſ. Procul. Heſichi

damen-

damentum, cui ipsa, quæ *Regnum cœlorum* à Christo passim appellatur, & quam Ioannes vidit *de cœlo descẽdentem* (Apocalyps. 21. versicul. 2.) propter cœlestem conuersationem: dicente Apostolo ad Philipp. 3. vers. 20. *Philip. 3. 20.* *Nostra autem conuersatio in cœlis est*: conuenienter & tutò inniteretur: *Nam si alicuius peccati macula Conceptio Virginis corrupta fuisset: fundamentum habitaculi sapientiæ non congrueret, nec ipsi structura cohæreret*: vt dicebat Anselmus. *Anselm.*

MARIA immaculatè Concepta, quod sanctum Dei fermentum ad panem vitæ conficiendum fuerit.

ADNOTATIO VI.

I VIX vlla si attendis, siue ad humanam naturam originaria labe infectam explicandam, siue ad immunitatem Mariæ ab hac corruptione & labe firmandam, alia opportunior imago; quam fermenti occurret: qua Augustinus, siue apud Augustinum Hilarius appositè vsus est in expositione verborum Pauli ad Romanos 5. vers. 12. *Sicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Vterque siquidem Pater perinde dictum fuisse ab Apostolo cẽsent *in quo omnes peccauerunt*, vt omnes in Adamo, quasi in massa continerentur; & peccasse censendi fuerint: sic namque Augustinus lib. 4. *contra duas epistolas Pelagianorum*, cap. 4. Hilario adhærens inquit. *Restat, vt in primo illo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit: vnde è peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascẽdo non soluitur: nam & sic sanctus Hilarius intelligit, quod scriptum est,* in quo omnes peccauerunt: *Ait enim* in quo, *id est in Adam*, omnes peccauerunt. *Deinde addidit Manifestam in Adam omnes peccasse, quasi in massa: ipse enim per peccatũ corruptus, omnes quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens Hilarius sine ambiguitate cõmonuit, quo modo intelligendum esset*: In quo omnes peccauerunt. Hactenus Augustinus: Meditare ergo in hac imagine primùm humani generis massam puro, sinceroque fermento, idest Spiritu Dei vini diuinis manibus subactam, atquè confectam, atque in ea fermentanda, *recogita totũ illi Deũ occupatum* (vt passim ex Tertulliano loquimur) *ac deditum manu, sensu, opere, sapientia, consilio, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat*, vt ipsa nihil sincerius, nihil purius, nihil candidius excogitari posset: deinde vero vide illam à primi parentis transgressione veluti à fermento mortis infectam; vndequaque morbidam, exitiosam, atque læthalem redditã: ad quam cogitationem exprimendam opportunissima fuit fermenti similitudo, cuius vim sic explicat Ambrosius serm. 21. *Fermenti vim, atquè virtutem omnibus notam esse, non dubium est: nam cum sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune tantam fortitudinẽ intrinsecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina, succus hoc totam massam faciat esse, quod ipse est: & ita semper vniuersum cumulum asperfionis suæ vigore diffundit, vt omnẽ ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentũ, ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprij vigoris acquirit.* Hæc Ambro- *Tertull.* *Amb.*

Rom. 5. vers. 12. *Augus. Hilar.*

bro-

brosius. Quæ si Adæ fermento totam humani generis massam vi sua corrumpenti aptata videre velis, adi sacrum Scriptorem Genes. 6. vers. 5. dicentem. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominis esset in terrâ, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*: Sed obserua ibi, tum Chaldæũ Paraphrastem reponere: *Ipse cognouit fomitem prauum, qui peccata suggerit*: tùm doctissimos Hebræorum Magistros R. Iosephũ, & R. Samuel ad corruptum, & corrumpens Adæ fermentum hæc sic reuocare. *Triste vel tenebrosum est fermentum, contra quod testimonium perhibet, qui creauit illud, quod ipsum est malum. Tristis est planta, contra quam plantator suum testimoniũ perhibet, quod est mala, Iere. 12.* & Dominus exercituum, qui plantauit te, locutus est super te malum: *& istud fermentum malum in homine ab horâ quâ formatus est*: ita isti Hebræi DD. rem omninò velut acu tangentes.

Genes. 6 vers. 5. — *Chald.* — *R. Iosep.* — *R. Sam.*

II

Sed & in hunc etiam sensum cum fermenti imagine lactis similitudo à PP. coniungitur: vt quemadmodum modicum fermenti totam massam corrumpit; sic etiam lactis puritas à coagulo vitietur. Nam in primis lactis imago ad puritatem humanæ Christi naturæ significandâ à PP. vsurpatur: sic namque capiunt ea verba Cantic. 4. vers. 11. *Mel, & lac sub lingua tuâ*, Absalon Abbas, & Rupertus, vt mel ad Diuinitatem; lac vero ad humanitatem Christi referatur: ita enim Absalon sermon. 15. hæc verba effert. *Diuinitas, & humanitas sub carne tuâ.* Rupertus vero Christum Matrem suam sic loquentem inducit. *Fauus tuus ego sum: lac tuum: quia ego Deus tuus: & filius tuus ego sum*, & deinde à Bernardo sermon. 2. *de Aduentu* dum premit verba Isaiæ 7. versicul. 15. de Dei Filio ex MARIA homine facto: *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: fermentum cum lacte coagulo corrupto sic cõponitur: *Vide, & quam optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine vllâ peccati corruptione suscepit: nam de peccatoribus legis, Psal. 118. v. 70.* coagulatum est sicut lac cor eorum, *in quibus vtique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.* Sic Bernardus omninò exprimens Ambrosium, qui in ea Dauidis verba, sic inquit: *Vt enim lac natura sua purum, speciosum, atque sincerum est, sed corruptione coacescit; sic mentis, & corporis humana natura, pura, sincera, perspicua est, priusquam vitiorum admixtione coacescat.* Hæc Ambrosius in Psal. 118. octonar. 10.

Cant. 4. vers. 11. — *Rupert.* — *Absalõ Abb.* — *Isai. 7. vers. 15.* — *Bernar.* — *Ambr.*

Iam verò Paulus huic instituto opportunus, ita disertissime loquitur 1. ad Corint. 5. vers. 7. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua cõspersio, sicut estis azymi*: & statim. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*, vbi primum pro *noua conspersio*, Græcè est, *noua massa*. Deinde, *vetus fermentum*, omninò appellat Apostolus, vitã ante baptismũ, vt explicat Theodoretus inquiens: *â qua iubet Apostolus separari, & esse nõ fermẽtatos, nullas illius reliquias habẽtes*, quã expositionẽ aucto quidẽ censu sic probauit Hieronymus. *Nihil in vobis conuersationis pristinæ relinquatis, quod sinceritatẽ possit naturæ corrũpere*: ita ille opportune opponẽs *fermẽto veteri* originalis delicti humanã naturã corrũpẽti *sinceritatẽ naturæ*, quę velut purũ, & suaue lac nõdũ peccati acrimonia aceesceret. Vndè de industria addidit Paulus: *sicut estis azymi*, Græcc *infermentati*: longe scilicet ab illis de quibus dicebat Vates: *Coagulatum est sicut lac cor eorum*: vbi omninò vides primæuam huma-

III

1. *Corin. 5. v. 7. & 8.*

Lect. Græc.

næ naturæ massam fermento Dei subactam, puram, sinceram atque perspicuam: post verò Adæ peccatũ, corruptam fermento malitiæ, & nequitiæ: atque ea ratione cum in baptismo vetus hoc fermentum expurgatur, vt ab eo baptizat° fiat noua consperſio, nouum figmentũ, noua creatura, post signatum chrismate baptizati verticẽ, candidam illiveſtẽ à baptizante indui cum his verbis: *Accipe veſtẽ candidã, sanctã & immaculatã, quam proferas ſine maculâ ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Quæ verba idem prorsus tinniũt, ac illa Apostoli: *Expurgate vetus fermentũ, vt ſitis noua* B *conſperſio* (massa) *ſicut eſtis azymi*, ideſt *infermẽtati*: dũ his, vt vidimus, admonet Paulus expellendum fore à nobis quidquid prauum, & vitioſum primæua parentum noſtrorum labes in humanam naturam, moreſque noſtros inuexit: vt quemadmodum in baptiſmo candidam accepimus veſtem, vt nos azymos, ſiue infermentatos eſſe profiteamur; ita nouam massam ſęcularibus vitiis, & concupiſcentiis, quæ veteris fermẽti reliquiæ ſunt, minimè corrumpamus.

IV Quò mirè facit, quod deſponſi oculis, hoc eſt de viris eximia puritate, & ſanctitate cõſpicuis, hac met lactis imagine adhibita inquit Salomõ Cant 5. verſ. 12. *Oculi eius ſicut colũbæ ſuper riuulos aquarũ, quæ lacte ſunt lotæ, & reſidẽt iuxta fluẽta pleniſſima.* Ad quę verba ſi inquiras quid opus fuerit colũbis puritatis, & ſimplicitatis typum gerentibus, præter fluẽta aquarum pleniſsima, delicatã illam lactis lotionẽ ſibi vẽdicare, qua Sabrinã illã Poppæam non bonæ notæ fœminam Neronis primũ pellicem, deinde coniugem vſũm fuiſſe nouimus ex illius æui ſcriptoribus? Occurrunt dubitationi Ambroſius in Pſal. 118. octonar. 16. & Guillielmus in ea verba apud P. Martinũ del Rio, hãc lactis lotionẽ de exactiſsima munditia, quæ in baptiſmo fidelibus per Chriſtũ exhibetur, primæuã illam Adæ innocẽtiam, & ſinceritatẽ referente, opportunè accipientes: ſic nãque Ambroſius: *Baptizat in lacte Dominus, id eſt in ſinceritate, & iſti ſunt, qui verè baptizantur in lacte, qui ſine dolo credunt, & puram fidẽ deferunt, immaculatã induunt gratiã: ideò candida ſponſa aſcendit ad Chriſtum, quia in lacte baptizata eſt: ideò mirantur eã virtutes dicentes.* Quæ eſt hæc, quæ aſcendit dealbata? *Ante paululũ dicebat.* Nigra ſum: *nunc dealbata cernitur, & aſcendit ad cœlum, & innixa Dei Verbo alta iam penetrat.* Sic Ambroſius. Pergit verò Guilliel mus, & vt aquarum ablutionem ad ſordium expiationem, ita lotionem lactis ad fomẽta gratiæ, quibus anima ſibi conſtet, incolumiſque ſubſiſtat, ſcitè refert. Nimirum cum præmiſiſſet: *Etenim duo mala contraximus ab Adam: peccatum, & infirmitatem: duo item lauacra nobis propitia Diuinitas indulſit: vnum purgationis, alterum fomentationis: illud contra ſordes peccati: hoc contra morbum infirmitatis: parum quippe eſt: ſi ab innatis, & abditis ſordibus expiemur: non autem proca uendis iiſdem ſordibus contra innatum infirmitatis morbum, adiutricis gratiæ fomentis confortemur:* ſic ſubiicit. *Sed cum â peccatorum ſordibus emundamur, quaſi Diuinæ Clementiæ aquâ perfundimur: cum verò contra inſitæ infirmitatis morbum fouemur, eiuſdem gratiæ, quaſi lacte lauamur: cuius lactis ſuauitatem expertus erat, qui dicebat.* Tu Domine ſua uis, & mitis, & copioſus in miſericordia *Pſalm.* 85. *verſ.* 5. Hactenus Guillielm°: apud quẽ obſerua lactis lotionem, quaſi nouum fermentum aduerſus contractam ex Adamo infirmitatem; vt vetere per baptiſmũ expurgato fermento, *nihil iam dam*

Amb.

Guillie.

Pſal. 85. 5.

natio-

nationis fit iis, qui sunt in Christo IESV (ad Roman. 8. vers. 1.) qui nouo videlicet, diuinoque fermento Mariæ manibus subacto in cœlestem massam transierunt.

V *Matth.* 13. v. 33

Sic namque Dominus apud Matthæum cap. 13. vers. 33. in hanc rem inquit: *Simile est Regnum cœlorum fermento, quod acceptū mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Vbi in primis lectio Syriaca emphaticè reponit: *fermento illi, quod acceptum*, vt innuerit Dominus, se non de fermẽto vtcumque sermonem facere, sed de illo, quod signatissime fermentum erat; ad imaginem regni cœlestis annunciandi opportunum: Iam verò si nosse vis, cuius imago & typus fermentum istud fuerit? Scito, duos illud, ad speciem quidem diuersos, attamen qui in eundem sensum coeãt, explicatus habere: quorum alter, ad Christum Dominum, alter ad Mariam Deiparam omninò refert: & de primo sanè Ambrosius lib. 7. *in Lucam*, ita ait: *Opportunè itaque granum tritici, supra diximus, Christum, quia suberat nobis spiritale fermentum: eoque plerique fermentum Christum putant, quod virtutem attollat acceptam, & quia in Matthæo legimus tribus mensuris absconditum esse fermentum, congruere visum est, vt Filium Dei crederemus absconditum in lege, ad opertum in Prophetis, Euangelicis prædicationibus adimpletum, &c. Ipse enim erat Verbum Dei, atque mysterium, quod absconditum est à sæculis & generationibus, quo nihil potest ad expressionem perennitatis eius attestatius dici:* Sic Ambrosius, qui post modum luculenter explicat, quemadmodum Ecclesiæ panis ab hoc diuino fermento fermentetur, dum in priorem vitæ innocentiam, & sinceritatem veteri fermento expurgato fideles redeunt: subdit verò. *Apostolus ait*: Quia vnus panis, vnum corpus multi sumus, &c. (1. ad Cor. 10. 17.) *Fit ergo vnum fermentum, quando caro non concupiscit aduersus spiritū, nec spiritus aduersus carnem, sed facta carnis mortificamus, & anima ex afflatu Dei, flatum vitæ sumpsisse se conscia sæcularis necessitudinis, contagia terrena declinat.* Hæc ibi Ambrosius, & multo plura sermon. 21. quæ vide. Vt verò ille de Christo Domino parabolam hanc interpretatur: ita Andreas Hierosolymitanus orat. *in salutationem Angelicam* fermentum hoc ad Mariam omninò reuocat, ipsam hunc in modum consalutans: *Salue Sanctum* (apud alios Codices habetur *Sanctorum*) *Dei fermentum quo tota generis humani massa conspersa est, & ex vno Christi corpore ceu panis factus in vnum coiuit incredibilis concretio*: Ita Andreas. Ecce tibi Christum fermentum spiritale, a quo Ecclesiæ panis in vitam fermẽtatur, quemadmodum in primâ hominis formatione ex afflatu Dei, vitę flatũ, & Spiritũ viuificantẽ sumpsit Adam: itidemque ecce tibi Mariam sanctum Dei fermentum, quo tota generis humani massa cõsperſa est: vt vnus panis in Christo fiat.

Ambr.

VI *Chrysol.*

Iam verò Petrus Chrysologus, & Isidorus Peluſiota pulchrè hæc diffundunt, & vtramque explicationẽ inter se opportune conciliant: dum prior serm. 99. qui de *parabolâ fermenti* totus est, sic primũ Mariam cũ Eua cõponens inquit. *Mulier accepit à Deo fermẽtũ fidei, quæ acceperat à diabolo perfidiæ fermentũ: abscondit in mensuris tribus, hoc est in tribus hominum temporibus, quod est ab Adã vsque ad Noe: à Noe vsque ad Moysem: à Moyse vsque ad Christum: vt mulier, quæ corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani: fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegraret in Christo: vt mu-*

lier, quæ confecerat panem gemitus, & ſudoris, panem vitæ coqueret, & ſalutis, & eſſet omnium viuentium Mater vera per Chriſtum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum: Deinde verò ad Deiparam ſic enucleatius hæc accommodat. *Ob hoc namque Chriſtus naſci voluit, vt ſicut per Euam venit ad omnes mors: ita & per Mariam rediret omnibus vita. Quæ Maria huius fermenti implet typum, ſimilitudinem præfert, conſignat figuram: dū de ſupernis ſuſcipit fermentū verbi, & humanā carnē in aluo Virginis, imò in alueo Virginis cœleſtem totā conſpergit in maſſam:* Ita Chryſol. & eodē ductu Iſidorus lib. 10. epiſt. 201. propiùs quidem ad rem hunc in modum: *Cœlorum regnum fermento comparatum eſt, hoc eſt Domini, & Saluatoris noſtri Incarnationi peccati omnis experti, quæ vniuerſum terrarum orbem conſperſit; & vnius corporis ex noſtrâ ſubſtantiâ, atque à Dei genitrice Mariâ ſumpti coagmentationi, quæ homines omnes, qui ab orbe condito extiterunt ad nouum ortum renouauit.* Hæc Iſidorus. Apud quem vides, fermentum iſtud non tam de ſolâ Diuinitate Chriſti fore capiendum, quam de ipſius corpore à Maria ſumpto, quod vniuerſum terrarum orbem conſperſit, vt ad nouum ortum renouaret. Vbi tam Mariæ caro à quâ Chriſti caro ſumpta eſt, quam ipſummet Domini corpus fermenti imaginem, & typum implet: vt proinde merito ipſa ab Andrea Hieroſolymitano: *ſanctum Dei fermentum*, ab omni ſcilicet veteris fermenti contagione alienum, & ex afflatu Dei flatum vitæ accipiens (vt dicebat Ambroſius) appelletur: *vt eſſet omnium viuentium Mater vera per Chriſtum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum*: vt dicebat Chryſologus: ſiue vt inquit Amedæus: *Vt ſicut in Eua omnes moriuntur, ita in Maria omnes viuificabuntur*: dum videlicet illa corrumpeat fermento mortis in Adamo totā maſſam generis humani: hæc vero fermentum ſalutis effecta panem vitæ coqueret, & ſalutis. Quid verò ad immunitatem Deiparæ firmandam hâc fermenti imagine fuerit opportunius? Cum nihil poſsit a veteri Adæ fermento, hoc eſt à maſſa illius labe infecta magis alienum excogitari: dum nouum fermentum veteri non ſecus ac morti vita, ægritudini medicina, & ſalus repugnet.

Iſidor. Peluſ.

VII

Verumenim verò panis imago, quam Paulus ab ipſomet Domino edoctus Chriſto attribuit explicatius rem demonſtrat, & vtramque fermenti explicationem conciliat: dixit ſiquidē Dominus apud Ioan. cap. 6. verſic. 48. *Ego ſum panis vitæ*, dixit etiam Paulus 1. ad Corint. 10. verſic. 17. *Quoniam vnus panis, vnum corpus; multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus*: Quæ ſignificanter expreſsit lectio Syriaca hunc in modum: *Quemadmodum igitur vnus eſt panis ille: ita & nos vnum ſumus corpus: ſiquidem nos omnes ex vno illo pane accipimus*, quod perinde dictum videtur, ac Chriſti corpori ex MARIA ſumpto veluti vni pani vitæ, & maſſæ incorruptæ totam humani generis maſſam in vnum corpus veluti in vnum panem fuiſſe coagmentatam, MARIA panem vitæ Chriſtum fermentante, & Chriſto fermentum carnis miniſtrante, vt ab ipſo ſubinde totus Eccleſiæ panis, ſiue corpus coagmentaretur: iam verò hinc MARIÆ maſſam, ſiue fermentum vndequaque purum, & incorruptum extitiſſe, quin vlli originali labi fuerit obnoxium, & omninò euincitur, & pulchrè à S. Damaſceno, & à Georgio Archiepiſcopo Nicomediēſi adſtruitur: ſic nāque prior apud Menæa Græca die prima Ianuarij Ode 1. hac de re diſ-

Ioan. 6. verſ. 48. 1 ad Corint. 10. 17.

ſerit.

Damaſ. ſerit: *Quod Dominus carnis fermẽtum aſſumpſit, & aquis baptiſmi intinxit, hanc ille ſalutarem maſſam ex ſanguine tuo virginali confecit, ſed maſſa hæc legionum hoſtilium manibus nunquam ſubacta eſt.* Sic Damaſcenus. O aurea, & pulcherrima verba quibus enucleatiſsime Mariæ maſſam ab omni contagio veteris fermenti ſecernit: dum ipſam nunquam hoſtili inuaſioni obnoxiã facit: Pende ergo vt Damaſcenus, dum ſingillatim Dominum carnis fermentum ex Maria aſſumpſiſſe, & ſalutarem maſſam ex virgineo ſanguine confeciſſe affirmat, quam opportunè ſtatim tacitæ dubitationi, vtrum fermento veteri fuerit infecta? occurrerit, ſtatuens hanc ex Maria ſumptam maſſam, nunquam hoſtium manibus ſubactam, ſed gratiæ vltis exceptam: eodem omninò ſenſu, quo Paulus nõ ſemel à nobis expenſus ad Hebræos 7. verſic.

Hebr. 7. ver. 26. 26. de Dei Filio dicebat. *Segregatus à peccatoribus*: tanquam ab alio videlicet grege: non quidem naturâ vtcumque, ſed natura originali labe inquinatâ: ita hæc verba premente, & in præfatam maſſæ imaginem inflectente ibi ſapientiſsimo

Salmor. P. Alfonſo Salmerone hunc in modum. *Peccatum enim non fecit, & ſegregatus fuit ab illa inquinatâ filiorum Adæ maſſâ: quoniam non à maſſâ illum ſegregari prorſus decuit, quando mortalis, vt nos futurus erat pro nobis: ſatis ergo fuit, ab inquinatâ penitus ſegregari.* Hæc ille.

VIII *Georg. Nicom.* Nec minus opportunè Georgius Nicomedienſis. *Orat. in S. Deiparæ Conceptionem, & Natiuitatem*: Mariæ Conceptionem ad nouam mundi fictionem a Deo ſignate ordinatam faciens. Etenim cum præmiſiſſet. *Quæſo enim omnium mihi iuſtorum, ac Prophetarum electionem, eorumque in Deum eligentem neceſſitudinem cogita, videbiſque Ioachim, & Annæ incomparabilem excellentiã, videbis eorum maiorem cogitatu dignitatem, maiori pretio habitam, ac ampliori gloria auctam*: ſubiicit ad rem noſtram appoſitè confectam rationem. *Hos quippè creator Deus ad mundi veterati eligit inſtaurationem: ex iis matrem accipit, ex quâ nouam fictionem prouidere decreuit: ex cuius ſanguinibus, tanquam virtute regaliſsimis regalem humani generis purpuram induit.* Hæc ille, & alia. In quibus obſerua primum illa: *ex iis Matrem accipit, ex quâ nouam fictionem prouidere decreuit*, vt videris à Mariânouum rerum ordinem; nouam creaturarum fictionem, nouam humani generis maſſam, in mũdum à Deo fuiſſe decretam: vt hinc planum fiat ipſam nouum fuiſſe fermentum, quæ cum veteri Adæ fermento nihil habuerit commune. Quo refero Eccleſiam Græcam in Menæis die 25. Iulij in veſperis *de obdormitione S. Annæ* ipſam ita cõ ſalutantem: *Salue ò terra benedicta* (Anna) *quæ florido partu terram Numine fætam mundo protuliſti, quæ diuinam legẽ amplexa legis gratiæ prima lineamẽta duxiſti*, vbi vides notanter Mariã in ſui Conceptione tũ appellari, *terrã Numine fœtã*, quaſi iam exinde Deo plenam, & Deiviſibus ad nouam rerum formationem, tanquam fermentum ad nouam maſſam conficiendam deſtinatam: tùm ab ipſa cõcepta, prima legis gratiæ lineamenta ducta fuiſſe affirmari: ſed deinde in Georgij verbis expende purpuræ imaginem quâ ad carnem Chriſti ex MARIÆ ſanguine ſumptam ſignificandam vtitur, quam alio in loco Damaſcenus cum maſſæ imagine ita coniunxit. *Veſtem enim verè diuinitus contextam, hoc eſt carnem noſtram induit, quam ex immaculatis, ac virgineis ſanguinibus tinctam in ſpiritu regio modo tanquam conchylium efformauit, ac velut regiam purpuram exhibens maſſam noſtram induit.*

Eccleſ. Græca.

Damaſ.

duit. Ita ille: iam apud vtrumque Patrem obserua signatè Mariæ sanguinem à qua cum Christo sanguinis coniunctio trahitur, dici regalissimum, & immaculatum, vt carnis eius fermentum, è quo corpus Christi, & tota generis humani massa erat coalitura, vndequaque purum, syncerum, & incõtaminatum subsisteret: Sed & illud in Damasceno pulcherrimam epitasim habet: carnem Christi è Mariæ sanguine sumptam *tinctam in regio spiritu dici*: vt ab ipsa Christus ingenuitatem, nobilitatem, & regiam dignitatẽ quodammodo accepisse videatur. Nec illud fuerit in hac purpuræ imagine prætereundum, quod in libro *de optimo Principe*, lib. 2. adnotat. 10. numer. 1. vt Regibus Castitatem, tanquam regium spiritum suaderemus, ex Cassiodoro lib. 2. epist. 2. adnotauimus: regiam purpuram splendẽte illo succo minime intingi, nec rubrum regiumque colorem ebibere, nisi artifex, qui illi operam nauat corpore purissimus existat. Audi, eum enim præmisisset. *Quod si conchyliorum qualitas non mutatur, si torcularis illius vna vindemia est, culpa nimirum artificis erit, cui fecopia nulla subtraxit*, subiicit: *In illis autẽ rubicundis fontibus cum albentes comas serici doctus moderator intrinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem, quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda.* Hæc ille: ergo quando è Mariæ carne regalis Christi purpura tincta est, nulla artificis culpa fuit; sed purissimã attulit corporis integritatem: vt enim inquit Cassiodorus: *Quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda*, ita de Mariæ vtero Ecclesia: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum.*

Cassiod.

IX *Plutarc.* Cui cogitationi illud mirifice cõsonat, quod Plutarchus in simposiõ affirmat, nempè ad fermentationẽ panis opportunè confitiendam signate plenilunium spectãdum, secus verò massam corrumpi, & fluidam reddi. Sic enim ille. *Ferunt etiã plenilunio farinam subigi melius: nam fermentatio etiam si intra modũ fiat, tamen totam massam corrumpit fluidamque reddit.* Ita ibi, quod quidẽ ad Deiparam ab omni labe liberãdam ipsta similitudine referas, cum de ipsius Conceptione (vt latius ex PP. & interpretibus alibi adstruimus) dixerit Salomon Cantic. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Vbi Deiparam in prima auroræ, idest Conceptionis suæ luce pulchram, vt lunã faciens, notanter cum luna plena composuit, vti ex Theodoreto inibi, sic inquit P. Martinus del Rio: *Luna plene nitens, & non exlia ostentãs cornua, non semiplena, sed perfecta, ac toto orbe splendida, nõ quidquam retinẽs imperfectionis, sed totum globum lucidum præseferens.* Ecce ergo tibi in plenilunio immunitatis Deiparæ cœlestem massam fermentatam: alias Diuini verbi fermentum Mariæ massæ non satis opportunè adhærescere videretur, vt posset non nemo timere, nè Dei filius ad Mariæ vterum quodammodo exhorresceret.

Cantic. 6 vers. 9.

Theodor. P. Delri.

A B C D E

MARIAM immaculatè conceptam, quod ipsa noua creatura à quà nouitatem omnia habuerunt.

ADNOTATIO VII.

PREMO denuo ad præsens institutum præfata verba Georgij Nicomediensis: *Exuis Matrem ac*

I *Georg. Nicom.*

cipit,

cipit ex quâ nouam fictionem prouidere decreuit: in quibus vides a MARIA nouam creaturarum formationem, & nouitatem mundo inuectâ, expulso videlicet vetere fermento, & antiquis, & commaculatis Adæ vestibus laceratis; ac proinde ipsam nouâ fuisse creaturâ; à quâ felix ista nouitas principiũ habuit: ita quidẽ Vetus Auctor Græcus Anonymꝰ *in Hymno Alphabetico*, cuius meminit eruditissimus P. Ludouicus de la Cerda tom. 2. in Tertullian. ad lib. *de carne Christi*, num. 288. tùm Mariæ omnem omnino nouitatem adscripsit: tùm signatè nouam creaturam appellauit his verbis: *Nouũ cœlum, nouum mundum, templi ædificatricem, nouam creaturam*: quâ quidem appellatione nihil potuit excogitari opportunius ad Deiparæ immunitatem confirmandam: Quid enim fuerit *noua creatura*? quã *nouus* ille *homo*, qui, vt inquit Paulus ad Colloss. 3. versicul. 9. *secundum Deum creatus est*: nimirum vt monet idem Paulus: in Christo Iesu est noua creatura: ad Galat. 6. vers. 15. vbi Ambrosius: noua creatura est regeneratio nostra: cum videlicet diuina gratiâ imbuti nouâ quãdam, & recentem, ac planè cœlestẽ vitæ rationem instituimus (vt Chrysostom. Theophylact. & Oecumenius adnotant ad similem Apostoli locutionem 2. ad Corint. 5. vers. 17.) atque ea propter quod vi quodammodo diuini spiritus cælitus nascamur, noua creaturæ nomine censemur: cum allusione quidem ad nouum illum hominem Adamum: *Qui creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, ad Ephes. 4. 24. ideòque iustificatio, quæ in baptismo cõfertur, creationi comparatur, quod baptizatum ad pristinum illum statum reuocet in quo primus homo creatus fuerat: Ecce ergo tibi MARIAM merito appellatam *nouam creaturam*: quæ in eo met statu fuit concepta, in quo Adamus fuerat creatus in iustitia, & sanctitate veritatis: vt ab ipsa vitæ, & salutis fermentum esset, quod expelleret fermentum mortis, & læthalem extruderet vetustatem. Quæ sanè sententia omninò subest Georgij verbis: *Ex iis Matrem accipit, ex quâ nouã fictionem prouidere decreuit*: itidemque illi fermenti appellationi ab Andrea Hierosolymitano Deiparę attributæ: *Salue sanctum* (siue sanctorum) *Dei fermentum, quo tota generis humani massa conspersa est.*

Anony. Cerda. Colloss. 3. vers. 9. Ad Gal. 6. v. 5 Chrysost. Theophi. Oecum. Ad Cor. 5. ver. 17 Ephes. 4. vers. 24.

Quò mire faciunt egregia Tertulliani verba lib. de carne Christi cap. 17. vbi de hâc nouitate in mundum à Christo, & eius Matre inductâ sic ratiocinatur. *Nouè nasci debebat nouæ natiuitatis dedicator, &c. Hæc est natiuitas noua: dum homo nascitur in Deo. In quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta sine semine antiquo, vt illam nouo semine, id est spiritu aliter reformaret, exclusis antiquis sordibus expiatam*: Quod plusplus explicans, & in Mariæ immunitatem diffundens, subiicit: *Sed tota natiuitas ista sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione homine Domino nascente*: sed expende singula, & primum prima illa verba: *Noue nasci debebat nouæ natiuitatis dedicator*, quibus vt nouam creaturam, & nouum hominẽ subsistentem faciat, *nouè* nasciturũ fore Dei Filium pronunciat. Et verò nouam hanc natiuitatem, qua in baptismo renascimur, vt exuti veterem hominem nouum induamus, ita opportune explicauit Theophanes Nicænus epist. 3. *Recipit nos in fratres ex simili quodam natiuitatis modo, vt diximus; solum enim in spiritu renatos fraternitate donat, deos iam per gratiam factos, & tanquam indutos imaginem cœlestis Adam, vt quondam terreni*: vbi planè alludit Theophanes ad primæuam illâ

II Tertull. Theoph.

Dei imaginem, quâ in Adamo perditam, cœlestis Adam Christus nobis restituit: vndè subdit: *Hinc etiã diuinam speciem accipiunt, & ad ipsius humanitatis exemplum, quæ ad altissimum diuinitatis gradum euecta est, deificantur.* Hæc ille. Quibus iam bene congruunt, quæ subiiciebat Tertullianus de Christo Domino noue nascente, vt nouam hanc natiuitatẽ dedicaret: *Natus est carne antiqui seminis susceptâ, sine semine antiquo, vt illam nouo semine, id est spiritualiter reformaret*: opportunissime his verbis Mariæ carnem, siue ipsam immaculatè conceptam describens, vt ab ipsa tãquam à nouo, sanctoque fermento noua, & spiritualis humani generis natiuitas oriretur: id enim planè timuiunt illa; *Sine semine antiquo*, id est, sine fermento veteri: & hæc, *Vt illam nouo semine, id est spiritualiter reformaret exclusis antiquis sordibus.* Sanè quasi opus omninò foret ad nouam hanc natiuitatem in humanum genus iuuehendam nouum semen, siue fermentum nullis veteris fermẽti sordibus obnoxium inducere: secus enim nouæ natiuitatis dedicator opportunus non esset, qui carnẽ duxisset a carne, veteri aliquando fermento infecta, & antiquis sordibus inquinatâ.

III Cui quidem cogitationi, nec nõ præfatæ tam de Christo, quam de Mariæ fermenti acceptioni valde est affine, quod alibi ex Basilio Seleucensi, & Damasceno ad speciẽ solum dissidẽtibus, & reapse in eũdem sensum conspirantibus hùc expendendum transmisimus. Enim *Basilius Seleuc.* verò Basilius orat. *in S. Deiparam*, Dominicæ Incarnationis Sacramẽtum edisserens sic aiebat. *Nam cum generis nostri primitiæ à peccato cõdemnatæ fuissent, primitias alias innoxias, ac quæ omnem impleturæ essent iustitiã, necessarias habebamus, per quas totum corpus capiti coaptatum, comissumque hominibus iterum redderetur, vt sicut in Adam omnes mortui fueramus; sita in Christo omnes viuificaremur*: Ita ille Christum Dominum generis nostri primitias appellans. At enim Damascenus eã primitiarum appellationẽ siue imaginem ad Mariam omninò transcripsit: sic enim ille orat. 3. *de Natiuitate Virginis*, loquitur. *Meritò proinde vir diuinus Ioachim, & Anna ipsius vxor diuina prouidentia vocati precationis fructum percepertt hanc inquam naturæ Reginam, ac massæ nostræ primitias, cuius natalẽ diẽ agimus.* Ita Damascenus. Quod si ambigas: quâ ratione tum Christus, tum etiam Maria primitiæ nostræ massa possint appellari, cum primitię omninò sint primi fructus, qui Deo offeruntur? Facilis respondeo est vnam Christi, & Mariæ carnem esse; vnumque fermentum, quo tota generis humani massa in vnum panem coaluit; ac proinde merito vtriusque carnem massæ nostræ primitiarum imagine, siue munere, & nomine censeri: a quo quidem non it ipsemet Damascenus orat. 1. *de Natiuitate Virginis*, cum Dei Filiũ à Maria massæ nostræ primitias assumpsisse sic affirmat. *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluisti: ex te enim solâ summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massæ nostræ primitias: caro ipsius ex carne tuâ, & sanguis ex sanguine tuo, & lac ex mammillis tuis suxit Deus, ac labia tua Dei labiis vnita sunt*: Sic ille. Vbi vides massę nostrę primitias tum Christum, tùm Mariam esse, dũ ab hac ille carnem hoc est massæ nostræ primitias assumpsit: Vt vt autẽ fuerit, & in quamcumque partem primitiarum appellationem, munusque inflexeris, Mariam ab omni veteris fermenti labe prorsus immunem inuenies. Nam si ipsam *Massæ nostræ primitias*, cum Damasceno dicis: ex ipso nomine immunita-

Damas.

tem

tem,& nouitatem massæ,siue fermẽti affirmas:nam primitiæ sunt primi fructus ex agro percepti, qui Deo offerũtur:& eo quidem pacto Deo offerũtur,vt nulli antea fuerint oblati,siue quibus nemo omninò vsus fuerit:Nimirum vbi Leuitici 2.vers. 12.præscribitur. *Primitias tantum eorum offeretis,ac munera*, benè ab interpretibus præsertim à Lorino adnotatur, primitias à muneribus distingui,*quatenus primitiæ dãtur priusquam quis vtatur, fruatur verebus,quas offert: munera,de iisdem nullum ordinem seruando, ac postquam iis etiam vsus fuerit:* Quò facit Plinij obseruatio libr.18. cap.2. Priscos Romanos non gustasse solitos nouas fruges,prius quam Sacerdotes primitias libassent.Maria ergo qua humanæ massæ primitiæ dicitur:primus quidem fructus aurei sæculi gratiæ est,sic primitus Deo dicatus, vt nullus omninò ipso vsus fuerit;nec in dæmonis vnquam potestatem venerit;alioquin ipsa munus Deo datum,non primitiæ oblatæ diceretur.

Leuit.2 vers.12. Lorin.

Plinius.

IV Quod si Christum cum Basilio Seleuc.affirmas primitias massæ generis humani:itidem Deiparam sanctam,& immaculatam in sua Conceptione appellare debes,necessaria argumentatione a Paulo sumpta ad Roman.11.versic.16. vbi vt adstrueret plebem Israeliticam nõ penitus à Deo fuisse reiectam, sed licet modo in perfidia perseueraret,ad extremum tandem ad Christum conuertendam: inde sanctam eam fore dicit,quod ab ipsa velut à massa Apostoli, tanquam primitiæ delibati sint:*Quod si delibatio* (inquit)*sancta est,& massa*: vbi Græce pro *delibatio* est *primitiæ*: Quam sanè argumentationem ad Deiparam sic transfer. Quod si Christus à Maria delibatus est,tãquam primitiæ innoxæ,& quæ omnem impleturæ essent iustitiam,per quas totum

Rom.11 vers.16.

A corpus capiti coaptatum hominibus iterum redderetur: ergo & ipsa massa sancta, & innoxia est:Sed & vt Basilij ratio constet, hæc quam conficimus argumentatio subsistere debet, pro quâ omninò fideiubet Athanasius *lib. de Incarnatione Christi*, vbi idem argumentum eque, ac Basilius persecutus, cum primum de humana carne ex Maria à Christo susceptа hunc in modum differuit. *Adæ lapsum incomparabili resurrectione Christus pensauit, in similitudine carnis peccati visus,* B *& condemnans peccatum in carne, vt & carne in terra versaretur, & incapacem peccati ostenderet carnem, quam cum ex prima plasmatione ipse. Adã habebat sine peccato, præuaricando capacem delicti fecit, & in corruptionem, mortemque delapsus est:* statim sic opportunus subiicit: *Hanc* C *suæ naturæ restituit Christus, & proinde impeccabilem reddidit, vt declararet Opificem extra culpam fuisse, & secundum primordialem creationem illam instaurauit, vt ipse esset impeccabilitatis specimen.* Sic ille:obserua illa:*Hanc suæ naturæ restituit Christus*:itidem hæc: *& secundum primordialem creationem illam instaurauit*: vt videlicet caro Christi ex carne Mariæ sumpta omninò respõ D deret primordiali creationi, vt æqua restitutio, & in integrum fieret:Enim vero, si ad acuta veniamus,terra è qua formatus fuit prius homo,non erat *infecta ab habitatoribus suis*, vt Domini verbis vtamur Isaiæ 24.vers.5.sed pura sincera,& infucata, vt iam vidimus ex Philone lib.*de opificio* affirmante: *Cum terra tunc recens extitisset,secre* E *ta ab aquarum mole,quod mare appellatum est,sequebatur, vt materia rerum sincera,& infucata,puraque esset, ex qua quidquid conficiebatur merito erat inculpabile.* Vndè quidem si secundum primordialẽ creationem hominis caro in Christo

Athan.

Isai. 24. vers. 5. Philo.

instau-

instaurata est, vt Adæ caro è materia sincera, pura, & infucata, secreta ab aquarum mole, & maris amaritudine sumpta est: ita prorsus caro Christi de carne Mariæ sincera, pura, infucata, & à peccati amaritudine secreta à Dei Filio susciplenda fuit: alias restitutionem ad leges iustitiæ, & aqualitatis factam non fuisse, dixeris. Porrò hâc signatè de caussâ cum à Salomone sapientiæ 7. vers. 23. iuxta accommodatitiũ, & opportunissimum sensum pluribus DD. probatum, de Maria, tanquam Deiparâ, & massâ è quâ Christus, vt primitiæ innoxiæ, & incontaminatæ delibatæ sunt, sermo fit, notanter sincera, & inquinata dicitur his verbis: *Sapie. 7 vers. 23.* *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit*, vt videlicet humanam carnem suæ naturæ Christus restituerit; & secundum primordialem creationẽ illam instaurauerit.

V

Quibus sanè mirè congruit *cœlestis* appellatio, quam Paulus Christo, dum ipsum Adæ peccato iam obnoxio opponit, sic tribuit. *Primus homo de terrâ terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis*, 1. ad Corint. 15. vers. 47. Nimirum præter ea, quæ in superioribus adnotationibus circa hæc verba ex mente Concilij Fracofordiensis diximus: obserua; nouam hic hominum, siue filiorum Dei originem significari: quâ generatione terrenâ abolitâ, & vetere fermento expulso cœlesti origini per nouam regenerationem respõdeant; sic inde inferente Apostolo vers. 48. & 49. *Qualis terrenus; tales, & terreni: & qualis cœlestis; tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis: Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnũ Dei possidere non possunt*: sub hoc sensu disertissimè hæc verba exponente Tertulliano lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 49. hunc in modum: *Sicut portauimus imaginem choici* (terreni) *portemus etiam imaginem supercœlestis. Portauimus enim imaginem choici per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam si & in carne sic portatur & imago Adæ, sed non carnem monemur ponere. Si non carnem, ergo conuersationem, vt proinde, & cœlestis imaginem gestemus in nobis non iam Dei, nec iam in cœlo constituti, sed secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate, in iustitia, & veritate*: & post nonnulla, quæ dixerat præstringẽs subiicit. *Cum igitur imaginem, & choici* (terreni) *& cœlestis in cõuersatione constituat, illam eirandam, hanc verò sectandam deinde adiungat*. Hæc Tertullianus; apud quem in imagine terreni descriptum vides peccatum originale in filios Adæ transfusum *per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi*: in imagine verò cœlestis nouam filiorum Dei regenerationem, per baptismum, in quo prima illa similitudinis Dei lineamenta recipimus, quæ Adam in sui formatione à Deo percepit *creatus in iustitia, & sanctitate veritatis*, vt idem Apostolus docet ad Ephes. 4. vers. 24. In quam sententiam opportunè differit S. Diadochus cap. 28. inquiens: *Igitur, quia peccato Adæ non solũ lineæ formæ sordidatæ sunt, sed corpus quoque nostrum sub interitum cecidit: idcirco sanctum Dei Verbum carnem assumpsit, donauitque nobis, vtpotè Deus, aquam salutarẽ per baptismum suum ad regenerationem spiritu quidem Sancto in nobis habitante, peccato verò ab eo expulso: gratia namque Deo per baptismum infinito quodam amore ad lineas formæ, quæ ad imaginem Dei facta est, aptatà in pignus similitudinis, vbi potest esse locus dæmoni.* Hæc S. Diadochus

Tertul. *S. Diad.*

1. Corin. 15. vers. 48. & 49.

dochus. Ex quibus vndequaque subsistit præfata Tertulliani thesis. *Nouè nasci debebat nouæ natiuitatis dedicator : carne antiqui seminis susceptâ sine semine antiquo: vt illam nouo semine, id est spiritualiter reformaret exclusis antiquis sordibus expiatâ.* Plane, vt cum à Dei Filio, humana carne susceptâ, nouæ filiorum Dei natiuitas, siue regeneratio: nouusque sæculorũ ordo, & noua rerũ facies inciperet : non aliam ipse Matrem eligeret, quam eam, cui nihil antiqui seminis, nihil antiquarũ sordium, nihil terrenę conuersationis, nullumve vestigium imaginis terreni Adam per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi, omninò subesset; sed omnia in ipsa ad lineas formæ, quæ ad imaginem Dei facta est secundum lineamenta primi hominis creati in iustitia, & in sanctitate veritatis inuenirentur: alias nec ipse noue nasceretur, nec plenè cœlestis Adam, cui nihil subesset terreni siue veteris seminis dici posset.

VI Quam planè cogitationem siue ratiocinationem Leo Pontifex disertè, atque eleganter non semel confirmat. Nam primum serm. 5. *de Natiuitate Domini*, cum latiùs de tanto mysterio differuisset, tandem sic concludit. *Factus est homo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes: Originem, quam sumpsit in vtero Virginis posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit Matri:* Sic ille. Expẽde profundum Leonis sensum, aquam baptismatis cum origine Christi à Matre sumpta componentis: in quà collatione, nisi Mariam nouam creaturã cui nihil veteris fermenti, aut limosæ originis insit Leo faciat, nihil facit: cum eiusmodi Mater minime cõueniat cum fonte baptismatis, qui vt nouos Dei Filios pariat, nouus ipse vndequaque à Deo confectus, & quasi creatus est: quin aliquid sincerius, puriusve excogitari possit: pende ergo eam Leonis verba: *Originem, quam sumpsit in vtero Virginis posuit in fonte baptismatis*: vt ab hac fontis baptismatis puritate, quę adeò a veteri fermento, & antiquo semine abit, vt illius antidotum, & medicina sit, videris Christum originem sumpsisse ab ea Matre, quæ vndique immaculata, vitiosæ originis minimæ fuerit obnoxia: sed iterũ hac de re Leonem serm. 7. de *Natiuitate Domini*, iterum hunc in modum differentem audi, *Nascens Dominus noster Iesus Christus homo verus, qui nunquam esse destitit Deus verus, nouæ creaturæ in se fecit exordium, & in ortus sui formâ dedit humano generi spirituale principium, vt ad carnalis generationis abolenda cõtagia esset regenerandis origo, sine semine criminis de quibus dicitur.* Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hæc Leo peropportunè : quid enim nostro instituto aptius? Quam adstruere Dei Filium, tùm nouæ creaturæ in se feciſſe exordium, & humano generi spiritale dediſſe principium: illud videlicet, quod primus homo terrenus factus, & peccato obnoxius perdiderat: tùm etiam signatè ad perfectam reformationem deformatæ diuinæ imaginis instituendam, & abolenda carnalis generationis contagia, originem *sine semine criminis* hominibus restituisse: vt ab ipso ex Maria facto noua humani generis natiuitas, nouus sæculorum ordo, noua rerum facies esset: vbi, si verè æstimas, ipsa Mariæ Cõceptio sine semine criminis manifeste à S. Leone intelligitur: verum nè de ipsius mẽte ambigendi sit locus ipse sese satis explicat serm. 10. de Natiuitate Domini ipsius incarnationem ita describens. *Superueniẽte quippè in eâ Spiritu Sancto, & Altissimi obumbrante virtute incõ-*

S. Leo. Leo. Idẽ Leo.

mutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit: ita ille. Apud quē obserua accuratum epiteron: *de incontaminato corpore*: quod propriè refertur ad immaculatam Mariæ carnem, à vitiato Adæ semine non contaminatam.

VII Et verò è re nostrâ omninò erit in præfatis verbis Leonis obseruare; illum dum Dei Filium, & nascentem, & humano generi principium, atquè originem, sine semine criminis simul impertiētem facit, opportunè ex Ioanne id confirmare de filiis Dei pronunciante: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, Ioan. 1. vers. 12. vbi si attendis, & premis verbum *nati sunt* non tam à Patre geniti, quā à Matre in lucem editi inducuntur. Qua autem ratione is sensus, siue ea locutio subsistat, discimus à Salomone Cantic. 5. vers. 14. vbi de Christi filiis signatè inquit: *Venter eius eburneus distinctus sapphiris:* nimirum vt in epistol. ad Phillipp. cap. 2. vers. 15. adnotat. 1. ex Procopio monuimus, venter ibi de filiis in lucem edendis, vt apud Rhetoricos continens pro contento, & apud Iure Consultos toto titulo *de ventre in possessionem mittendo*, accipiendus est: sic enim Procopius, à quo nec hilum differt Philo Carpatius. *Ventrem Christi nominat sponsa Sanctorum chorum, quem ipse in almam lucem protraxit*, vt ex eboris, & sapphiri imaginibus, nihil filiis Christi candidius, pulchrius nihil excogitari possit: Sed enim vt hæc, nec à verbis Pauli *qualis cœlestis, tales & cœlestes*, nec à nouæ, & cælestis massæ imagine discrepent; obserua sapphiri colorem, qui cœlum, cum maximè serenum est repræsentat: vt habetur Exodi 24. vers. 10. *Sicut opus lapidis sapphirini, & sicut cœlum, cum serenum est*: vt sensum communem habeant hæc Canticorum verba cum illis Christi Domini, quibus Patrem in cœlis inuocare nos docuit dicentes: *Pater noster, qui es in cœlis*, Matthæi 6. vers. 9. quæ in hūc sensum eleganter verfat Chrysologus sermon. 65. hunc in modum: *Quia fuit tibi quondam Pater, qui te resolut in limum, qui te ad claustra traxit, & pertraxit inferni, terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulueris non requirat, nihil in se vitij licere permittat, qui Deum Patrem cœlestem repetit ad naturā, & qui se Dei Filium credit actu, vitâ, moribus, honestate tanto generi respōdeat, nè etenim ad terrena descēdēs ad ipsam tanti originis tendat iniuriam.* Hæc Chrysologus satis ad rem.

Matth. 6. v. 9. Chrysol.

VIII Et quidem si verè æstimas, spectant hæc omninò ad Mariæ immunitatem, e quâ *nascens Dominus noster homo verus nouæ creaturæ in se fecit exordium, vt ad carnalis generationis abolenda contagia esset regenerādis origo, sine semine criminis*: Quare in prętatis Cāticorū verbis, & imagine ventris sponsi, obserua translationem LXX. cui hærere Gregorius Nyssenus ibi, & Hieronym. in cap. 1. Ezechiel, quæ habet *venter eius tabula eborea super lapidem sapphirum*: vt sit allusio, quemadmodum inquit Nyssenus hom. 14. in Cantica, ad tabulas legis datas Moysi à Deo, & Dei digito conscriptas, quę ex lapide sapphiro excisse fuerunt, vt expresse docet Paraphrastes Chaldæus in cap. 1. Canticor. vers. 11. ita enim ibi Nyssenus: *Quo tempore Legislator naturæ insculptam lapideis tabulis legem Moysi tradidit, illas ipsas tabulas appellauit lapideas tabellas quibus diuini characteres insculpti erant*: Sanè vt cū tabulā legis è Sapphiro excisam diuinis videlicet characteribꝰ insculptā ventri Christi inesse vides, inibique Dei filios concipi, & in lucem edi,

Cantic. 5 vers. 14.

Procop. Philo.

LXX. Nyssen. Hieron.

perinde

perinde dictum sit, atque illos *non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo*, & ex eius lege, tanquam ab vtroque parente nasci, qui diuinos characteres cœlestis originis, ac diuinæ conuersationis, quæ signatè in legis diuinæ obseruantia censetur, A è ventre matris educant, quin aliter in lucem prodeant, quam ostendât *opus legis scriptum in cordibus suis*, *Chrysol.* vt inquit Paulus ad Roman. 2. vers. 14. & 15. Iam hæc ad Mariam immaculatè conceptam pertinere inde collige, quod hæc filiorũ Dei natiuitas signatè à virgineo fontis vtero originẽ ducat: dũ ab Adamo cœlesti cœlestes filij in lucẽ prodeunt: pulchrè id adnotante Chrysol. ser. 117. vbi cũ versãs præfata Apostoli verba *qualis cœlestis, tales & cœlestes*, dubitasset, qua ratione fieri possit, vt qui sub fermento veteri nati sunt, post modũ spiritualiter renati, queãt infermẽtati in azymis sinceritatis, & veritatis permanere; dubitationi statim sic occurrit. *Hinc est, quod virgineũ fontis vterũ cœlestis spiritus arcanâ luminis sui admixtione fœcũdat, vt quos origo limosæ stirpis profuderat sub miserâ cõditione terrenos, cœlestes pariat, & ad similitudinem, sui perducat Auctoris*: Opportunissimè: dum vides à virgineo fontis vtero cœlestis spiritus admixtione fœcundo Dei filios limosæ stirpis origine abolitâ, cœlesti iam natiuitate in lucẽ emitti. Quod si denuo ambigas quid virgineus Mariæ vterus ad cœlestem filiorum Dei natiuitatem conferat? Ad manum ratio est ex Tertulliani verbis: *Nouenasci debebat nouæ natiuitatis dedicator*, a Mariæ existentia, siue Conceptione, nouitatem filiorũ Dei in mundum fuisse inuectam; nouãque illorum originẽ duci, quod ipsa nouum fermẽtũ, & primitiæ massæ nostri generis sit, atque ea propter de Mariâ tanquam de Matre Filiorum Dei optimo merito dici, quod cœlestes filios pariat, & ad similitudinem sui perducat Auctoris.

Sed enim est & alia peropportuna ratio, ob quã Mariæ nouæ, & cœlestis filiorũ Dei natiuitas tribuatur. Quia videlicet, vt Mater sit, Christi ipsa est: vt verò in ventre Christi tabula legis inerat, vt inibi cõcepti Filij diuinos characteres extraherẽt; ita Maria, ipsamet diuina lex, metrũque, & mẽsura esse videatur; vt ab ipsâ producẽdi filij nõ ex sanguinibus, neq; ex volũtate carnis, sed ex Deo, & ex ipsius lege nascãtur. Hæc appositè cõfirmãte Regio Vate Ps. 44. v. 10. iis, quæ in ore omniũ natãt verbis, & quę in superiorib⁹ illustrauim⁹. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*: sed obserua primũ in Hebræo provoce *Regina* esse nomẽ *cõiux*, vt appareat, quãtũ ad nouã filiorum Dei stirpẽ, & natiuitatẽ cõferat Maria, quæ Christi spõsa, & cõiux est: Deinde vide, vt hæc verba transferat Paraphrastes Chaldęus, & quã habeat de Maria existimationẽ: sic enim ille: *Stabit liber legis in latere dexteræ tuæ, & exarabitur in exẽplari splendor tu⁹ velut obrizo ex Ophir*: In qua egregia trãslatione plura sunt nostro instituto valde opportuna: cũ in primis Maria *liber legis* dicatur in quo diuini characteres insculpti sũt, quod in ipsa nihil sit diuinæ rationi dissonũ, sed omnia iusta, perfecta, sancta, & sine vlla labe peccati, vt (quẽadmodũ dicebat Leo) *ad carnalis generationis abolẽda cõtagia esset regenerationis origo sine semine crimi nis*. Deinde cũ, nè id mirũ alicui videatur, affirmet Vates Dei Filiũ, qui est *splẽdor Patris*, ad Hebr. 1. v. 3. & ipsamet Dei *Ratio*, in Maria tãquã in libro fore exarãdũ, vt in ipsa tãquã in speculo diuina Bonitas sapiẽtia, & virtus resplẽdeat. Tãdẽque inde inferatur Deipara ex impressa sibi diuina imagine, & similitudine,

IX

Ps. 44. vers. 10.

Chald.

filiis Dei in exemplar ad cœlestem conuersationem fore ponendâ: vti monet Ambrosius lib. 2. *de Virginibus*, subinitium dicens. *Hinc sumatis licet exempla viuendi: vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostenduntur.* Quæ quidem omnia præfato loco Chrysologus neruosè complectitur, & cœlesti filiorum Dei ex Maria natiuitati sic accommodat: *Ergo iam renati, iam reformati ad nostri imaginem Creatoris, quod præcepit Apostolus impleamus.* Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. *Fuerit necessitas, quod de terrâ concreti cœlestia aspirare nequiuimus, quod de concupiscentiâ nati concupiscentiâ non valuimus euitare, quod illecebris dominantibus acquisiti, coacti sumus illecebrarum turpitudinem sustinere, quod sæculo huius habitaculo recepti captiui fuimus malis: Iam modo ad instar nostri Domini renati, quos vtique concepit Virgo, viuificauit spiritus, portauit pudor, genuit integritas, nutriuit innocentia, edocuit sanctitas, virtus exercuit, Deus adoptauit in filios, imaginem totam totâ similitudine nostri portemus Auctoris.* Hæc Chrysologus. Expende ab illo rationem allatam: cur iam concupiscentias euitare, illecebris dominari, & ad cœlestia adspirantes imaginem totam totâ similitudine nostri portare debeamus Auctoris: nempe, quos concepit Virgo, viuificauit spiritus, portauit pudor, &c. quod à Maria veteri fermento excluso cœlestem conspergamur in massam, & limosæ stirpis origine abolita, in nouam lucem diuinis characteribus insigniti educamur.

Chrysol.

A

Vt verò hæc omnia vndequaque subsistant, opportunissime Deipara inducitur a dextris Sponsi *in vestitu deaurato: sive obrizo ex ophir*, eo videlicet auro signatè amicta, quod omninò purum putum, sine vllâ admixtione scoriæ, aut terræ est: vt in superioribus non semel vidimus, de quo Gregorius Nyssenus in id capitis 5. Canticorum versicul. 11. *Caput eius aurum optimum* sic aiebat: *Sincere purum aurum intactum, quodque omni mixturâ careat*: & Caietanus in libr. 3. Regum cap. 10. quod sit in suâ puritate incut de minerâ trahitur: vt quæ videlicet nouæ massæ primitiæ, nouum panis fermentum, nouæ natiuitatis origo filiis Dei futura diuinam imaginem, & splendorem exceptura erat, nihil de vitiata origine, & de limosæ stirpis impuritate, & infectæ prosapiæ scoriâ haberet, sed sincerè pura, intacta, omnique mixtura carens esset, firmante id Salomone Sapientiæ 7. versicul. 25. de Deipara inquiens: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.*

B

C

D

X

Nyssen.

Caietan.

Sapien. 7. v. 25.

DISSERTATIO VII.

DE OPINIONIS MINVS PIÆ MINORI VTILITATE.

OPINIONEM MINVS PIAM, MINVS ITIdem vtilem, immò & scandalis, & casibus obnoxiam esse.

ADNOTATIO VNICA.

I VIDIMVS quot modis prætatæ interrogationi: *Cui bono fuerit?* Pia de Maria immunitate opinio respondeat: Age modo, & vide vt opinio minus pia eidem interrogationi satisfaciat.

Manu. Domin.

ciat. Et quidem omninò ad rem videtur respondere Manuale Dominicanum Hispali typis excusum anno 1524. cap. 20. hunc in modum. *Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quod Beata Virgo fuit concepta in originali. Sed iam de hoc non est curandum, cùm sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa, præsertim cum tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & auctoritas secundum Beatum Thomam prævalet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris iam asserat, quod fuit præseruata.* Hæc Manuele PP. Dominicanorũ: & quidem rectissimè: sed pro re, obserua tum illud: *cum sit materia nullius vtilitatis*, quod directè respondet interrogationi. *Cui bono?* tum etiam, quod subnexit: *& valde scandalosa*: vt pro bono, quod quærimus, & quod nobis tot modis pollicetur, & exhibet pia opinio, hæc minus pia, scandala, lites & iurgia gignat, & nutriat: Quod manifestè affirmauit Summus Pontifex Gregorius XV. prædecessoris

Gregor. XV.

sui Pauli V. vestigia premens, in edicto, quo opinioni nõ piæ silentiũ indixit his verbis: *Hoc suo præsenti Decreto ex eiusdem causis euitan dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pariratione oriri possunt, & vt accepit, in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis assertionis affirmatiuæ: extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta: mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, nè de cætero donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, &c.* Ecce tibi silentium huic opinioni indictum ex causâ euitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ quod ab opinione piâ nunquã exortæ fuere, ideò ipsa libere loquitur, & prædicat facultate sibi semper à Sede Apostolicâ factâ. Porrò in hãc sententiam de scandalis, quæ à minus pia opinione oriuntur multa multi Auctores grauissimi locuti sunt: vide PP. Francisc. Suarez 3. p. quæst. 27. disp. 3. sect. 2. Gregorium de Valentia disp. 2. quæst. 1. puncto 2. Petrũ Morales lib. 3. in Mattheũ tractatu 1. Nec omiserim, quod insignes pietate, & doctrina vir, Ludouicus Blosius, & Gabriel Vazquez de hac re magno iudicio dixere: Sic enim prior in tractatu, cui titulus *Dicta Patrum*, cap. 5. inquit. *Pias aures offendit quisquis modo asserere non vereretur, præcelsam illam Heroidem, quæ spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse peccato originali, quod hominem efficit membrum diaboli, & filium iræ.* P. Vazquez vero 3. part. quæst. 27. artic. 2. disp. 117. c. 2. hæc habet. *Omnes qui Christiani nominis fidem profitẽtur, in hanc sententiam vno animo, & affectu ita conspirant, vt sine magno populi scandalo iam nemo possit oppositum populo in concionibus exponere.* Sic ille. Quod quidem Regium Diploma inclyti Ioannis Nauarræ primum, deinde Aragonum Regis mirum in modum confirmat aurea hæc, & Regio ore digna verba proferens: *Y aunque por algunos curiosos, &c. publicamente se predique, que fue concebida en pecado original: de que los oydos de sus deuotos se tienen por muy offendidos, quando en sermones, ò publicas disputas, ò conuersaciones oyen afirmar, que la Madre del Rey de los siglos, y Saluador del mundo fue inficionada, y maculada del pecado original en el instante de su Santa Concepcion.* Hæc Rex & alia (quæ alibi appingimus) in Comitiis Barcino-

Suarez. Valent. Moral.

Blosius.

Vazq.

Ioan. Rex Aragon.

nensibus anno 1451. tit. vndecimo.

II Enimverò multo acrius, & seuerius in hanc rem loquitur Fr. Laurẽtius Surius in Appendice ad historiã Naucleri his verbis: *Videant, nè dũ Matris honori, & priuilegio, cum multorumque graui scandalo, & offensione derogant, Filij eius seuerum in se iudicium prouocent:* vbi interrogationi illi *cui bono?* non modo graue scandalum, & offensionem, sed etiam seuerum Dei iudicium exhibet: verum enim verò non omninò, vt sonant hæc accipienda sunt, sed cum in opinione minus piâ affirmanda, alia minus pia, & duriora admiscentur, vt contigisse credendũ est Doctori illi, cuius meminit Aloysius Nouarinus in vmbra virginea excursu 17. n. 202. vbi cũ præmisisset de opinione non piâ: *Cui & silentium indictum à Summo Põtifice, vt iamiam morituram coniici possit:* subiicit. *Suis quoque sectatoribus mortis occasio fuit. Celebre illud est, quod Cracouiæ contigit in huius rei testationem. Ibi enim cum Doctor quidam nomine Paulus prædicare contra immaculatam Virginis Conceptionem cœpisset, nondum finito sermone cecidit, & expirauit, vt testatur Henricus de Hassia, aliique.* Hęc Nouarinus. Qui statim illam aliã historiã subiicit, quã cõmodius alibi appingimus de duabus illis mulieribus, quarum vna pro immaculata Conceptione stabat, alia contra eã; cumque arbitrum suæ caussæ ignem statuissent: vt quæ ab illo illæsa exiisset, veram sententiam tueri indicio esset: ignis Deo iubente immaculatæ Conceptioni fauens fœminã, quæ pro illa decertabat, immunẽ & illæsam remisit; aliam, quæ exuto piæ humanitatis sensu contra immunitatem pugnabat viuam cõcremauit.

Surius.

Nouar.

III Sed occasionem, qua Laurentius Surius monitũ illud dedit, & nosse fuerit operæ pretiũ, & sapientiæ sa-

le condire: nẽpe similis historia inuenitur apud Fr. Nicolaũ Baselium in additione ad Chronicum Naucleri, eius verbis relatâ à P. Martino del Rio lib. 4. disquisitionum Magicarum cap. 1. q. 3. sect. 4. de quatuor hominibus Bernæ apud Heluetios priusquã ad hæresim ea ciuitas deflecteret, nẽpè anno 1509. religiosam vitam agentibus, qui *capti, per torturã examinati, degradati, ad ignẽ condẽnati, miserabiliter sunt cõbusti propter quasdã dolosas, falsas, impias & diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ Virginis Mariæ Cõceptionis occasionaliter excogitarũt, &c. Tandẽ verò ad instantiã Bernensiũ Haimo Lausanensis Episcopus Loc. Ordinarius Inquisitionẽ cõtra eos fecit, quo adstante vna cũ Matthæo VValesiano Episcopo, Achilles Castel Episcopus, & Apostolicæ sedis legatus ad hoc à Papa Iulio specialiter missus ab omni gradu, & priuilegio clericali depositos, XXIII die mẽsis Maij potestati tradidit sæculari, atq; de hinc vltimâ die eiusdẽ mensis igne (vt hæretici) sunt incinerati præsentibus ibidẽ multis hominũ millibus.* Hæc Baselius. Cui hũc in modũ salem iniicit Martinus del Rio subdẽs. *Sic Nicolaus Monachus Hirsaupẽsis* hæreticos *vocãs, nõquia negarant Beatã Virginẽ sine originali peccato conceptã, sed quia cõtendebant pertinaciter, contrariũ fide tenẽdum, & quia Magicis præstigiis vsi fuerant, & multa cõtra Fidei Catholicæ sinceritatẽ dixerãt, fecerãtq;* Addit del Rio. *Fieri tamẽ potest, vt Baselius fultus auctoritate Concilij Basiliensis habuerit articulũ de Conceptione immaculatâ pro articulo fidei, sed pro libera vtriusq; partis defensione iã Sixtus IV. decretũ ediderat: & propterea sanè, si idcirco hæreticos censuit, valde à vero aberrasset. Verũ tamen arbitror, solummodo quoad pœnam hæreticis eos cõparasse.* Hactenus Martinus del Rio.

Baselius

Martin del Rio.

Vides

IV *Surius.* Vides vt salubriter dixerit Laurentius Surius. *Videant nè dum Matris honori, & priuilegio cum multorum graui scandalo, & offensione derogant, Filij eius seuerum in se iudicium prouocent*: Sed enim, vt opportune denuo audias seuerum Filij Dei iudicium, quod nostra tempestate, anno videlicet 1616. in vrbe Ecijitana apud Bæticam vir quidam nobilis in se prouocauit, aduoca in memoriam intentatas à duce diuini exercitus Iosue minas in eum, qui vrbem Ierico à Deo funditus deletam denuo reædificaret. *In primogenito suo fundamenta illius iaciat: & in nouissimo liberorum ponat portas eius:* Iosue 6, versicul. 26. easdemque post longa temporum curricula à Deo executioni mandatas, 3. Regum 26. versicul. 34. referente sacro Scriptore: *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Ierico. In Abiram primitiuo suo fundauit eam: & in Segub nouissimo suo posuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.* Et dum hæc ob oculos habes: Scito virum illum nobilē in Deiparę immunitatem minimè pronum, cum quadam die in platea de Mariæ Conceptione pluribus adstantibus sermo incidisset, importunè ipsum cum multorum graui scandalo Dei Matris honori, & priuilegio derogare ausum fuisse: eaque de caussa ab amico, qui aderat non modo increpitum; sed etiam de diuina animaduersione seriò admonitum. Quam quidem statim seuerissimam, eandem scilicet, quam profanus ille reædificator Hai, in se expertus est, duobus quos omninò habebat filiis eadem hora repente orbatus: dum is, qui familiæ hæres erat, rhedæ, siue currus, quo pater vehi solebat, qui tunc temporis ob fores vacuus prostabat, auriga per lusum factus, ab equis expulsus, & in terram proiectus, currus rota infeliciter oppressus fuit: Alter verò in venatione à socio per errorem tormenti bellici laxata rota igneo globulo percussus interiit, vt videatur infelix parens maledictam à Deo vrbē reędificasse, qui in primogenito suo fundamenta illius iecit, & in nouissimo liberorum posuit portas eius: Historiam in Hispania notissimam signatè refert Balthasar Porregnus in libro *de pura conceptione*, cap. 5. Quam quisquis audierit, omninò perspiciet, non tam poetam, quam prophetam egisse Dionysium Fabrum cum poemate de Conceptione cecinit.

3. Reg. 26. v. 34

A

B

Porreg.

Dionis. Faber.

Nullus origineâ MARIAM rubigine læsam.
Adstruat: vltricem nè pignoris excitet iram.
Hoc ius: hoc ratio vetat: hoc sententia Patrum.
Explodit: mare, terra, polusque reclamat, & ipse Filius.

C

Quam verò cognationem vna cum altera historia habeat ex sequenti adnotatione petendum est, dum in illa piam opinionem cum Sole, eam verò quæ minus pia est cum Luna componimus; nam cum Iericho Luna interpretatur manifestam opinionis minus piæ imaginē præseferre videtur.

D

V *Iacobus Valent.* En quæ sint bona, & fructus opinionis minus piæ: sed ille mihi videtur omnium amarissimus, quā persequitur Iacobus de Valentia Episcopus Chrisopolitanus in expositione super *Magnificat*, & ab eo Hieronymus de Florentia Regius & egregi⁹ cōcionator, & de Virgine Matre optimè meritus *cōcione* 12. *de purissimâ Deiparæ Cōcept.* vtroq; affirmāte, anno 1322. Pontificatū, & Sedem Auinione tenente Ioanne XXII. ad ipsum Religionis Christianæ suscipiēdæ caussa, quēdā Armeniæ Regis filiū Græcæ, & Latinæ linguæ valde peritū aduenisse: cūque

E

ibi Christianis mysteriis imbui cæpisset; accidit, malo fato, vt concionatorem quemdam coram Pontifice opinionem non piam liberè prędicãtem audisset: quo audito adeò immanè scandalum passus est, vt a sententia, & ardore suscipiendę nostræ Religionis discesserit, & Pontificem pœne increpauerit (imprudenter quidem vtrumque) quod talem coram se assertionem impunè edicere permiserit: subdens, nè ipsorum quidem Maurorũ aures quidpiam tale recepturas, quin concionatorem statim lapidibus oppeterent: nam quo pacto eum verum Deum esse crederent, qui Matrem suam maculâ peccati aliquando inquinari passus fuisset. Hæc ille importunè quidem dixit, importunius executus est; verum ad mentem sui pseudoprophetæ Mahometi, qui in Alchoramo pro Deiparæ immunitate etiam sterit inquiens. *Nullus de filijs Adami nascitur, quem non tangat Satan, & ideò plorat vociferans ex eius tactu præter Mariam, & filium eius.* Vt dixeris merito cum Seneca eam esse veritatis vim, *vt etiam qui non sequuntur videant.*

VI Rigidiora sanè sunt, quæ hucusque diximus, apponamus mitiora, sed quæ præfatam itidem mentem confirment: Alexander de Ales opinionem non piam tenaciter olim amplectebatur: cumque primarius Theologiæ Antecessor Parisiis esset, tùm eam opinionem docuit in 3. distin. 3. quæst. 9. tum die Cõceptioni Virginis celebrandæ assignato datâ opera, nec à publicis lectionibus cessabat, nec ab eâ opinione promulganda abstinebat: sed cum quâdam Conceptionis die in suo proposito permanere volens Cathedram ascendisset, subito eoque grauissimo morbo correptus est, vt pœne expirare videretur: Quod cũ semel, & iterum ei accidisset, meliora de Virgine cogitare, & tutora sibi consilia parare decreuit; atque idcirco in piam opinionem toto animo, & manibus (vt aiunt) securus iuit: & librum de pura Mariæ Cõceptione edidit elucidans verba Canticorum 4. vers. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.* cuius hũc in modum meminit Guillielmus Borrilonus in 3. dist. 3. *Tractatus iste irrefragabilis Doctoris à Tholosano Magistro Ioanne de Garrin huius ordinis Doctore contra nõnullos Virgini de nouo garrientes in Vniuersitate Tholossanâ circa octo annos productus est.* In quâ quidem de immunitate Virginis sententia adeò perdurauit Alexander, vt quemadmodum sæpius in vitâ: ita etiam cũ animam exhalauit exclamasse dicatur. *Maria Domina mea, tota pulchra es, & formosa: & macula originalis, aut actualis in te nunquam fuit:* Rem narraui tot testibus firmã vt fidem ei denegare pœne piaculum videatur. Tam enim præfati miraculi, quam editi ab Alexandro libri meminere præter dictum Guillielmum, Pelbartus lib. 4. Stellarij Bernardinus de Busto s in Mariali 1. part. serm. 9. *de Conceptione*, Mauritius de Villâ probatâ de *Coronâ* sermon. 5. Antonius Cucarus in 2. par. Elucidarij, Ioann. de Celaia in 3. distin. 3. qui cum ante annos centũ, & triginta floruerit, hunc Alexandri librum in Basilicâ Tolossanâ asseruari testatur. Antonius vero Cucarus adeò signatè libri meminit, vt affirmet volumen illud sex libris cõstare, & in lib. 3. Alexandrum singillatim ea omnia rescindere, quæ in libris sententiarum dixerat, quasi malo accepro sapuerit, & verberatus obsequentior, & pronior in Virginis immunitatem extiterit.

Cant. 4. vers. 7.

Pelbart. Busios. Villapro bata. Cucarus Celaia.

Alex. Alens.

VII Sed iam id, quod de Bernardo dicẽdũ restat, renuens quidẽ, & inuitus affirmo, quod tã eximij viri sanctitate, & doctrinâ verè admirabilis, qui præclarissimum Ecclesiæ lumen

men,& decus fuit,amore vehementer afficiar;sed tamen pro immunitate Mariæ, & Conceptionis eius absque vllâ labe peccati omninò dixerim,quod apud plures Auctores inuenio tanto huic Doctori, quod in hanc piam opinionem,maculam Mariæ auferentem,aut pronus non fuerit,aut de ea subdubitauerit,externam quandam maculam adhæsisse;atquè illum post mortem, cuidam viro religione conspicuo videndum se exhibuisse candidissima quidem indutũ veste,sed atra quadam macula infecta, eique renunciasse,eam sibi maculam adhæsisse quod inepist ola ad Lugdunenses affirmasset Mariam,non sine originali maculà fuisse conceptam. Rem sic refert Aureolus 3.sentent.dist.3. art.1. *Bernardus dicitur illam opinionẽ retractasse saltem mortuus:vndè dicitur,quod apparuit cuidam Monacho post mortem,cum maculâ in pectore propter illa,quæ dixerta de Cõceptione Virginis gloriosæ*:& , quod plus est ad faciendam historiæ fidẽ, Nicolaus Monachus Sancti Albani,qui eodem quo Bernardus sæculo vixit,eam itidem ,sed peculiaribus adiectis circunstantiis,narrat in epistola ad Petrum Cellensem,quę inter eiusdem Petri epistolas habetur lib.9.tom.12.Bibliotecæ veterumPP. Mimirum cum prẽmisisset: *Sanctus ille Bernardus quondam Sãctorũ Cathalogo adscriptus nuper est in Ecclesia canonizatus,& ab humano iudicio exẽptº.Exẽptus inquã est, nè de eius gloria dubitemus, sed non vt minus de eius dictis disputemus. De gloria beati Martyris Cypriani, beatus Augustinus non dubitat,tamẽ in Spiritus Sancti dationeeũ errasse verisimè cõprobat.Errorẽ martyrio deletũ scribit,& sic docuit Ecclesiã venerari Martyris gloriã,vt tamen non imitaretur errorem.Ego autem & si dissimili scientia,simili tamen conscientia,sic veneror beatũ confessorem Bernardum,vt laudem, & amem eius sanctitatem,qui nec amẽ, nec laudem eius opinionem in Matris Domini Conceptionem.* Sic statim pensiculatius, sicut à fratribus Claræuallensibus acceperat, factũ refert. *Et nè putes me magis pertinaci,quam bona conscientia dicere,quæ dico,audi quid ab ipsis Cistercienſibus vera religione præditis, & Virginẽ in veritate diligentibus acceperim de Sancto Bernardo, quorum nomina abscondo sub modio,nè odiosos faciã fratrum suorum collegio.In Clareualensi collegio quidam conuersus benè religiosus in visu noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum vestibus,quasi ad mamillã pectoris saluam habere maculam.Quem ex admiratione tristior alloquens. Quid est,inquit,Pater, quòd nigram in te maculam video? Et ille. Quod de Dominæ nostræ Conceptione scripsi non scribenda:signũ purgationis meæ maculam in corpore porto.Frater visa Conuentui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatũ est in Cistercienſi generali Capitulo, & de communi consilio Scriptum periit incendio, maluitque Abbatem vniuersitas hanc Virginis periclitari gloriam,quam Sancti Bernardi opinionem:* post hæc licentius quã parerat dicta,subiicit Nicolaus ille:*Nõ sic Paulus,non sic,quise blasphemũ, & iniuriosum inclamitat,vt Redẽptoris gloriam amplius extollat. Et certè,vt credo,ea ratione Sanctus in propria persona viro simplici, & de talibus nihil sciẽti apparuit,vt totius Capituli Cistercienſis discretio deprehenderet eum velle suam opinionem damnari,& Virgineæ Conceptionis gloriã prædicari. Igitur si ego publico,quod ipse,vt credo,publicari voluit:hoc non est eius famam extenuare,vel gloriam euacuare,sed eius voluntatem super opinionis suæ pœnitentia exprimere.* Hæc ibi ille, & alia,quæ noluimus appingere,quia

Aureo.

Petr.Cellenſ.

pudet,

puder, tædetque excribere quidquid Bernardo glorioſum nõ ſit. Et verò ea quæ de ipſo tranſcripſimus, vera nè omninò fuerint; nec nè? minimè decernimus, cum à viris me multodoctioribus, & eruditioribus, vel in dubium Bernardi epiſtola vocetur, vel ſub ſenſu a pia opinione non abeũte acutè capiatur: illud ſolum mei inſtituti fuerit oſtendere, quid boni, ſiue reapſe, ſiue in hominum opinione adepti ſint opinionis non piæ ſectatores: cum tamen nemini, aut fraudi, aut maculæ vnquam fuerit, Mariam ab omni labe immunem aſſerere.

VIII Parco aliis: dummodo per allegoriam in huius adnotationis ſcopum referam hiſtoriam illam notiſſimam de arca Dei lib. 2. Reg. cap. 6. verſic. 6. quà videlicet impoſita
2. *Reg.* 6 *verſ.* 6. plauſtro nouo, & deducta cum pompa regia, & multiplici harmonia, boues plauſtrum ferẽtes calcitrare cœperunt, ita vt inclinato plauſtro caſura videretur: cũque acceſsiſſet Oza, vt illam vindicaret a lapſu, eodem temporis veſtigio exanimatus eſt; rem ſic deſcribente ſacro Scriptore: *Poſtquam autem venerũt ad arcam Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſsit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei.* Etenim ſi hanc Ozæ temeritatem rectè examinaueris opportunum noſtro inſtituto ſenſum elicies: Porrò dum de ea PP. & interpretes ambigunt, & vnuſquiſque in ſuum abit, illud videtur valde probabile, quod ab Hebræorum Magiſtris apud Abulenſem ibi dicitur: ideò ſcilicet peccaſſe Ozam, neque leuiter, quia ſuſtentare voluit Arcam, quaſi caſura foret. cum ipſa potius, & plauſtrum, & boues, cum nutarent, & agi viderẽtur in præceps, ſuſtentare poſſet: quaſi ea quidem Ozæ temeritas fuerit, timere non timendum, & timenda non timere: quippè bobus, non Arcæ timere debuiſſet: Enim verò Mariam Arcam eſſe extrinſecus, & intrinſecus deauratam, hoc eſt ab omni labe actuali, & originali omninò immunem, de qua Dauid cecinit: *Surge Domine in requiem tuã: tu & Arca ſanctificationis tuæ,* Pſalm. 131. verſ. 8. in ſuperioribus ex Gregorio Thaumaturgo, & Nicolao Monacho adſtruximus, qui vti hic vim faciebant in illa requie, non hominũ, ſed Dei hominis (Dauid ſignatè aiẽte *in requiem tuam:*) quæ ab omnis labis, tam carnis, quam ſpiritus immunitate ſubſiſtit; ita neceſſaria cõſecutione nos hãc requiem nulli caſui obnoxiam, & à nutatione alieniſsimam, & fuiſſe, & fore pronunciamus: ergo præfatam hiſtoriam ſic cape ſub ſpirituali ſenſu, vt quemadmodum myſtici boues, hoc eſt Eccleſiæ Doctores, & Magiſtri (quos bouis imagine deſignauit Paulus 1. ad Corinth 9. verſic. 9. adductis verbis Deuteronomij 25. verſ. 4. *Non alligabis os boui trituranti:*) ſpiritualiter dicuntur baiulare Arcam Mariæ, aliis ipſius puritatem, & immunitatem à peccato originali placidiſsime profitẽtibus & prædicantibus; aliis vero eius immunitati infenſis, opinioni piæ reluctantibus ad modum boũ, qui calcitrabant: ita temeritas Ozę eo referri debeat: vt inconſulto impetu, Arcam lapſuram putaret, & ad eam ſuſtentandam manum applicuerit, cum non de Arcæ caſu, ſed de bobus ſolicitus eſſe debuiſſet: quippè Arca, ideſt Mariæ immunitas ſemper in tuto, & extra ictum eſt, quę Deum patronum habens, ipſa potius, & plauſtrum, & boues ſuſtentare poteſt, ſi nutare, & agi in præceps videantur: bobus ergo, qui calcitrant magis timendum eſt, nè contra ſtimulum calcitrantes cor-

1. *Cor.* 9. *verſ.* 9: *Deut.* 25 *verſ.* 4.

Abul.

ruant,

ruant: ideò quidem si Oza sapuisset, illis, non Arcæ applicuisset manum: vt iam hìc omnino locum habeat, quod initio adnotationis dicebat Laurentius Surius. *Videant nè dum Matris honori, & priuilegio cum multorum que graui scandalo, & offensione derogant, Filij eius seuerum in se iudicium prouocent.*

IX Vndè quidem, quotquot ea omnia, quæ in tota hac adnotatione diximus de tristibus, & infelicissimis eorum euentibus, qui opinionẽ non piam acrius sectantur, ob oculos habuerit, non omninò importunè illis aptauerit nonnulla ex iis, *Tertull.* quæ Tertullianus in libello Scapulæ Præsidi Africæ crudeliter in Christianos grassanti oblato, hũc in modum scribebat *lib. ad Scapulam*, c. 1. & seqq. *Nos quidem, neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ patimur: cum ad hanc sectam vtique susceptam eius conditione pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus; ea, quæ Deus repromittit consequi optantes, &c. Itaque hunc libellum nõ nobis timentes misimus, sed vobis, &c.* & cap. 2. & 3. *Absit enim vt indignè feramus ea nos pati, quæ optamus, aut vltionem à vobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus. Tamẽ doleamus necesse est, quod nulla Ciuitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem.* Hæc ille: ex quibus ea pro re nostra excerpimus *hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis*: vt velimus dicere, minime nos Arcæ, & bobus libenter, & tranquille eam ferẽtibus, sed bobus calcitrantibus timere: Nam vt nos eam nunquam reapse cecidisse, nunquam siue ex Ecclesiæ cẽsura, siue in hominum existimatione casuram indubitato nouimus, & omnia ab hac opinione nobis prospera, & fausta speramus; ita doleamus necesse est, quod minus piæ opinionis sectatores minus felices sint, dum eam tenacius retinent, cũ in ea turanda non modo deum, & operam perdant, vt dicebat Magister Frater Vincentius Iustinianus; sed plura infortunia, & aduersos casus experiantur.

(***)

IHS

LIBER TERTIVS

DE

B. MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

IN QVO AGITVR DE IIS INTER ALIA in quibus Opinio pia de MARIÆ immunitate, contrariæ opinioni signatè præcellit.

PROEMIVM.

PRÆTER multiplicem illam Rationem, siue Rationum momentasitidemque & bonorum omnium cumulum, quæ pro pia de sanctiſsimæ Virginis immunitate ſtare demonſtrauimus præced. libro; modo ſingillatim indicare eſt animus pleraque alia præſtantiſsima ornamẽta, in quibus ipſa opinioni minus piæ inſigniter excellit Procul enim ab opinione pia, quod M. Tullius *lib. de Oratore*, cuidam obiecit: *Cuius artem cum indotatam eſſe, atque incomitatam, & incomptam videres, verborum eam dote locupletaſti.* Nimirum ea verborum lenociniis, nec egens, nec vtens locupletiſsimam ſecum dotem habet, & præclarum præfert illuſtrium gemmarum theſaurũ; pietatis ſcilicet, ſecuritatis, vrbanitatis, felicitatis, docilitatis, & victricis ſemper, atque triumphatricis manus: pulcherrimam etiam, atquè digniſsimam comitatùs pompam,

M. Tul.

quam

quam Summi Pontifices, Episcopi, Ecclesiæ, Vniuersitates, Imperatores, Reges, Dynastæ, Regna sequuntur, atque strictis nexibus complectuntur: Quid vero ipsa, aut comptius, aut ornatius? quæ Sanctorum PP. auctoritate, & Concilij Tridentini procliuitate in ipsam, & cunctorũ sacrorum ordinum deuotione, & communi totius orbis terrarum consensu splendet. Fuerit ergo id tam huius, quam sequentis libri non omninò infloridum argumentum: vt planum fiat, opinionem piam, nec indotatam, nec incomitatã, nec incomptam esse; sed dote, comitatu, & ornamentis, opinioni minus piæ longè excellere.

IHS

DISSERTATIO I.

DE LIBERA LOQVENDI FACULTATE, quæ opinioni piæ à Summis Pontificibus ineſt: dum opinioni minus piæ ſilentium ab illis impoſitum eſt.

DE PRÆSTANTIA OPINIONIS DE MARIA immaculatè concepta præ opinione minus pia; quod illi libera loquendi facultas ſit; contrariæ vero ſilentij franum à Dei Vicario fuerit iniectum.

ADNOTATIO I.

I *Prou. 8. verſ. 1.* PRincipium mihi differendi de præſtãtia opinionis piæ, ſiue de iis, in quibus ipſa conrrarię ſententiæ mirifice excellit; vox ſit, & facultas loquendi, quà palam & libere loquitur, docet, diſſerit, concionatur, & tanquam vera Dei ſapientia dat vocem ſuam. *In ſummis, excelſiſque vertícibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur dicens. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite quoniam de rebus magnis locuturá ſum, & aperientur labia mea, vt recta prædicem; veritatẽ*

A

medita-

meditabitur guttur meum. Prouer. 8. *à vers.* 1. Cum è contra opinioni minus piæ à summo Christi Vicario vox adempta; & seuerum silentij frænum iniectum iam sit, nè deinceps non modo in concionibus, lectionibus, libris, sed nec in priuatis colloquiis sese prodere, loqui, aut mutire audeat. Nimirum quod de publicis concionibus, lectionibus atque disputationibus iam antea à Paulo V. Pontifice Maximo cautũ fuerat, vt suo loco vidimus: Gregorius XV. Pauli in sede Apostolica, vt in pietate erga Deiparam successor ad priuata etiam colloquia extendit peculiari decreto feria 3. die 24. Maij anno Domini 1622. hunc in modũ: *Hoc suo præsenti decreto ex eiusdem causis euitandi scãdala, dissensiones, atquè discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ; extendit, & amplia uit etiam ad priuata colloquia, & scripta mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supra dictis; nè de cætero donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum; neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadẽ beatissima virgo fuerit concepta cũ peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare.* Hæc Summus Pont. apud quem vides opinionem minus piã sub censura silentij mutam, & elinguem, tantum non dicentem cũ Iob cap. 13. vers. 19. *Quare tacens consumor?* Dum pia de Mariâ immaculatè concepta opinio ad instar puræ illius columbæ in signum victoriæ de communi generis humani dilubio (vt vel hac ratione ipsiusmet Deiparæ ab omni labe immunis egregium specimen præseferret) viridis oliuæ ramum ore gestantis, Genes. 8. ver. 11. veritatem suã ore, labiis, lingua proferr, ptædicat, & in summis, excelsisque verticibus dat vocem suam: *Venit ad eum* (inquit de columba sacer Scriptor) *portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo*: Notanter quidem *in ore suo*: vbi acutè expendit Ambrosius libr. *de Noe, & arca*, cap. 19. his verbis: *In ore quoque non frustra ramulus oliuæ videtur esse delatus, eo quod virtus, & sapientia in sermone sui habet claritatem; & ipsa statim specie lumen eius effulgeat.* Hæc ille. Præfert ergo opinio pia sapientiam in ore; præfert sermonis sui lucem, & claritatem, procul quidem à silentii tenebris, & obscuritate.

Sed & in decretis Pontificis ipse loquendi modus obiter obseruari debet: neque enim Paulus V. & Gregorius cum Auctoribus opinionis minus piæ silentium indicunt, his verbis vti sunt: *Neque etiam in sermonibus priuatis asserant*; vt series dictionis, & præscribendi stilus videbantur exigere; sed signatè inquit Gregorius: *Neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeãt asserere*, sicuti & Paulus V. agens de concionibus, & disputationibus dixerat. *Non audeant in publicis concionibus, lectionibus, & conclusionibus, & c.* Obserua verbum *audeant*: quod etsi in bonam, & malam partẽ vsurpari soleat; vt nouis sanè modo ère nostra esse: in bonã nempè partem in scriptura accipitur, vt perinde sit ac fidẽter siue accepta à bonitate causſæ fiducia agere, & loqui, vt apud Paulum ad Roman. 10. vers. 20. *Isaias audet, & dicit*, & ipsemet Paulus de se, 2. ad Corint. 5. vers. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus*: & cap. 10. vers. 2. *Audeam per eam confidentiã, qua existimor audere in quosdam*, sicuti & ipse latinæ linguæ Choriphæus in orat. pro Sextio dixit: *Omnia*

Gregor. XV.

Iob 13. vers. 19.

A

B

C

D

E

Genes. 8. vers. 11.

Ambr.

II

Gregor. XV.

Rom. 10 vers. 20. 2. Cor. 5. vers. 8.

M. Tul.

nia non modo dicere: verum etiam libenter, audactèr, & libere dicere. Et pro Fŏteio. *Audactèr hoc dico, non temere confirmo:* in malā vero partē *audere* vſurpatur pro nimia confidentia, *quando quis ſine vllo, aut periculi metu, aut pudoris reſpectu rem aliquam temere aggreditur,* vt latini idiomatis periti conceptis verbis dicunt: Ex quibus ſignificationibus, vel ab vtrauis earum capienda eſt Pontificis mēs, vt videlicet ipſe auctores minus piæ opinionis, vel à fidentia, & animoſitate, quam bona cauſſa in hominum animis ingenerare ſolet, vel à nimia illa confidētia, qua quis præter rationem cæco animi impetu ſibi fidit, edicto ſuo abſterreat: nè aut fidentius, aut audacius, quam ratio, & prudētia exigunt, opinioni ſuæ adhærentes de ea loquantur; ſed potius intra ſilentij metas ſeſe cohibeant: non tam cum ſilentio, & ſpe; quam cum ſilentio, & timore: quippè indictum ſilentium ad timorem, & metū referri debet, vt videre eſt apud Zachariam 2. verſ. 3. monentem: *Sileat omnis caro à facie Dei.* Vbi LXX. ſilentium pro timore accipientes repoſuere *timeat omnis caro à perſona Domini:* de quo grandis nobis poſtmodum ſermo erit.

Zachar. verſ. 13.

LXX.

III Modo illud maiori obſeruatione dignū cēſem°: ſilētiū iſtud opinioni neganti Mariæ immunitatē impoſitū, nō tā nouū Pontificis præſcriptū, quā vetus Dei cōſiliū eſſe; ipſe ſiquidē, vt linguas infantiū in Mariæ laudibus facit eſſe diſertas: ita facundiori eloquentię in Mariæ immunitate hærenti vocē adimit, & ipſoſmet Chryſologos aurea dicendi copia florentes, mutos, & elingues reddit: Qua de re peculiare damus beneuolo lectori monumentū: Enim verò S. Petrū Rauennatē, qui ab aureo dicendi flumine Chryſologus dictus eſt, aliquādo medio in ſermonis curſu obmutuiſſe, eiuſque linguā

Chryſol.

A

B

C

D

E

faucibus hæſiſſe ex ſermone ipſius trigeſimoquinto *de muliere profluuio ſanguinis obnoxiâ* manifeſtè apparet; & ille ipſe, qui eius cōciones collegit, ibi hunc in modū admonuit. *Hic S. Petrus obmutuit, cuius ſilētij ratio abūde redditur, ſerm.* 86. Mirū quidē, immo ſupra omnē omninò admirationē, hominē literatiſſimū, facundiſſimū, eloquētiſſimū in dicendo defeciſſe: ipſi ſenſus, verba, & voces in media oratione defuiſſe. Quid? caſune? aut humana imbecillitate? ſiue memorię defectu id ei accidiſſe dicemus? Minime quidē, cū ipſemet à ſilētij ſui cauſſa, & ratione punctus præfato ſer. 86. nō dubitauerit ad peculiare myſteriū illud reuocare: & interceptum ſermonem ſuū, ſiue indictū à Numine ſilentiū cū taciturnitate, & linguæ fræno Zachariæ patri Ioannis à Deo impoſito omninò cōponere, etenim cum dixiſſet: *Mundanus ſermo, vt humano profertur ex ſenſu humanis ſeruit, & obſecūdat ingeniis: diuinus vero ſermo in poteſtate dātis eſt, non dicentis. Audiſtis quemadmodū Zacharias ille ſummi ſacerdotij ſplēdor dum exorat, obmutuit, tacuit pater vocis:* ego *inquit* vox clamantis indeſerto: *genitor clamoris obtumuit, & egreſſus ſilētiū retulit, qui reſpōſa relaturus intrauerat.* Hæc ſubinde ſubiicit. *Videtis ergo, quia ſilentiū meū, quod antea contriſtauit vos, venit de antiquo Pontificali vſu, nō de nouitatis in curſu, & denique Zacharias ipſe quod tacet non eſt pœna, ſed ſignū, nec eſt terrena debilitas, ſed cœleſte ſecretū. Deus qui loqui dat, tacere facit, & imperat ſilentiū, qui inſerit verbum: dominatur diuinus ſermo, nō ſeruit, quia Deus verbum, & ideò non cum iubetur loquitur, ſed cū iubet: non cum exigitur, ſed cum donat, non cum cogitur, ſed cum venit.* Hæc & plura de hoc Chryſologus ibi. Iam ad rem.

IV Enim verò cum Chryſologi ſi-

lentium, non fuerit terrena debilitas, sed cœleste secretũ, quia Deus qui loqui dat, tacere facit. Si modo ambigas de huius imperati à Deo silentij ratione, ex ipsa quidem inchoata, & intercepta oratione, & ex iisdemmet verbis sermonis 35. in quibus Chrysologus obmutuit facile disces: Sunt nimirum ista, quibus Ecclesiam peccato originali ab Adami vulnere obnoxiam, cum muliere sanguinis profluuio obnoxiâ componebat: *Quæ est ista, quam sic geminus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus ad causſas mortis, ad læthale vulnus: ad fœdi languoris adduxit anguſtias? &c. Ista est fratres, ista est Ecclesia, quæ primi hominis vulnerata peccato, tota fluebat sanguine, tota originaliter decurrebat in mortem*: Quæ statim cum dixisset repentè obmutuit, ac lingua faucibus hæsit: eâ sanè ratione, quod dicendi impetu abreptus totam Ecclesiam originaliter in mortem decurrisse dixerit, MARIÆ immunitatis oblitus qui ipsam omninò excipere, & extra communem vulneris, & peccati legem signatè ponere debuerat. Taceat ergo ex Dei præscripto facunda eloquentia, & eloquens dicendi facunditas, quæ de originali peccato verba faciens MARIAM non expertem, & a communi lege exsortem distincte facere non curauit. Et meritò quidem obmutescat, quia *Deus qui loqui dat tacere facit, & imperat silentium* cum de Matris suæ immunitate sermo omninò accuratus, & distinctus non est. Quod quidem ipse hâc pœnâ silentij, quæ concionatori grauissima esse solet, satis instructus benè nouit cum dixit: *Dominatur diuinus sermo, non seruit, quia Deus verbum: & ideò non cum iubetur, loquitur, sed cum iubet*: Iubet siquidem de Matre suâ reuentissime loqui, adeòque ipsam extra communem legẽ, procul ab imagine mulieris sanguinem profluentis ponere; vt potius propter ipsius immunitatem, atque omnimodam puritatem Ecclesia tota pulchra, & sine macula, & ruga dicatur; quàm quod MARIA propter originale malum à quo natura vulnerata peccato, tota fluebat sanguine, communi lege videatur obnoxia. Certè tum Salomon Cantic. 4. versic. 7. si non primario, vt nos putamus sensu, de MARIA (de quo latius inferius disseremus) de Ecclesia dicebat: *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te*: tũ etiam Paulus ad Ephes. 5. versic. 27 signatissime dixit: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata*, siue vt habet lectio Syriaca: *Sit sancta, & absque nævo*. Ad quæ verba de Ecclesia militante à frequentiori PP. expositione accepta (in quibus sunt Clemens Roman. lib. 2. Const. Apostol. cap. 61. Nicolaus PP. 1. ad consult. Bulgar. cap. vltim. Chrysostomus, & Theophyl. ibi Ambros. lib. 1. & lib. 4. in capit. 4. Lucæ, Gregor. Magn. libr. 2. Moral. cap. 29. vtraque glossa, & Nicolaus de Lyra) dum ambigitur, quâ ratione *sancta, immaculata, & absque nævo* inter tot sæculi discrimina, & sortes dici possit? Optimè ab interpretibus respondetur: ideò sanctã dici, quod multos contineat iustos, qui gratiæ cœlestis pulchritudine conspicui mirificè illam ornant, atquè illustrant. Addit Cornelius. *Tota ergo Ecclesia dicitur sancta, quia caput Ecclesiæ, scilicet Christus, & præcipua eius membra sancta sunt*, subiicit imaginem: *Sicut ergo totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, scilicet per caput, quia non pes aut manus, sed solum caput proprièratiocinatur, videt, audit: ita*

Cant. 4. vers. 7.

Ephes. 5 vers. 27.

Lect. Syriaca.

Cle. Roman. Nicola. PP. Theophi. Amb. Greg. Magn. Glossa.

Eccle-

Ecclesia tota dicitur sancta per suũ caput, & collum, propter Christum scilicet, & Beatissimam Virginem (vt ego interpretor) quæ ipsius collum in canticis sæpius esse perhibetur: in quibus nulla omninò macula, nullus omninò næuus, siue actualis, siue originalis labis vnquam fuit: vt videris quantum absit, vt MARIA in muliere, quæ tota fluebat sanguine contineatur, cum potius a MARIÆ immunitatè, & ab omnis peccati vulneris sanitate eadem mulier, siue Ecclesia *tota pulchra, & sine næuo, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi merito possit dici*: Ergo Deus qui Chrysologo loqui dabat in MARIÆ immunitatem Pauli Verba, à quibus ipse illam, & ab illa totam Ecclesiam immaculatam, & absque næuo pronunciaret; cum illum potius ad præfatam mulieris sanguine profluentis imaginem inclinantem vidit merito, *tacere fecit, & imperauit silentium*.

V Nec tamen ideò crediderim Chrysologum in ea fuisse sententia, quæ MARIÆ immunitati non fauet; sed ea signatè de caussa vocem ipsi ademptam, quod confusè, & indistinctè de communi labe totam Ecclesiam cõmaculante fuerit locutus, eiusque verba, etsi præter loquentis intentionem, in eum sensum ire viderentur: quasi MARIÆ fuerit opus ad Christum accedere, vt sanitatem de accepto peccati vulnere referret; cum potius Dei verbo ab ipsa carnem accepturo maximæ curæ fuerit ante languorem illi adhibere medicinã, nè vnquam peccati morbo foret obnoxia, vti à nobis alibi adductus Bernardus homil. 2. *in Missus est*, opportunè dicebat: *Vellus quod vtique de carne tonsum est, & sine vulnere carnis*. Nimirum in Dei rebus nihil omitti; nihil obscurè, aut indistinctè enunciari debet; sed palam, distinctè, enucleatè, & ingenti ore loquendum est: vel quid Moysi, quod ea, quæ ad Dei honorem spectabant intra labia mussitauerit, olim euenerit? audi apud Regium Vatem Psalm. 105. versicul. 32. & 33. dicentem: *Et vexatus est Moyses propter eos. Quia exacerbauerunt spiritum eius, & distinxit in labiis suis*: Quibus verbis affirmat Dauid, afflictum à Deo Moysem fuisse, & culpæ populi, non nihil participem, pœnam quoque sensisse: quod petræ ex Dei præscripto locuturus ex quadam hæsitatione, & dubitatione, amphibologia vsus fuerit, indistinctèque verba protulerit, quippè ea verba: *Distinxit in labiis suis*, Campensis trãstulit: *Vacillauit non nihil labiis suis*. Genebrardus verò: *Locutus est inconsiderate, & ambiguo sermone*. Caietanus similiter. *Locutus est in labiis suis*. idest: *intra labia ipsa, nec satis clarè*: Quæ omnia debita seueritate videtur pensitasse Flaminius transferens *perperam locutus est*: quasi is in Dei rebus perperam loquatur, qui non satis clarè distinctè, & enucleatè totam rem explanat; atque exhaurit. Vt ex his videris, iure ademptam Chrysologo vocem, quòd in explicanda peccati originalis maculâ, Deiparam emaculare; hoc est immunem omnis culpæ ipsam facere, clare, & distinctè non fuerit locutus.

Bernar. *Psa. 105 v. 32. & 33.* *Campẽ.* *Genebr.* *Caietan.* *Flamin.*

VI Ergo siue nostra tempora, siue Chrysologi ætatem inspexeris: itidemquè siue ad ipsummet Deum, siue ad Dei Vicarium, qui eius personam gerit; & eius vox est, aciem intenderis; videris, firmum Dei cõsilium, & manifestum decretum fuisse Doctoribus opinionis minus piæ silentium indicere, vt illis Dei filius, non secus ac Discipulis Magdalenæ bonum vnguenti odorem spargenti infensis dicere

videatur. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me?* Matthęi 26. verficul. 10. Vbi non potsis, non in hanc rem premere illa verba Salomonis: *Hominis est animam præparare, & Domini est gubernare linguam.* Prouerbior. 16. verficul. 1. & hæc Iacobi 3. verficul. 8. *Linguam nullus hominum domare potest*, quæ Augustinus sermon .4. *de Verbis Domini*, secundum Matthæum, & Petrus Damianus præclarè eluci darunt, dum hic lib. 2. epistol. 18. ad Cardinalem dixit: *Omnis natura bestiarum, & volucrum domabilis est: linguam autem nullus hominum domare potest: Nullius quippe fræna Doctoris coercere valent linguam se cohibere nolentis:* Augustinus hunc vero in modum ait: *Ergo intelligamus charissimi: quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Tu enim cum volueris, domare non potes, quia homo es. Linguam enim nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat: Camellus non se domat: Elephas non se domat: Leo non se domat: sic & homo non se domat. Quemadmodum ergo, vt dometur equus, Bos, Camellus, Elephas, Leo, requiritur homo; sic Deus quæratur, vt dometur homo.* Hæc Augustinus opportunè. Nimirum quos *non anni domuere* plusquam ducenti acris, & pugnacis concertationis, *non millæ carinæ*, vt saltem in concionibus, & lectionibus immunitati Diuinæ huius mulieris molesti non essent; Deus ipse tandem perdomuit; & silentij frænum palam iniecit; nec non modo in concionibus, lectionibus, & conclusionibus: *Sed nec etiam in sermonibus, & colloquiis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali:* vt vera x omnino inueniatur Augustinus monens: *Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram*: vt de iis Doctoribus quibus indictum est silentium illudmet, non immerito dici possit, quod de se dixit Isaias capit. 6. verficul. 7. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua*: in quæ verba Ambrosius lib. 1. *de Spiritu Sancto*, capit. 19. cum dixisset: *Abstulit, & circumpurgauit*: subiicit sub personâ Seraphini. *Non ego abstuli, sed ignis ille de altari Dei, hoc est gratia Spiritus Sancti.* Quæ verba in eum sensum inflecti mus, vt non homo, sed ignis de altari Dei linguam Doctorum minus piæ opinionis domuerit, siue purgauerit.

Matth. vers. 10. — Prou. 16 vers. 1. — Iacob. 3. vers. 8. — Pet. Damian. — Augus. — A — B — C — D — E — Isai. 6. v. 7. — Amb.

VII

Iam verò ex hâc silentij censurâ, quam ingens excellentiæ discrimen inter vtramque opinionem intersit; dum opinio pia MARIAM immaculatè conceptam palam, liberè, apertâ fronte, & ingenti ore profitetur: contra verò opinio minus pia muta, & elinguis intra silentij claustra concluſa iacet, etiam is qui oculos non habet, facile viderit. Nempè vt illa *tanquam lux splendens procedit, & creſcit vsque in perfectum Diem*, Prouerbiorum 4. verficul. 18. ita hæc ad instar lunæ omninò se habet, quæ assiduè decrescit in lumine: *luminare* (inquit Sapiens) *quod minuitur in cõsummatione*, atque id circo vt opinio pia cum die, & luce meridiana; ita contraria, cum nocte obscurâ, & illuni, iam componi debeat. Porro in sacris, & apud prophanos, & silentium ad noctem refertur, & nox tacens appellatur: ita quidem Osee 4. verficul. 3. vbi vulgatus Deum dicentem facit. *Nocte tacere feci matrem tuam.* LXX. reponunt. *No*

Prouer. 4. v. 18. — Eccl. 43. vers. 1. — Lect. Tigur. — Osee 4. v. 5. — LXX.

cti

Nocti assimilari matrem tuam. Et quidē opportune, quia noctis propriū est silentium, & silere: sic dissertissimus Poeta Æneid. 2. dixit: *Per amica silentia lunæ*; & lib. 4. cum dixisset: *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem, &c. Cum tacet omnis ager pecudes pictæque volucres:* subiicit: *Omnia posita sub nocte silente*: vt hinc cum Dei ore Pontificem de opinione minus pia dicentem audis. *Nocte tacere feci matrem tuam*: perinde dictum putes. *Nocti assimilaui matrem tuam:* Quod si ante hoc Pontificium diploma venerabilis P. Petrus Canisius omnium sapientium calculo probatus de vtraque opinione sic locutus est, lib. 1. *de Maria Deipara*, cap. 7. *Quamuis Pontificis auctoritate* (de Sixto IV. loquitur) *liberum relinquatur, hanc illamve sequi opinionem: tamen prior sententia, velut pia magis, & probabilior, vt dictum est, palmam obtinuit passim: nec solum in Romanâ Ecclesiâ, sed in aliis etiam dissitis nationibus mirabili populorum consensu corroboratur; huc omnium animis maximè propendentibus, vt sanctam sanctæ Virginis Cōceptionem, tam libenter, quam reuerenter admittant, seduloque complectantur. Qui vero secus modo sentiunt, eorum sanè rarus est numerus: hique pudore impediti, quod in animo gerunt, & secum ipsi taciti loquuntur, ac sentiunt, palam efferre, ac pronunciare, non satis tutum arbitrantur: iam si id facere quidam audeāt, haud sine publica contradictione, vulgique offensione audiuntur: vsque adeò, & inuisa, & debilitata, & explosa, & quodammodo eiecta est nunc opinio aduersariorum. & contraria sententia cūctorum fere mentes ocupat:* Itidemque eximius ille vitæ sanctitate, & doctrina insignis Magister Frater Vincentius Iustinianus Antist. piæ opinionis fidus assecla in additionibus ad historiam B. Ludouici Beltrani cap. 3. §. 14. verissime dixit. *Talis est opinio non pia, vt hodie vix inueniatur, qui ipsam tueatur, nisi clanculum. Iam illi desunt Cathedræ, iā suggesta, iam loci confessionibus destinati, iam librorum impressiones: iam Regum sceptra, ac diademata, iā Antistitū infulæ, & purpurei galeri, Summorum Pontificum tiaræ, immò & concilia: cum Sacrosanctum, & Oecumenicum Concilium Tridentinum singillatim fuerit protestatum, suæ intentionis non fuisse, in Decreto de peccato originali Deiparam comprehendere, quod hactenus non præstiterat nullum generale Concilium*: Si hæc (inquam) ab his sapiētissimis PP. Verissimè, & omnium plausu, & gratulatione, tunc dicta fuere; modo iam cum opinionis minus piæ DD. non modo pudore impediti, sed à summo Christi Vicario silentij fræno coertici sunt; quo modo non ipsorum opinionem nocti assimilaueris? Nec non Lunæ *luminare quod minuitur in cōsummatione*; siue vt transfert lectio Tigurina: *luce decrescente donec deficiat?* Vt iā omninò obscura, & quasi in tenebris esse videatur.

P. Canis.

P. Vinc. Iustian.

VIII

Quod si huius silētij vim omninò penetrare, & iusta similitudine, quā sit vocale exprimere volueris; opinionē minus piā moribūdā, & iāia animā exhalantē esse dixeris: quippè cui vox adēpta est; cū de homine iāiā morituro, vt extremū vitæ ipsius discrimē explicemus, frequēter dicamus: vocē iāa misit, iā non loquitur, vt scitè, & opportune ab Aloysio Nouarino optimæ notę auctore obseruatū est in aureà sua *vmbra virginea excur.* 17. *n.* 202. his verbis: *Sed iā ad ea tēpora deuenimus in quibus nō ita cōmunis est opinio, quæ originale peccatū in Virgine agnoscit, cui silētiū indictū à Summo Pontifice, vt iam iam morituram conici possit*, subdit (ocasione cuius-

Nourius

dam concionatoris, qui cum contrà immaculatam Virginis Conceptionem loqui cœpisset, nondum finito sermone cecidit, & expirauit) *suis quoque sectatoribus mortis occasio fuit: contra ad vitam alia opinio est, cui vox adempta non est, nunquam interibit, semper magis magisque in omnium mentibus viuiscet: vitâ quoque suis sectatoribus tribuit.* Cui sanè obseruationi ipsemet sacræ litteræ adstipulantur. Etenim præfato loco Oseæ 4. vers. 5. *Nocte tacere feci matrem tuam*, in Hebræo est: *Succidam matrem tuam.* Et versicul. sequenti vbi habetur: *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam*: itidem in Hebræo est *succisus est populus meus*, similiter Hierem. 47. versic. *Conticuit populus meus*, vbi lectio Tigurina ex Hebræo reponit: *Ad silentium redactus est populus meus*, Vatablus effert: *Perdetur Populus meus*, & Isaiæ 15. versicul. 1. *Moab conticuit, quia nocte vastatus est murus. Moab cõticuit.* Pro quibus Vatablus reponit: *Nocte quâdam destruetur Moab, & euertetur: dico inquam quod nocte vastabitur, & scindetur*, & Ierem. 25. versic. 37. *Conticuerunt aruapacis* Hebraicè *perierunt*, & cap. 49. versic. 28. *Omnes viri prælij conticescent*: vbi in Hebræo est: *peribunt*: Quibus adde Hebræam linguam, quæ res, siue essentias suis nominibus vocat, & exprimit, silentium & sepulchrum vnâ eademque voce *duma* significare: ex quibus haud obscure vides opinionem minus piam redactam fuisse ad silẽtium, perinde haberi, atquè excisam, & perditam esse; quippe vastatus est murus eius: nempe vox, cui ipsa maximè fidebat: (de quo postea redibit sermo) e proinde cum mortuis ferme computandam: atque ipsi opportunè apranda fore verba illa Vatis: *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem, & sileamus ibi, quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*, Ierem. 8. vers. 14. vbi priora verba *sileamus ibi* Pagninus, & Vatablus, & alij transferunt: *moriamur, & pereamus*. addit Cornelius esse catechresim *mortui enim silent*: posteriora vero *Deus silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*, ex Hebræo propriè legens *dedit nobis venenum læthale*: Vndè ipse Cornelius explicat: *Deduxit nos Dominus in angores, & pericula mortis*, quæ opinioni minus piæ aptè acommodaueris, quod silentio addicta, & exulare coacta ab scholis, cõcionibus, scriptis, & ipsismet priuatis colloquiis, & in insulam mentalem facta interdictione locorum omnium, siue publica illa, siue priuata sint, relegata; perinde ac mortua, siue morti addicta censeri debeat.

A quo non abit id, quod Paulus dixit ad Hebræos 8. 13. *Quod antiquatur, & senescit prope interitum est*; cum de opinione minus piâ Baptista Mantuanus lib. 1. Parthenices Canisio maximè probatus citato loco sic eleganter cecinit.

Olim
Ista hominum communis erat sententia: verum
Iam senio exsangui frigens sua robora sensim
Perdit, & amissa iã maiestate recedit
Sponte suâ: ceditque nouo Latonia Phœbo.

Quid enim senio exsangui frigens sua robora sensim perdens acommodatius dixerit, quam illud Iob 17. versic. 1. *Spiritus meus attenuabitur: dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.*

Oseæ 4. v. 5.
Lect. Hebr.
Iere. 47. vers. 6.
Lect. Hebr.
Isai. 15. vers. 1.
Vatabl.
Iere. 25. vers. 37.
Lect. Hebr.
Iere. 49. vers. 28.
Lect. Hebr.
Ierem. 8 vers. 14. Pagnin. Vatabl.
Lect. Hebr.
Mãtuanus Can.
Iob 17. vers. 1.

Ideò opinionis minus piæ Doctoribus silentium indictum fuisse, quod de MARIÆ immunitate, aut reuerenter loquendum, aut tacendum sit.

ADNOTATIO II.

I Chrysol. ILLVD pulcherrimè à Chrysostomo monitum videris homil.4.*de verbis Isaiæ* a recto linguæ vsu hominis dignitatem fore pensitandam, quod hæc nos signatè discriminet à grege mutorum: *Maximè verò beatus est* (ait ille) *vir amans sermonum spiritualium: hoc nos distinguit à brutis. Non enim nos ab illis separat corporis ratio, neque quod alimur, aut bibimus, neq; quod pascimus, aut viuimus: hæc enim nobis omnia cũ brutis sunt communia. Sed qua re distinguitur à brutis homo? Sermone: & ob id animal dicitur logicõ, hoc est sermonis particeps: vt enim aluntur corpora, sic aluntur & animæ, & corpus pane, & anima sermone; proinde si videas hominem vescentem lapide, num illum dixeris esse hominem? Itidem si quem videris, qui non alatur sermone, sed sermonis, ac rationis inopiâ, nimirum hic, & hominis naturam amisit, siquidem vita declarat hominis nobilitatẽ.* Hæc Chrysostomus. Et quidem rectè cũ Dei imago homini indita in recto linguæ vsu peculiariter eluceat. Etenim cum præmisisset Dominus: *Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram*, Genes.1.versicul.26. post modum inquit Moyses: *Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Genes.2.vers.7. vbi Chaldæus notanter reposuit. *Et factus est homo in spiritum loquentem:* Sanè vt spiraculum vitæ à Deo homini communicatum in spiritum loquentem euaserit, & in hominis linguâ Deum laudante, recteque loquente maximè eniteat; siquidem lingua declarat hominis nobilitatem, vt dicebat Chrysostomus; cui vel ipsemet Gentilis Plutarchus *in lib. de Iside, & Osiride*, arcana AEgyptiorũ reserans hunc in modum adstipulatur. *Plantarum AEgyptij præcipuè Deo sacram Persicam esse referunt, quod fructus eius cor, linguam folium æmuletur: nihil enim habere homo potest sermone præsertim de rebus diuinis diuinius, neque adminiculum ad felicitatem maius habet.* Vndè statim sacra AEgyptia penetrans subiicit. *Proinde in penetrale hoc descendenti denuntio: piè vt sentiat: honestè vt loquatur.* Sic Plutarchus: cui quidem obseruationi omninò consonat illa sponsæ laus: *Emissiones tuæ paradisus malorũ punicorum*, Cant.4. versic.13. si ea verba cum Gregorio Nysseno homil. 9. in Cant. ex Hebræo sic legeris: *Emissiones ex ore tuo paradisus malorum punicorum*, & ab ipso ita explicata acceperis. *Sermo tuus, qui per os tuum emittitur, est paradisus malorum punicorum.* Ita Nyssenus. Planè quasi sermo purus, & rectus illum spiritum loquentem, siue spiraculum Dei, & vitam illam diuinã, quam in paradiso innocens homo agebat, manifestè indicet.

Genes.1. vers.26. — Genes.2 vers.7. Chald. — Plutarc. — Cant.4. vers.13. — Lect. Hebr. Nyssen.

II Quò pulchrè facit Dauid linguã solitus appellare gloriam, & vtranque vocem sub eâdem significatione indiscriminatim vsurpans, ita Psal.15.vers.9. ait: *Propter hoc lætatum est cor meum: & exultauit lin-*

Psal.15. vers.9.

gua

Hieron. gua mea, vbi Hieronym. legit. *Exultauit gloria mea:* è contrario verò Psal. 29. 13. gloriam pro lingua ponens apud vulgatam: *Vt cantet tibi gloria mea*, vbi haud dubium, quin de lingua sermo sit, vt Agellius, & Lorinus adnotarunt: ad quê modum Psal. 56. vers. 10. linguam ad laudandum Deum excitans dixit: *exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cythara:* Et quidem Hebræam vocem, quam his in locis vsurpat Dauid Sanctes Pagninus in Thesauro linguæ Sanctæ significare affirmat *gloriam, linguam, & instrumentum musicum, quo Deus glorificatur*: vt hinc omninò appareat, quis à Deo institutus linguæ vsus fuerit? Nempè vt ab eâ Deus gloriam accipiat; ita quidem gloriam ad linguam retulit ibi Agellius inquiens: *Quasi hoc munus illius* (linguæ) *proprium sit Deum glorificare*: Quòd cytharæ imago, quasi lingua instrumentum sit gloriæ diuinæ celebrandæ destinatum, vti opportunè dixit Nazianz. in Apologetico: *Linguam fieri plectrum diuinæ melodiæ excitatum à gloria*: quod sanè non latuit Libanium Sophistam, qui eodem sensu Elpidio scripsit: *Neque enim Orphæi cytharam tibi exquirendam putes: lingua cytharæ loco tibi est:* In quâ quidem imagine conspicuè appareat, quam modulatus, & ad Dei legem, & normam compositus debeat esse sermo: sapienter id adnotãte Gilleberto sermon. 18. in *Cantica* vbi cum allusione ad ea, quæ modo diximus de sponsa: *Sermo tuus, qui per os tuum emittitur, est paradisus, &c.* Christi sponsam sic monet: *Nullus in hoc paradiso serpentis sibilus sonet, virgineum os virulenta verba non decent, &c. Memento os tuum cœlestibus oraculis consecratum, sacrilegium puta, si quid non dulce, non diuinum sonet.* Hæc ille. Apud quem linguam velut cytharam concinne, modulate, & dulciter sonantem audis: quidem Ambrosius fratrem suum Satyrum ab integritate verborum sic cõmendabat: *Mundus corpore, purior corde, non minus adulterini sermonis opprobrium, quam corporis pectorescens, non minus ratus pudicitiæ reuerentiam exhibendam integritate verborum, quam corporis castitate.* Sic Ambrosius.

Psal. 29 vers. 13. *Agelli. Lorinus Psal. 56 vers. 10.* *Agelli. Muis.* *Liban.* *Gilleb.* *Ambr.*

Sed enim id hoc in loco maximè obserua, bonum linguæ vsum, ac proinde diuinam imaginem, nõ tantum in verbis, sed etiam in silẽtio, & tacitunitate censeri: nimirũ vbi nos habemus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: ex Hebræa voce *Damath* propriè legeris: *Faciamus hominem imaginem* (siue *ad imaginem*) *silentem*: vt ad eandem diuinam imaginem spectet, & eiusdem diuinæ similitudinis sit, & loqui, & tacere: opportuna videlicet verba facere, (vt dicebat Plutarchus, *pie vt sentiat, honestè vt loquatur*) & à sermonibus importunis, & rationi non consentaneis abstinere. Sub quo sensu Dei spiraculum, siue Dei verbũ videtur accepisse Ambrosius lib. 5. *in Lucã*, cum illud cum claue, quæ ostium & claudit, & aperit, ita composuit. *Ostendit tibi clauem scientiæ, quâ os aperias tuum dicens Propheta*, aperi os tuum verbo Dei. *Verbũ Dei clauis oris tui est*: ita ibi: & eodem sensu lib. 9. in Lucam. *Sermo habena est sermo stimulus est*: vt noverit homo & *premere, & laxas sciret dare iustus habenas*: nempè tempore, & loco piè, & honestè loquens: itidemque pro rei opportunitate tacens: cum prouerbium, siue oraculum sit: *Etiam reportes gloriam è silentio*, dixeritque S. Diadochus lib. *de perfectione spirituali*, cap. 70. *Silentiũ præclara res est*, immò verò sermone præstantius, vt inquit Plutarch. lib. *de educatione liberorum*, his verbis. *Silentium tempestiuum magna*

Hebr. lec. *Ambr.* *Plutar.*

III

sapien-

ſapientia eſt, & omni ſermone præſtantius: vt hac ratione merito monuerit Ambroſius lib. 1. *Officiorum*, cap. 4. *Nè properes pericula ſuſcipere condemnationis, cum tacendo poſſis eſſe tutior. Nam tacere noſſe, quã loqui difficilius eſt: & ſapiens eſt, qui tacere nouit.* Hæc Ambroſius, quæ breuiter, & eleganter videtur præſtrinxiſſe Plinius inquiens: *Sermoni parcere multis de cauſsis ſalutare eſt.*

Amb. Plinius.

IV *Nazian.*

Quo planè iuerit eadem citharæ, ſiue pſalterij ſimilitudo: etenim cum in ipſa manus Dei pulſantis omninò ſignificatur, ſimul innuitur linguam a Dei ſpiritu gubernatam & dicenda, & tacẽda callere, quod Dei Spiritus, & ſilentium pro re natà operetur: vt adductis Pſaltis verbis: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*, Pſal. 118. verſ. 131. præclare oſtendit Gregorius Nazianzenus: quippè orationem *ad Patrem cum ei curam Eccleſiæ Nazianzenæ commiſiſſet*, ſic exorſus. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, ac mea omnia, meque adeò ipſum Spiritui dono offero: actionem, ac ſermonẽ, quietem ac ſilentium tantum complexu teneat, atque & manum, & mentem, & linguam ad ea, quæ honeſta ſunt ipſique grata ducat, ac moueat, rurſuſque ab iis abducat, à quibus abſtinere præſtat*: ſubinde plectri imaginem hùc referens ita illuſtrat. *Organum diuinum ipſe ſum: inſtrumentum ratione præditum: inſtrumentũ quod à præclaro artifice, hoc eſt à Spiritu Sancto concinnatur, atque pulſatur. Heri ſilentium operabatur, ſilentio acquieſcebam. Hodie mentem pulſat, ſermonis ſonum edam, ac loqui ſtudebo. Nec verò aut tantâ ſum loquacitate, vt verba facere cupiam, cum Spiritus in me ſilentium efficit: aut tam ſupinâ taciturnitate, & inſcitiâ, vt cum loqui commodum eſt, labiis meis cuſtodiam ponã, ſed ad ſummæ illius mentis, & Verbi, & Spiritus Sancti, vnius, eiuſdemque naturæ, ac Diuinitatis arbitrium, vel ianuam meam claudo, vel aperio.* Hactenus Nazianzenus ſatis eleganter, & ad rem: vt in ſe ipſe exprimeret cœleſtis ſponſi labia cum vittâ compoſita, Cãt. 4. verſ. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuũ dulce*: Nimirum vt vitta fluentes capillos conſtringit; ſic labia ſapientis ratione, & iudicio ſpiritus ſunt conſtricta, vt iuxta Salomonis legẽ *tempus tacendi, & tempus loquendi*, Eccleſ. 3. verſ. 7. dicenda, tacendaque calleant: Vnde alter Gregorius Magnus 3. part. *Paſtoralis*, admonitio. 15. monet. *Diſcrete viciſſitudinum penſanda ſunt tempora, nè aut cum reſtringi lingua debet per verba inutiliter defluat, aut cum loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigre reſtringat.* Sic Gregorius. Sed quod Nazianzenus dixit ſe ad Diuinitatis arbitrium, vel ianuam oris claudere, vel aperire per opportunum eſt, cum (vt ad præfata verba Eccleſiaſtes obſeruauit Ioannes Ferus) fieri poſsit: vt nos prudentiæ noſtræ innixi non omninò exactè tempora tacendi, & loquendi ſeruemus, & interdum loquamur; vbi maxime expediret ſilentium: interdum taceamus, vbi expediret loqui: ac proinde committenda omninò ſit noſtri oris ianua Diuinæ prouidentiæ claui, vt ab illa opportunum, & vtile ſilentium ſit: ſapiens quoque ac ſalutaris ſermo profluat monente Salomone Prouerb. 16. verſic. 1. *Hominis eſt animã præparare, & Domini gubernare linguam.*

Pſ. 118. verſ. 131.

Canti. 4. verſ. 3.

Eccleſ. 3 verſ. 7.

Gregor. Magn.

Ioanes Ferus.

Prouer. verſ. 1.

V

Iamvero (vt ad rem noſtram deueniamus) hæc, quæ generaliter dicta, veriſsima ſunt ad Dei myſteria translata: peropportunè vera eſſe videntur, vt lingua quæ de Diuinis rebus agit, cythara ſit in qua fides nulla diſcordet: ſummaque illi lex ſit Gilleberti monitum: *Memento*

Gilleb.

os tuum cœlestibus oraculis consecratum: sacrilegium puta, si quid nõ dulce, non diuinum sonet: eâque omninò de caussâ, non tantum summâ pietate; sed ingenti sapientiâ, & mirâ eruditione silentium ab Apostolica Sede opinioni minus piæ fuisse præscriptum. Nimirum, vel apud ipsosmet Æthnicos in rebus diuinis, quę publicè fiebant, præcone clamante imperabatur: *Fauete linguis*, vt a M. Tullio lib. 1. *de Diuinatione*, & Plinio lib. 28. *natural. histor. cap.* 11. Horatio lib. 3. *carmin.* Ode. 1. Virgili lib. 5. Æneid. & imbi Donato, & Seruio memorię proditũ est. Quę autem fuerit horum verborum vis, ac potestas, à nemine melius, quam à Senecà nouimus, qui libr. *de vitâ beatâ*, cap. 26. perinde dictum affirmat *fauete linguis*, ac bona omnia habete, aut tacete: Audi illum, qui cum monuisset: *Et ipsam, & deos professores eius, & antistites colite: & quando mentio sacrarum litterarum interuenerit: Fauete linguis*, subiicit. *Hoc verbum, non vt plerique existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt ritè peragi possit sacrũ nullâ malâ voce obstrepente*: Hæc ille. Quæ magis enucleatè explicauit citato loco Plinius inquiens. *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos Magistratus, & nè quid verborum prætereatur, aut præposterè dicatur, de scripto præire aliquem, rursumque alium custodem dari qui attendat: alium verò præponi, qui fauere linguis iubeat*: Ita Plinius, vt cum Seneca conturans velit, tùm precãtibus aliquem de scripto conceptis verbis obsecrantem præire, tùm alium itidem adstare, qui fauere linguis iuberet hoc est, vt aut præeuntis verbis concinerent, aut omnino tacerent: Quod videtur adnotasse Leuinus Torrentius ad prædictum Horatij locum his verbis: *Duplex igitur cautio erat: & vt silentium fieret, & nè quid innominatum, aut alienum exaudiretur*. Quæ sanè omnia Pontificio edicto silentium Auctoribus minus piæ opinionis imponenti facile quivis accommodauerit.

M. Tullius. Plinius. Horat. Virg. Donat. Seruius. *Seneca.*

Colit quippè summâ celebritate Ecclesia Romana, quæ (vt eam vocat Concil. Tridentinum Sess. 7. can. 3.) *Omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra* Sanctissimæ Virginis Conceptionem tanquam sanctã, puram, & illibatam: *Bonum factum* existimans, & sibi, & cunctis egregium, si Dei Mater, vt tota pulchra, & vndequaque sine macula eximio cultu, & veneratione, & quibuscumque honorũ titulis, quos humana pietas, & sapientia excogitare valet; ab omnibus fidelium populis celebretur: Quod planè, vt immotum vndique subsistat: *Fauere linguis* omninò præscribit, nè quid ab illa *innominatum, aut alienum exaudiatur*, siue nè *quid non dulce, non diuinum sonet*. Ergo cœlesti de industria sancta Mater Ecclesia de scripto præit sanctam Cõceptionem Deiparæ in eius festo hisce certis precationibus: *sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionẽ* inclamans, & vocem sanctificationis eo in die seriò ablegãs, & à fidelium ore magno nisu remouẽs: simul præscribẽs opinionis minus pię Doctoribus: *Bona omnia habete, aut tacete, vt ritè peragi possit sacrum, nullâ malâ voce obstrepente*: perinde enim est iubere, *omnibus & singulis, nè de cætero, neque in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit conceptacum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiuâ aliquo modo agere seu tractare*: ac vt voce Conceptionis tam in Missarum solemniis, quam officij Diuini recitatione immotè retenta, à voce sanctificationis, quæ ei intensa est omninò abstinerent: eodem Põ-

VI

tifice

tifice Summo Gregorio, ita præscribente: *Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tã sæcularibus, quã cuiusuis ordinis, & instituti regularibus mãdat, ac præcipit, vt in sacro sãcto sacrificio Missæ, & diuino officio celebraturi, tã publicè, quàm priuatè non alio, quam Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris*: Vides vt in illibatâ Mariæ Conceptione celebrandâ de scripto Põtifex præeat, nè *quid verborũ prætereatur, aut præposterè dicatur*: simulque fauere linguis iubeat, opinionis contrariæ auctoribus præcipiens: *Bono omnia habere, aut tacere.*

VII O edictum, cui non potest non adscribi: *Bonum factum*, itidemque (quod in formulis obseruabatur) *Quod felix faustum sit.* Quid enim melius? Quid vniuersis fidelibus iucundius? Quam Mariæ Conceptionem in vniuersa Ecclesia toto orbe diffusa sanctam, puram, & illibatâ haberi; & rite peragi sacrum eius festum *nullâ* contraria *voce obstrepẽte.* Quid Deo ipsi gratius, quam eius speculum nitidum, & perlucidũ semper esse; quin eius nitor aliquo noxio vapore hebetetur, aut inficiatur. Nonne Deipara apud Salomonem Dei speculum esse dicitur? Sapientiæ 7. vers. 26. *Cãdor est enim virtutis Dei, & speculum sine macula Dei maiestatis.* Certè ab hominũ dentibus aduersus specula nudatos ipsa infici, & hebetari ex Plinio discimus lib. 11. naturalis historiæ cap. 37. dicente: *Hominis dentibus quoddam inest virus: namque speculi nitorem ex aduerso nudati hebetãt*: Quæ sub eo sensu huic instituto aptaueris, vt dentatæ voces Mariæ immunitati infensæ, etsi reapse perlucidũ eius nitorem non obscurent: attamen illum in hominum opinione, & sensu hebetare videantur: ita vt fidelium pietati sæpè sæpius scandalo, & offensioni esse soleant: vt ipsi met Pontifices silentium indicentes affirmant. Vrbanissimum ergo iustissimũ, & Deo gratissimũ id edictũ cẽseri debet, quod Dei speculũ à noxia humanorum dẽtũ exhalatione immaculatũ asserit, præcipiẽs *omnibus & singulis, nè de cætero, neque in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit, cum peccato originali concepta.* Porro si humanæ linguæ munus est Deum glorificare, nec Orphæi cythara exquirẽda fuerit ei, qui cytharæ loco linguam habet: quo pacto ipsa dulci melodię cantu Deum glorificauerit, cum ipsius speculum maculæ obnoxiũ reddiderit? Repeto, quod sæpius attuli ex Bonauẽtura *in Speculo B. Virginis*, cap. 6. *Gloriosum Mariæ priuilegium est, quod quidquid post Deũ pulchrius, quidquid dulcius, quid quid iucundius in gloria est, hoc Mariæ, hoc in Mariâ, hoc per Mariam est*: En præclarũ linguæ vsum in sermonibus, qui de Deipara sunt, quin Orphæo cytharam invideas, nec Speculi Mariani nitorem hebetes. *Bonau.*

VIII Eleganter quidem meditatur Ambrosius lib. 5. Hexameron cap. 2. cunctos maris pisces terrestrium animantium nomen gestantes innoxios, & salutares exceptis marinis canibus esse: Etenim cũ plures hũc in modum recensuisset. *Numera, si potes, omnia piscium genera, vel minutorũ, vel etiã maximorum, sepias, polypos, lithrostracos, carabos, caneros, & in his innumerabilia sui generis. Quid dicam genera serpentium, dracones, murænas, anguillas? Nec prætermittam scorpios, ranas, testudines, mustellas quoque, & canes marinos, vitulos marinos, cete immania delphinos, focas, leones*, subiicit post pauca. *Adde hanc gratiam, quod ea, quæ timemus in terris, amamus in a-* *Ambr.*

Sap. 7. vers. 26.

Plinic.

quis. Etenim noxia in terris in aquâ innoxia sunt, atque ipsi angues, sine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Muræna, quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosior est. Rana horrens in paludibus decora in aquis, omnibus ferè præstat alimentis, &c. Canes sanè, & in mari caue. Hæc Ambrosius, quæ facilè in eum sensum inflexeris, quasi omnia superna, quam humana Mariæ immunitatem concelebrent, & laudibus prosequantur: exceptis Doctoribus opinionis minus piæ; dum Deus Optim. Max. qui in primos parentes, tanquam leo terribilis irrugiit, propter transgressionem ipsos morti addicens; in mari Mariano dulcis, & suauis redditus; ipsam à communi labe immunem præseruauit, pulcherrimis illis additis laudibus: *Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias*: & *Tota pulchra es amica mea*: & *macula non est in te.* Sed & serpens ille, qui in terra venenatus exitit, & in humanũ genus dirum mortis venenum expuit; in Mariæ Conceptione marinus factus eius pedibus calcandũ, & proterendũ se subiecit: Ecclesiæ vero PP. & Scriptores de peccato originali differentes, vtvt in omnes omnino homines rigidos, ac seueros se exhibeant, cum de Maria tamen sermo est, eam certatim cuncti à communi noxa eximunt: immò vero sacrum Concilium Tridentinum, cum mortale genus peccato originali subiecit, signatè expressit suæ intentionis non esse, Deiparam communi lege comprehensam iri, accurata oratione ipsam immaculatam appellans. Sed præterea huc eã cogitationem aduocamus, vt ea propter à Romano Pontifice silentium Doctoribus contrariæ opinionis indictum sit; vt omnium in Ecclesia Doctorum sermo ad Mariæ laudationem referatur; & qui contra senserint de eius immunitate elingues sint sub silentij censura, quemadmodum piscium natura fert: nè eximiam, quam aliis in rebus, & doctrinis assecuti sunt gratiam, & venustatem, in Mariæ Conceptione tractanda, & edisserenda amittant: De quo iam in seqq. agimus.

Ea signatè de caussa silentium opinioni minus piæ impositum fuisse, vt ab eo tandem vox omninò pia, & opportuna pro MARIÆ immunitate nascatur.

ADNOTATIO III.

SED iam in fauorem Doctorum minus piæ opinionis stylum conuertentes; impositũ à Dei Vicario ipsis silentiũ cum silentio Zachariæ, quod mysterij plenum est, placet componere: quemadmodum cum ipso suum itidem de Mariæ immunitate silentiũ componebat Chrysologus in priori adnotatione adductus inquiens. *Videtis ergo, quia silentium meum, quod antea contristauit vos, venit de antiquo Pontificali vsu, non de nouitatis incursu, &c. Denique Zacharias ipse, quod tacet, non est pœna, sed signum: nec est terrena debilitas, sed cœleste secretum: Deus qui loqui dat, tacere facit, & imperat silentiũ, qui inserit verbum.* Neque ideò quidem hoc silentium ad leuem aliquã culpam referimus, vt quemadmodum Zacharias veniali culpæ obnoxius fuisse dicitur: *quod Angelo tam aperte sese ostendenti* (ita P. Ioan. Maldonat. in cap. 1. Lucæ num. 75.) &

I

Chrysol.

Lucæ 1. vers. 18. Mald.

tifice

tot signa præferenti legationis suæ, non facile crediderit; ita & hi Auctores ab aliquâ leui noxâ non sint immunes, quod piæ opinioni tòt signa præ se ferenti veritatis suæ (vt merito cum columba ramum virentis oliuæ ore præferente cõponatur, Genesis 8. vers. 11. *Eo quod* (vt dicebat Ambrosius libr. de Noe, & arcâ, capit. 19.) *virtus, & sapientia in sermone sui habeat claritatem, & ipsa statim specie lumen eius effulgeat.*) non facilè acquiescant: non inquam all leuem aliquam culpam retulerim, cum fas ipsis sit, vsque in præfinitum à Deo diem, *cum articulus huiusmodi à Sede Apostolicâ diffinitus fuerit*; de immunitate Deiparæ sub dubitare: Sed verbis Chrysologi inhærentes: *Non est pœna, sed signum*: hoc silẽtium imprimis ad excellentiam opinionis piæ præ contraria reuocamus: ad eum modum, quo Sanctus Isidorus Peluſiota in ipso præstantiam Euangelij supra legem, cuius typum Zacharias surdus, & mutus gesit, non semel intellexit: sic enim primum libr. 1. epistola 131. *Per figuram silentij Zachariæ legis silentium adimpletum est. Quod autem à silentio, & sterili senectute vox procreata sit, per hoc existimo significari, quod ex antiquatâ, ac senescente lege Vaticinia de Christo prodeant:* & eodem modo epistol. 275. *Luci exorienti crepusculum cedit: exsurgente Sole astrorum chori offuscantur: cum serena dies illucescit, auroræ vmbræ dissipantur: cum Euangelij sapientia effulsit, legis puerilis institutio cessauit: ita obmutescit Zachariæ nouæ, ac mirabilis salutationis audiens Euangelia.* Hæc Sanctus Isidorus: Quæ opportunè excellentiæ piæ opinionis accommodaueris, vt illi tanquam luci exorienti, & exsurgenti soli, ac serenæ diei illucescenti crepuscu-

Genes. 8 vers. 11. Ambr.

Isidorus Pelus.

lum, & vmbræ cedant, *ceditque nouo Latonia Phœbo*, vt canebat Baptist. Mantuanus: cum ipsa in sermone sui habeat claritatem, & ipsa statim specie lumen eius effulgeat.

II

Sed deinde in hoc silentio, cum Zachariæ silentio collato maius sanè aliud, & opportunius meditamur: ideò videlicet illud huisce Doctoribus, viris quidem sapientibus, & piis de industriâ à Pontificibus Summis fuisse impositum: vt ab eo in ipsis vox diserta, & sermo opportunus, & Deiparæ per omnia deuotus ingeneretur: quemadmodum â Zacharia silentio, & taciturnitati ex Dei præscripto addicto, ipsamet vox, ea inquam vox, quæ maximè salutaris testimonium perhibuit de lumine, generata est: Scite id obseruantibus Chrysologo, & Galfrido: Hic enim in allegoriis Gotfridi Tilmani, in capit. 1. Lucæ sic inquit. *Non vacat mysterio, quod mutus pater Ioannem genuit, qui vox clamantis fuit: semper enim melius vox in silentio generatur, & spiritualis otij quiete sapientia foris proferenda percipitur.* Chrysologus verò sermone 92. ita exclamat. *Pater tacet ex pœnâ, ex verecundia Mater celat. O quanto silentio vox nascitur! O quanta taciturnitate tuba inclamatura sæculis generatur!* Sic PP. de silentio Zachariæ: generaliter verò de opportunis sermonibus ex taciturnitate, & silentio prodeuntibus sapienter dixit Ambrosius in superioribus adductus libr. 1. Officiorum, capit. 2. *Quid autem præcæteris debemus discere, quam tacere? Vt possimus loqui: nè prius me vox conclnet mea, quam absoluat aliena:* & ad eius gustum S. Laurentius Iustinianus libr. de casto connubio, capit. 11. *Os namque, quod silerenequit,*

Galfrid.

Chrysol.

Ambr.

S. Laur. Iustin.

facile fari prudenter discet: ita ibi & in libro *de disciplinâ, & perfectione Monasticæ conuersationis*, cap. 15. cum eodem sensu dixisset: *Quicumque sapientiæ verba vtiliter fari desiderat, in silentio prius discat intus, quod post modum viuâ voce foris loquatur. Requippè verâ nullus scit fructuosè loqui, qui ignorat prudenter tacere*, scitè concludit, *taciturnitas namque benè loquendi principiũ est*: ita Sanct. Laurentius Iustinian. Certè Sanctus Iob aurea, & sapientissima verba miris mysteriis referta locuturus, totos septem dies tacuisse memoratur: notanter post id temporis spatium dicẽte sacro scriptore. *Post hæc autem aperuit Iob os suum*, Iob 3. versic. 1. quæ verba sic apposite elucidauit bonus eius libri Scholiastes Ioannes de Pineda inquiens. *Illud non omittendum, magnam deliberationem adhibuisse, & moras in loquendo traxisse virum sapientissimum, quod examini verborum, quæ proferri oporteret adhuc fuerit intentus: hocitaque silentij tẽpore in cordis veluti fornace sententias coxit: scorias inutilium verborũ excoxit, atquè reiecit: Finxit tandem aurea verba, quæ nobis redderet, linguæ, labiorumque bilancibus diligẽter expensa: nam benè loqui, res est valde operosa, & subtile opus, quod tempore, silentiique præuio spatio indiget.* Hæc ille appositè, & sapienter: quæ omnia silentio Auctorum opinionis minus piæ omninò accõmodaueris; vt ab illo *principium loquendi* aptè, & opportunè in re immunitatis Deiparæ sit: ab illo vox generetur, quæ Mariam immaculatè conceptam affirmet, prædicet, exornet; quippè in hoc silentij tempore veluti in fornace, sensus maturi, & cogitationes recoctæ reiectis scoriis inutilium verborum formabuntur, & à viris prudentissimis aurea in laudem Virginis verba proferentur, quæ à communi sensu opinionis piæ non abeant: vt ipsis tunc possit aptari, quod eidem Beatissimæ Virgini Bonauentura *in speculo* cap. 12. ne ingerebat. *Cui placuisti ex silentio, iam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet è cœlo. O pulcherrima inter mulieres fac me audire vocem tuam:* Et multo opportunius, quod Ecclesia Græca in Menæis die 24. Iunij Qdc 7. & 8. Canonis secundi *de Natiuitate Ioannis* in clausulâ, præfatum Zachariæ silentium in Deiparæ laudem inflexit his verbis: *Vinculum illud nuperum linguæ, quo Zacharias obmutuit, solutũ est gestatione veri tui, ò Virgo: & vel ideò patefacta sunt labia muti; vt puerperio paulò post tuo Encomiastes prodigiosus adesset, nobis interim magnâ tibi voce in hæc omninò verba plaudentibus.* Sic ibi: Aderint ergo ab hoc silentij vinculo prodigiosi Deiparæ laudatores, sic dico, & prædico.

Iob 3. v. 1. *Pineda.* *Bonauent.* *Eccles. Græc.*

Est quidem in hunc sensum peropportuna ea Salomonis admonitio Ecclesiastes 3. versicul. 7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*: si cum primis structuram sermonis obserues: cum tempus tacendi præcedat tempus loquendi, *Priori enim loco collocatum est tempus tacendi* (inquit Gregorius Nyssenus ibidem homilia septima.) *Et post silentium dedit tempus loquendi, quod in silentio discatur, quid loqui debeas:* Sanè quasi silentium personam, & munus Doctoris habeat, a quo discendum sit; ita inibi obseruante Hieronymo: *Pytagoricos reor, quorum disciplina est, tacere per quinquenium, & postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti: discamus itaque & nos prius non loqui, vt postea ad loquendum ora reseremus.* Ita ille. Apud quem obserua illud, *& postea eruditos loqui*, vt à silentio quidem eruditi, & docti euaderent. Vndè subdit S. Hieronymus.

Nyssen. *Hieron.*

Vt

Vt de discipulis efficiamur Magisteri, doctrinam, & magisterij gradũ à silentio accipientes: sed enim vt opportuna hæc sint, illud deinde vt opportunius obserua, in Biblia Cõplutensi id monitum omnino referri admodum in disputatione seruandum, vt nimiæ contentioni terminus ex silentio ponatur: sic enim habet lectio Complutensis: *tempus est electum ad tacendum, ne proferantur verba contentionis*: vt videlicet præfigatur disputationi tempus, & post illam imponatur silentium, nè vllo modo proferantur verba contentionis, vt à taciturnitate, & silẽtio erudiantur Doctores, & quod à frequenti dissertatione, & contentione non obtinuerunt, à taciturnitate discant, quid opportunè, & sapienter loquendum sit: Quò videtur respexisse Gregorius Nazianzenus orat. *de moderatione in disputationibus seruanda*, cum inquit: *Nescitis quantum Dei donum sit silẽtium: quamque benignè cum eo agatur, qui loquendi necessitate constrictus non est, vt ar bitratu suo alterum ligere, alterum fugere queat, atque sibi, & sermonis, & silentij promus condus sit.* Hæc ille: & quidem opportunè affirmans impositum alicui silentium Dei beneficio fore adscribendum, quasi inde sermo opportunus necessaria ratione sit illi obuenturus.

IV Videor mihi quidem ea quæ hucusque diximus viuaci penicillo depicta in pisce illo, de cuius ore Princeps Apostolorum staterem ex præscripto Domini, sic extraxisse dicitur Matthæi 17. versicul. 27. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem*: nam quid aptius hominem silentem, aut mutum referat, quam pisces: qui silentij symbolum est: de quo prouerbaliter dicitur: *magis mutum esse quam piscem*; eaque ratione ad fortitudinem referatur à Cassiodoro libr. *de amicitia*, virtutem fortitudinis cum die quinto, in quo producti sunt pisces sic componente: *Fortitudo sit dies quintus, per quem in hoc mari magno, & spatioso quasi pisces spirituales procellosa fluctuum molimina toleremus, & cohibeamus linguæ lubricum sub censurâ silentij.* Ita ille, sanè vt stater in ore piscis inuentus denotet sermones rectos, & ad iustitiæ libram examinatos, ac linguæ labiorumque bilancibus diligenter expensos; pulchrè id obseruante Ambrosio Epistola 1. dum ait: *Bonus census Christi, qui statere soluitur; quia statera iustitia est. Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat.* Sic Sanct. Ambrosius: nimirum silentium gymnasium discendi, schola & exercitatio loquendi est, dum in eo sensus, & verba ad libram examinantur: cogitationes opportunæ, & veræ explorantur; veriora & probabiliora à minus veris, & probabilius discernuntur, Patrum monumenta attentè lecta expenduntur. Vti hæc omnia monet Chrysostomus in Græcis exemplaribus tomo 7. pagin. 438. his verbis. *O silentium mentis illustratio! ò taciturnitas cogitationum exploratrix, & diiudicationis cooperatrix! ò silentium schola lectionis!* Hæc ille, & alia: ergo minime dubites Petri, seu Romani Pontificis, silentium Auctoribus opinionis minus piæ indicentis, eam esse mentem, vt illos ad Scholam, & exercitationem accuratè loquendi de immunitate Deiparæ reuocet; vt in gymnasio silentij lectioni Patrum, & scriptorum intenti diuina illustratione perfruentes germanas cogitationes explorent, & inter opinionũ momẽta diiudicẽt: quò tãdẽ vnàno biscũ sẽtiãt, & qui modo placuerũt

Bibl. Co. *Nazia.* *Matth. 17. v. 27* *Cassiod.* *Ambr.* *Chrysost.*

Deo ex silentio, iam magis placeāt ex verbo: rectè siquidem præfato loco monebat Hieronymus: *Nihil nobis videatur rectum, nisi quod discimus, vt post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.*

Hieron.

V

Ita quidem sapienter dixit S. Diadochus *lib. de perfectione spirituali*, cap. 70. præcedēti adnotatione adductus: *Silentium præclara res est: nihilque aliud, quam mater sapientissimarū cogitationū:* obserua loquēdi modum quo Diadochus de silētio ait: matrem esse sapientissimarū cogitationum, qui sensum habet cōmunem cum Salomone Prou. 10. vers. 31. affirmante: *Os iusti parturiet sapientiam:* vt indicet verba, sensus, & cogitationes sapientiæ, non temere, aut vno impetu effundi, sed à sapientia primum concepta, & paulatim formata, & fermentata tādem parturiri, hoc est in fornace silētij excoqui, & in taciturnitatis schola sensim ediscī: quod silentij proprium sit, sapientes conceptus gignere, nutrire, & tandem eniti; vt quemadmodum matris est, non modo fœtum concipere; sed etiam cōceptum aluo retinere, animare, & nutrire, vt maturum suo tempore in lucem edatita silentij opus sit, sapientiam parturire, & sapientissimarum cogitationum matrem esse, dū scholæ lectionis addictum ab illâ pulchros conceptus haurit, opportunas sententias discit, aurea verba depromit, quæ in se nutrit, vt matura suo tempore enitatur: Cui sententiæ adstipulari dixeris Gregorium Magnum hom. 12. in Ezechielē, silentium *nutrimentum verbi* esse affirmātē, nè videlicet incoctus, & intempestiuus, siue etiam inanimis sit fœtus: Vndè quidem cū ad id loci Prouerbiorum bonus eius Scholiastes P. Salazar adductis verbis Ecclesiastici cap. 19. versic. 11. *A facie verbi parturit fatuus*: acutè dubitasset: *Cum verque, stultus videlicet ac sapiens verba sermonesque parturiant, quid inter vnum, & alterum discriminis intercedit?* Respondet ex adducta matris imagine fœtum in aluo concipientis, retinentis, & nutrientis, vt maturo tempore enitatur: Stultos quidē ante tempus nedum formatam, & elaboratam sententiam non partu, sed aborsu potius edere: sapientes autem, & iustos animi sui sensa opportunè, & tempestiuè, tanquam perfectum, & benè compactum fœtum felici partu proferre; quem sensum appositè firmat ex Clemente Alexādrino lib. 6. stromatum āffirmante. *Quidam ante tempus informem, & morituū fœtum pariunt: alij expletis mensibus enituntur: est enim tempus tacendi, & tempus loquendi:* vbi vides eâ itidem vt à Hieronymo emphasi adduci à Clemente verba Salomonis vt tempus tacendi præcedat tēpus loquendi, vt benè formata, & elaborata sententia pariatur.

Prou. 10 v. 11.

Greg. Magn.

Salazar. Eccl. 19 v. 11.

Cle. Alex.

VI

Nec omittenda eiusdemmet Salazarij itidem obseruatio: nempè inter alia, quæ partum ante tempus cient, principatum obtinere cupetiarum vehementes appetentias; quæ fœminis accidere solent: quasi non aliunde, nisi ex concupiscentiis, & appetitionibus, verborum, & sermonum ab orsus, & ante tempus importunæ, & intempestæ orationes profluant: quibus sanè opportunissimum remedium ex silentio, & taciturnitate adhibetur: vti Gregorius Nazianzenus in se ipso expertus (quæ egregia eius modestia fuit) affirmat, in oratione *de silentio ieiunij sui*: hunc in modum: *Quemadmodum si quis obliquam plantam manu paulatim in contrariam partem inflectat, hoc assequitur, vt quam primum violentam ab eâ manum subduxerit, rigida stet: sic ego cum præcipitis sermonis impetum mediocritatis regulam excessisse perspicerem, nullum*

Nazian.

me-

meli⁹ remediũ inueni, quã vt eũ excelso pectore premerẽ, vt lingua mea, & quæ dicẽda, & quæ tacẽda sunt addiscerẽt. Ob eã itaque caussã omni eã loquendi facultate ad certum tempus orbaui, sic fiet, vt mediocritatem postea minimè aspernetur, vndè & sic concludit. *Hæc lex omnibus immodicè erga rem aliquam affectis posita sit*: & statim exclamat: *O quantum fructum affert, pulsato intus, atque incitato pectore linguam loqui gestientem cohibere!* Hæc ex Nazianzeno. Quibus assonat ea Basilij admonitio *in regul. fusius disputatis*, interrogation. 13. *Quod inde vtilis sit ea, quæ per taciturnitatem exercitatio fit: quandoquidem in eo, quod linguæ moderentur, hoc satis erit magno argumento continentiam ab ipsis coli, & in assiduo, ac perpetuo silentio de iis quos loqui scienter audiuerint, exemplum sument, quemadmodum, & proponi quæstiones debeant, & item quo modo vnicuique oporteat respondere:* Hæc Basilius. Certè sapientiæ domus, & pacifici Salomonis templum hac silentij arte ædificari, atque eius altitudinem in altum consurgere perhibetur sacro eloquio attestante. *Malleus, & securis, & ferramẽtum non sunt audita in domo, cum ædificaretur*, 3. Reg. 6. versic. 7. quæ S. Petrus Damian. lib. 6. epistol. 7. ad Imperatricem Agnetem hùc per allegoriam, sic eleganter traxit. *Dum strepitus humani cessat eloquij construitur in te per silentium templum Spiritus Sancti: Custos enim iustitiæ est silentium*: Sicille.

VII Enimverò, vt verum fatear, dum opinio minus pia malleo, securi, & ferramẽto contentiosæ disputationis vtebatur; nec vltro, citroq; strepitus humani cessabat alloqnij. vix vlla nobis spes suberat auellendi eiusmodi DD. ab eius sententiæ patrocinio; quippè qui *nouimus* (vt inquit Origen. lib. 1. contra Celsum) *quam sit difficile proprias opiniones deponere*: at enim verò cùm iam ipsos videamus tanquam spirituales pisces cohibentes linguæ lubricum sub censurâ silentij; ei quæ per taciturnitatem exercitationi fit, in quâ quæ dicenda, quæ tacenda sint addiscitur, incumbentes: meliora quidem confidimus, & viciniora immunitati Deiparæ cum Nazianzeno exclamantes. *O quantum fructum affert pulsato intus, atque incitato pectore linguam loqui gestientem cohibere!* Cum nullum fuerit opportunius remedium ad veritatis scopum collimandum, quam excelso pectore, & præcipitem sermonis impetũ, & proprium iudicium premere, ac scholæ silentij operam nauare. *Ponet in puluere os suum* (dicebat Ieremias de viro iusto, & sapiente Threnor. 3. versic. 29.) *si fortè sit spes*: pro quibus verbis Ambrosius serm. 10. in Psalm. 118. reponebat: *Dabit in sepulturæ fossuram os suum*: hæc verba sic explicans. *Ostendit quandam supra modum patientiæ taciturnitatem, vt tanquam sepeliat os propriũ nè loquatur: & velut quodam aggere virtutũ obstruat*: Quę volumus referre ad hanc spẽ cõcipiendã; homines nẽpè sapiẽtes, & iustos os proprium sepelientes, *ne loquatur* (& bene quidem os, quod Mariam immaculatè conceptam non loquitur, sepulturæ mandatur) a silentij exercitatione, & taciturnitatis schola, quæ schola lectionis est, animum inducturos vt nobiscũ sentiãt: nec vana quidẽ fides. Certè de opportuno silẽtio sapienter dixit S. Ioannes Climacus gradu vndecimo: *Taciturnitas inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex*; & paulò ante à nobis adductus Chrysostomus: *O taciturnitas cogitationum exploratrix: & diiudicationis cooperatrix*: Cogita ergo in scholâ lectionis

Basilius — *3. Reg. 6. vers. 7. S. Petr. Damia.* — *Origen.* — *Threno. 3. v. 29. Ambr.* — *Climac.* — *Chrysost.*

ctionis, & gymnasio discendi, homines ingenio, & iudicio præditos hinc immensam Mariæ dignitatem expendentes, scripturas sacras, Concilia, Pontifices in eius immunitatem maximè pronos, Catholicam Romanam Ecclesiam apertis tibiis illam celebrantem, cũctas orbis Christiani Ecclesias, Vniuersitates, Episcopos, Religiones, omnesque Scriptores quotquot sunt toto animi impetu Romanæ Ecclesiæ obsecundantes, & applaudẽtes, Reges, Principes, Dynastas, & omnes omninofideles pedibus, & manibus in hunc sensum euntes; illinc verò nulli bono, aut vsui opinionem minus piam esse, immò ab illa scandala, dissensiones, & rixas magnâ ex parte exoriri, vt vel hac ratione eius assecl æ nõ benè audiant: quì ergo non speres manus illos tandem daturos, & contentiosæ doctrinæ renuntiaturos?

VIII

Certè, si attendis, vel ante hoc Põtificium diploma silentium opinioni minus piæ indicens, iam ipsa merito dixerit cum Iob cap. 19. versic. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum: & derelicta sunt tantummodo labia circa dẽtes meos*: cum omni omninò externo fulcimẽto destituta vix ossibus hæreret: vt verè, & eleganter expensum est à venerabili, & sapientissimo Magistro Fr. Vincentio Iustiniano egregio Dominicanæ familiæ ornamẽto in additionibus ad historiam B. Ludouici Beltrani cap. 5. §. 14. his verbis. *Talis est opinio minus pia, vt hodie vix inueniatur, qui ipsam tueatur nisi clanculum: iam illi desunt cathedræ, iam suggesta, iam loci confessionibus destinati, iam librorum impressiones, iam Regum sceptra, ac diadẽmata, iam Antistitum infulæ, & purpurei galeri, iam Summorum Põtificum thiaræ, immo & concilia, cũ sacrosancto, & Oecumenicum cõcilium Tridentinum singillatim fuerit protestatum, suæ intentionis non fuisse in decreto de peccato originali Deiparam comprehendere, quod hactenus non præstiterat vllum generale Concilium.* Hæc ille graphicè describens opinionem minus piam iã tunc consumptis carnibus, vix pelle, & ossibus constantem: sed enim cum derelicta illi essent labia circa dentes, quibus disputaret, cõtenderet, & scripta (nec sine morsu illa læpius, vt in Bandello, Caietano, Spina, & recentioribus libellatoribus vidimus) in publicum ederet; concertatio, & contentio in longum ibant: iam verò seuera illi silentij lege impositâ; non poterit nõ ex gymnasio, & schola silentij sermones igne sapiẽtiæ, & pietatis examinatos proferre: quandoquidem de opportuno silentio dicebat Ioannes Climacus: *Esse inimicum fiduciæ, quietis coniugem, ambitiosæ doctrinæ aduersarium, scientiam addere, & speculationis opificem.* Vt prædixerit, ab hoc silentio cum scientiæ, ac speculationis adiectione quietem, & finem contentiosæ doctrinæ prouẽturum; & a piæ opinionis amplexu omnia iis D D. prospera, & felicia obuentura: scitè pro hac cogitatione fideiubente Vverrico sermon. *de Annunciatione*, cum ait: *Experientia testis est, quo modo quietus, & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat, & floreat: ècõtra per verba velut quãdam paralysi dissoluatur, & defluat, quo modo macrescat, & aridus decidat.* Hæc ille nobis velut indice ostendens, quod hâc in re, & fuit, & est, & futurum erit a silentio nimirum robore, flore, & fructu ornandis opinionis piæ cultoribus.

Iob 19. *vers.* 20.

Vinc. Iustian.

Ioan. Climacus.

Vverric.

IX

His concinit ipsamet Canum natura (quorum nomine, & indole Auctores opinionis minus piè iure gloriantur, quod nihil nobilius, aut dignius sit, quam Dominici gregis canes, & custodes esse) cum quibus

benè

bene Cyrill. Alex. lib. 1. *in Ioannē*, viros sapientes componit: quod sapientiam more venaticorum Canū indagine quâdam vestigent sæpe, ac multum, rem nondum intellectā interrogantes, & à viris doctis edoceri non aspernantes: sic enim ille: *Canes venaticos imitatur sapiens huc, illuc feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem sæpe, ac multum vestigans, interrogansque tandem assequitur.* Monet vero Aristoteles agens de natura animalium, venaticos canes, cum ventus aliquis vehementior incumbit diffiato odore vestigia ferarum non obire: vt argumento sit; vehementem erga opinionem aliquam affectionem, seu contētiosam dissertationem ad instar venti ex aduerso flantis impedimento esse, quominus veritatis puritas vestigetur, quod eius vestigia persequi non sinat. Quare cum iam sint amotæ contentiosæ disputationes, itidemque contrariæ opinionis disputatoribus silentium indictum, serena animi moderatio, & pacatus animus vestigationi veritatis aptissimus, vestigia offeret immunitatis Mariæ, à quâ per opportunus, & cōmodus sermo proficiscetur.

Appendix ad præcedentē adnotationem. De vtilitate, quæ à silentio Doctoribus opinionis minus piæ obuenit.

ADNOTATIO IV.

I IS quæ præced. adnotat. diximus per opportunè concinit Salomon Cant. 4. versic. 3. de sponsæ labiis vitta constrictis eloquia dulcia, & paradisi odorem spirantib⁹ inquiēs: *Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce*, & versic. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, quæ ex Hebræo legit Nyssenus: *Emissiones ex ore tuo:* explicatque: *Sermo tuus, qui per os tuum emittitur est paradisus:* Vbi obserua labia vitta constricta à Psello, & aliis PP. ad silentiū relata, ita enim ille. *Per funiculum, silentij dotem accipe:* ad quem modum loquitur Richardus: cui loquēdi modo concinunt Ambrosius in Psalm. 38. & Nazianz. carmine *ad Hellenium de Monachis antiquis*, dum ille ea verba Prouerb. 5. vers. 2. *Disciplinam labia tua conseruent:* LXX. secutus legit: *Labia sapientis alligata sunt intellectui:* eaque sic elucidat: *Ideò silentium, & tutum est, & decorum quod seruat cum grauitate cautelam. Quid enim labia nostra, nisi quædam vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorū vnusquisque constringitur. Ideò sapiens in tempore tacet, & secum ipse considerat quo tempore loqui debeat. De quo præclarè ipse Salomon.* Labia Sapientis alligata sunt intellectu: *Hoc est, prudēter tacet, nè labiorum suorum vinculis alligetur.* Sic Ambrosius, Nazianzenus verò: *sunt qui garrulam linguam, quasi vinculis quibusdam adstringunt. Labiaque silentio comprimunt:* iam ergo ab his labiis intellectu alligatis, quid profluat? Vide. *Eloquium* (inquit) *tuū dulce*: vt videlicet à silentij exercitatione, & scholâ, quę lectionis schola est: ijmet qui antea videbantur amari seu molesti opinioni piæ, tāquam leones interris *iam dulces in fluctibus sint:* nec locum subinde habeat illa Ambrosij paræneſis. *Canes sanè, & in mari cane*, qui potius cū è silētio, veri germanique custodes & propugnatores immunitatis Mariæ facti, suaues, & amabiles sint futuri, vt ea verba Canticorum, *elo-*

Psellus. Richar. Ambr. Prouer. 5. vers. 2

I Cant. 4. v. 3. & v. 13.

Guilliel. *quium tuum dulce* sic premit Guilhelmus ibi apud P. Martinum del Rio: *Sunt qui vtilia quidem dicunt, sed tamen insipide, & amarè dicendo auditoribus vtiles non sunt: mulcendi ergo sunt auditores sermonis dulcedine, nè vtilia inutiliter audiant, vnde scriptum est.* Qui dulcis est eloquio, maiora percipiet. *Prouerb.* 16 *vers.* 21. item: sapiens in verbis seipsum amabilem facit. Eccleſiaſtic. 5. *Prou.* 16 *vers.* 21. *Eccl.* 5. *vers.* 6. vers. 6. Hæc Guilhelmus. Quibus benè hærent quæ sequuntur: *Emissiones ex ore tuo paradisus malorum punicorum*, siue: *Sermo tuus qui per os tuum emittitur, est paradisus*: vt à labiis silentio alligatis suauissimus tãdem sermo fuerit proferendus: notum est illud de Euripide (de quo Manl. libr. 8. Apoph.) qui cum male apud omnes audiret. quod os haberet graue olens, festiuè se purgauit, inquiens suo in ore multa computruisse; atque ideò male olere: quia videlicet multa ob amicorum gratiam tacuisset; nè illis esset infensus. Quod sanè de opinionis piæ auctoribus è contrario dicemus. Etenim quod ea opinio tanquam silentio in ipsorum ore sepulta computruerit; ipsorum iam os suauissimum odorem Deo, & hominibus spiraturum sit, vt verax inueniatur Chryſoſtomus homil. 50. in Matthæum in quiens: *Regius equus est lingua: si ei frænum iniicias, doctrina tua gradarium effecerit: ascendet in eum Rex, & quiescet in eo*: ita ille. *Chryſoſt.*

II Tandem concludo in gratiã huius prædictionis de mutatione cõsilij ab his Auctoribus ineunda, reuocans (cum Hugone Cardinali in allegoriis Gotfridi Tilmani) per allegoriam, quod de consilio Chusai Arachitæ aduersanti consilio Achitopel dicitur 2. Regum 17. vers. 1. *Dixitque Absalon, & omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitopel. Domini autem nutu dissipatum est Consilium Achitopel.* Nimirum Hugo faciens vim in nominibus *Chusai*, quod interpretatur *silentium*: & *Achitopel*, quod sonat *ruina fratris*, affirmat à silentio dissipari cõsilium, quod ruinæ fratrum causſa est. sic enim Hugo: *Chusai interpretatur silentium: Achitopel ruina fratris: Destruit igitur Chusai Consilium Achitopeli, quia per silentium annihilatur consilium eorũ, qui sunt quasi ruina fratrum.* Hæc Hugo. Quod sanè refero tam ad id, quod ab ipso manuali Patrum Dominicanorum; quam quod ab Henrico Spondano, & aliis scriptoribus asseritur, nempè ob suſceptum ab iis Doctoribus opinionis piæ patrocinium; nõ modo ipsos; sed eorum causſa totum ipsorum ordinem magnam apud omnes populos inuidiam contraxisse, cunctis ægrè ferentibus, Deiparæ immunitatem ab illis labefactari. Est enim hæc Christianæ gentis nobilissima indoles, quam nõ tam accepit, didicit, legit: quam ab ipso sacro fonte; & quasi ab ipsâ naturâ arripuit, hausit, expressit: & ad quam non docta, sed facta: non instituta; sed imbuta est: vt nullus laudibus Mariæ intra fidei metas terminus præscribatur, nulla defensionis eius satietas sit: & quidquid honoris, & gloriæ humana cogitatio assequi valeat, ipsi ab omnibus tribuatur. Eâ igitur ratione præfati auctores narrant, iam olim eius instituti alũnos odio, & ludibrio, tam in Gallia, quam in Germania, aliisque Orbis regionibus habitos: multa quoque passos, dum opinionem minùs piã acrius defenderent: Do tibi vnum pro mille testem locupletissimum Henricum Spondanum Appamæarum in Gallia Narbonensi Episcopum in continuatione Annalium Ecclesiasticorum ad annum Christi 1387. numer. 7. sic id diffundentem. 2. *Reg.* 17. *v.* 1. *Hugo.*

Hoc item anno alia grauis orta est III

dissen-

Henric. Spond.

dissensio inter Vniuersitatem Parisiensem, & Ordinem Prædicatorum occasione quarundam propositionũ Ioannis de Montesono eiusdem Ordinis Doctoris, cuius alia occasione facta est superius mentio; qui cætera multis laudum titulis exornandus, in eo maximè odiosum sese præbuit, quòd habito consilio cum cæteris sui Ordinis Magistris, quâdam sua lectione magistrali multas positiones Theologicas de Beatissimæ Virginis Conceptione in peccato originali, protulit contra communem Vniuersitatis opinionem; quin imò & contra honestatem Christianam, &c. Quas cum iussus à Magistris Vniuersitatis retractare renuisset, caussa ad Episcopum Parisiensem delatâ (erat is Petrus de Ordeomonte,) Ioannes clam recedens, Auenionem se contulit spe reperiendi ibi multos ex suis, qui eius propositiones propugnarent: interim verò Episcopus iis diligenter examinatis, solemni factâ supplicatione easdem publicè damnauit. Prouocans autem ab eius sententiâ Ioannes ad Sedem Apostolicam, Vniuersum ordinem habuit defensorem. Sed missis ab Vniuersitate Auenionẽ Petro de Alliaco, AEgidio de Campis, & Ioanne de Nouauilla Ordinis S. Bernardi, in sacra pagina Magistris, & Petro de Allainuilla Ordinis S. Benedicti Doctore in iure Canonico: confirmata est censura Parisiensis, & Ioannes iussus à Clemente Parisios redire, & Vniuersitatis correctioni se submittere. Quod cum promisisset, nihilominus nocte sequenti in Aragoniã, vndè oriundus erat, ausugit, maximam in Vniuersum suum ordinẽ inuidiam relinquens. Exstant inter opera manuscripta Petri de Alliaco in Regio Collegio Nauarræ, quæ ab eo tunc proposita, & disputata fuere, ex parte Vniuersitatis: quibus cõstat, non tantum de Conceptione Virginis prædictum Ioannem egisse, verum etiam de Incarnatione Verbi (quam aiebat Meyer lib. 14. anno 1388. non potuisse fieri, si Virgo maculam originalem non cõtraxisset) & ex vtraque quæstione accusatũ, & damnatum esse; haud tamẽ propterea cessantibus cæteris Dominicanis eadem asserere; tùm à corpore Vniuersitatis abscissus est eorum ordo, interdictaque ei omnis prædicãdi, & confessiones audiẽdi facultas; tùm implorato in eum regio auxilio aspera in personas excitata est vbique persecutio; multi in custodiam traditi; quicumque in publicũ prodirent, contumeliis, & subsannationibus à vulgo excepti; eleemosynæ iis denegatæ, nec potuit commotio sedari, donec illi Regis authoritate inducti fuere, propositiones suas publicè reuocare, & festum Cõceptionis Beatissimæ Virginis celebrare. Hæc potissimum curante Terrico Cassenello Episcopo Antisiodorensi, viro doctissimo, & eloquẽtissimo. Interque eos, qui Palinodiam canere compulsi sunt, fuit Guillelmus de Valone ex eodem Ordine Episcopus Ebroicensis, Regis Confessarius; qui & propterea tanquam infamis pulsus est: statuitque Rex nunquã deinceps, ex eo ordine confessarium eligere. Rem enim ita præsenti, ac sequenti anno se habuisse, dilucidè narrat Monachus Cœnobij S. Dionysij auctor historiæ manuscriptæ rerũ sub Carolo VI. gestarum: meminitque Gaguinus lib. 9. in sua historia Frãciæ; aliique. Nec verò nisi longo post tempore potuit ordo Vniuersitatis corpori restitui: cuius scissuram adhuc post annũ 25. luxit Ioannes Gersonius part. 1. epistol. ad stud. Colleg. Nauarr. insignis eius Cancellarius: persecutionem vero prædictam defleuit intimiùs Auctor vitæ Clemẽtis tunc viuens, & eiusdem Ordinis, vt apparet, professor. Cui tamẽ quod videretur rem in gratiam sui Ordinis dissimulare, addidit alius, qui

præsens Parisiis erat, rei gestæ appẽ dicem in Vniuersitatis defensionem. Hæc ille.

IV Pergit idem Henricus Spondanus num. 8. *additque Iuuenalis in sua Historia, pleniusque prædictus Auctor manuscriptus, fuisse eodem tempore quendam alium eiusdem Ordinis professorem Rotomagi, qui publicâ concione sententiam Montesoni sustinens, eam euidenter se probaturum spopondit; & nisi præstaret, velle se vocari huetum* (quod nomen idem auctor ait, vulgo dari cõ sueuisse Dæmoni, cum passiones aereæ vltra modum sæuiebant) *ac conditione cum risu recepta à populo, cum non potuisset satisfacere; tã ibi, quam vbiuis res audita est, Dominicanos nuncupari cœpisse huetos: compositosque in eius opprobriũ versus ad id nominis alluſorios, quos recitat. Putaturque à nonnullis, hac occasione institutũ fuisse ibidem Rotomagi annuum præmium versuum, seu Poematum, quæ fieri consueuerunt in honorem conceptionis Beatissimæ Virginis.* Hactenus Spondanus.

V Persimilia sunt, quæ Auctores opinionis minus piæ ob illius susceptum patrocinium perpessos fuisse circa eundem, siue sequentem annũ 1389. refert Thomas Vvansingha-
Thomas Vvans. mus bonæ notæ scriptor, vt videris apud Antonium Possevinum in Apparatu verbo *Thomas Vvansingha-mus*: in historia Anglicana pag. 339. hunc in modum. *Per idẽ tempus in Francia, fratres Prædicatores antiquam suam opinionem reassumẽtes de concepta B. Virginis, & prædicãtes illam fuisse in originali peccato conceptam, in tantam efferati sunt superbiam, vt Episcopis illis indicẽtibus huius rei silentium noluerint obedire: postremo nec Regi, & Proceribus id iubentibus parere volebant. Quapropter extra protectionẽ Regiam facti sunt, & inhibiti circuire per patrias more solito, nè forte vulgus commune ducerent in eiusdẽ erroris deuium, & seducerent innocentes. Iussi sunt etiam intra propria habitacula cohiberi: de labore manuum suarum intra loca sua viuere: egredi nusquam præsumere sub pœna capitali: præceptum est eis, nè de cætero quẽquam ad ordinem suũ admitterent, vel reciperent sub pœnâ præmissa: sed ipsimet ita facerent, vt post hos, qui modo viuunt, nullus esset, qui eorum ordinem cõtinuaret.* Hæc ille: Heu quot mala Sanctissima Religio perpessa est, a quibus fuisset immunis, si præsens silentium seruassent, à quo opportunos sermones proferre edocti fuissent.

Dixeris vidisse hæc omnia Venerab. P. M. Vincentium Iustinianũ Dominicanum loco à nobis sæpius citato, vbi benè consulens Doctoribus opinionis minus piæ, & eorum scholæ, cum accidere affirmasset, prouerbium: *Cum multum laborauerimus: itidem vt antea sumus;* immò illis accidere affirmasset, quod ei qui per cliuum contendit prægraue lapidem sustollere, qui ab ipsius lapidis põdere, & grauitate deorsum rotatus vergitur: inde sic eos salubriter admoneret. *Quare magnæ quidem prudentiæ fuerit, eam tam tandem opinionem deserere, vt ij, qui domum iam collabentem vident, foras incunctanter exeunt:* Quibus sanè in verbis, tacita (si bene æstimas) sed pulchra emphasis subest, tam præsenti instituto, quam formandis moribus apta: Nimirum, vt de muribus dixerit Plinius lib. 10. cap. 45. *Indociles esse, & qui inter omnia animantia nihil discant;* de illis tamen Ælianus lib. 1. historiæ pag. 3. signanter affirmat, futuram domus, quam inhabitant ruinam præsentire, & maturâ fugâ sese domo subducere: sic enim ille. *Cum domus aliqua cæsenuit, & ruinam minatur, mures primi sentiunt,*

VI *Vincent. Iustin.*

Plin.

AElia.

tiunt, & relictis suis cauernis, & pristinis habitationibus, quantum cõtẽdere pedibus valent, fugiũt, aliudque domicilium quærunt: quæ, etsi nos in epist. ad Philipp. cap. 1. vers. 21. adnot. 1. n. 17. non omninò importune ad mortaliũ inconsideran tiam castigandã aptauimus, qui cũ frequẽtius præsentiamus, siue à morbo, siue à senectute, quæ & *ipsa morbus est*, nullaque medicina superabilis, terrestris domus nostræ resolutionem (vt loquitur Paulus 2. ad Corint. 5. vers. 5.) iam imminere, nec tunc temporis aliud domiciliũ, cœleste scilicet, quærimus, sed moribus indociliores mundum *fugientem sequimur, labenti inhæremus*: multo tamen opportunius hâc imagine vsus videtur Sapiens, & eruditus P. Iustinianus, ad commonefaciendum opinionis minus piæ asseclas, vt ipsam, quæ velut domus consenescẽs ruinam minatur, tandem deserant; quin ruinis eius expositi labenti inhæreant. Et verò de præsenti, a senio, discrimine adnot. 1. vidimus iã dudum cecinisse Baptistam Mantuanum lib. 1. Parthenices: *Mant.*

1. *Cor.* 5. *vers.* 5.

A

Iam senio exanguis frigens sua robora sensim
Perdit, & amissâ iam maiestate recedit
Sponte suâ:

B



DISSERTATIO II.

DE PIETATE, SECVRITATE, felicitate, vrbanitate, & flexibilitate, quæ inest opinioni piæ de MARIÆ immunitate.

OPINIO PIA, QVOD PIA, POTIOR EST, ET amplectenda.

ADNOTATIO I.

I



DEuenimus in thesim, de quâ, in re tam acriter vltro, citroque cõtrouersâ, nulla quidem inter vtriusque opinionis Auctores concertatio, dubium nullum est: nempè opinionem quæ Mariæ immunitatem ab omni originaria labe tutatur, piam esse, & piã vocari debere: alteram verò huic obnitentem minus piam esse, & minus piam fore appellandam. Eâ autem potissimum ratione quâ Augustinus vsus est, & in ipsomet hæreti-

C

Augus. co Pelagio hac in re scopum collimante probauit. Quippè Augustinus lib. de nat. & Grat. contra Pelagium cap. 36. cum ex eius sensu dixisset: *Domini ac Saluatoris matrē, quam dicit sine peccato esse, confiteri necesse esse pietati:* eam sententiam aperte confirmauit, vt alibi vidimus: vt ipsa pietas suo sibi iure hāc opinionem vindicet. Ergo hic iam gradum figimus, & à pietate fortissimum, & validissimum telum aduersus opinionem minus piam intorqueri posse existimamus: cōmunem videlicet humanitatis sensum hùc aduocantes, quærimus: quid generaliter loquendo, nec aliis rationibus obnitentibus, melius sit piū? an vero minus pium esse? Atque vndè laudari quis malit à pietate? an à minori pietate? Vel tandem, quid fuerit humano animo magis consentaneum? Pietatem habere, an à pietate deflectere? Quid libentius, aut lætius humani oculi intueātur? pietatēne? an seueritatem? Pulchrequidē hac de re sic decernit Gregorius Nazian. epist. 181. *Nazian.* *Nihil graue carnifices agunt, legibus enim inseruiunt: nec iniquus est gladius, quo de improbis supplicium sumimus: nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius libenti animo tractatur: humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem, & benignitatem potius inclinat.* Ita Theologus sapienter, & iuridice, sed opportune illud *humanus animus, si tamen humanus,* quod is omninò humanitatis sensus fuerit: Vndè Paulus veteros Philosophos perstringens ad Rom. 1. vers. 31. ipsos vt à Dei cultu alienos; ita humanitatem exuentes, stupidos redditos fuisse omninò affirmat inquiens: *Rom. 1. vers. 1.* *Insipientes, incōpositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* Vbi Græca vox pro qua noster posuit *incompositos,* propriè significat: *Græca Lect.* *Agrestes, stupidos, inhumanos, rusticos,* quæ voces ad Stoicos Philosophos referri videtur, quicam moderationem affectionum affectabant, quæ misericordiam, quasi pusilli animi indicium excluderet, de quibus optimè Augustinus lib. *de moribus Ecclesiæ,* capit. 27. ait: *Congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis trāquillitate serenantur.* Hæc ille. Sed longius progreditur S. Asterius Amaseæ Episcopus homil. *de diuite, & Lazaro,* inquiens: *Is quem alterius inopia, atquè ægritudo commiseratione non tangit, fera sane est, rationis expers, perperam humanā indutus formam, ipsamque naturam praua voluntate fallens, ac denique feris ipsis ac belluis immanior.* Hæc ille, & alia statim in hanc rem afferenda.

Augus. *S. Aste.*

Adeò verò humanus animus: *si tamen humanus* in humanitatem inclinat, vt inde non tam humanus, quam diuinus, siue Deum exprimēs censendus sit: affirmante Salomone Prouer. 20. vers. 6. iuxta translationem septuaginta interpretum, & Ambrosij ser. 10. in Psalmum 118. & Chrysostomi homilia 4. in epist. ad Philippens. *Magnum, homo: & pretiosum, vir misericors:* & quare *magnum?* Respondet Ambros. ibi. *Et vere magnus, qui diuini operis interpres, & imitator est Dei.* & epist. 28. Theodosium Imperatorem demulcens pulchre aiebat: *Etsi in prælijs felicissime egeris, & si in alijs quoque laudabilis; tamen apex tuorum operū pietas semper fuit,* ita ille. Pergit vero Chrysostomus: *Hoc enim est hominem esse: vel potius hoc est esse Deum.* Vtrumque verò Patrem elegantissime expressit Leo Magnus in sermone de omnibus sanctis inquiens: *Misericordia te misericordiam, iustum te vult esse iustitia, vt in creatura sua creator appareat. Et in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.* Quo quidem sensu omninò ca-

II

Prou. 20 vers. 6. LXX. Ambr. Chrysost.

Leo Magnus.

pit

pit Theodoretus diuinam imaginẽ ad quam homo formatus dicitur Geneſ. 1. verſic. 26. hunc in modum: *Iuſtus & Sanctus eſt Dominus condolens, & miſericors: igitur qui amat iuſtitiam, & ſanctitatem, & peragit, atque obſeruat illud Saluatoris præceptum: eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt ſit imago Dei per omnia.* Sic Theodoretus, vndè præfato loco S. Aſterius cum plures animantium imagines adduxiſſet, quæ quodã doloris ſenſu ex ſimilium calamitate afficiuntur, ſubiicit pro hoc Theodoreti ſenſu: *Et hominem ratione præditum, animal manſuetum, & ad Dei ſimilitudinem, virtutis & bonitatis capax, proximorum acerbi caſus, praua æque calamitates tam parum afficient, & mouebunt?*

III Et quidem in hâc dui nâ imagine ſiue exprimenda, ſiue coloranda viuaciores lineas fore tribuendas pietati, & miſericordiæ, ingens illud diſcrimen euincit, quod inter Moyſem, & Eliam diuinis obtutibus obiectos interceſſiſſe videmus: Moyſes ſiquidem Deum, velut Solem aquila, inconniuenti pupilla proſpicere non refugiebat, ſic enim Exod. 33. verſic. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuũ*, immò verò ex diuina facie ſplendores ipſe diuinitatem ſpirantes hauriebat: Exodo 34. verſic. 19. Quod plane aliter Eliæ obueniebat: nam cum primum ipſi Deum de facie, vt cumque videre licuit: ad eius adſpectũ faciem ſuam pallio ob voluere compulſus eſt, 3. Regum 19. v. 13. quaſi præ pudore, & verecundiâ. Quod ſi tanti diſcriminis rationem examinare velis: pete illam à diuerſo vtriuſque Propheræ genio. Erat quidem vterque Sanctus, & Deo charus, ſed Moyſes hominum mitiſſimus, qui Deum indeſinenter placare, atque indulgentem, & benignũ populo ſuo reddere ſatagebat. Elias vero rigidus, ac ſeuerus Dei miniſter, eius iniurias vlciſci, & peccatores igne de cœlo deducto succendere ardebat: hinc ergo Moyſes mitiſsimo Dei genio conformis, & diuini operis interpres, in quo per imitationis lineas viua Dei imago reſplendebat, fidens, & imperterritus faciem eius, quaſi conſimilem intuebatur: contrà autem Elias, vt Dei faciem *in ſibilo auræ tenuis* intuitus eſt, 3. Reg. 19. verſ. 13. vultũ ſuum, quem ei non planè conformem recognouit, pallio præ rubore meritò operuit, vt à ſeueritate nõ diuinum: cum in humanitate, benignitate, & ſuauitate Diuinitas percenſeatur.

Enim verò illud in hanc rem multo maius fuerit, quod nobis iam dudum obſeruatum eſt: Deum natura pulcherrimum, cui nullus omninò decor, aut pulchritudo denuo poſsit obtingere, ab humanitate pulchreſcere, atque eam ab homine (ſi ſic loqui fas eſt) quodammodo mutuare velle; equidem Moyſe à Deo efflagitante, vt graue gubernationis pondus, quo ipſe premebatur, in plures alios diuideret: ſic ei Dominus locutus dicitur. *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Numerorum 11. verſic. 17. vbi LXX. reponunt. *Auferam de ſpiritu, qui in te eſt*: hoc eſt de ſpiritu meo, & de Spiritu Sancto, quem in te poſui: ſic explicante hæc verba Chryſoſtomo homil *de Spiritu Sancto*, tomo 3. hunc in modum. *Non dixit. Accipiam tuum, ſed de ſpiritu, quì in te de meo accipiam.* Quod vtique probauit Paraphraſter Chaldæus trãſferẽs. *Augebo de ſpiritu, qui eſt ſuper te, & ponã ſuper eos.* Sed nũ adeò anguſtus Dei ſpiritus, vt ſi quid de ipſo ſociis Moyſi dandum fuerit, ab ipſo Moyſe auferri opus ſit? Affirmãte Domino apud Ioã. 3.

IV

Geneſ. 1. verſ. 26.
S. Aſte.
Exo. 33. verſ. 11.
Exo. 34. verſ. 19.
3. Reg. 15. v. 13
Num. 17 verſ. 3.
Exo. 32. verſ. 12.
3. Reg. 19. v. 13.
Num. 11 verſ. 17. LXX.
Chryſoſ.
Chald.

Ioan. 3. vers. 34. vers. 34. *Non enim das Deus spiritũ ad mensuram:* Cur ergo Deus Spiritum à semetipso velut recentẽ, & fiã mantem nouis illis iudicibus immediate dare noluit: sed illum, qui iam dudum in Moyse fuerat augere, & auctum cum illis diuidere? Dixeris probasse quodammodo Dominum & antetulisse tuummet diuinum spiritum à Moysis humanitate, & pietate iam mitigatum, & humanum factum; quasi dum ab illa peculiarem decorem, suauioremque saporem suxit, opportunior ad iudicium ferendum, quam ille purus, merus, & flammans esse videatur: Iam vt tota cogitatio à nobis indicata subsistat, adiunge iis Paulum Hebræos capit. 13. versicul. 16. monentem: *Hebr. 13. vers. 16.* *Beneficientiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus:* Vbi Lectio Syriaca, tùm pro *beneficientiæ* reponit *commiserationis*; tùm etiam signatissime extrema verba sic effert: *Lect. Syriaca.* *Talibus enim hostiis pulchrescit Deus.* Ita ne? Deus æterno decore conspicuus pulchritudinis incrementum à creatura, cui quidquid decoris est, non nisi a creatore aduenit, valeat accipere? Occurro quidem præmittens Isidorum Pelusiotam libr. 3. epistol. 268. elegantissimè dicentem: *Isidor. Pelus.* *Virtutum congruentia iustitiæ pulchritudinem efficit, quæ quidem cogitationem omnem, ac solertiam tum manus, tùm colorum excedit: verum quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars est oculorum pulchritudo: ita etiam in animo præcipua pulchritudinis pars, est pietas:* atque ex eo eliciens, ideò Deum à pietate pulchrescere à Paulo induci, quod eius in nobis insculptã imago ab exactissimo pietatis decore pulchrior, ac splendidior reddatur, vt exinde Deus ipse in hominum existimatione pulchrior quodammodo appareat.

Ecce tibi quid sit: & quantum valeat, hominem pium, & humanum esse; quantumque præcellat ei, qui rigidus, & seuerus a pietate abeat; & verò cum homo pius dicatur, aut non pius à cogitatione, siue sententia cui hæret, siue quam animo infixam habet; inde quidem quid de sententia, quæ pia sit; quid vè de ea, quæ sit minus pia dici, aut coniectari quodammodo possit, haud difficile videris: vbi illico nobis in auribus tinnit Sextus Pythagoræus *sententia* 328. seriò monens: *Sententiam, quæ misericordiam vetat, non solum tenere, sed vel audire refuge:* tantum non indice denotans opinem minus piam, quæ Deiparæ ante lapsum manum, nè cadat, non porrigit; quæ ante naufragium auxilium non præbet, quæ ipsam mortui non subducit: cum tamen rigida illa, & seueriſsima Stoicorum secta, de quibus aiebat Augustinus: *Congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur,* hæc humanitatis officia minimè denegaret, vt videris apud Senecam, qui Stoicæ disciplinæ *verus custos, rigidusque satelles* fuit lib. 2. *de clementia cap.* 5. vbi cum dixisset. *Scio male audire apud imperitos sectam Stoicorum tanquam nimis duram, &c. Obiicitur enim illi, quod sapientem negat misereri, negat ignoscere, &c. Quod si est quid hâc sectâ durius, quæ dedisceré humanitatem iubet, portumque aduersus fortunam certissimum mutuo auxilio eludit?* Sic statim de suo inquit. *Sed nulla secta benignior, leniorque est, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior, vt propositum sit, vsui esse, aut auxilio, nec sibi tantum, sed vniuersis singulisque consulere.* Vndè post pauca subiicit: *Succurret alienis lachrymis, non accedet: dabit manũ naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, &c. Donabit lachrymis maternis filium, & catenas solui iubebit,*

V

Sextus Pythag.

Seneca.

&

& ludo eximet, & cadauer etiã noxium sepeliet, &c. Afflictis, & fortius laborantibus multo libentius subueniet. Quoties poterit fortunæ intercedet: Hæc Seneca: manifeste ex mente Stoicorum promittens, tam præsentibus, quam imminentibus calamitatibus auxiliũ illis verbis. *Donabit maternis lachrymis filium, & ludo eximet,* nè videlicet in arenam siue cum gladiatoribus, siue cum leonibus pugnaturus descẽderet, & absolutè. *Quoties poterit fortunæ intercedet;* hoc est, vt scitè explicat Iustus Lipsius. *Impediet eius vim, & cursum, frænum, aut moram, vt Tribunus decreto eius dabit.*

Iustus Lypsius.

VI

Pergunt verò opinionis minus piæ auctores, & tùm pietatem ex parte allegant: tùm eam pietatem quam non profitentur, sapientiæ velamento obtegentes excusant: Nã in primis tunc pios sese in Deiparã exhibere credunt, si ipsam vix peccato originali fœdatam, mundam, & purgatam reddant: si naufragium passæ, & in seruitutem redactæ, redemptionis tabulam, & auxiliarem manum, & redemptionis pretium porrigant: Deinde verò, quã Deiparæ pietatis partem non concedunt, in maioris sapiẽtiæ parte, quæ potior pietate sit, omninò ponunt. At enim verò de eâ pietate, quam ipsi profitentur, non immerito quis pronunciauerit, quod S. Valerianus homilia 7. dixit. *Crudelis est profectò pietas, quæ scit condolere miseris, & nescit subuenire perituris,* siue etiam quod illemet Stoicus Seneca epistola 95. aiebat: *Quid agimus? quæ damus præcepta? vt parcatur sanguini humano? Quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo homini mansuetus sit.* Vt vterque dixerit, verã esse pietatẽ *subuenire perituris* nè pereant, & casuris ante lapsum manum porrigere, nè cadant; & ante languorẽ adhibere medicinam: quasi crudelitatis genus sit, velle miseriam, vt misero misereamur: Quod quidem si præsenti velis aptare instituto, finge tibi Deiparam in ipsomet Conceptionis instanti velut pulcherrimam, & innocentissimam puellam omnibus corporis, & animi dotibus ornatissimam, quę sub ictu carnificis iamiam iugulanda extaret: ad eum modum, quo innocens Isaac gladio patris è vagina educto, & pœne cruento purpureas iam ceruices dabat, cuius sanè sola pictura post multa sæcula à S. Gregorio Nysseno lachrymas extorquebat, vt ipsemet *in oratione pathetica,* cuius meminit Secunda Synodus Nicæna Actione 4. can. 2. sic fatetur. *Vidi sæpius descriptionis eius rei imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cum tam efficaciter, & ad viuum ob oculos historiam eius rei poneret:* vel vt Iphigenia Agammenonis Regis filia ob oculos patris aris iam imposita, vt pro salute patriæ immolaretur; ad quod spectaculum Sophocles Græcorum duces lugentes, & lamentantes facit: ipsum vero patrem velo caput circumvoluẽtẽ artificiosè fingit, quod tantam illius mœstitiam dignè verbis exprimere non posset.

Nyssen.

Sophol.

Gemitum profundo ducit altum pectore.

Retroque flexo vultu amaras lachrymas
Profudit oculis: ora velis obtegens.

Quis enim rogo, qui pius esse, aut videri vellet, Virginem tunc si posset, morti non statim subduceret, & perituræ subueniret, quin ipsam reapse prius miseram, & ab accepto vulnere mortuam expectaret videre, vt ei seram medicinam adhiberet? ad eum modum, quo magnus poeta Æneid. 4. fabulosam deam Iunonẽ Reginæ Didoni iãiam animam exhalanti, & morte deuorata cum vitâ anxie colluctanti auxilium ferentem inducit.

S. Valerianus.

Seneca.

Virgil.

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem.
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo.
Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus.

Donat. Vbi Donatus (vt iam in superioribus obseruauim⁹ cũ de Deo opportuno Mariæ auxiliatore egimus) sapienter adnotauit, parum opportunam Iunonis opem, quæ Reginam sibi maximè deuotam, incolumen à vulnere non seruauit cum posset, sed post acerbum Didonis dolorẽ longumque luctamen *longum miserata dolorem* importunum illud tulit auxilium: sic enim aiebat Donatus: *In hac parte Iunonis est nota iuuantis morientem, vt celerius vitam efflaret, quæ si quid posset, vitã præstare debuerat, aut viuenti subuenire, cum decerneret mori.* Ita ille.

VII At (inquies) potior est sapientia, quæ pietatem regit, & lachrymas cohibet, nec pro affectu, sed pro ratione miseretur: sed si verè æstimas, hoc ipsissimum erat Stoicorum dogma de quibus dicebat Augustinus: *Congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur.* Nimirum vt vidimus, miseris subuenire, promptum illis erat, sed sine sensu doloris: ita enim iam adductus dicebat Seneca: *Succurret alienis lachrymis, non accedet*; contra monitum nempe Pauli. *Flere cũ flentibus.* Vndè post modum sese explicans inquit. *Misericordia vicina est miseriæ; habet enim aliquid, trahitque ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem, & ipsi suffunduntur: tam meherclè, quàm morbus est, non hilaritas semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere; misericordia vitium est animorum nimis miseriæ fauentium, quam si quis à sapiente exigit, prope est, vt lamentationem exigat, & in alienis funeribus gemitus.*

Augus. *Seneca.*

A B C D E

Hæc ille. Apud quem omnino vides congelatum humanitatis sensum, qui lachrymas cohibet, & misericordiam vitium putat, quasi nimis miseriæ faueat: his sciolis argutiis repugnante diuinâ sapiẽtiâ, quæ maius quidpiam quodammodo putauit in funere Lazari lamentationem edere, & amaras lachrymas, tanquam hominem profundere, quam vt Deum vitæ illum restituere: vt de hâc re inquit Ioannes cap. 11. vers. 33. *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ plorantes infremuit spiritu, & turbauit se ipsum, & lachrymatus est Iesus*: Fluente videlicet per oculos illo humanitatis sensu, qui apud Stoicos congelatus erat: & in ea verba Apollinaris in Catenâ Græcâ Corderij. *Vbi signa homine maiora edit, per quã humaniter lugẽtibus condolet, & idcirco Dei Verbum in corpus hoc descendit, vt homines defunctos deploraret, & incorpoream Diuinitatem ad homines viuificandos permoueret.* Ita ille, vt mõstret à vero abiisse Senecã appingẽtẽ misericordiæ vitium ex sensu humanitatis nimis miseriæ fauentis: atque vt hinc colligas, sapientiæ opus esse subuenire perituris, & miseriæ anticipato auxilio fauere: præsertim verò, vt hinc Moyses præ Helia, & opinio pia præ minus pia laudari debeat: Certe animum sic ipse induco meum, vt credã, tẽpus futurũ, & quidẽ prope, & in foribus esse cũ pia de Mariæ Cõceptione opinio ad instar Moysis apertũ, & diuino splẽdore collucentẽ vultũ toti Ecclesiæ, & omnibus omninò gentibus sit manifestatura: nõ piã verò opinionẽ ad morem Heliæ pallio suo faciem fore obnubilaturam, quasi minus opportunâ pietate perituris subuenerit.

Ioan. 11 *vers.* 13. *Apoll.*

VIII Vbi iam illud pro coronide fuerit maximè adnotandum in opinionis piæ fauorem, data hypotesi, non minus impossibili, quam merũ me-

ridiem

ridiem mediam noctem esse, Mariã originariam labem contraxisse: dũ id quidem de fide certum nobis nõ constasset; neminem tamen negare nobis posse, opinionem piam excusationem, non modo probabilem, sed etiam legitimam, & sapientem, quæ pietati, & benignitati innititur semper habituram: bellissime siquidem suauissimus Plinius Iunior lib. 7. epistol. 28. iam à nobis adnotatione de charactere studij, siue deuotionis Deiparæ allatus, dum notaretur à nonnullis, quod amicos suos ex quãtalibet occasione supra modum laudaret, illis sic occurebat: *Agnosco crimen, amplector etiam. Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti, qui amicos meos melius norint? Sed vt norint, quid inuident mihi felicissimo errore: vt enim non sint tales, quales à me pradicantur: ego tamen beatus quod mihi videntur:* Pulchrè illud. *Quid enim honestius culpa benignitatis?* pulchrius hoc: *Quid inuident mihi felicissimo errore?* vt in benignitate, & honestatem, & felicitatem reponeret: & quidẽ merito, decernente scilicet Rege Theodorico apud Cassiodorum lib. 2. epistol. 30. *Nec debet sub angustis terminis benigna sequi, quem decet, sine fide laudari,* & eodem lib. epist. 9. *Benigni Principis est ad Clementiæ commodum iustitiæ terminos transilire. Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant:* vbi scitè dictum est. *Ad clementiæ commodum* impunè iustitiæ terminos transilire; quasi ad manum pietatis excusatio sit: Enim vero seueriissimus ille virtutis satelles Saluianus Massilienfis, qui omnia ad strictæ iustitiæ normam reuocabat, omnia ad viuum resecare volebat, totusque ad Heliæ morem igneo zelo in peccatores, itidemque in eos, qui vel morientes pauperibus facultates suas non erogabant, ferebatur; pro parentibus tamen, qui præ filiorum pietate cum egenis facultates non diuidebant, hanc pietatis excusationem admittebat: sic enim ille lib. 3. *ad Ecclesiam Catholicam*, inquit: *Habere aliquam excusationem pietatis videntur dicentes. Pietas vicit, vis sanguinis compulit, natura ipsa quasi amoris manu in ius suũ traxit: sciuimus quid iustitia deposceret, quid sacra veritas postularet, sed sub acti (fatemur) sumus iugo incarnatæ necessitudinis, & dedimus captiuas manus vinculis charitatis: cessit sanguini fides, & vicerunt deuotionis, iura pietatis.* Hæc ille. Quanto ergo potiori nos iure modo pro Deipara causſam pietatis perorabimus? quã libenter, quam sine rubore, quam aperto capite dicemus: *Agnosco crimen: amplector etiam. Quid enim honestius culpâ benignitatũ?* quæ Mariæ fauet, & eius immunirati famulatur. Qui sunt tamen isti, qui Deiparam melius norint? *Sed vt norint, quid inuident mihi felicissimo errore.* Vt enim Maria non sit talis, qualis à me prædicatur, quod mihi incredibile, indicibile, & intolerabile auditu est: *Ego tamẽ beatus, quod mihi tota pulchra,* & immaculata, & ab omni labe, & debito peccati originalis immunis, & alienissima *videtur.* Sed & partem illam verborum Saluiani itidem vsurpabimus. *Pietas vicit: vis sanguinis materni compulit: natura ipsa quasi amoris manu in ius suum traxit:* partem vero aliã quam subiicit, sic in melius commutabimus: sciuimus hoc eius dignitatem deposcere, hoc Sacram veritatem postulare: ideò subacti tum iugo incarnatæ necessitudinis; tum vinculis pietatis dedimus captiuas manus opinioni piæ.

Plinius Iunior. *Cassiod.* *Saluian.*

Ecce tibi probabilem, & legitimam propietate excusationem. Erit nè tibi pro opinione minus pia ad manum similis excusatio? cum vna ex parte pietatis excusationẽ IX

ipsemet, vel tuæ opinionis nomine excluseris; ex alia verò nulla sit vrgens ratio, obquam Deiparam originariam labem contraxisse affirmaueris: vt sapiens Rex Aragoniæ Ioannes in Regio suo edicto, cuius mentionem fecimus, & maiorem subinde faciemus, sapienter obseruauit: quippè cum præscripsisset: *Quibuslibet Euangelizantibus, siue prædicantibus verbum Dei, nè quidquam exponerent, vel proferrent in aliquam puritatis ipsi⁹ benedictæ Conceptionis iacturam*, addidisset que, *sed potius dicti prædicatores, & qui aliud voluerint sentire, stricte digitū ori suo apponāt*: subiicit prudentissime: *Cum nulla id exigat fides orthoxæ necessitas confiteri.* Cui quidem rationi omninò adstipulatus fuit Abulensis paradoxa prima cap. 11. affirmans piam opinionem defendi, *sine præiudicio alicuius veritatis cognitæ, aut apparentis.* Sed totam eius sententiam in adnotationem sequentem commodius transmittemus, cū ibi propriam sedem habeat: modo præfatum Sexti Pythagorei placitū constanter amplectere. *Sententiam quæ misericordiam vetat* (Deiparæ præstandam) *non solum tenere, sed vel audire refuge.*

Ioannes Rex. *Abul.*

Opinionem piam, quà pia est, tutam esse, atque securam.

ADNOTATIO II.

I ADEST pietati securitas & dum pia opinio pietati adhæret, tuta quidem, & secura opinio est: pulchrè quidem, & ore regio, & sapienti Rex Theodoricus apud Cassiodor. lib. 11. epistol. 40. præscribebat. *Qui periculose iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus*: obserua vtramque diuinæ sententiæ partē: *Qui periculosè* (inquit) *iusti sumus*: Quare *periculosè iusti?* Aut quo modo virtus periculo, & discrimini obnoxia esse possit? Respondeo ex discrimine, eoque ingenti, quod inter iustitiam, & misericordiam, & haram virtutum obiecta intercedit. Nimirum misericordia, & benignitas vix modum aut mensuram habet: sed quo magis per alienæ miseriæ campum discurrit, & expatiatur, eo maior, & perfectior est: Vndè idemmet Rex Theodoricus dicebat lib. 2. epistola 30. *Clementia non habet legem, nec debet sub angustis terminis benigna segui, quem decet sine fine laudari*: & Rex ipse regum elegantiori, & significantiore locutione Petro de modo, & mensurâ veniæ peccatori dādæ interroganti: *Quoties in me peccauit frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* Respondit. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*, Matth. 18. vers. 22. *Numerum infinitum in denarium cōuersum* (inquit Maldonatus ibi) *& per eundē multiplicatū magis infinitum reddidit*, ac si dixerit: nō solū dico tibi, vt innumerabilibus vicibus fratri remittas, sed etiā innumerabiliter innumerabilibus, quod bene expressit ad ea verba Hilar. Can. 18. *in Matthæū*, inquiens. *Ostendit sine modo, ac numero veniā nobis esse reddendam, nec cogitandum quoties remittamus*: Ad quem etiam modum, si egeno duo minuta dare misericordia est; viginti reddere, maior misericordia fuerit. Quæ quidem ratio siue Oeconomica distributio in iustitiâ locum non habet: hæc siquidē certos, & designatos terminos habet, quos si vel latum vnguem excesserit, adeò non erit maior iustitia, vt potius in iniustitiam desinat, & iniuria appelletur: vt sapienter

Idem. *Matth. 18. v. 22* *Mald.* *Hilar.* *Cassiod.*

Ber-

Bernar. Bernardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium cap. 8. *Quid tam iustitiæ, quàm modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè tribuit, quod suum est.* Vndè ante citata verba quibus laxas clementiæ habenas dãdas esse præscribebat Rex Theodoricus, strictum iræ vindicatiuæ frænum iniciendum fore, sic præmisit. *Ira leuis coerceatur grauissimis institutis: impatiens ambitio iure frænetur.* Quod hausisse videtur

Aristo. ex Aristotele lib. 4. Æthicorum capit. 5. angustissimos terminos vltrici iræ præscribente, & multimodis temporis, loci, & personarum circũstantiis eam sic alliganti: *Is igitur, qui pro quibus, & quibus opportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet irascitur, laudatur: estque hic mansuetus:* Ita

Bernar. ille, ad cuius mentem Bernardus epist. 69. *ad Guidonem*, sic absolutè docet. *Non irasci, vbi irascendum est & nolle emendare peccatum, peccatum est: plus verò irasci, quam irascẽdum est, peccatum peccato addere est,* & similiter S. Isidorus Peluſiota lib.

Isidor. Pelus. 3. epist. 327. *Nam cum quispiam maiores delictus cruciatus infert, rursum iniuriæ auspex est.* Vides manifestũ inter misericordiam absoluentem, siue indulgentem, & liberaliter distribuentem; & inter iram vindicantem, siue iram vltricem discrimen? dum iustitia plus irascens, quam irascendum est, iniustitia, & iniuria est: misericordia vero plusplus dilatata, maior misericordia, & perfectior virtus est.

II Nec hoc discrimine contentus, aliud etiam huic consectarium addidero, quod vt vna ex parte misericordia temere præstanda non sit, benè monente Seneca lib. 1. *de Clementia*, cap. 2.

Seneca. *Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, nec abscissam. Nam tam omnibus ignoscere crudelitas, quam nulli:* & cod. lib. cap. 5. *Anus, & mulierculæ sunt, quæ lachrymis nocentissimorum mouẽtur, quæ si liceret, carcerẽs effringerent:* At enim, neque ex aliâ quæsitissimo examine, accuratissima disquisitione opus habet; sed vt primum miseriæ facies aliqua luce perfusa innotuit, laudabiliter misericordia exhibetur: quid enim necesse fuerit, vt quadrantem egeno eroges, illius miseriam quingentis interrogationibus examinare, & velut in eculeo suspendere, vt planum faciat miserum se, & pauperem, ac fracta valetudine esse: vnde de suo sapiente idem Seneca epist. 95. *Dabit egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volũt, abiicit, & fastidit quos adiuuat.* Quod planè in iustitia vindicatiua secus se habet; nam ad illam in fontes exercẽdam, non nisi summa diligentia adhibitâ, & exactissima cognitione præmissa, & longa cunctatione, & attentione accedendum est: præcipiente Domino apud Isaiam cap. 1. vers. 17. *Subuenite oppresso*, vbi Hebræa benè expensa habent. *Fermẽtate iudicium*, siue: *beatum dicite iudicem fermentantem iudicium:* vt imagine à massa desumpta; à quatum subigenda, tùm in furnum mittenda superſedendum est, donec ipsa fermenti ei iniecti gustum saporemque recipiat, mònuerit Dominus: nè debita examinum, & probationum: itemque accuratæ considerationis, & consultissimæ deliberationis spatia in iudiciis ferẽdis prætermittant: sed lento gradu ad necẽ homini inferendam gradiantur, nè dum ipsi fontes supplicio afficiũtur, tanquam insontes plecti videãtur, vt apud Cornel. Tacitum lib. 1. historiar. nocentissimi rei Cingonius Varro proditionis socius, & Petronius Turpilianus è familiaribus Neronis *inauditi, atque in defensi velut innocentes* periisse dicuntur. Vndè quidem Dei manus ad bene-

Isai. 1. vers. 17. Lect. Hebræa.

Cornel. Tacit.

ficia

ficia conferenda, siue ad reum absoluendum aperiri dicitur a Dauide Psal. 103. veri. 28. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*, vt innuatur facilitas, & promptitudo: sic ibi adnotauit Basilius in Scholijs, & ab eo Theodoretus, atque Chrysostomus. *Quemadmodũ enim in prõptu est digitos introrsum vergentes extendere, ita facile Deo est, vberem omnium bonorum dare prouentum*: ad puniendum vero ab eodem Vate *iustitia plena* describitur Psalm. 47. veri. 11. quasi omnibus numeris absoluta, quin illi aliqua tẽporis, modi, aut debiti examinis circunstantia desit.

Psa. 103 *vers.* 28.

Basilius Theodo. Chrysos.

Psal. 47. *vers.* 11.

III. Quod planè euidentissimè appareat in ipsomet videndi modo, quo & ad misericordiam præstandam, & ad pœnam inferendam ipsemet vtitur: quippè Deus iam *de cœlo* respicere dicitur: iam de cœlo descendere vt videat: ita enim primum Vates *de cœlo respexit Dominꝰ, & vidit omnes filios hominum*, Psal. 32. vers. 13. Deinde verò Moyses ipsum, temerariam audaciam eorũ, qui turrim ad cœlum perringentem attollere molirebantur, ad terram descendentem, vt videret, sic facit. *Descendit Dominus, vt videret Ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adã.* Genes. 11. v. 5. vbi si ambigas: cur ipsemet, & *de cœlo* respicere, & inde videre omnes filios hominum; & simul de cœlo descendere ad videndum asseratur? Siue cur iam inde iam hìc? siue cur non semper è cœlo: aut semper descendens vt res videat, inducatur? cum *oculi eius multo lucidiores super solem, circunspicientes omnes vias hominum, & profundũ abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Ecclesiastici 23. ver. 28. Ad manum est responsio ex Basilio in Psal. 32 & ex proprietate verbi *respicio*, quod significat: *benignioribus oculis* hoc est ad benefaciendum, & parcendum intueri; Deum ad beneficia, & veniam, ac indulgentiam hominibus danda, è cœlo tanquam è propria sede respicere; ad peccatores vero puniendos, notanter quasi de cœlo descendere à Moyse induci: vt priusquam ad pœnam inferẽdam accedat, eorum crimina prius videre, & examinare, atque discutere, ac velut introspicere videatur; vt inde moneamur: alia nobis via, ac ratione ad ignoscendum siue ad benefaciendum, atque ad iudicandum, & puniendum eũdum esse: quippè ad veniam dandam siue ad auxilium præstandum, non opus est omnes omninò rationes discutere, & longo examine ad calculos reuocare, vel ad amussim expẽdere: at verò cum ad decretorium stylum deuenitur, & iudicium in aliquem ferendum est, oportere prius oculis singillatim omnia perlustrare, atque intus, & in cute dignoscere, nè quid sit, quod aut absentẽ lateat, aut eminus positum fallat: sic

Psal. 32. *vers.* 13.

Gene. 11 *vers.* 5.

Eccl. 23 *vers.* 28.

Basil.

id obseruante Philone Hebræo *lib. de confusione linguarum* ad præfata Moysis verba: *Vocabula migratorij motus nequaquam Deo conueniunt, sed nihilominus tamen dicitur Deus descendens visere, qui omnia prius etiam, quam fiant, clarissimè præuidet: vt doceamur, nè quis homo de absentibus rebus, & incertis putet, se certum posse iudicium facere; sed potius introspecto negotio diligenter cũcta perlustret*: Bernard. verò vtrãque thesis partem scite confirmat: dum illa verba lib. 1. Reg. 15. vers. 35. *Lugebat Samuel Saulem*, sic premit in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Vera misericordia non iudicat, sed afficit: non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio vbi affectio trahit. Iustitia meritum quærit, misericordia miseriam intuetur.* Hæc ille, & quidem recte inter iudicandum, & miserendum distinguens.

Philon.

1. *Reg.* 15. *v.* 35 *Bernar.*

Ergo

IV *Casiod.*

Ergo ex his benè secum perpensis legitimè inferebat Rex Theodoricus. *Qui periculosè iusti sumus sub securitate semper ignoscimus:* vt omninò adstruat: non solum clementiæ, aut misericordię, sed etiam prudentiæ, immò iuris, & iustitiæ opus esse, siue in re dubiâ, & ancipiti misericordiæ adhærere, & reum absoluere: siue in ipsa iustitiâ exercendâ ab ipso summo, & strictissimo iure paulisper deflectere, quin extrema iustitiæ linea attingatur. Nimirum cum vnà ex parte arduum, & anceps sit, inuenire inter extrema medium, præsertim illud, quod scrupulari iudicio opus habet: ex alia verò vitium, siue præcipitium, non tam intra iustitiæ terminos, cum videlicet omnes vindicatiuæ iustitiæ numeri non implentur; quam extra illos consistere, cũ iustitiæ modus nõ tenetur, & plus irascimur peccato, quam irascendum est: legitima argumentatione videtur concludi *sub securitate semper ignosci*, & iustitiæ quidem partem esse misericordiam præstare, nec sine caussa dixisse Sophoclem:

Non improborum, at iuris miseratio est.

Marci.

Certè Marcianus Iure Consultus, isque legum verus custos, rigidusque satellcs, cum *in lege perspiciendum, D. de pœnis*, iudici in primis præscribat, nè clementiæ gloriam affectet, sed perpenso iudicio provt res postulauerit, decernat; his verbis: *Perspiciendum est iudicanti, ne quid aut remissius constituatur, quã caussa deposcit: neque enim, aut seueritatis, aut Clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso iudicio prout quæque res expostulat, statuendum est:* statim ipsum ius plus explicans, iustitiam non nisi in benignitatem desinere debere, siue in leuibus, siue in grauioribus caussis, ita pronũciat. *Planè in leuioribus caussis promtiores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum cũ aliquo temperamento benignitatis subsequi:* Ita ille: verum totam cogitationem, quam dedimus expresit, & exhausit Seneca lib. 1. *de Clementiâ*, cap. 2. inquiens: *Modum tenere debemus, sed quia difficile est tẽperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorẽ præponderet:* ita ille. Apud quem obserua illud: *quia difficile est temperamẽtum:* ideſt medium inter extrema, & causſæ iugulum inuenire; nè periculose iustitia exerceatur, in partẽ humaniorem libram præponderare fuerit operæ pretium: In quam sententiam ipsemet Gentilis Seneca epist. 81. absolutè pronunciat. *Semper quod dubium est, humanitas inclinat in melius, & paribus sententiis reus absoluitur*, & Chrysostomus in Catena S. Thomæ ad capit. 23. Matthæi ab hoc non longius abiens inquit: *Si erramus moderam pœnitentiam imponentes, nonnè melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem.*

Seneca.

Chrysos.

V

Sunt iam hæc omnia è re, & instituto nostro: quippè hoc sensu imbutus Abulensis vir in omni litteratura vsque ad miraculum excultissimus, & grande Hispaniæ decus Paradoxa primà cap. 11. pro immunitate Deiparæ sic sententiam tulit. *Quia in rebus dubiis, quod tutius, & fauorabilius, est eligendum: & cum tutius sit, atque fauorabilius, & sine præiudicio alicuius veritatis cognitæ aut apparẽtis, Dominã nostram prorsus ab omni originali labe fuisse immunem, quam eam originali contagione asserere fuisse pollutam: rectè eligere debemus asserere, eam sine originali peccato fuisse conceptam: si autem quispiam filius seditionis, spiritu dissensionis stimulatus in nos insurgere voluerit, non ei in eodem contentionis spiritu resistamus, quia Ecclesia talem morem non habet.* Hactenus Abulensis. Omitto extrema hæc

Abul.

verba

verba, quæ è re nostra non sunt, & obseruo illam caussalem. *Quia in rebus dubiis, quod tutius, & fauorabilius est eligendum*: & ex illâ factâ illationē: *rectè eligere debemus asserere*: quasi opus rectitudinis, & iustitiæ sit immunitatem Deiparæ defendere; & indubitâter asserere: ipsam *sine originali peccato fuisse conceptam*: Et quidem rectè cum paribus sententiis reus absoluatur, & semper quod dubium est, humanitas inclinet in melius: & quod hic *Cassiod.* signatè locum habeat Regis Theodorici gnome, *periculosè iusti sumus, & subsecuritate semper ignoscimus*. Quid enim periculosius, quâ Deiparam paribus ad minus sententiis peccati originalis ream facere, cum possis ipsam iuxta iuris regulas absoluere? Quid tutius? quid securius? quam Dei genitricem liberam ab omni labe reddere? Hùc scripturis, Conciliis, PP. Scriptoribus, & cunctis Christianis populis concurrentibus? cum id sit fauorabilius, & sine præiudicio alicuius veritatis cognitæ.

VI *Seneca.* Sed premerationem, & caussam: *cum tutius sit*. Quare tutius? Respōdet Seneca. Quod *quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderare debet*. Quod si rursus inquiras. Cur in partem humaniorem præponderare debeat? occurrit ipse præmittens: *Modum tenere debemus, sed quia difficile est tē peramentum*, vt dixerit cum Bernar- *Bernar.* do: *Quid tam iustitiæ, quā modus?* At verò cum modum siue medium tenere anceps sit: si stricto iuri, & iustitiæ inhęreas periculosè incedis: nam si lineam transilias pro iure iniuriam facis: cum tamen è contra sub securitate ignoscas, & iustitiæ terminos ad Clementiæ commodū transilieris: pulchrè eodem Rege *Cassiod.* Theodorico lib. 2. epist. 9. affirmāte. *Benigni Principis est, ad clementiæ commodū iustitiæ terminos trā-*

silire: pulchramque rationem reddente. *Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere, honorabiliter non recusant.* Verum enim vero exactissimam rationem à iure, A & iustitiâ petitam ex ipsismet Cæsarianis legibus, & iure ciuili reddideris, præscriptam in *lege Arrianus, ff. de obligationibus, & actionibus*, præscribente ibi Iure Consulto: *Vlpian.* *Promptiores ad absoluendum, quam ad condemnandum nos esse debere*, itidemque: *Melius esse nocentem absolui, quam innocentem condemnari*: vt dixerit, vt vt bonū sit nocentem pœnas dare: at melius in re B dubia fuerit, ipsum impunem abire, quam innocentem damnari, quod id contra ius, & contra ipsammet humanitatem fuerit: Vide ergo quare tutius sit Dei genitricem originalis peccati immunem asserere, quā C eius culpæ ream facere, quia in re, quæ explorati iuris non est, melius sit nocentem absolui, quam innocētem condemnari. Quod si merito *Chrysost.* laudatur Chrysostomus in Catenâ S. Thomæ ad cap. 23. Matthæi inquiens: *Si erramus modicam pœnitētiam imponentes, nonnè melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem?* Nimirum tunc, ideſt in re dubia non D erramus: pulchrè obseruante S. Bru- *Bruno.* none in allegoriis Gotfridi Tilmani ad cap. 32. Exodi: Moysem puniturum populum ob vituli peccatum, prius legis tabulas confregisse, vt qui Dominum pro miseris peccatoribus iam orauerat, scriptæ legis rigorem infringeret, & moderatius castigare, quam omnia ad viuum resecare opportunius crederet: *Noluit* (inquit Bruno) *cum tabulis, noluit cum rigore legis ad populum delinquentem venire, sed tabulas fregit, legem euacuauit, & populo delinquenti pepercit. Quoties Episcopus respectu pietatis alicui misereatur, & timens, nè in peius ruat, non secundū*

cano-

canones eum misericorditer iudicat, toties tabulas frangit, & legis auctoritatem relinquit. Hoc autem non magnum puto esse peccatum. Vnde Moyses pro fractis tabulis nusquã à Domino reprehenditur. Quanto potiori iure laudaueris eum, qui in caussa immunitatis Deiparæ rigorem legis communis, omnes homines peccato originali addicentis, velut tabulas legis confregerit, vt Mariam ab omni omninò labe liberum faciat: vel mihi dicito quisvnquã ob hanc caussam, vel à Romano Pontifice, vel à Conciliis, aut à PP. & Ecclesiæ Magistris, siue Scriptoribus (excepto Bãdello, & eius asseclis) reprehensus fuit? cũ certò sciamus iniectum opinioni minus piæ a Pontificibus silentij frænum: itidemque grauiter ab Academia Parisiẽsi obiurgatos Doctores, qui eam opinionem liberius explicassent, & quod plus est, cum non desit, qui affirmet candidissimam S. Bernardi vestem aliqua labe intinctam, quod ei nimis adhæserit, cumque tandem apud vniuersum populum Christianum, non benè audiat, nec æquis auribus excipiatur.

VII *Arist.* Sed & huc opportunè aduocaueris præscriptos illos ab Aristotele iustitiæ terminos, *qui pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur, & hic est mansuetus*: In quibus, vt alia omittam, siue in alium locum transmittam: vide duo: alterum, quam minus opportunè iustitiæ gladium in Deiparam stringat, qui benignè, comiter, & vrbane cum illa se gerens iuri, & iustitiæ plenius, & vberius satisfacit: huc legibus, & iuribus euntibus, quæ benignitatem seueritati anteferunt, & promptiores ad absoluendum, quam ad condemnãdum nos esse volunt, quæ proniores ad lenitatem iudices esse volunt, quæ melius iudicant, nocentem reum absolui, quam innocentem condemnari: præsertim verò cum hac in re sic benignitatem sectemur, vt caussam nõ leui oculo velut è longe aspiciamus (vt ad præstandam misericordiam satis esse commonstrabamus) sed illam vndequaque examinando, & rationes hinc illinc discutiendo, & ad exactissimos scripturæ, atque Theologiæ, & omnimodæ eruditionis calculos reuocando. Alterum dum præscribit iustæ iracundiæ Philosophus: *Cum oportet, & quanto in tempore oportet irascitur.* Nimirum hodierna tẽpestate nihil minus opportunum hac iustitiæ, siue seueritatis ratione fuerit, cum tota Ecclesia totusque populus Christianus, omnis status, omnis ætas, omnis sexus tenerrimo, & constantissimo affectu immunitatem Mariæ amplectatur, & quod de opinione immortalitatem animæ, & Dei prouidentiã asserente dixit Plinius lib. 2. cap. 7. *Pariterque, & eruditum vulgus, & rude in eam cursu vadit.* Vndè sapiens ille, & bonus Magister Frater Vincentius Iustinianus Antist. Dominicanus in additionibus ad historiam B. Ludouici Beltram, §. 14. sic suos salubriter, & opportunè commonefacit. *Vndè siquidem iam in Hispaniâ, & in Indiis, & in Galliâ, & pœne in totâ Europâ contra piam opinionem, aut scribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quam malè canere, & in malo cantu durare, atque eos imitari, qui per montis cliuum mollarem lapidem deferre contendunt, & occasionem dare, vt ipsis illud ex Terentio occinatur.* Frustra niti, & laborando nihil aliud, quam odium quærere, extremæ dementiæ est: *Nimirũ, qui huic opinioni operã nauant, & aliis persuadere volunt, nec vnquam voti cõpotes euadent, & omnibus modo fastidio sunt: magnæ quidem prudẽtiæ opus fuerit, eam iam opinionem omninò deserere, quemadmodum ij, qui col*

Plin.

Vincen. Iustin.

laben-

labentem iam iam domum vidēt, maturâ fugâ ab ipsa se subducunt. Talis quippè est opinio nō pia, vt hodie vix inueniatur, qui eam sustentare, nisi inuitus velit. Iam illi desunt Cathedræ, suggesta, Cōfessionaria, & libri typis excusi: iam Regum diademata, iam Episcoporum mythræ, iam Cardinalium galeri, iam Pontificum Thyaræ, & ipsamet Concilia, quando Oecumenicum, & sacro Sanctum Concilium Tridentinum omninò protestatū est: Non esse suæ intentionis comprehēdere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. Hæc omnia doctissimus Pater Vincentius Iustinianus Antist. ibi.

Opinio pia, felix, faustaque est.

ADNOTATIO III.

I QVI opinionem de MARIÆ immunitate, piam esse nouimus: faustam itidem, & felicem, & quæ Auctores suos felices faciat, omninò esse dicimus. Nam in primis, quod adeò pulchrum fuerit felicitatis genus, quam fecisse felicem: immò vero idest esse felicem: sic nāque Æneā Reginam Didonem demulcentē, vt suos suorūque labores leuaret inducit magnus poeta lib. 1. Æneidorum. *Virgil.*

Sis felix, nostrūque leues quæcumq; laborem.

Vbi opportunè Seruius. *Felix dicitur, & qui habet felicitatem, & qui facit esse felicem:* quam verò opportuniorem Deiparæ felicitatem assignaueris, quam ab originaria labe non minus ac à quauis actuali peccato penitus immunem fuisse? dixit quippè sapienter Cyprianus epist. 3. *Primum felicitatis genus est, non delinquere: secundum verò delicta cognoscere, & retractare:* Vide ergo in quo fastigio felicitatis Mariam colloces, qui eam nunquam, vel in Adamo ipso deliquisse affirmas: vide etiam in quo itidem felicitatis culmine te ipsum constitueris, qui MARIAM eiusmodi felicem facis? Audi S. Bonauenturam in Psalterio Virginis pro tua felicitate ita fideiubentem: *Beatus vir, qui diligit nomen tuum Maria Virgo: gratia tua animam eius confortabit, tanquam aquarū fontibus irrigatam: vberes in eo fructus iustitiæ propagabis:* ita ille: Preme illa: *Beatus qui diligit nomen tuum Maria Virgo:* obseruans beatitudinem, siue felicitatem ex mente Bonauenturæ in eo sitam esse, vt Mariæ nomen diligatur, non solū amoris impetu, sed potissimū dilectionis iudicio (eam enim vim habet verbum diligo) quo non tam ad vocis sonum, quam ad sensum rei aspicimus; ac proinde in Mariæ nomine eius immunitatem ab omni labe: prout *Dominam ab Aunâ*, id est à gratia progenitam (vt superius vidimus cum ex Mariæ nomine eius immunitatem asseramus) nec non vt Dei Matrem decet: eo plane sensu, quo Anselmus nemini nō notus, probat⁹, & adduct⁹ in officio Conceptionis Leonardi Nogarolis à Sixto IV. approbato, & laudato cum præmisisset. *Angelos, alsis peccantibus à peccato seruauit, & fœminam Matrem suam futuram, ab aliorum peccatis exortem seruare non potuit?* opportunè dixit. *In æternitate consilij sui statuit, eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiā Angelis datam, in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum?* Vbi, si verè æstimas, ex sensu nominis *MARIÆ*, quod interpretatur *Cypria.* *Bonau.* *Anſel.*

preta tur *Domina*, vt vidimus, omninò persuasũ fuit Anselmo à consortio hominũ peccatorũ, tanquã Dominã à seruis in Cõceptione discriminandam fore: iam verò hũc fuisse sensum Bonauenturæ dicentis: *Beatus vir, qui diligit nomen tuum MARIA Virgo*: inde liquet; quod statim subdit: *Præbe ingenui memoriam nominis tui*: pulchrè MARIÆ nomen *ingenuum* appellans: hoc est nobile, liberũ, & ius atquè ornamentũ ingenuitatis habens: cũ allusione ad eos, qui ingenui, hoc est in libertate cõcepti, & nati dicebantur: vt precetur S. Doctor Deiparam, nè nobis vnquã pura, & illibata eius Cõceptio, & immunitas à peccato, memoria excidat, vt ab ea felices semper simus.

II *Prouer. 8. v. 34.* Concinit his ipsamet diuinæ sapiẽtiæ Mater, quæ sibi optimo merito sapientiæ personam, & verba sumit, Prouerbiorum. 8. versicul. 34. primum monens. *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abiicere eam*: deinde sic indulgẽs: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei: Qui me inuenerit, inueniet vitã, & hauriet salutem â Domino*: obserua singula: & illa in primis quibus beatum dicit, atque felicem eum *qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei*: vbi Lectio *Lect. Hebræ.* Hebræa verbo ad verbum habet: *Et custodierit postes ostiorũ meorũ*, nec multo aliter Caiet. inquiẽs: *Caiet. LXX.* *Iuxta Hebræã habetur: Ad custodiendũ postes ostiorũ meorũ*, & LXX. reponẽtes. *Seruãs limina meorũ introitũ*: Qui sint autẽ postes ostiorũ sapientiæ ex Hugone, Beda, & Caietano discẽs, sub hac imagine Doctores, & Magistros intelligentes, quod per ipsos, quasi per limina ad sapiẽtiã penetrent, quotquot illius cõpotes euadũt. Qua vero ratione sub hoc sensu verba Deiparæ capiẽda sint: ita explicat P. Salazarius, *Salazar.* *Per postes intelligo Doctores Sanctos, qui sanè nos ad Virginẽ manuducũt; atque adeò per eos, quasi limina ad illam adire possumus. Nam dum tanta, tamque sublimia de Virgine prædicant: quanto amore à nobis prosequenda, quanto studio colenda sit, declarant.* Hæc ille. Quod si attendis; subest illi modo dicendi, *postes ostij mei* peculiaris epitasis præsertim iuxta expositionem Caietani. *Postes ostiorum sapientiæ sunt Doctores sustinentes ostia*: vt videlicet ij Doctores signatè felices, & beati prædicentur, qui tanquam fortissimæ columnæ sustinent ostia domus sapientiæ: immaculatum videlicet Mariæ in vitam introitum, siue ostium Conceptionis, per quod in mundum ingressa est, verbis, scriptis, concionibus, libris eruditione, & pietate refertis adornant. Nam, si meministi, introitus templi Salomonis, quod domus Dei, & domus sapientiæ erat oliuarum lignis, & palmarum sculpturis constabat: sic enim habes 3. Regum 6. versic. 33. *3. Reg. 6 vers. 33.* *In introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis extrinsecus, & sculpsit cherubim, & palmas, & cœlaturas valde eminentes*: Sanè vt esset argumento ostium, siue ingressum Conceptionis MARIÆ, & oliua, quæ misericordiam significat, & palma, quæ est victoriæ insigne præditum esse. Quæ quidem omnia luculenter præfato loco confirmat P. *Salazar LXX.* Salazar ad ea verba iuxta lectionem LXX. *Et obseruat limina meorum ingressuum*, aut, *introituum*, vbi cum dixisset: *Triplicem quidem Virginis ingressum excogitare possumus: scilcet ingressum in Annæ vterum in die Conceptionis: ingressum in mundum in die Natiuitatis: & ingressum in cœlum in die Assumptionis. Horum ingressuum*

limina nihil aliud, aut decorare, aut nobilitare potuit, nisi gratia affluens, quâ Deus Virginẽ præuenit: Subiicit pro re nostrâ: *Docet ergo Deipara, beatũ planè esse, qui suorũ ingressuũ terminos, & limina obseruat: id est qui ita illã gratiis omnibus cumulatã in cœlos penetrasse credit, vt eandẽ gratia affluentẽ in mundũ introisse, & non sine abundanti gratiâ in Annæ vterũ impressam fuisse sentit: atquè dũ ingressus istos obseruat, & colit, eâ ratione Virginis gratiam vbique fassus, eius dẽ Virginis gratiã init, & beneuolentiam sibi conciliat.* Hæc optimus Auctor.

III Erit verò operæ prætiũ premere accuratam locutionem, quâ *Doctores sustinentes ostia*, felices, ac beati dicuntur: nam non modica quidem sustinentia opus est, vt tanquam columnæ, quibus ostia incumbunt, piã opinionem tuearis, sed *in multâ patientiâ, & doctrinâ* aduersariæ opinionis argumentationibus, & artibus obsistas: & continuæ Scripturarum, & Patrum lectioni, & expositioni indefessam operam naues. Hinc enim fit, vt ab egregia pię opinionis firmitate, & soliditate, alteri opinioni omninò præferendę fuerit felix, ac beatus futurus sit Doctor sustinens immaculata hæc ostia: Quare omninò obserua ea Beatę Virginis verba, quibus opinionis minus piæ Auctores comiter, & vrbanè affari videtur. *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eã*: quæ ex Hebræo Pagninus sic legit: *Audite eruditionem, & sapientes eritis, & nè postponatis eam*, vt dixerit: Date operam eruditioni, scrutamini scripturas, euoluite Patres, legite infinitos Scriptores, expendite ab illis tot rationum & argumentorum momenta, & dubio procul *sapientes* hâc in re *eritis*, nec subinde postposueritis piam de meâ Conceptione sententiam: sed eam opinioni minus piæ longo interuallo præponere studebitis. Vndè statim subiicit. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: Vitæ & salutis nominibus quæcumque fortunata, felicia, ac fausta sunt promittens, vt prosperâ, æquabili, perpetuaque fortuna secũdo vitæ fine vllâ offensione cursu procedant: vti (si rem attentius consideras) hæc omnia piæ opinionis Auctoribus, assecliscque obtingunt: dum eâ ratione (quod primũ est, & maximi debet fieri) Beatissimæ Virginis gratiam ineunt, & eius charitatẽ, ac studiũ, sibi cõciliant: magnas indulgẽtias, & gratias a Summis Põtificibus benignè cõcessas feliciter elucrantur: benè omninò audiunt apud fideles, & multitudinis animos ad beneuolentiã alliciunt: internis animi, & externis corporis morbis opportunam medicinam adipiscũtur: de animi morbis affirmante Venerabili Magistro Ioanne de Auila summæ virtutis, & doctrinæ viro: & de corporis ægritudinibus testantibus nostris Annalibus P. Didacum Laynez nostræ Societatis secundũ à B.P.N. Ignatio Propositũ Generalẽ, qui Concilio Tridentino piæ opinionis mirificè studiosus inter fuit, purissimæ Cõceptionis Mariæ inuocatione, quãplurimis ægrotis salutẽ obtinuisse: vt iam de piæ Cõceptionis asseclis quos ipsa Deipara sapientes appellauit illis verbis, *estote sapiẽtes*; omnino dixeris, quod M. Tullius lib. 3. *definibus*, inquit: *Necessariò sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolutè, fortunatè viuere nullâ re impediri, nullâ prohiberi, nulla egere*. Hæc ille.

Iam pro veræ felicitatis cumulo Sanctissima Virgo æternã vitã suis IV cultoribus studiosè ipsã elucidantibus, & cõtra originalis peccati tenebras, quas alij offundunt infracto robore pugnãtibus, sic absolutè pollicetur, Eccles. 24. v. 36. *Qui audit me nõ confundetur: & qui operãtur* Eccl. 24 vers. 36.

in me

in me, nõ peccabũt. Qui elucidãt me vitã æternã habebunt. Et ſtatim notãtiſsime. *Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentũ altiſsimi, & agnitio veritatis:* vbi cum primũ quid boni ex cultura ſapientiæ ſint cõſecuturi eius auditores ſignificaſſet illis verbis, *non confundetur;* hoc eſt aperto capite, & libera fronte cũ honore, & laude piam opinionem confitebitur; ſtatim egregia, & ſempiterna bona, quæ Doctoribus eiuſdẽ opinis, qui eã in lucẽ proferunt, & ſplẽdidiorẽ ſuis cõcionibus, & ſcriptis reddunt, & clariorẽ aliis faciunt, dũ eam ſcripturæ, & Patrũ monumẽtis confirmant, & rationum momentis explanãt (Hi enim ſunt, qui *elucidãt* ſapiẽtiã: Vndè lectio Tigurina reponit: *interpretes mei,*) omninò aperit ſubdens: *Vitam æternã habebũt.* Hęc verba de Deipara pulchrè accipiẽte ſub hoc ſenſu ſapiẽtiſsimo Idiota *incontẽplatione Mariæ*, c. 1. hunc in modũ ipſam allocutus: *Impetra tuis aſſiduis poſtulationibus, vt te laudẽ, te glorificẽ, te benedicã, tuas virtutes euarrẽ, tua mirabilia nunciem, tuã exẽplarem, & Deificã vitã prædicẽ, ſcripta de te elucidẽ, vt habeã in laudibus tuis vitã æternã: imò in vita æterna laudes tuas, & ſuper benedicti Filij tui concinã: quia ſcriptũ eſt:* Qui elucidant me, vitã æternã habebũt. *Quod ſi de tuo Filio, qui eſt Dei ſapiẽtia, id dictũ eſt: de te etiã, quæ es eius ſuperexaltata, & ſuperbenedicta Mater, id negandũ nõ eſt:* ſic ſapiẽs ille. Obſerua illa *vt habeã in laudibus tuis vitã æternã:* Sane quaſi Mariã vndequaque laudare, ſignatè verò ipſam elucidare, & ab omnimoda immunitate clariorẽ reddere felicisſimè viuere fuerit: & iã perfrui beatitudine in hac vita, quæ futuræ etiã pignus ſit: idcirco ſubiiciẽte Idiota: *immo in vitã æternã laudes tuas.*

Lect. Tygurin.

Idiota.

V *Caniſ.*

Sed enim, vt hæc cogitatio vndequaq; ſubſiſtat: adeũdus eſt P. Petr. Caniſ. lib. 1. *de Mariã Deipara Virgine*, c. 1. inquiens: *Hieronymus, aut potius, quẽ ille latine cõuertit Philo Hebraicorũ quidẽ litterarũ peritiſsimus ita ſcribit: Mariã plerique exiſtimãt interpretari: Illuminant me iſti:* ita ille: c cõp one ergo cũ nomine Mariæ *illuminãt me iſti*, verba ipſius Dominæ. *Qui elucidãt me:* quid enim fuerit *elucidãt me*, quã *illuminãt me iſti?* Quid vero fuerit Mariã illuminare: quã ipſam à nocte, & tenebris peccati originalis immunẽ, acproinde ſolis radiis clariorẽ, & ſplẽdidiorẽ facere? Nimirũ, vt iam vidiſti ſub hoc ſenſu Mariã Auroram fuiſſe multis adſtruximus in primis prioris libri adnotationibus: ſignatè verò ex Bernardo *in deprecatione ad glorioſam Virginẽ Mariã*, dicente: *Sicut Aurora valde rutilãs in hũc mundũ ingreſſa es, ò Maria, quando veri ſolis ſplẽdorẽ tantæ claritatis iubare præcurriſti, vt verè diẽ ſalutis dixerim, diẽ propitiationis, diẽ quem fecit Dominus, quẽ tuæ claritati initiari dignũ fuit. Felix Aurora felicis diei extitit nuncia. Talis dies talẽ Auroram diei decuit:* & ſtatim eum ſenſum plus dẽſans: *& rectè quidẽ Auroræ impleſti officium: ipſe enim ſol iuſtitiæ de te proceſſurus ortum ſuũ quadam matutina irradiatione præuentens in te lucis ſuæ radios copioſiſsimè transfudit.* Itidẽque huc intenti Mariã cũ die, cũ Sole, & Luna, cũ ſtella cõpoſuimus ex eodem Bernardo in ſer. *de Nauitate Mariæ de Aquæductu*, vbi aiebat: *An non etiã Dies Virgo, & præclara. Rutilãs planè Dies, quæ procedit ſicut Aurora conſurgens pulchra, vt Luna, electa & Sol;* nec non ex Philippo Abbate c. 17. in Cantica Virginẽ ſalutante. *Tu es omni claritate, & ſplendore Solis clarior, & ſplẽdidior. Tu ſuper omnẽ ſtellarum fulgorem, vt potè ſtella maris fulgentior inueniris.* Et ex Hieronymo in Pſal. 18. verſ. 4. illa verba: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* ad Mariam ita re-

Bernar.

Philip. Abb.

ferente. *In sole, id est in vtero S. Mariæ Virginis. Maria interpretatur stella maris, Sol iustitiæ Dominus: illuminauit Sol iste stellam, id est Mariam, vt esset sicut Sol: ideò posuit tabernaculum suum in Sole, quãdo corpus assumpsit de vtero suo:* Ita Bernardus, Philippus, & Hieronymus: & ij omnes, qui Mariæ Conceptionẽ puram, & præclaram faciũt: qui Mariã perinde *elucidãt:* vt ipsa solo nomine suo loquatur, *illuminant me isti.*

VI Iã verò quid felicius? quid fortunatius? quam huius illuminationis interpretem esse, & Mariæ claritati, atque indeficienti splendori operam nauare, atque ea ratione omni ex parte argumenta, rationesque conquirere, quibus Mariæ Conceptio meridiana luce clarior appareat; quò felix illa, & pulchra dies propinquior fiat, quâ Pontificio Decreto, & Ecclesiæ auctoritate inter fidei dogmata Deiparæ ab omni labe originaria immunitas constituta resplendeat, quando nobis pleno ore dicetur.

Virgil. A Enei. 3.

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua.

Modò verò dũ omnimodis curamus hanc nobis fortunam facere, summę quidẽ felicitatis partẽ ducimus, elucidatores, & interpretes omnimodæ Mariæ puritatis fore. Nimirũ Mariã immensum, & sine fundo gratiarũ donũ, & virtutũ mare, & profundum luminis abyssum esse, omninò nouimus: in hunc sensum cũprimis inflectente Richardo à S. Laurent. lib. 1. *de laudib. Virgin.* p. 3. verba Ecclesias. 24. v. 39. *A mari abundauit cogitatio,* hunc in modũ. *Id est de bonitate eius, quæ plus est quã mare: facilius enim posset mare exhauriri, quã Mariæ bonitas perfectè cogitari,* & indidem non longe: *Maria est mare propter gratiarũ plenitudinẽ, vndè dicta est* gratia plena. *In mari enim, nec fundus, nec mensura est, nec Maria accepit gratiã ad mensurã aliorũ. Ecclesias.* 1. Profundum abyssi quis mensus est: itidẽque Bonauent. *in speculo B. Mariæ,* his verbis: *Omnia flumina intrant in mare: hoc est omnia gratiarũ genera, Angelorum, Patriarcharũ, Prophetarũ, Apostolorũ, & reliquorũ sanctorũ in Virginem influunt.* Et Dionysio Carthusiano lib. 3. *de laudib. Virgin.* dũ ait: *Maria interpretatur mare: quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiã, gratiæ excellentiã, gloriãq; Mariæ nullus valet exprimere:* Quid ergo felicius, quam suauissimum hoc mare nauigare? & fundũ sine fundo penetrare velle, atque idcirco quidquid gloriosum, & illustre excogitari potest, Mariæ tribuere absq; vllo naufragij metu iuxta illã pulcherrimã S. Basil. Seleu. regulã orat. 39. dicẽtis. *O ter sacrosancta Virgo, de quâ qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquã quidẽ à veritatis scopo aberrabit: at tamẽ dignitatis magnitudinẽ nullâ vnquã ratione excequabit.* Sanè qui Deiparã ab omni labe purã faciunt, peculiariter hâc felicitate perfruuntur, dum eâ de caussa, & Matris Dei dignitatẽ contentis neruis extollunt, dũ ipsius puritatẽ tanto muneri opportunã premunt: dum Mariæ corpus, & animam, vt dignũ Filij Dei habitaculũ effici mereretur à Deo immensa gratiarum supellectile Spiritu Sancto cooperante præparatũ, quãtum excogitare valent, expendũt.

Eccl. 24. vers. 39. Richa. à S. Laur.

Carthus.

Basil. Seleu.

VII Adhæc: Maria, vt gratiarũ mare; ita etiã abyssus est luminis, Bernardo ser. 4. *de Assumption.* affirmãte. *Abyssus est luminis: nec facilè dixerim, quod vel Angelicus oculus adhuius fulgoris vehemẽtiã nõ caliget.* Vndè necessaria ratione fit: vt qui ipsã elucidare student: & *isti* qui *illuminãt;* multo magis ab ipsa illuminẽtur. Quo iuerint illę voces, siue inuocationes seruorũ Mariæ eã laudare studentium: *Reuertere, reuertere sunamitis*

Bernar.

namitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te: Cant.6.vers.12.quas videtur expressisse Anselmus *in oratione ad Beatam Virginem*, dum hoc luminis abysso illustratus,& plusplus illustrari exoptans,sic gemebundus ad ipsam clamat: *O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ, quò aufugis aciem mentis meæ? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo euadis capacitatem cordis mei?* Ita ille. Nec minus apositè nostro instituto Venerab. Alanus ea verba sic premit, *Quia sicut in faciem Filij sui desideramus prospicere, sic in specie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illustrari.* Quæ omnia egregiè complexus est Bonauentura in Psalterio, Deiparam sic affatus. *Iucundus homo, qui non satiatur in laude tua: exortum est in corde illius lumen Dei: Spiritus Sanctus illuminat intelligentiam eius.* Ita ille:& quidem opportunè, vt pulchram,& felicissimam Doctoribus piæ opinionis talionem Deipara Maria reddere videatur, cum illos eam à claritate,& splendore immaculatæ Cõceptionis illuminare studentes,ipsa & diuina vultus sui luce illustret,& lumen Dei ipsis obtineat. Etenim si de Mariæ suauitate, & benignitate dixit Bernardus *in deprecatione ad B. Mariam. O pialò magnalò multũ amabilis Maria! tu nec nominari quidẽ potes, quin accendas, nec cogitari, quia recrees affectus diligentiũ te: tu nunquã sine dulcedine tibi diuinitus insitâ memoriæ portas ingrederis*: quid non dulcedinis, & felicitatis,& lucis ab eâ sperauerint, qui pro ipsa plusplus elucidanda totis viribus,& toto animi impetu decertant? Quod si nudum Mariæ nomen (vt alibi extendimus) idem fuerit animę, quod est respiratio corpori: (dicebat quippè S. Germanus Patriarcha Costantinopolitanus *in Zonâ Virginis*, elegantissimè. *Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum nomen tuum, ò Virgo, quod in ore seruorum tuorum versetur assiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solum est signum, sed ea etiã procurat, & conciliat.*) Mariam Dominam iuxta nomen suum,& à puritate,& immunitate ab omni labe originali appellare, inuocare,& in ore semper habere; quomodo non erit vitæ, lætitiæ,& auxilij signum, & causa? O nos felicissimos qui magno Dei dono in hanc felicem, & beatam opinionem vocati sumus! Dixerim iterum, quod in superioribus adnotationibus hùc intentus dixisse me memini ex Plinio Iuniori, quem nonnulli accusabant, quod amicos suos ex quantalibet occasione supramodum laudaret. *Qui sunt tamen isti, qui amicos meos melius norint? Sed vt norint: quid inuident mihi felicissimo errore, vt enim non sint tales, quales à me prædicantur: ego tamen beatus, quod mihi videntur.* Nam si ille felicissimum se ab errore benignitatis existimabat; quomodo nos non felicissimos, & beatos esse credemus à certa, iusta, & pia in Deiparam benignitate?

Bernar.

S. Germ.

Plinius Iunior.

VIII

Pene quidẽ est, vt dixerim deesse hæc omnia opinioni minus piæ, quã merito non felicem appellabis: cum in primis ad eum modum, quo M. Tullius Philippica 4. dicebat: *Si quis Reipublicæ sit infelix is esse felix non potest*, iure dixeris, si quæ opinio Mariæ sit infausta, quæ eam pro dignitate non laudat, quæ rationes, & argumenta non conquirit ad eam extollendam,& illuminandã, quæ toto impetu nõ vtitur, vt ipsam clariorẽ,& splẽdidiorẽ reddat: ea esse felix *nõ potest*. Quid? quod vt felix apud bonos auctores sumitur pro fœcũdo, feraci, fertili: vt apud Virgilium 2. Georgicorum. *Exiit ad cœ-*

M. Tullius.

Virgil.

lum ramis felicibus arbos: & apud Martialem lib. 13. *Hos Amiternus ager felicibus educat hortis*: necnon pro vtili, siue commodo, vt apud eundem Martialem.

Illa manus quondam studiorum fida meorum.

Et felix Domino, notaque Cæsaribus.

Et apud Virgilium in Daphnide. *Sis bonus, o felixque tuis.* Vt hâc de causâ, apud eodem auctores infelix perinde sit, ac sterilis, infœcundus, inutilis, vt idem poeta dixit eglo-ga 5.

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ,

Et pro amaro idem 2. Georgicorũ sic posuit

Infelix superat foliis oleaster amaris.

Manuale Dominicanum.

Ita quidem opinio minus pia infelix dici debet, quod inutilis, infœcunda, sterilis, & amara esse videatur: nam *cui bono* ea fuerit? de quo pulcherrimum adest nobis suffragiũ ex Manuali Patrũ Dominicanorum Hispali typis anno 1524. excuso, cuius sæpe meminimus: & sæpius pręeius doctrinæ præstantia, & ingenuâ professione meminisse debemus, vbi cap. 20. sic habetur: *Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quod Beata Virgo fuit concepta in originali. Sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa: præsertim cum tota fere Ecclesia, cuius vsus & auctoritas secundum B. Thomam prævalet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris iam asserat, quod fuit præseruata.* Sic sapientissimi illi PP. Vides *infelix lolium*: dum dicitur, cum sit materia nullius vtilitatis: vides amara folia infelicis oleastri: dum asseritur materia *valde scandalosa*. Ergo vt felicem dixisses eam opinionẽ quæ, leui luce pro Mariæ immunitate affulgente, splendorem illum longe, latequè diffunderet; ita illam quæ Mariam, totâ solis lancea illuminante (*cum tota fere Ecclesia*, vt Manuale affirmat *iam asserat, quod fuit præseruata*) leui solum sanctificationis luce perfundit, à felicitate longe abire pronunciato.

Opinio pia de MARIA immaculatè concepta signate præcellit, & felix est, quod comis, & vrbana à conuitijs, & verborum acerbitate abstineat.

ADNOTATIO IV.

I

ADstruimus denuo piã de Mariæ immunitate opinionem felicem, immò veracem, atque victricem esse: cui tam publicè, quam priuatè: tàm in disputationibus, quam in libris editis, atque aliis scriptis comiter, & vrbanè agere, & à verborũ acerbitate abstinere solemne est; quin opinionẽ minus piam configere, aut eius assertas vllâ ratione lacessere, aut denigrare velit: immò verò, quam longius ab ipsorum mente iuerit, eo plus ipsos, & verbis, & scriptis reuereretur, & animo atque affectu complectitur. Qui quidem mos Auctorum nostrorum animo multis de causis insedit: & prima quidem est ob ipsammet vrbanam disputandi rationem: monuit siquidem recte Plutarchus in Polyticis ad Traianum. *Satis est nudis explicatis & rationibus causſam simpliciter agere, nec congestis maledictis vndique, ac iurgiis quasi veneno tela inficere.* *Plutar.*

Quod

Quod pulchrâ imagine elucidauit Cryſippus apud Ciceronẽ inquiẽs: *Qui ſtadium currit, eniti, & contendere debet, quam maximè poſſit, vt vincat: ſupplantare autem eum quo cum certat, aut manu depellere, nullo modo debet:* Præſertim verò cum veritas ſibi ipſi fidens verborum acerbitate opus non habeat: nam vt opportunè dixit Ioannes Maxentius Dialogo primo. *Ioannn. Maxentius.* *Solent iniuriæ illis præſtare ſuffragium, quibus ſtudium eſt, non de veritate, ſed de propria gloria victoria. In his autem, qui totâ intentione cupiunt de concepta veritate gaudere, locum hæc penitus non habent.* Hæc ille. Sed habemus nos firmiorem Apoſtoli cum ſermonem apud Thaddæum in ſua epiſtola verſ. 9. vbi quam comis, & vrbanus nobis diſputandi modus eſſe debeat, ab Angelorum exemplo ſic oſtendit. *Thadde. verſ. 9.* *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ: Sed dixit: imperet tibi Deus:* His verbis tãtum non monens: ſi Michael Archãgelus, qui cœleſtis militiæ Princeps eſt, in dæmonem, quamuis Dei immortalis, & bonorum omnium atrociſſimum hoſtem maledicta coniicere noluit; immò auſus non eſt: profecto multo minus hominibus licebit, alios homines maledictis proſcindere: ſic capientibus Thaddæi verba Oecumenio ibi, & Hieronymo in cap. 3. epiſt. ad Titum: ſic enim prior: *Oecum.* *Iſti quidem temerè, ac petulanter contra omnes maledicta congerũt cum tamen neque eos, qui maledictis ſunt digni inſectari conuitiis iuſtum ſit:* luculentius Hieronymus, ita argumentatur: *Si igitur Michael non fuit auſus diabolo, & certè maledictione digniſſimo iudicium inferre blaſphemiæ: quanto magis nos ab omni maledicto puri eſſe debemus:* ſubiicit rationem dignam Hieronymo: *Hieron.* *Merebatur diabolus maledictum, ſed per Archangeli os maledictum exire non debuit.* Vides vt diſputare debeas, quamtumuis bonam, & iuſtam cauſſam tuearis? quippè Michael Archãgelus cum diabolo diſputans, non poterat non meliorem & præſtantiorem ad Dei gloriam cauſſam agere, & multò ſuperiorem diabolo eſſe, atque eum manifeſte conuincere, & conuictum palã traducere: & tamen illo reſiſtente, & veritati fucum facere contendente Michael à conuitiis omninò abſtinuit: ratus id, rem eſſe non modo ab vrbanâ, & rectâ diſputandi ratione alienam, ſed etiam Angelica dignitate indignam: nam *per os Archangeli maledictum exire non debuit.*

Senſum quidem communem, & cum Thaddæo Apoſtolorum Princeps, & cum Michaele cæteri Angelici ſpiritus habent: de illis generali oratione aſſerente Petro epiſtol. 2. cap. 2. verſ. 12. *2. Pet. 2. verſ. 2.* *Angeli fortitudine, ac virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium:* non enim is huius loci ſenſus eſt, qui frequenter circunfertur: malos Angelos, qui hominibus natura, & fortitudine præſtantiores ſunt, terribili Dei aduerſum ſe iudicio impares, illud vt importabile execrari: ſed potius illemet, quem Thaddæus Petri veſtigia premens expreſſit de bonis Angelis; qui cum tam robore, quam bonâ cauſſâ malis Angelis ſuperiores ſint; *non tamen inferunt ſibi mutuo: ideſt, boni malis* (ſic ex Oecumenio efferentibus hæc verba P. Benedicto Iuſtiniano, & Guillelmo Eſtio ibi) *iudicium blaſphemum: nõ impingunt eis notam maledicti: non ingerunt verba maledica: non eos cũ maledictis execrantur: ſi quando cum eis controuerſiam, ſeu diſceptationem habent apud Dominum:* vti Michaelem diſputantem cum diabolo de Moyſis corpore feciſſe dixit Thaddæus: vt verò vtrumque locum noſtro inſtituto aptauerim, duo in illis

II

Oecum. Iuſtinia. Eſtius.

obſer-

obseruare fuerit operæ pretium. Alterum ex Didymo Alexandrino, & Oecumenio: alterum ex Hieronymo nuper adducto. Nimirum Didymus in commentario Thaddæi eam affert rationem, cur Michael diabolum, etsi execratione dignũ, maledictis non lacesserit, quod licet malus ille sit; eius tamen natura bona, & Angelica est: vt ideò potius quidem visum fuerit Archangelo ad caussã parcendi, quam ad puniendi, & execrandi rationem respicere. Audi Didymum: *Respexit enim Michael bonam diaboli naturam, atque idcirco maledictis abstinuit, suoque exẽplo docuit, quid nos facere oporteat, qui plerumque, vel irâ inflammati, vel odio correpti, non tam vitia, quam homines ipsos insectamur, ac maledictis incessimus*: Sic Didymus, & ad eius gustum Oecumenius vtriusque Apostoli verba complectens, ex illis ita argumentatur: *Si diabolus, qui dignior est, vt maledicatur; quia tamen gloriæ cuiusdam est particeps, à Michaele Archangelo coram Domino id non est consecutus: illi sanè non sapiunt, qui ita temere gloriam omnem maledictis prosequuntur, cũ tamen multo post Angelorum dignitatem constituti sint.* Hæc ille: Quæ sanè ob oculos habuisse, & habere videntur Auctores opinionis piæ: qui etsi à Doctoribus minus piæ opinionis, quoad immunitatem Mariæ, mente, & sensu alienissimi sint, dum illos ex alia parte stantes, & omni modo sibi obsistentes vident; at cum egregias ipsorum dotes, eximiam sanctitatem, zelum Religionis, doctrinam, pietatem, & omnimodam morum probitatem animaduertunt: & ipsos maximè reuerentur, & extra omnem telorum (siue maledictorum) iactum esse debere omnino censent.

Didym.

Oecom.

III Iam alterum obseruo ex Hieronymo dicente: *Merebatur diabolus maledictum, sed per Archangeli os maledictum exire non debuit*: tantũ nõ dicens, Michaelẽ cũ nõ est ausus diabolo iudiciũ inferre blasphemiæ, sibimet ipsi consuluisse, & rationem habuisse Angelicæ eminentiæ, & dignitatis: tùm quod hac ratione fortiorem, ac sapientiorem diabolo impudenter disceptãte sese exhibuit: nam

A

Euripi. in Phen.

Cum duo inter se loquuntur, & irascitur alter:
Is qui se irati huius verbis non opponit, sapientior est,

Tùm etiam quod si secus fecisset, os suum iactis conuitiis, & maledictis videretur corrupisse, & commacusse: dicente Vate Psalm. 90. vers. 3. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero*: vbi Symmachus legit *à verbo irritationis*, seu *perturbationis*. Pagninus verò: *à lue corruptionis*: vt fuerit sensus maledicta corrumpere os, & linguã per quam exeunt: vndè Ambrosius elucidans hunc locum lib. 1. *officiorum*, cap. 4. inquit. *Non immerito Propheta dicit*: Quia ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero: *Symmachus* irritationis *verbum dixit*: *Alij* perturbationis: *Laqueus aduersarij est sermo noster, sed etiam ipse non minus aduersarius est nobis*: Sic ille, pulchrè *ipse non minus aduersarius est nobis*: qui nimirũ dignitarẽ nostram imminuit, & oris munditiam corrumpit: nec minus opportunè S. Valerianus Episcop. Cemeliensis homilia *de bono conseruandæ pacis*, cum in hanc rem dixisset: *Scimus dilectissimi, quod aliquoties in contentione verborum, laceratis auribus corda suspirant: sed ipse sibi iniuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit: ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata*, subiicit. *Plena victoria est ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti*: nè videlicet maledicta regerendo ipse se maculet, & sibi ipsi aduersarius fiat.

B

Psal. 90 vers. 3. Sym. Pagnig. Ambr.

C

D

S. Vale.

E

Quod

IV

Lectio Græca.

Quod si attendis, id quidem acumen subest Petri verbis, notanter dicentis: *Non portant aduersum se execrabile iudicium*; quod exemplaria Græca correctissima plusplus exprimunt reponentes, *non portant aduersum se ipsos execrabile iudicii*: etenim etsi litteraliter sensus is esse videatur (vt Iustinianus, & Estius volunt) *contra suæ naturæ, & excellentiæ socios: nã & dæmones Angeli sunt ex principatibus, & potestatibus, & virtutibus* (ad Roman. 8. & 1. ad Corinth. 15.) vt nimirum dictio *se* reciprocationem generis seu naturæ innuat, non alio sensu, ac si dixeris lupi sese non comedunt: attamen si stricte sumas eum dicendi modum *aduersum se ipsos*: & simul premas significationem verbi, *portare*, quod non tam opportunè refertur ad eum in quem conuitium iacitur, quam ad eum qui iacit, vti apud Paulum dicitur: *Vnusquisque onus suum portabit*, Galat. 6. ver. 5. ea quidem subest epitasis, vt innuatur conuitiantem, & maledicta in alium congerentem, prius se ipsum lædere, & maculare, cum oris sui decori, & dignitati non prospiciens, maledicto exeunte illud corrumpit, vti dicebat Hieronym. *per Archangeli os maledictum exire non debuit*: & scitè affirmauit Claud. Mamer, lib. 1. *de statu animæ*, cap. 1. inquiens: *Si maleuolentiæ in alios tela moliantur: ipsi magis propriis transfixi ictibus valnera, quæ inferre conãtur, excipiunt, & sui hostes sunt antequam suos hostes feriant.* Quod omninò probauit S. Bernard. epist. 233. cum inquit: *Si frater Ioannes in nos dixit, vel scripsit, quod nõ decuit, non tam nos læsit, quã se ipsum.* Certè Augustinus in hanc sententiam acutè expendit verba Vatis Psalm. 57. vers. 7. *Deus conteret dentes eorũ in ore ipsorum*: quasi non fuerit contentus Vates dixisse dentes maledicentium fuisse contritos: nisi etiam adderet *in ore ipsorum*, vt innueret illos prius se ipsos dẽtibus dilaniasse, & aduersus se ipsos portasse execrabile iudicium: sic namque Augustinus ibi. *Sufficeret vt diceret*: conteret dentes eorum: *quare?* in ore ipsorum? *Vt ore suo contra se pronunciarent, coegit illos ore suo in se ferre sententiam.*

Galat. 6 vers. 5.

Claud. Mamer

Bernat.

Psal. 57: vers. 7.

Augus.

V

Ecce ergo tibi potissimam rationem, cur piæ opinionis Auctores, qui Mariæ caussam agunt, ab omni maledicendi, & conuitiandi licentia abstinent. Quod per os seruorũ, & clientum Mariæ, qui eius personã gerere videntur, maledictum exire non debet: cum ipsi perpetuus mos fuerit maledicentibus benedicere, & nullas iacere ore querelas: Qua quidem inter alias de caussa à cœlesti sponso cum columba componitur, cuius rostrum suauitati, & blanditiis, non asperitati inseruit: benè id obseruante Philippo Abbate in cap. 6. Cant. hunc in modum. *Non rostro lacerat columba, & Virgo quibuslibet iniuriam facientibus vicem meritam non rependit, sed in omni grauamine patientiam inflexibilem ostẽdit*: Quibus verbis cõsentanea sunt, quæ de sanctissima Deipara S. Ignatius M. in epist. ad Ioannem Euangelistam testata nobis hunc in modum reliquit. *In persecutionibus, & afflictionibus est hilaris: in penuriis, & indigentiis, non querula: & molestare lætatur: & mirum ab omnibus magnificatur.* Sed illud omninò è re præsenti fuerit, quod ipsamet in hac de immunitate sua disceptatione, & controuersia, vt auctores piæ sententiæ, qui eius caussæ defendendæ operã nauãt, tãquã Magistra doceret, quomodo sese gerere, & loqui debeant, sic dixisse fertur Beatæ Birgittæ, vt ipsa testatur lib. 6. reuelationum cap. 55. *Scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcesserit lex naturalis,*

Philipp. Abb.

S. Ignat. M.

B. Birgi.

turalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea venit lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione meâ, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret in tempore præordinato. Hæc Deipara; quibus vt nihil pro ipsius immunitate à peccato originali illustrius; ita nihil vrbanius, benignius, comius, humanius, suauius dici potuit. Quid namque benignius, aut indulgentius, quam eos, qui cum absque vllo practicè errandi periculo gloriam Deiparæ auctiorem facere possent opinionẽ piam amplexantes; ei tamen nõ acquiescunt; amicos Dei appellare? *Amici* (inquit) *sui*: quo titulo honorificentius, aut sanctius nihil potest excogitari: Quid humanius, quam opinionem minus piam pietati a Deipara fuisse adscriptam? cum ait: *piè dubitarent*: vt quæ quodammodo de filiis suis cõqueri posset, quod erga Matris beneuolentissimæ decora non adeò ardenter affecti essent, quemadmodum omnia iura deposcunt, id ipsa non tepiditati in affectu, sed potius pietati, & religioni tribuere voluerit. Quid tandem indulgentius? quam subiicere, nonnisi zelo diuini cultus, & honoris, ad opinionem minus piam tuendã hos Doctores commoueri? *vt quilibet* (inquit) *ostenderet zelum suum*: omninò adstruens illos religiosè, & sanctè hanc dubitationem promouere, donec veritate *in tempore* à Deo *præordinato* clarescente, ipsi tandem piam opinionem sedatissimo animo complectantur.

VI Omnitissimum, & benignissimum Mariæ ingenium! ò Deiparam Lunam pulchriorem! iam nosti emblema illud, quo, sub imagine canum in Lunam latrantium, & qui eo plus egrè ferant, quod suo latratu Lunam non deterreri, neque inceptum cursum sistere videant, Andræas Alciatus emblemate 163. præstringit obtrectatores, qui cum doctrinæ vberem quandam gloriam (vt inquit eius Scholiastes) in magno aliquo, & excelso viro conspiciant, conuitiis eũ proscindunt citius, quam imitantur: simulque adstruit dandam esse operam, nè subitus iræ impetus animũ à sua sede, & statu dimoueat: sed dissimulandam, fingendamque animi hilaritatẽ: qua læsus præseferat, quã minimi, aut nullius planè momenti ea sint, quæ falso in eum iactantur. Audi illum. *Alciat.*

Lunarem noctu, vt speculum, canis inspicit orbem
Seque videns, alium credit inesse canem.
Et latrat: sed frustra agitur vox irrita ventis.
Et peragit cursus surda Diana suos.

Ergo Maria Luna pulchrior, quæ in disceptatione de immunitatis suæ gloria, non surda, non muta peragit cursus suos; sed dissertissimis, & suauissimis vocibus Doctores opinionis contrariæ demulcet, & modis omnibus, non tantum excusat; sed etiam laudat: iuuat verba semel, & iterum repetere: *Sic placuit Deo, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione meâ, vt quilibet ostenderet zelum suum*: vt hinc iam non sit mirandum Auctores opinionis piæ, dũ de illa vltro citroque disseritur ab omni verborum asperitate, & conuitiis non modo abstinere; sed etiã vt Deiparæ, in cuius obsequium operam nauant, omni ratione morem gerant, siue in concionibus, siue in disputationibus, siue etiam in priuatis colloquiis aduersariorum zelum laudare, & ab ipsis obnixe exposcere, vt quam sedato animo ea de re agere velint, & nè opinionem suam minus felicem reddant, dicteriis, & criminationibus parcant: porrò vt opinionis piæ nomine dicere iam possimus cum mansuetissima illa

1. Reg. vers. 1.

Annâ: *Dilatatum est os meum super inimicos meos*, 1. Regum 2. versic. 1. expendente S. Chrysostomo verbum: *dilatatum*, vt sancta illa non exacuerit os suum ad maledicta, quibus referiret aduersariũ, sed potius ad consilia, & monita salutis dilata uerit: sic enim ille hom. *de festis diebus*, tom. 6. *Animaduertite accuratam orationem, non dixit: exacutum est os meum super inimicos meos: non enim ad conuitia, & dicteria præparatũ erat, non ad accusationem, & opprobria, sed ad consilium, & admonitionem: ad correctionem, & instructionem: & propterea non dixit exacuta est lingua mea super inimicos meos: sed dilatatum est os meum*: Ita ille, & quidem opportunè.

Chrysost.

VII

Ecce tibi piæ opinionis ingenium ad exemplar Deiparæ cõpositum, vt à dicteriis, & conuitiis, ita à contrariæ sententiæ consuetudine longe abhorrens; acproinde illa præstantior, & excellentior. Quod quidem vti ex ipsis Romanorum Pontificum diplomatibus, non obscure constat; cum nullus vnquam Pontifex nostros auctores vnquam reprehenderit, quod quantumuis lacesiti, non modo præcedentibus sæculis, sed etiam nostris temporibus, vt latius adnot. seq. constabit, opinioni minus piæ aliquam siue hæresis, siue temeritatis notam inusserint, aut in verbis ripas moderationis excesserint. Cum tamẽ Xistus IV. duas ad minus extrauagãtes ediderit ad eorum audaciam retundendam, quipiam de Mariæ immunitate sententiam etiam post inductam Conceptionis festiuitatem, hæresis damnabant: quarum vna corpori iuris inserta est: alterius autem quotquot hâc de re agunt, meminerũt: in priore autem hæc sunt Pontificis verba: *Sanè sicut accepimus, nonnulli diuersorum ordinum professores, &c. non ignari, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis gloriosæ Mariæ Conceptione festum celebrat, & speciale, ac proprium officium ordinauit: in eo prædicationibus ad populũ publice affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant adstante populi multitudine, omnes illos, qui tenẽt & affirmant, eandem gloriosam, & immaculatam Deigenitricem Virginem Mariam absque peccati originalis macula fuisse conceptam, hæreticos esse*: in posteriori vero post duos annos edita eadẽ omnino verba auctoritate censu Pontifex repetit, audiens eos prædicatores affirmare: *Omnes illos qui tenent, aut asserunt eandem gloriosam, & immaculatam Deigenitricem absque peccati originalis macula fuisse conceptam mortaliter peccare, vel esse hæreticos eiusdem immaculatæ Conceptionis officium celebrãtes, audientesque sermones illorũ, qui eam sine huiusmodi maculâ conceptã esse affirmant, peccare grauiter.* Hæc omnia Pontifex Xistus: & quidem malo huic non satis cohibito siue sanato, iterum eandem adhibuit medicinam Alexander VI. Bullam, & mentem Xisti IV. nouo diplomate dato anno 1502. denuo firmans, de quo suo loco agemus.

Xistus IV.

VIII

Vt iam omninò ex his minimè dubitemus affirmare opinionẽ piã non modo cõtrarię excellere, quod comiter, & vrbane ab omni verborum asperitate abstineat, sitque hâc ratione felix; sed etiam, quod idcirco, & verax, & victrix hâberi debeat: sic namque superius adductus dicebat S. Valerianus. *Plena Victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti*: & quidem rectè, tùm quod oraculum sit sententia illa Ioannis Maxentij. *Solent iniuriæ illis præstare suffragium, quibus studium est, non de veritate, sed de propria gloria victoriæ: in his autem qui tota intentione cupiunt de concepta veritate gaudere, locum hæc penitus nõ habẽt*: tùm vel maximè, quod

S. Vale.

Ioann. Maxe.

opportune dictum sit à sapiente illo, quem aduersarius ad mutua conuitia prouocauit. *Nolo in id certamen descendere, in quo victor victo peius habet*: cui sensui consonat Vates Oseas c.5.vers.11. de Ephraim inquiens: *Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio*: ideſt victus, oppressus, conculcatus: sed quâ ratione, & modo oppressus, & victus? Aperiunt LXX. apud Theodoretum & Theophylactum reponentes: *Oppressit Ephraim aduersarium suum*, notanter quidem: vt appareat in certamine calumniæ, & conuitiorũ victorem victo peius habere, atque inde Ephraim calumniam patientem, quod calumniam fecerit, inde oppressum, victum, & conculcatum quod oppresserit, vicerit, & conculcare voluerit aduersarium: sic hæc præstringente Theophylacto, *Ephraim planè malam victoriam retulit*: pulchrè mala victoria, quæ aduersarij modestia, silentio, & patiẽtia refertur: scitè Seneca lib.2. de ira cap.32. *Non enim vt in beneficiis honestum est, merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis: illic vinci, turpe est: hic inhumanum vincere*: & c.34. eodem sensu. *Si vtrinque certabitur ille est melior, qui priorem pedem retulit: victus est, qui vicit*: pulchrè mala victoria, quæ non fortitudine, & constantia, sed animi infirmitate, & lãguore obtinetur: hâc de causſa de homine pugnace, & in disputationibus contentioso dicẽte Paulo 1.ad Timoth.6. vers.4. *Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriũtur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ*: vbi cum signatè præscribat Apostolus abstinẽdum esse à contentionibus, & concertatione verborum, quod ab illis dicteria, & conuitia oriantur, hominem his addictum languentem vocat, tanquam infirmum, & pusilli animi, qui malam victoriam potius referre malit, quam glorioſe vinci, dum in comitate, & vrbanitate aduersarium superat, ita quidem S. Ephrem in tractatu *de imitatione prouerbiorum*, monebat, *Athleta decertans os suum obstruit: & tu à superfluis os tuum occlude, & habebis requiem*. Et in hanc sententiam Hieronym. ad Eustochium: *Apud Christianos (vt quidam ait) non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est*: ita ille.

Ergo quæcumque in nos conuitia DD. opinionis minus piæ bonæ rei prætextu iaciunt, arma sunt militiæ nostræ, & cum Vincentium, Bãdellum, Caietanum, & Spinã omni nos contumeliarũ aculeis cõfigẽtes audimus: nam vt seq. adnot. rem ex professo tractantes ostendemus, ab illis appellamur hæretici, prophani, impij, ignari, stulti, mendaces, pectora cæca, & pluribus huius coloris notis afficimur: inde necessaria argumentatione colligimus, ipsos deuictos, atque triumphatos esse: Sic enim videris, disputante Domino cum Pharisæis, atque illos efficaci argumentorum vi superante, ipsos ad conuitia diuertentes dixisse: *Nõ nè bene dicimus nos; quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes*, Ioan. 8. versicul.48. sanè cum argumentorum efficaciæ impares essent; non aliter ei resistere poterant: ita id inibi adnotantibus Ruperto, & Glossa: quorum prior inquit. *Quia ratione superati sunt, furiosè ad conuitia proruunt*: Similiter Glossa: *Quia cõuicti sunt, non esse filij Abrahæ, vel Dei, sed diaboli, ingerunt conuitia, quia non poterant ei aliter resistere.* Hæc PP. vt duo hinc videris: alterum: quam sit verum, quod Hilarius lib.7. de Trinitate sic monuit: *Magna vis veritatis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa, quæ ei aduersantur, elucet, vt in natura immobilis manens, firmitatem naturæ suæ, quotidie dum attenta-*

Osee 5. vers. 5. *LXX. Theod.* *Theoph.* *1. Tim. 6 vers. 4.* *S. Ephr.* *Hieron.* *Ioan. 8. vers. 48.* *Rupert.* *Glossa.* *Hilar.*

A B C D E

IX

tur, acquirat. Ita Hilarius. Alterum: hoc in certamine locum non habere illud L. Flori. *Quam maximè mortiferi esse solent morsus morientium bestiarum:* nam vt à morientibus, id est victis, atque triumphatis hi morsus sint, non tam iis, qui morsus patiuntur, quã mordentibus læthales, mortiferi, sine noxij fuerint: opportunè monente Hieronymo in epist. ad Rusticũ: *Sicut sagitta si mittitur contra duram materiam, nonnunquã in mittentem reuertitur, & vulnerat emittentem: ita detractor cum tristem faciem videt audientis, immò nõ audientis, sed obturantis aures suas, nè audiat: illico cõticescit, pallet vultus, hebent labra, saliua siccatur.* Nẽpè cecinit Ouidius

Conscia mens recti famæ mendacia ridet

Et quidem adeò hi morientiũ morsus lætales non sunt, vt potius saluta res, & benefici habeantur: cum veritas opinionis piæ *per ea ipsa, quæ ei aduersantur, eluceat:* dum ea propter in ipsam conuitia ingeri videntur, quia vix possunt aliter ei resistere contrariæ sententiæ Auctores,

Hieron.

Eiusdem argumenti: de vrbanitate, & comitate verborum in qua opinio pia contrariæ excellit.

ADNOTATIO V.

I PVLCHRVM quidem, & nostro instituto opportunũ esse videtur Athenienſium monitum, facto potius, quam voce suggestum; cum aras contumeliæ, & impudentiæ statuerunt, quarum meminit Plutarchus *in Solone*, & Heraclides Ponticus *in fragmentis politiar.* & Zenobius paræmiastes. Iubebantur quippè accusator crimẽ obiiciens, & reus accusationem depellens his aris insistere: accusator quidem ei, cui nomen erat *contumeliæ:* reus autem ei, cui nomen *impudentiæ:* vt significarent Athenienses indicta cuique partium insistentiũ; criminatoris esse absque contumeliâ accusare: rei verò esse intorta probra absque impudentia depellere: fuit namque hoc Athenienſium institutum rectè expositum Iacobus Nicolaus Leoensis libr. 5. Miscellan. cap. 7. Enim verò si huic monito morem gerere velimus; examinemus oportet; an criminator in hâc caussâ immunitatis Mariæ aræ contumeliæ institerit. Vt iam præcedenti adnotatione vidimus, Auctores piæ opinionis, qui apud contrariæ sententiæ DD. reorũ personã gerũt (vt statim videbimus) aræ impudentię institerũt, quin intorta sibi probra cum impudentia depulerint. Et quidem (vt generaliter dixerim) cum Auctores opinionis minus piæ PP. inquã Dominicani ij sint, quos omnes docti, & religiosi plurimi facere, & diligere propter eruditionẽ & doctrinam debeant: cumque omnia pœnè quæ ab ipsis conscripta sunt, ipse ita legerim, vt semper aliquid didicerim: in iis tamen quæ ad Mariæ immunitatem pertinent; fateor planè me adeò nihil didicisse, vt potius omnia dedisce re studuerim: quod præterquam quod pietati in Mariam non adeò cõsentanea sint; in illis tùm plus studij suarum partium, quam sinceri iudicij animaduerterim; tùm etiam viderim illos in Auctores piæ sententiæ inclementer dicere: cum nimium contentionis, aut etiam victoriæ pretium sit, quod modestiæ, & honesta-

Plutar. Heroal. Zenob.

Iacobus Nicola.

tis impendio constat. Vel aliquos è multis auctores vide, & nonnulla è plurimis eorum verba audi.

II Et vt à Vincentio Bandello de Castronouo huius chori Magistro incipiam; mirum quidem est, quam alium sensum habuerit à Michaele Archangelo, *quinon est ausus iudicium inferre blasphemiæ:* cum ipse libro, quem inscripsit: *De veritate Conceptionis gloriosæ Virginis MARIAE*: totus sit in male dictis,& contumelijs, quibus opinionem piam,& eius Auctores vexat, quin aliquam omnino notam,aut probrum omittat;quo illos non configat. Nam primum in epistolâ dedicatoriâ ad Herculem Estẽ sem Ferrariæ Ducem: opinionem, quæ negat Virginem in peccato cõ
Bandell. ceptam vocat:*errorem:insanam opinionem: semina falsitatum*: deinde ad calcẽ epistolæ affirmat *esse quid mortale,pernitiosum,falsitate plenũ, & fidei, diuinisque litteris contrarium*:pergit statim, & in inferendo iudicio blasphemiæ proficiens in libri prologo sic exclamat. *O facinus detestandum! O stultas mentes! O pectora cæca! O deliramenta nequitiæ!* Deindeverò vt ore rotundo,& sine ambagibus hæresis notam auctoribus piæ sententiæ inurat lib.1, cap. 9.inquit:*Consequens est,vt quicumq; dicat Beatam Virginem nullum habuisse peccatum sit hæreticus appellandus*,& in capitibus seqq. *Opinio quæ dicit B.Virginem non contraxisse peccatum originale contradicit auctoritati sacræ Scripturæ, & sanctorum, & est impia:*& cap.4.in 3.corolario: *Est doctrina corruptiua fidei:* Cuius coloris innumera sunt, quæ inibi habet, vt lib.2.eiusdẽ argumenti.*Qui B.Virginem sine omni peccato dicit, horrenda peruersitate Christianæ Religioni infestus existit:* & 3.p.libri eum,*qui id doceat,vocat impium,profanum,& hæreticum*,& 4.part.exclamat iterum: ò dogma diabolicum,quod *in sui perniciem diuersa mendacia fingens pervertere nititur veritatem*: & dum rationi duodecimæ,quæ Doctorum auctoritati nititur respondens in eos ita decernit. *Non est verisimile quod DD.moderni oppositum determinauerint:quod si fecissent,dicendum est, eos fuisse temerarios, & præsumptuosos,quia contra Scripturæ monita terminos sunt transgressi,quos posuerunt patres eorum.* Quæ maledicta,& conuitia toto libro spargit, repetit,& inculcat, vt argumento sit,lõgius ipsum à sedato animo abesse:quippè adnotauit Eladius Auctor Græcus in Bibliotheca Photij affectũ iracundiæ,vt in fęcũdum eadem semper dicere:*Irati est*(inquit) *eadẽ semper dicere:infœcundus est enim iræ affectus:ideò & Agamemnon iratus Chalcanti iisdem semper verbis conuitiatur. Vates*(*dicens*) *improbe,mala soles semper prædicere.* *Eladius*

III Et quidem quoniam eo tempore nonnullæ Deireuelationes pro Mariæ immunitate piis,& religiosis personis factæ afferebantur:itidemque conciones de Maria immaculatè conceptâ cum auiditate, & plausu excipiebantur: quid de personis, quibus reuelationes factæ dicebantur: quid etiam de auditoribus concionum Bandellus censuerit, audi:eodem enim lib.1.cap.40. sic inquit:*Personæ quibus factæ sunt reuelationes de Virginis Mariæ immunitate à peccato originali sunt personæ suspectæ,carnalibus vitiis deditæ nihil in se spiritualitatis ostendentes.* Quæ autem illæ personæ fuerint, quibus reuelationes factæ dicebantur,nolo dicere;vt bonum pro malo reddens honori Bandelli cõsulã, qui apud bonos viros naufragiũ faceret,si de nomine personæ illę cognoscerẽtur:ergo quid de auditorib⁹ Cõcionũ dixerit: vide:sanè cũ præmisisset. *Nõ est licitũ audire prædicãtes Beatã Virginẽ non habuisse originale*

nale. Sed cur nõ fuerit licitum? quæ cauſſa Bandello cum auditoribus etiam rixandi?

Iuuen. *Miſeræ cognoſce premia rixæ*
(Si rixa eſt: vbi tu pulſas: ego vapulo tantum.)

A

Subiicit. *Qui audiunt prædicantes B. Virginem fuiſſe conceptam abſque peccato originali, dant eis occaſionem peccandi: quia dant eis occaſionem dicendi mendacium, & praue exponendi ſacras ſcripturas, & falſa miracula configere, à quibus malis retrahe rentur, ſi non haberẽt auditores.* Hęc Bandellus de reuelationibus, & de

Bãdell. auditoribus concionũ; ſed quod per

B

tranſenam miraculorum meminerit, quid ſubinde de illis ex profeſſo agens pronunciauerit, audi. Sic enim ipſe lib. 1. p. 3. *Miracula quæ fiunt pro Conceptione fiunt à dæmone, quia dæmon, vt diuiſionem ponat inter ſeruos Dei, & errorem nutriat in Eccleſia, Deo permittente, vt qui in ſordibus eſt, magis ſordeſcat, ad inuocationem Conceptionis ſanat aliquas infirmitates.* Hæc Bandellus de miraculis, quibus (vt ipſe dicit) dæmõ ad inuocationem Conceptionis ſanat aliquas corporis infirmitates. vbi obiter velim coniectare, quid ipſe dixerit de miraculis, quibus ad

C

inuocationem Cõceptionis animæ infirmitates ſanãtur, cum nobis teſtatum reliquerit Apoſtolicus ille M. Ioannes de Auila vir magni nominis in ſanctitate, & doctrina ſe longo experientię vſu didiciſſe, quã plurimos precibus ex voto factis in honorem puriſsimæ Conceptionis Mariæ ab ſpiritualibus morbis fuiſſe ſanatos; ſignatè verò à pungentibus carnis aculeis liberos euaſiſſe: & animi quietem, & ſanitatem fuiſſe adeptos. De his inquam perdiſcere vellem à Bandello; an dæmone interueniente, & miracula partã te ſalutem acceperint? Nam id quidem ab eius ingenio toto cœlo abesse dixeris. Scilicet ipſe animarũ

D

ſaluti, & quieti inuigilat; & caſtitatis cuſtos, rigiduſque ſatelles eſt.

Sed reuertamur ad Vincentium Bandellum, & duo tandem (quãuis non niſi coactus hæc refero) quæ in gratiam Auctorum pię opinionis dicit appingamus. Alterum in epilogo libr. 1. his verbis: *Quod ſi aduerſarij in eâdem ſtultitia, & præſumpta nouitate perdurent; neceſſe eſt vt egregios Catholicæ veritatis accerrimos defenſores turpiter accuſent, & ſcripturas ſacras perniciosè deprauẽt & errorem Pelagij, Cæleſtij, & Iuliani ſuis peruerſis expoſitionibus impiè defendant:* Alterũ in epſtola Dedicatoria ſecundi libri ad Comitem Petrum de Gãbara, eſt iſtud: *Iſti diuinarum litterarum ignari, dum Virginem Deigenitricem ſub ſpecie pietatis falſis honoribus extollunt, Chriſti dignitati nefandiſsime detrahũt, ſanctas ſcripturas peruerſe exponũt, ſanctorum Patrum ſententias ſpernunt, & tandem propter humanum fauorem, ac terrenum lucrum nouos errores confingunt.* Hæc ille, & multo plura in eo libro; quæ referre non eſt præſentis otij: præſertim cum iã (vt diximus) nulla poſſet deſiderari nota, aut contumelia, quâ Bãdellus Auctores noſtros non oneret, dum & ipſos appellat ignaros, præſumptuoſos, ſtultos, & iterum ſtultas mentes pectora cæca, profanos, impios, hæreticos, nouos errores fingentes, & errores Pelagij, Cœleſtij, & Iuliani defendentes, mendacia dicẽtes, falſa miracula confingentes, nefandiſſimè detrahentes Chriſti dignitati, ſanctas Scripturas peruerſe exponẽtes, & horrenda peruerſitate Chriſtianæ Religioni infeſtos. neq; omittẽdũ illud, quod vt ipſos abiectiſſimos, & ab omnibus cõtemnẽdos faciat Bãdellus, affirmat nõ alios huius piæ opinionis ſectatores eſſe, niſi *lanarios, talares, ſutores, & artifices, &c.* & piã ipſorũ de Viginis immunitate ſentẽtiã affirmat eſſe erro

E

III

rem, insanam opinionem, semina falsitatum, facinus detestandum, deliramenta nequitiæ, corruptiuam fidei, & dogma diabolicum: sed bene quidem est, quod dum ipse *lapides loquitur* (vt est in Prouerbio) auctores piæ opinionis vitreã præ superbia mentem non habeant, quæ tot ictibus non frãgatur: dixit quippè Sanct. Petrus Damianus libro 6. epistol. 9. *Humanam mentem superbia vitream reddit, vt correctionis ictum per impatientiam ferre non possit*: immò verò aurea mens, aureum patientiæ scutum illis sit: acutè adnotante Hugone in allegoriis Gotfridi Tilmani ad librũ 3. Regum 7. aurea scuta à Salomone in templo fuisse appensa in symbolum Doctorum, & Concionatorum, de quibus 1. Regum 2. versicul. 8. dicitur: *Domini enim sunt cardines terræ*; siue vt est in Hebræo, *scuta terræ*: ea signate de caussa quod, *æs quando tangitur* (inquit Hugo) *procul auditur: quia impetuosus animus cum manu reprehensionis tangitur, ad lites, & iurgia prouocatur. Aurum verò silet percussum: quia pacificus animus non sentit conuitium.* Sic Hugo.

S. Petr. Dam. *Hugon.* *1. Reg. 2 vers. 8.*

IV *Caiet.* Iam verò à Bandello ad Caietanum sensum cum eo communem habentem transeamus: & quidem benè verum est: ipsum mitiorem aliquando animum erga piam sententiam ostendisse: cum admonuit hæresis, aut erroris damnandam non esse inquiens 1. 2. quæstion. 81. articul. 3. *Et hoc benè notabis tu Thomista, nè nimio zelo non secundum scientiam accensus erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissimæ Virginis Conceptione disputas, aut prædicas.* Ita Caietan. & benè quidem vt de eo vsurpare possis illud M. Tullij à Hieronymo probatum. *Beneficium latronum est, vitam quibus non ademeris dedisse*: Sed enim qui inibi piæ opinioni tantisper indulsisse videtur, subinde aquam frigidam suffundit, adeo omnem ab ipsa probabilitatem, atque auctoritatem detrahens, vt tantummodo tolerabilis sit. Nimirum cum in tractatu Conceptionis cap. 5. velut disputans, sibi ipsi obiecisset, non posse, non probabilem opinionem videri, quæ omnibus ferè Catholicis, Latinæ Ecclesiæ probatur: fidenter respõdet, id ad vulgaritatẽ potius, quam ad probabilitatem fore referendum. Audi hominem Theologum, Religiosum, & sui Ordinis Magistrum Generalem: *Quod autem iã communis facta sit ista opinio, ita vt omnes ferè Catholici Latinæ Ecclesiæ arbitrentur obsequium se præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis, ex eo reddit opinionem probabilem, quia probabile est, quod multis videtur: sed probabilitas hæc vulgarem auctoritatem non excedit: & eis contraponitur, quod probabile in veritate est, quod videtur sapientibus, qui contrariam secuti sunt opinionẽ; vulgus autem probabile in apparentia non in veritate constituit*: ita ille: vbi omninò obserua, eodemmet capit. ante hæc verba ipsum præmisisse. *Doctores tenentes Beatam Virginem esse præseruatam, sunt numero infiniti si ad modernos spectemus: paulò ante tamen aliqui licet pauci fuerunt, vt Scotus, Franciscus de Maironis*: vt omninò videris (quod suo loco latius disquirimus) iudicio Caietani, tùm Scotum, & Franciscum de Maironis, tùm infinitos Doctores non facere opinionem probabilem, sed vulgus fore cẽsendos, quin eorum sententia, & doctrina vulgarem auctoritatem excedat, quod eis contraponatur, *quod probabile in veritate est, quod videtur sapientibus, &c.* Sanè quasi soli sapientes sint contrariæ opinionir DD. *Nos numerus sumus, fruges consumere nati*, vt dixit Lyricus: Vt hinc minus mirandum sit postmodum ipsum-

Caietan. *M. Tul lij.*

met

Arist. met Caietanum in nostros Auctores iacere id, quod ex Aristotele de rusticis, & indoctis paræmiasticè dicitur. *Qui ad pauca respiciunt, facile enunciant.* Adhæc in ipsomet tractatu de Conceptione Auctores pię sententiæ pro illa SS. PP. adlegantes falsitatis hunc in modum arguit: *Propterea non est mirum si nullus Sanctus, nullus illustris Doctor antiquus pro hâc parte afferatur, nisi forte à fatuis.* Sed illud supra omnem admirationem in homine pio, & religioso esse videtur, quod in 3. part. quæstion. 27. art. 2. de opinione piâ hûc in modum scripsit. *Quæ hodie mulieribus, vulgo, affectuque nonnullorum pio, multorum autem industriâ, ac quæstu cogentibus ita præualuit, vt doctrinæ Sanctorum æstimata pietas præferatur: & quod in commune asseritur in his scilicet, quæ credenda sunt, sectandos esse magis antiquos, DD. quam modernos, in hoc particulari post habetur: dum moderni antiquis, & non sancti Sanctis præferuntur:* subiicit: *Testatur autem erraticus hic processus, similes esse istos peccantibus ex ignorantiâ electionis, dum in vniuersali scientes applicando ad particulare ab vniuersali declinant.* Hæc omnia Caietanus Scholiastem agens S. Thomæ, tam ab ipsius Angelici Doctoris genio, quam à Scholastici consuetudine abhorrens. Nimirum Scholastici DD. sic habent maledicentiâ Criticorum contentionibus relinquendam, modestiam vero retinendam esse Theologis; Caietanus verò videtur hoc in loco vtrorumque iura miscuisse, & quam Critici, quasi propiam sectabantur, inter Theologos licentiam vsurpauisse detrahendi.

V Verum enim verò alia his multo spinosiora nobis restant: nam Bartholomæus Spina (nè vacuum nomen præseferret, sed eius vim, & energiam vndequaque impleret) in-

A

B

C

D

E

digressionibus, quas lectionibus S. Thomæ in Methaphysicam tanquã aureo subtegmini crassum cannabinum filium intexuit; adeò non dubitauit piam de Mariæ immunitate opinionem hæreseos damnare, vt etiam Caietanum tametsi Magistrum sui Ordinis Generalem acerbissimè confixerit, quod vt num. præcedent. vidimus monuerit errorem non esse piam opinionem tueri, omnino affirmans Spina ipsum male pronunciasse, quod non sit damnanda hæreseos exclusio peccati originalis a B. Virgine, etiam si admittatur habuisse debitum illius contrahendi: plura subiiciens, quę nolo meminisse. Quod si hoc in loco mirari his hæc fuisse à Bartholomæo Spina conscripta post Xisti IV. decretum talem censurã sub anathemate prohibentis: desines mirari clauũ clauo trudens cum ipsum apud Ambrosium Catharinum *in prologo operum suorum ad Iulium III. & Concilij Tridentini PP.* censoriæ seueritatis notâ ipsosmet Concilij Tridentini PP. (quod animus meminisse horret, luctuque refugit) inurentem audieris. Ita referente Catharino: *Nõ hûc afferam probra illa, & conturelias, quas ille dignus tali Magistro aduersus Patres sacrosanctæ Synodi in eâ epistolâ* (loquitur de præfatione ab Spina præfixa libro de Conceptione Card. Turræcremata) *arrogantissimè* (*ne quid dicam durius*) *congessit: arguit enim eos immoderationis, audaciæ, ac petulantis insciticæ vt qui, cum se nescirent, apud doctos Theologos minoris esse existimationis, istis nouitatibus captarent auram popularem, atque ideò non veriti sunt facere verbum hac de re:* Ita ille. Hæc audis: quid non metuas? quid speres? Quandò Spina iste non dubitauit ponere in cœlum os suum, & Sacrosancti Tridentini Concilij PP. configere? Et non doctos, sed audaces, & vanos appel-

Cathar.

lare illos, qui in Ecclesia videbantur esse columnæ. Quanto verius! quanto sanctius de illis inclytus Martyr Edmundus Campianus nostræ Societatis censuit, cum in libro *ad Academicos*, Ratione 4. de Tridentina Synodo sic locutus est: *Tridentinâ Synodus, quo magis inueterascet, eo magis indies, eoque perennius efflorescet. Bone Deus! Quæ gentium varietas? qui delectus Episcoporum totius Orbis? Qui Regum, & Rerum publicarum splendor? Quæ medulla Theologorum? Quæ sanctitas? Quæ lachrymæ? Quæ iciunia! Qui flores Academici? Quæ linguæ? Quanta subtilitas? Quantus labor? Quam infinita lectio? Quantæ virtutum, & studiorum diuinæ augustum illud sacrarium impleuerunt?* Sic Edmundus. Quæ nolui omittere, nec putare extra rem à me adducta; tum vt quid omninò de doctrina, sanctitate, & studiorũ ac virtutum diuitiis PP. Concilij sentiendum, & quomodo de illis loquendum sit: tum etiam, vt componam vtraque interse verba, & non doctis Theologis, medullam Theologorum, infinitam lectionem, subtilitatem, & studiorum diuitias, hominibus audacibus, vanis, & popularem auram captantibus, sanctitatem, lachrymas, ieiunia, & laborem opponam, vt in tantâ iudiciorum diuersitate viderit Lector cui credere, & cuius censuræ adhærere debeat.

Edmun. Campia.

VI Nè verò existimaueris alios hoc sæculum auctores ab illis ferre, & nostra tempora mitiora esse: adi recentissimum libellum elapso anno Eminentissimis Cardinalibus oblatum *de titulo immaculatæ Beatissimæ Virgini tribuendo, non autem Cõceptioni*, & inibi primũ post ea verba, quæ tanquam extripode pronũciant. *Vbi agitur de Conceptione passiua, quâ in vtero S. Annæ virgo fuit Concepta, Menologium vel inutile, vel deprauatum est* (de quibus nos suo loco) hæc subiiciunt: *Imperiti cõcionatores discant hæc populis licenter obtrudere. Sed frequenter in Sancto officio temeritatis pœnas luunt:* & statim: *De viris doctis iudicent alij: non ideò eorum conciones approbantur, quia non expressè damnantur:* Vbi non possis, non ambigere; quid opus fuit iis, qui cum grauissimis S. R. E. Patribus loquebantur; ad imperitos concionatores stylũ, orationem, & minas diuertere? Verum id parum refert. Illud iam audi, quod sub omnium opinionis minus piæ Auctorum personâ, sic illi inquiũt: *Nec nos ad apocryphas Apostolorum diffinitiones, confictas Reuelationes, & somniata miracula, aut Bullas adulteratas confugimus:* Vbi non possis, non mirari strenuũ conuitiorum sartorem, præcipua piæ opinionis argumenta pulcherrimis epitetis rerum apocrypharũ, confictarum, somniatarum, & adulteratarum ad gustum Bandelli, Caietani, & sociorum adornantem: & vt alia mittam, siue in alium locum transmittam. Quæ atrocior iniuria auctoribus piæ opinionis potuit irrogari, quam illis imponi Conceptionem Mariæ immaculatam per adulterata, & suppositicia diplomata stabilire? Et vt criminatio melius lateat, quin deprehendi possit, generaliter tantum id obtrudere, nulla singillatim bulla, quæ adulterium passa sit designata: sed quis rogo huius falsitatis testis adest? quod argumentum? aut coniectura? ita ne nullo fideiussore dato hominibus piis, & obsequio Deiparæ deuotis turpissimum falsitatis crimen obiicitur? cuius immanitas, vel ex pœnis in iure inflictis, de quibus DD. agũt in titulo *de crimine falsi* satis constat: & verò inter falsarios, illi omnium pessimi habentur, qui Principum edicta, vel rescripta adulterare audent.

A B C D E

Sed

VII

Sed enim dū ambigimus cur tam gratis,& ſine cauſſâ nobis obiiciatur miracula,& Reuelationes cōfingere,& Pontificias Bullas adulterare? Illa mihi ratio occurrit,quâ Gregorius Nyſſenus *lib. de Sancta Trinitate ad Euſtachium* in principio; cur ab aduerſariis conuitiis, & criminationibus impeteretur, hunc in modum reddebat: *Viſi ſunt igitur mihi,qui nullâ de cauſſâ, nullo prætextu aduerſus nos odium ſuſceperunt,haud diuerſum facere ab eo, quod eſt in Æſopicâ fabulâ. Nam ille fingit lupum,dum puderet eum, nimirum ſi abſque iuſtâ cauſſa videretur occidere eum,à quo nulla vnquā iniuria laceſſitus eſſet,crimina quædam obiicere agnello: atque illo omnē facilè calumniosè illatam criminationem diluente,nihilo magis impetū remittere luporum, ſed iure quidem vinci,dentibus verò ſeparari.* Pergit Nyſſenus ſuo inſtituto elegantem fabellam ſic aptare: *Itidem illi, qui odium noſtri, quaſi aliquam bonam rem expetiuerunt; erubeſcentes enim fortaſſe,ſi abſque cauſſa odiſſe videantur cauſſas aduerſus nos,& crimina fingant,&c. Sed cum ab vno aliquo crimine repulſi fuerint, alteri adhærent: & ab illo rurſus aliud arripiūt, etſi omnia crimina dilutа fuerint: odiſſe non deſiſtunt.* Sic Nyſſenus non omninò extra rem præſentem: Sed eſto nos odio digniſimus, qui apocryphas diffinitiones, & ſomniata miracula obtrudimus,& Pontificias Bullas adulteramus: quid tamē meruit,aut cōmittere potuit B. Brigitta ab Eccleſia Catholica inter Sanctos ſolemni ritu relata; cuius reuelationes confictæ generali illa oratione (*ad reuelationes confictas*) dicūtur? Nimirum, vt ſuo loco dicimus: ſi quæ in Eccleſia de Mariæ immaculatè concepta Reuelationes expreſſiſsimę habētur: & ſi aliquib⁹ in hāc rem nos vtimur: hæ omninò ſunt, quæ B. Birgittæ factæ memorantur: quarum & præcedenti adnot. memi nimus,& quas inferius Romanis Pōtificibus diligentiſsimo examine præmiſſo probatas,& firmatas latè commonſtramus. Ergo nec animis beatis,& cœleſtibus parcere æquū eſt? Quippè non fuit bonus ille cōtentus dicere, Reuelationes falſas eſſe,quod alicui forte potuit obuenire ſine crimine? Quamuis vt Hieronymus auctor eſt epiſt. 13. ad Paulinum: *Non multum diſtat in vitio, vel decipere poſſe, vel decipi Chriſtianum:* ſed accurata locutione, vt cēſum augeret dixit: *Reuelationes confictas*, quod ſine grandi piaculo fieri nequit? quid enim irreligioſius,& immani⁹? quid apud omnes execrabilius,quam confingere ſecreta tibi à Deo reuelata,& dicere *locutus eſt Dominus, cum Dominus non ſit locutus?*

VIII

Vt iam qui vna ex parte animad uerterit,quam intimo cordis affectu erga piam opinionē omnes omninò mortales afficiantur,dum Summi Pontifices in eam maximè proni,& feſtum Conceptionis ſolemni ritu celebrare iubent, & domis ſpiritualibus cultores cumulāt, Concilium illi Tridentinum fauet, Reges,& Imperatores Mariam immaculatè conceptam adorant, Vniuerſitates celeberrimæ comprobant, omnes totius Orbis Eccleſiæ celebrant, cuncti Religioſorum ordines verbo,& ſcriptis Marię immunitati ſubſcribunt: ex alia vero viderit, quā alia mens, quā alius ſenſus, quā diſcordās os,& vox auctoribus cōtrariæ opinionis ſubſit; non omninò extra rem meminerit obſeruationis illius Ambroſij lib. 5. Hexameron cap. 2. quam alibi expendimus: eam nimirum eſſe Marię gratiam, ſiue virtutem, vt quæcumque animantia in terra noxia,& terribilia videmus: in mari quidem lenia,& innoxia ſint; ſed tamen in eo ita rē ſe habere, vt à canibus omninò caueri oporteat:

Nyſſen. *Ambr.*

cte-

etenim cum recenſita ingentem piſcium multitudinem dixiſſet: *Addebanc gratiam, quod ea quæ timemus in terris, amamus in aquis: etenim noxia in terris, in aqua innoxia ſunt, atque ipſi angues ſine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Muræna, quam ferunt aliquid habere noxiæ, eſca pretioſior eſt. Rhana horrens in paludibus decora in aquis omnibus ferè præſtat alimentis*; emphatice addit. *Canes ſanè, & in mari caue*: Hæc ille: quibus eum accommodatitium, & noſtro inſtituto pœne accommodatum reddidimus ſenſum: vt dum Mariæ Auguſtæ, quæ à PP. Mare, ob gratiarum immenſitatem iure eſſe dicitur, ſignatiſsimè verò eius immunitati, cuncta ſuauia, & & dulcia ſunt, & penitiſsimo obſequio famulantur; & ea ipſa, quæ aut ſeuera ſunt, aut timorem incutiunt (Concilia, PP. Scriptores) amabilia ipſi reddunctur: Doctores tamen opinionis minus piæ, bono ſanè animo, & zelo quodam iuſtitiæ ducti in illius immunitatem vix vnquam proni, & Auctoribus opinionis piæ infenſi, ſiue in opinionem, ſiue eius Auctores non deſinunt oblatrare, vt dum apud cæteros ſalua eſt Matris Mariæ gratia, vt noxia in terris, in aqua innoxia ſint: *Canes ſane, & in mari caue.*

Sed peragit curſus ſurda Diana ſuos.

Opinio de MARIÆ immunitate (ſiue eius DD.) contrariæ præcellit, quod ſuadibilis, & facilè flexibilis ſit.

ADNOTATIO VI.

SApientiam, quæ deſurſum eſt ita deſcribebat Iacobus Apoſtolus cap. 3. verſic. 17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis*: Et verò, vt hæc omnia epiteta propria ſint opinionis piæ de Mariæ immunitate (vt conſideranti facilè patebit) iuuat modo illud ſingillatim ei accommodare, quo *ſuadibilis* dicitur: vt ab eo bona cõditio Doctoris explicetur, qui pro ingenij ingenuitate, & docilitate à ratione (ſicubi eam inuenerit) facile mouetur, & flectitur: quod itidẽ de ſpiritu intelligentiæ pronunciauit Salomon Sapientiæ 7. verſ. 22. vbi cum de ſapientia, quæ deſurſum eſt dixiſſet: *Eſt in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus*: ſubiicit: *mobilis, incoinquinatus*, ſiue vt legit Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19. *Bene mobilis*, vt dixerit, eã eſſe indolem ſpiritus intelligentiæ, vt moueri, & flecti ſe ſinat in quamcumque partẽ ratio perſpecta eum duxerit: vndè ſtatim ſub hoc ſenſu pergit Salomõ inquiens: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia*: Quo it Græca vox apud Iacobum, quæ pro *ſuadibilis* eſt: *tractabilis*, ideſt *mollis, facilis, flexibilis, lenis*: cui opponitur durum, & inflexibile: vt denotet eum cui ſapientia deſurſum ineſt, non ſolum doctum eſſe, ſed etiam docilem cui facile veritas perſuadeatur: Quę omnia adductis verbis Pauli ad Titum in perſona S. Cypriani, ſic probauit Auguſtinus lib. 4. *de Baptiſmo* cap. 5. *Vir Sanctus Cyprianus, non ſolum doctus, ſed etiam docilis, quod in laude Epiſcopi, quem deſignat Apoſtolus ad Titum, ſic intellexit, vt non ſolum ſcienter doceat, ſed etiam vt patienter diſcat*: ſic de Cypriano Auguſtinus: & quod plus eſt ipſemet Cyprianus de Petro Apoſtolorum

I *Iacob. 3. verſ. 17.*

Sap. 7. verſ. 22.

Ambr. Lect. Græc.

Auguſ.

Cypria.

Princi-

Principe, & Eccleſiæ Magiſtro in eandem ſententiam ſic diſſeruit, epiſtol.71. *ad Quirinum*, cap.2. *Nã nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus poſt modum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari a nouellis, & poſteris ſibi potius oportere: nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat facile conſenſit.* Hæc S. Cyprianus omnino firmans ſapiẽtiam, quæ de ſurſum eſt, ſuaſibilem, & tractabilem eſſe, quæ rationi legitimæ facile conſentiat: & ſpiritũ intelligentiæ inde penſitari, quod bene mobilis ſit in eam partem, quam veritas oſtendit. In quâ quidem virtute fructuosè quidem floruiſſe S. Thomam Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis eius monuit his verbis. *Tanquam fidelis ſeruus, & prudens, non pertinax, non proprio ſenſui, aut prudentiæ innitens, & nulla deſe ſcientiæ ſuæ opinione ſuperbus, ſapienter, atq; humiliter omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinã ad Eccleſiæ fidei normam fideli deuotione reduxit.* Sic Pontifex: Sed quid fuerit mirandum Angelicum Doctorẽ, non proprio ſenſui, aut prudẽtiæ innixum omnem ſuam doctrinã ad Eccleſiæ normam reduxiſſe, qui aliquando lectoris menſæ officium probè implens, cum à lectionis præfecto de ſyllaba breui, aut lõga pronũciata male admoneretur, ipſe ad eius potius guſtũ, quã ad proſodiæ normam ſyllabam pronunciare minime erubuit: cumque ab amicis interrogatus fuiſſet: cur male pronũciaſſet? ſcitè & humiliter reſpondit: quod parum intereſſet ſyllabam, breuem, aut longam facere: multum verò referret humilem, & docilem eſſe.

A B C D E

Ioann. XXII.

II

Sed enim, quod in præfato Salomonis loco pro voce *mobilis*, Hieronymus tom.4. in cap.16. Ezechiel cap.10. legerit *mutabilis*: illud ſignatè monemur; non inde ſolum egregiam Doctoris indolem deprehendi, quod rationi legitimæ facile acquieſcat, atque ab ea perſuadeatur: ſed etiã multo magis, quod pro rationis luce nouiter ipſi affulgente ſententiam mutare minime erubeſcat: vt Oraculum ſit: *Sapiẽtis eſt, mutare ſententiam*: quo non modeſtia, nõ humilitas, aut animi ſummiſsio, ſed ſingillatim ſapientia commendatur in eo, qui pro re natâ, & ratione denuo inuenta ſentẽtiam in quâ prius conquieſcebat, mutare non renuit: quod ſpiritus intelligẽtiæ mobilis, & mutabilis à ratione ſit, qui ab eâ duci in ſuas partes facile ſinat: ita quidem Auguſtinus libr.3. contra Creſconium cap.3. ipſi ingerebat, mutationem prioris ſententiæ enubilata veritate in laude eſſe, nec vllum dedecus cerni in ea mutatione: *Quia ſententiam falſam nunquã tenere, prima laus eſt: ſecunda, mutare:* Quo ſenſu imbutus Tertullianus lib. *de pudicitia*, cap.1. dicebat. *Non ſuffundor errore, quo caruiſſe delector. Nemo proficiens erubeſcit.* Pergit vero alibi Auguſtinus monens animum à docilitate mutationi ſententiæ præparatum, & pronum, in ipſis dictis per ignorantiam à vero aberrantibus, & nõ Catholicis, manere Catholicum: accipe egregia illius verba lib. *de Origine animæ*, capit.17. *Iſte quippè animus etiam in dictis per ignorantiam nõ Catholicis, ipſa eſt correctionis præmeditatione, ac præparatione Catholicus.* Sic Auguſtinus. Induerat ſanè hunc animũ Theodorus ille Mopſueſtenſis, in cuius laudibus ponit Facundus lib.10. cap.2. quod anima duertens nonnulla ſibi excidiſſe tametſi erroris vacua, quæ quod à communi aliorum ſenſu diſcreparent; à pluribus impro

Hieron. *Auguſ.* *Tertull.* *Auguſ.* *Facund.*

barentur

barentur, fortiter agens sine confusione correxisset, quod primũ proposuerat: subdit Facundus; *Et re vera magnæ fortitudinis fuit, calcare gloriam magisterio tanti temporis acquisitam, & ad emendationem dicti, sine confusione descendere*: Ita ille: vbi non possum non committere cum epiretis tractabilitatis, lenitatis, flexibilitatis, & facilis mutationis, epiteton *fortitudinis*: vt appareat virtutem docilitatis, non tam mollem, & teneram, quam fortem, & virilẽ habendam esse, quæ cõstanter, & magno animo magisterij gloriã calcat, & vt lenis, & flexibilis sit, prius magnanimus, robustus, & fortis est: cui obseruationi assonat, quod apud Clementem Alexandrinum monet Vitruuius, eum videlicet ex Philosophiæ præscripto optimum Architectum fore, qui aliorum consiliis facile acquiescat, atquè hunc omninò magno animo præditum fore: sic enim ex Vitruuij ore loquitur Clemens lib. 1. stromatum. *Philosophia perficit Architectum, vt non sit arrogans, sed facilis, ac fidelis, animo magno*: pulchrè facilitatem cum animi magnitudine coniungens.

Clemen. Alex.

III *Euseb.*

Par decus retulere Arsenoitę, qui (vt Eusebius refert libr. 7. historiæ, c. 22.) Dionysio Alexãdrino priora eorum sensa dedocente, *eũ quid in vero patuisset, accommodabant nihilominus absque contentione consensum iudicantes: hoc, quod non cõtinuo si quid animo visum fuerit, omni id studio, & contentione seruandum est: sed esse rectius, tunc mutare sententiam, cum eam melior, & rectior superauerit*: Addit apud Eusebium Dionysius: *Id tanto animo, tãtaque sinceritate ab eis factum, vt is, qui inter eos maximus Doctor, & vitæ meritis præstantior habebatur, Coratiõ nomine surgens in medio cunctis audientibus proclamarat, & protestaretur: neminem debere vltra eius doctrinæ facere mẽtionẽ: sufficere quod erratum est. De cætero nihil horum tenendum, vel sequendum, sed nè commemorandum quidẽ de talibus.* Hæc Eusebius, quæ miram in Arsenoitis tractabilitatem iudiciorum, & egregiam ingeniorum indolem, cui spiritus ille intelligentiæ bene mobilis & mutabilis inberat, ostẽdũt. Quid enim vt flexibilius; ita æquè sapientius; *accum quid in vero patuisset, accommodare illi absque contentione consensum: Nam si honor est homini, qui separat se à contentione.* Prouer. 20. vers. 3. quæcumque tandem cõtentio sit; quanto magis, dum tunc a contentione discedit, & sententiã mutat: cum eam melior, & rectior superauerit: pulchrè hâc de re monente Gregorio Nazianzen. orat. 3 de pace: *Cedamus, vt superemus, sicut athletæ plerumque, quod humi se deprimunt, aduersariis supernè incũbentibus, victoriam extorquent.* Sic Nazianzen. in quam sententiã prę clarè iterum citatus paulò ante locutus est Cyprianus: vbi cum adduxisset signatissima Pauli verba 1. ad Corinth. 14. vers. 29. *Prophetæ duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent: si autem alij reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat*, & ex illis admonuisset; *Quâ in parte docuit, & ostendit multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque, nõ pro eo, quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi, sed si quid melius, & vtilius extiterit, libenter amplecti*: eam statim rationẽ infert: *Non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur: maximè in his, quæ ad Ecclesiæ vnitatẽ pertinent, & fidei, & spei nostræ veritatem.* Pulchrè: *Non enim vincimur, sed instruimur*, atquè idcirco cedimus, vt superemus, cum meliora, & salutaria amplectentes, ostendimus; spiritu intelligentiæ præditos esse.

Nazia. *1. Corin. 14. v. 29 Cypria.*

IV

Iam verò sapientiæ huic tractabili, & suadibili, & spiritui intelligen-

tiæ

tiæ facilè mobili, atquè cò vbi veritas allucet mutabili, contraria omninò est illa animi mentisque durities, & ineluctabilis intractabilitas, quæ retrocessionem à semel decretis, tantum quia decreta sunt refugit, vt probrosam, & sapiente homine indignam: quam sapientes, maxime vero sancti PP. quorum mentes, atque iudicia maximè docilia sunt maximè auersantur: tùm quod a veræ sapientiæ indole aliena, & sæpe sæpius exitialis sit: tum etiam quod sub specie inuicti, & fortis animi mentes infirmas, atque languentes arguat: sicuti de eo, qui doctrinæ, quæ secundum pietatem est, non acquieuit, dixit Apostolus 1. ad Timotheum 6. versicul 4. *Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum:* vbi Paulus notanter eum, qui præ superbia duri, & inflexibilis iudicij est, nihil scire dixit, quod sapientiam suadibilem, & tractabilem, siue spiritum intelligentiæ benè mobilem, & præ ratione mutabilem non habeat; atquè ideò a sapientia, quæ desursum est aberret: notantissimè verò addidit hunc languentem esse debilem, & eneruem: qui præ animi infirmitate à malâ verecundiâ mutandi sententiam superetur: secus ac ille, qui fortiter agens sine confusione correxit, quod primum proposuerat. De quâ quidem animi mentisq; duritiè sic in primis dixit citato loco Facundus. *Multos didicimus eminuisse scientiâ, & maximam per hanc gloriam consecutos: at vbi humanitus lapsi sunt, homines se cognoscere noluerunt: & simpliciter admoniti contempserunt cedere veritati. atquè ita ipsis illa gloria scientiæ multum obfuit ad salutem, quoniam scientia inflat: charitas autem ædificat:* Quâ sanè in classe ille Iulianus erat, què S. Augustinus libr. 2. *contra Iulian.* c. 5 ostendisse ait: *Quantum in malis humanis valeat; eò quempiam fuisse progressum, vbi manere non libeat, vndè iam redire pudeat.* Vndè statim illum alloquens, sic exclamat Augustinus. *Sed ò si pax Christi in tuo corde vincat! & bona pœnitentia de malâ verecundiâ palmam ferat!* Hæc ille ibi: Qui etiam tom. 10. tragmento 10. de gregalibus ait: *Sibi mutua timentes, seque inuicem erubescentes, quia graue putant depudere vanitati vltro procul fieri a veritate:* ita Augustinus, ad cuius gestum S. Auitus epist. 41. hæreticos inde præsertim monet in errore obfirmari, quod eos pudeat videri sententiam mutasse, aut non adhæsisse maiorũ sensui, quamtumuis discusso nubilo liquida le veritas ingerat.

Nec omiserim hùc aduocare Athnicum sapienter omnino de mollienda hac animi duritie disputantem: Epictetum dico iuxta Athnicos (referente Origine lib. 6. contra Celsum) moralis disciplinæ Magistrum absolutissimum, & veluti alterum ægritudinum quarumuis animę Æsculapium: quandò nõ piguit sanctissimum Chrysostomum hom. 13. in Acta in grauissima tractatione de morbus Epicteti meminisse, eiusq; sensu cõmunire sensũ suũ: Age ergo & nonnulla ex eius dissertatione apud Arrianũ lib. 2. cap. 15. excerpamus: & istud in primis *Nonulli cum disputationes tales audierint, quibus nimirũ inhæretur esse cõstãtes, opinãtur se debere, in omnibus quæ semel docuerũt absq; cessione vllâ permanere. At in primis sanũ esse oportet, quod statuitur. Cæsco enim robur, ac neruos debere esse in corpore, sed vt in sano, & athletico. Quod si mihi furiosi vires statueris, & vanâ gloriatione superbas: suadeo sanè, ò homo, tibi, vt medicinã quæras. Robur enim illud non est, sed quodãmodo viriũ imbecillitas. Huiusmodi affectio animos quoque illorũ occupat, à quibus disputatio hæc de constantia non rectè percipitur.*

1. *Timo.* 6. 4.

Facun.

Augus.

S. Aui.

V

Epict.

Firmat dicta apposito exemplo per opportuno, quod rem nobis ob oculos ponit, hunc in modum. *Quod ipsum amico etiam cuidã meo accidit, qui nullam ob causſam inediâ mori decreuerat: & cum iam tertium diẽ* A *abstinuisſet cibo, & ego ipsum accedens quærerem, quidnam euenisſet? respondit se inediam decreuisſe. At ego, quid, inquam, vt hoc faceres tibi persuasit? Nam si rectè statuisti: age assentiamur tibi, & iuuabimus etiã vt hinc discedas: sin peruersè decreuisti, muta sententiam. Sed manendum est (inquit) in his constanter, quæ semel statueris. Quid agis, bone vir, nõ persistendum in omnibus, sed in iis dũ* B *taxat, quæ conuenienter sunt constituta. Si ita animo nunc affectus pronuncias, noctem esse, tibique ita dicere videri: mutares scilicet nunquam sententiam tuam, sed in eâ persisteres hanc ob causſam, quod mutandum non videatur, si quid semel sit constitutum? Quid inquis ô bone! Nonnè omnibus tanquam principium, & fun-* C *damentum prædicandum; consideratio decreti; vtrum rectè, an secus habeat: quo posito cætera deinde superstruere, robur videlicet animi, & cõstantiam in suscipiendo censes? Quod si putridum illud sit, aut ruinosum, ab ædificatione abstinendum: nam quò pluta vt ponderosiora imposueris: tanto ocyus subuertetur ædificiũ.* D Pergit multis referens longiusculum cum eodem suo Biothanato colloquium; cui non alia erat pereundi causſa, quam quod semel ita decreuisſet: ei tamen denique, tametsi ægrè, abs se persuasum ait Epictetus: non item alius quibusdam, in quibus perditam sibi operam dolet, cum euincere nunquam potuerit, quin aliter sentirent, quam semel in ani- E mum induxisſent. Hæc & multo plura Epictetus ibi aduersus hanc firmitatem, quæ retrocessionẽ à semel decretis, tantum quia decreta sunt, refugit; quæ inde pete, vt molliora, & opportuniora tibi appingam ex Cypriano epist. 72. dicente. *Cæterũ scimus quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suũ facilè mutare, sed saluo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint vsurpata retinere.* Sic Cyprian. *Cypria.*

VI

Hæc non nisi generaliter dicta sunt, vt cementum substernamus ad docilitatem, in quâ pia opinio contrariæ præcellit, ostendendam, atq; laudandã: quâuis (vt id obiter dixerim) nõ possim, nõ auctoribꝰ opinionis minus piæ illud Greg. Nazianzeni monitum ingerere: cauendũ quidem esse viris piis, & cordatis a nimio contentionis ardore, & iudicij inflexibilitate in rebus leuioribus, nè diuturna contendendi consuetudo callum menti obducat, quo animi durities etiam in rebus maioris momenti perduret: sic namque aiebat ille. *Ac maxime quidem ita cõparatum est, vt omnis sermo contentiosus, & cum ambitione coniunctus exercitatio quædam sit; quâ ad contendendum de rebus maioris momenti prouehamur. Proinde nobis curæ esse debet, vt quemadmodum pueros in primis moribus, & in primâ institutione fingimus, vt in sequentis ætatis improbitatem fugiant; ita nos quoque nè in leuioribus quidem, paruique momenti disputationibus audaciæ, atque ineptiæ significationem præbeamus, nè eâ tandem diuturnâ consuetudine in maioribus abutamur.* Ita Gregor. Nazianz. Verum vt ad rem iam accedamus, credide rim huius docilitatis, & tractabilis sapientiæ argumentum exinde potissimum esse sumendum: cũ vtriusque opinionis auctoribus de Mariæ immunitate, vltro, citroque in vniuersalis Ecclesiæ theatro concertãtibus, totoque terrarum orbe ab eorum dissertationibus pendente Xistus IV. Pontifex Maximus Diuino ei afflante Spiritu festum Concep- *Nazia.*

tionis

tionis Mariæ in Catholicam Eccle-
siam Pontificia auctoritate inue-
xit: & officium de hâc solemnitate
in quo Mariæ immunitas omnimo-
dis asseritur, probauit, firmauit, &
bene dictionibus spiritualibus com
muniuit: omninò ratus hanc Eccle-
siæ Romanæ procliuitatem in piam
de Mariæ immunitate opinionem
velut lydium lapidem futurum, quo
sapientia suadibilis, & spiritus intel
ligentiæ benè mobilis, & præ ratio-
ne de nouo affulgẽte mutabilis dig
nosceretur. Vnde quidem factũ est,
vt ex tunc omnes, qui visi sunt be-
nè sapere, & spiritu intelligẽtiæ mo
ueri opinioni piæ constanter adhæ-
serint: & quotquot de eâ dubij, &
suspensi fuerant se se illius partibus
indubitanter adiunxerint: & in ip-
sam exinde rude, & eruditum vul-
gus cursu iuerit. Nec nostra hæc,
sed Ioannis Maioris, qui ante cen-
tum, & quinquaginta annos flo-
ruit, cogitatio fuit: qui hac de
re agens in capitul. 1. Lucæ sic in-
quit. *Sat se fecisse putauit Xistus, dũ
indicauerit præclaros Ecclesiæ filios
suâ sententiâ cessuros, quam ille con-
trario Ecclesiæ cultu, & Pontificis
iudicio latenter explosit, & occultè
infirmauit*: ita ille: Obserua *dum iu-
dicauerit præclaros Ecclesiæ filios
suâ sententiâ cessuros*: Sanè quasi sa-
pientiæ quę desursum est, suadibilis,
atque tractabilis compotes, & spiri
tus intelligentiæ, qui mobilis est no
ua superueniente maiori ratione,
participes, à sententia Mariæ immu
nitati infensa, quam tot impugnant
rationes, dimouerentur.

Ioann. Maior.

VII. Quod sanè est in caussâ, vt Sanct.
Ioann. Pont. Thomam, iridemque Bernardum,
& Bonauenturam, qui opinioni mi-
nus piæ videntur subscripsisse (de
quo grandis quæstio est in alium lo
cum transmittenda) inter Auctores
MARIÆ immunitati fauentes fi-
denter, & indubitanter nomine-
mus, non tam ad eorum litteram,
quam ad spiritum, & bonam inge-
niorum indolem respicientes.
Nam quis, quæso, de Sanct. Thomâ
vllo modo possit dubitare iudicio
Pontificis fuisse subscripturum, qui
in syllabæ pronunciatione male
admonitus, ignaro correctori be-
nè cessit: & de quo Ioannes Ponti-
fex dicebat: *Tanquam fidelis seruus
& prudens non pertinax, non pro-
prio sensui, aut prudentiæ innitens,
& nullâ de se scientiæ suæ opinio-
ne superbus, sapienter, atque humili-
ter omnem suam, verbo, vel scripto do
ctrinam ad Ecclesiæ fidei normam fi-
deli deuotione reduxit.* Vbi pro exi-
mia Sanct. Thomæ docilitate, non
prætereundum, notanter Pontificẽ
Summum, vt diceret eum non fuisse
pertinacem, nec proprio sensui, aut
prudentiæ innitentẽ, præmisisse, *tã-
quã fidelis seruus, & prudens* factâ
allusione ad seruum illum nequam,
qui vnũ talentum, sibi commissum
abscondit in terra, Matthæi 25. vers.
18. Nimirum Gregorio Magn. hom.
9. in Euangel. talentorum parabo-
lam sapienter elucidante: *Vnius ta
lenti nomine intellectus tantummo-
do designatur*: vt pulchrè designet
hominem in oculis suis sapientissi-
mum, qui vt totus intellectus, totus
prudentia, totus mens est, ita suo iu-
dicio, & sensui omninò innixus,
quin vlla posset ratione ab eo di-
moueri: *Atque ita illa ipsi gloria
scientiæ multum obfuit*, ac proinde
ab eo Angelicum Doctorem, *nul-
la de se scientiæ suæ opinione super-
bum*, quam longissime fuisse. Vn-
dè quidem hoc in loco minime
fuerit prætermittenda acutissima
responsio, & sapientissimum iudi-
ciũ Patris Alphonsi de Deza nostrę
Societatis, hominis magni nomi-
nis in litteris apud Complutenses:
qui cum inibi Theologicæ disserta-
tioni, in qua de MARIA immuni-
tate agebatur, pro munere suo præ-
sideret, post longam disputantium

Matth. 25. Gregor. Magn.

altercationem; ipse tãquam Coryphæus, siue Chori Magister, vt quid tandem tenendum esset præscriberet, sic concluſit: *Hâc in re tenenda à nobis est mens S. Thomæ*: cumque ad hanc vocem adstantium concio immunitatis Mariæ studiosa rei nouitate, & insperata responsione velut fulmine perculsa vehementer commota turbaretur, disertissimus ille pene subridens, adiecit: *Non litterâ sed spiritu*, subiiciens: etenim qui ex Angelici Doctoris scriptis modestissimam ipsius docilitatem, quà nõ dico Pontificum decretis, sed cuiusuis è Patribus iudicio sensum suum submittere consueuit, benè nouimus, & minimè dubitamus ipsũ eadem mente, ac Romana Ecclesia, & communis Doctorum sensus, sententiæ de Maria concepta absque labe originali consensurum, eamque obuiis manibus, si nunc in viuis foret, amplexaturum. Quæ quidem respõsio omnium plausu, & gratulatione excepta fuit: Et (si verè æstimas) ab ea ipsimet Dominicani PP. & S. Thomæ discipuli minimè iuerint, vt ex opportunissimis huic rei M. Cani verbis in proemio lib. 12. *de locis Theologicis* facile videris: Sic namque ibi ille inquit: *Admonebat Magister meus Victoria non oportere S. Thomæ verba, sine delectu, & examine accipere: immò verò si quid, aut durius* (quid verò durius, quam Dei Matrem culpæ originariæ subiicere) *aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiam, & industriam, qui nec Auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiã eorum, ratione in contrarium vocante, transit.* Subdit de suo Canus. *Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim vllam non D. Thomæ dico, sed nè Magistri mei opinationẽ quidem reuocaui ad arbitrium meum, nec cordi tamen fuit iurare in verba Magistri. Nã & virerat ille natura sua moderatus, & à D. Thomæ aliquando etiam dissensit.* Hæc Canus satis ad rem.

VIII

Quo itidem spiritu ac mente Patres Dominicani, qui Prouinciali Capitulo Hispali celebrato anno 1524. interfuerunt, prudentissimum decretum interposuere: quo opinionem minus piam, quam vsque ad id tempus propugnauerant, aut deinceps omninò mutandam, aut minimum de ea esse curandum hunc in modum statuerunt, vt in Ordinis Manuali habetur. *Quia ordo Prædicatorum solitus est Sanctorum Doctrinæ adhærere, sustinuit hucusque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali: sed iam de hoc non est curandum, cũ sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa: præsertim cum tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & auctoritas secundum Beatum Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris iam asserat, quod fuit præseruata.* Sic Manuale Dominicanum sui Ordinis alumnis retrocessionem à semel concepta minus pia de Mariæ immunitate opinione sapiẽpienter præscribens: considerauerunt quippè religiosissimi illi Patres piam de MARIA immaculatè concepta opinionem Pontificia iam auctoritate firmatam, & omnium Ecclesiarum, & Doctorum hominum consensione receptam esse. Considerauerunt etiam nihil illi opponi solidum, aut quod difficultatem merito faciat: immò plura pro illa veræ pietatis, & solidioris doctrinæ argumenta esse. Considerauerunt itidem ab ea omne practice errandi periculum semouere Ecclesiam Romanam, quæ est columna, & firmamentum veritatis: ac proinde eximiæ sapientiæ, & spiritus intelligentiæ opus esse, non amplius logomachiis ad nihilum vtilibus præconceptionibus insistere, sed dimissis subtilibus tricis, cum

Manuale Dominici.

reliquis Ecclesiæ filiis sentire, & vno ore honorificare Deum in omnimoda Matris suæ ab originali labe præseruatione. Quo quidem sapienti consilio Patres isti testatum reliquere, aliam sibi mentem, alium sensum ineſſe ab eo, quem apud Ambrosium Catharinum alij eiusdem Ordinis alumni ideò se sententiæ minus piæ insistere affirmabant, quod eam à Maioribus accepissent: *Et honorem ordinis ferre, vt in Maiorum sententiâ hæreant posteri, & mutatis quamtumlibet circunstantiis, omniumque aliorum iudiciis alio auersis, perstent ipsi nihilominus, nec dimoueantur de sententiâ.* Explodit sanè id Consilium Catharinus, & rationem in contrariũ detorquet: vt potius honor Ordinis ferat in re ad pietatem, & obsequium Virginis faciente, secluso quouis labendi periculo, de sententia decedere, ac reliquæ Ecclesiæ vniuersæ iudicium probare, quam domestico mori, qui iam lites, & scandala gignit, malle inhærere. Ego verò, præterquam quod malo credere Salomoni dicenti: *Honor est homini, qui separat se à contentione:* cum videam hunc sentiendi modum non longè abire ab illo Biothanati dicentis: *Manẽdum est constanter in his, quæ semel statueris:* non aliter ei obviam eundum dixerim, quam cum Epicteto dicendo: *Quid ais? bone vir! Non persistendum in omnibus, sed in iis duntaxat, quæ conuenienter sunt constituta. Si ita animo nunc affectus pronuncias, noctem esse, tibique ita diceres videri: mutares scilicet nunquam sententiam tuam, sed in ea persisteres, hanc ob causſam, quod mutandum non videatur, si quid semel sit constitutum?*

Catharı. *Epictet.*

IX Acrius verò hanc persistentiam in semel decreta opinione castigat idemmet Ambrosius Catharinus in fine disputationis ad Conciliũ Tridentinũ column. 112. vbi primum

Chatari.

A

B

C

D

E

DD. opinionis minus piæ sic alloquitur. *Putatisne Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ea leuitate ferri, vt sit aliquando, vel opinionem vestram amplexatura, vel saltem cultum illum reprobatura, quem semel Pontificio Decreto suscepit, & solemni omnium Ecclesiarum ritu, cum munificentissima indulgentiarum largitione iam dudum celebrare perseuerat? An vllum quasopotest is similis mutationis exemplum proferre, quo in spem bonam erecti expectare positis ex vestra opposita opinione victoriã? Si hoc vobis persuasistis, quis non videt, in quanto errore versemini? quam que parum piè de prouidentia Dei erga Ecclesiam, & eius gubernatione sentitis? Quod si Victoriæ spem vobis ereptam clarè cernitis: cur non anteuertitis seueriorem aliquam Ecclesiæ sententiam?* Deinde verò à rationibus, quæ animum, cui spiritus intelligentiæ pro ratione mutabilis subest, a proposito dimouere debẽt ipsos non leuiter vrget hunc in modum. *Reddita sunt iam vobis clara omnia. Probatum est sententiam nostram, non solum Christi dignitati non detrahere, sed magnificentissimè eam extollere: Matrem Filio non æquari, sed locum ei ex Filij meritis conuenientissimam dari: Scripturæ nèdũ non reclamant, sed mirificè clamant. Soluta sunt Sanctorum Patrum argumenta. Omnes totius Orbis Ecclesiæ, omnes Religiosorum ordines celebrant, Vniuersitates celeberrimæ cõprobant, ipsa tandem Sacrosancta Romana Ecclesia grauissimo Decreto per Concilium Tridentinum confirmato ita sanxit. Quem igitur finem vobis proponitis? Vos ne ea spe sustinetis, vt totus Christianismus cultum suum deserat, sicque petendam à vobis in posterum Ecclesiasticarum solemnitatum veritatem credat?* Quibus dictis ad benè sperandum de horum Doctorum docilitate, & tractabilitate sese Catharinus sic

conuertit. *Non existimo certè ita vos desipere: vestrum igitur est, sapienter veram ordinis gloriam quærere, quam tum dæmum sartam tectam existimare debetis, cum gloriæ Christi, & Matris potissimum studebitis, & ab institutis Romanæ Ecclesiæ non recedetis. Quod futurũ propter Dei bonitatem, & merita illius mitissimæ Matris, & P. N. Dominici, & filiorum eius, quos per illum Dominus in gloriam adduxit spero, & confido* Sic ille. O bonam! Sed longam spem! quam mentitus est ca

A lamus Bartholomæi Spina, qui vt inleq. adnot. videbimus opinioni minus piæ adeo firmiter hæsit: vt non modo post primum Xisti Pontificis Decretum, quo festiuam solemnitatem de Mariâ immaculatè Conceptâ in Ecclesiam induxit; sed etiam post secundum in quo sub anathemate prohibuit piam opinionem hæresis damnare, & eam ipse hæreseos damnauit: & in Caietanum impetum fecit, quod nõ damnauerit: itidemque iudicio PP. Concilij Tridẽtini non plenè acquieuit: vide ibi.

IHS

DISSERTATIO III.

DE VICTORIIS AB OPINIONE pia de opinione minus pia relatis:

PIA OPINIO DE MARIÆ IMMVNITATE semper victrix, & gloriosè triumphatrix.

ADNOTATIO I.

I VT Maria Deipara semper Victrix fuit quę diuino clypeo B protecta serpentis caput glorioso, & domitore pede in suâ Conceptione contriuit: ita pia de eius immunitate opinio, non tãtum iusta, pia, tuta, & felix, sed etiã glorioſe Victrix, atque triumphatrix, & fuit, & est, & semper erit: Quẽ sanè sensum non immerito subesse dixeris tùm palmæ, tùm turris Dauidicæ imaginibus: quibus Mariæ immunitatem a sacro sponso asseri, & C eleganter significari, iam vidimus: vndè eas denuo elucidare est operæ pretium. Sic ergo primum de palmæ in hanc rem imagine Salomon Cant. 7. vers. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*: vbi cum de immensa Mariæ magnitudine, quæ omni cogitatione nostrâ maior est, à sapiente differatur: notanter cũ palmâ nõ verò, cum cedro, aut cum alia ex arboribus, quæ altitudine multo proceriores palma sunt, componitur: quod tum immunitatis a peccato originali, tùm Victoriæ symbolum palma sit: quid namque oppor- *Cant. 7. vers. 7.*

tunius

tunius ad puritatem originis MARIÆ, nihil terrenum sapientis, siue nullum è terrena fæce succum extrahentis significandam: & viuacissimo penicillo depingendam, quam palma? Quam nouimus vitalem vim non in radicibus defossam, sed in medio tanquam in corde sitam habere, vt disertissimè expressit Philo lib. *de vita Moysis*, *Philo.* hunc in modum. *Palma arborum præstantissima, aspectu pulcherrima fructum quoque fert optimum, & vitalem vim habet non in radicibus defossam, vt cæteræ, sed in summo quasi cor sitam*: sic ille. Quod planè ipsamet Deipara videtur expressisse cum de seipsa sermonem faciens: Ecclesiastici 24. versicul. 18. *Eccl. 24 vers. 18.* inquit: *Quasi palma exaltata sum in Cades*: hoc est in sanctitatis ratione, & modo: nam *Cades* Hebraice idem est *ac sanctitas*: vt omnes omninò Hebraicorum nominum interpretes affirmant: tantum non dicens MARIA: alia mihi in Sanctitate exaltationis ratio ac modus est, quæ in ipsamet Conceptione vitalem vim non à radicibus vitiatæ naturæ, sed à *summo* hoc est à gratia accepi: Vndè hùc etiam notanter facit Victoriæ insigne, quod palma præfert: sic explicante hæc verba Dionysio Carthusiano de *Carthus.* MARIA: *Nunquam per culpam est incuruata, sed in omni virtute, & sapientia iugiter stetit erecta, ac glorioßissimè de hostibus inuisibilibus triumphauit*: *vndè Victoriæ palmâ debuit insigniri*: Hæc Dionysius.

II Verum enim verò, si verè æstimas, non vna tantum MARIÆ immunitatis Victoria fuit, de qua hac *Genes. 3. vers. 15.* ratione à Deo iam olim dictum est serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Genes. 3. versic. 15. quod cum de MARIA perpetua cum serpente bella gerente, perpetuoque de eo triumphante, tum vero de eius immunitate à noxa originali omnes pœnè PP. & interpretes, & communis Ecclesiæ sensus, & populorum consensus accipiunt: sic hæc verba Doctoribus intelligentibus, sic interpretibus explicantibus, sic diuini verbi præconibus in concionibus ad populum elucidantibus, sic denique in Deiparæ imaginibus pictoribus depingentibus, atque inscribentibus, opportunè nos de Mariæ Victoriis, & in prima ipsius immunitate, & ab eius immunitate subinde de iis, qui eam immunitatem oppugnant relatis accipiemus. Nimirum opportune in primis à PP. & interpretibus ad immunitatem à culpa originali referuntur illa verba: *Ipsa conteret caput tuum*: nam vt scitè ad ea adnotauit P. Martinus del Rio in Adagialibus to. 1. adagio 6. hoc dicendi modo: *Martin del Rio.* *significatur velox, & prima Victoria, quando malorum primi conatus statim opprimuntur, ita vt nequeant rebellare. Sic Tibullus.* *Tibull.*

Et caput impositis pressit amor pedibus.

Sic Martinus del Rio. Deinde verò notanter mihi à Deo dictum est *inimicitias ponam* innumero plurali, vt plurimas Mariæ Victorias, triūphosque designaret, quod palmæ insigne omninò præfert: cum *palmæ folia* (vt inquit P. Viegas in c. 12. Apocal. comment. 3. de B. Virgine sect. 4.) *Viegas.* *omnia sint instar gladij, quò fit, vt eam etiam ob causam conueniat Virgini* (palma) *ob multiplicē cū serpente pugnā, multiplicēq; Victoriā*: Vndè paulò ante præfata verba: *Statura tua assimilata est palmæ*. Sic effert. *Omnis tui corporis compositio palmam, & Victoriam refert, itaque quacūq; ex parte tè aspicio tota mihi palma, & Victoria videris, quia nihil in te est, quod nō gloriosam Victoriam de antiquo serpēte consequatur.*

Quæ sanè vt Mariæ, ita eius immunitati possis aptare; appositeque de piâ opinione dicere: quâcumque ex parte te aspicio, tota mihi palma, & victoria videris: dum in quocumque hâc de re vbilibet inito certamine glorioſam victoriâ de aduersariâ opinione cõsecuta es. Enimverò idemmet Auctor commentario 1. sect. 3. ad Deiparam retulit, tam ea verba Domini ad Moysen, & Aaron Numer. 20. versic. 5. *Loquimini ad petram* (quod posset ex Richardo à S. Laurentio confirmare, qui lib. 1. *de laudib. Mariæ Virginis*, illa explicat: ideſt *ad Beatam Virginem*) quam quæ vers. 13. habentur. *Hæc est aqua cõtradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis*: quæ sic opportunè exponit, *ideſt sanctũ se declarauit*: vt videlicet ex petrâ inuiolatâ, & immaculatâ Mariæ egressa sit aqua contradictionis, cum tot de ipsius immunitate controuersiæ quæstiones extiterint: primùm, an peccatum originale contraxerit? Deinde, an debito peccati fuerit obnoxia? Postea an pia opinio, quæ ipsam immunem asserit sub Põtificis diffinitionem cadat, vt inter fidei dogmata assignetur? Dæmum an proxime diffinibilis sit; & an reapse expediat, vt à Sancta Sede Apostolicâ Mariæ immunitas certa fide credenda diffiniatur? In qua quidem contradictionis aqua sanctificatus est Dominus, sanctum esse, & incontaminatum, & excelsiorem cœlis ostendens, qui Matrem suam omni ex parte sanctam, & ab omni labe immunem fecerit: & eius immunitatem omnibus telis superiorem reddiderit.

Richar. à S. Lau.

III Quò quidem belliſimè facit Dauidicæ turris imago, cum qua Mariam sic composuit Salomon Cant. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est, cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Quæ quidem verba iam superius ex colli similitudine, siue quia ipsum iugo subiici, siue quia gladio feriri solet, ad Virginis immunitatem signate fore referenda ostẽdimus: modò verò in tot clypeorum myriadibus, & in tanta fortium armatura vim facimus, vt adstruamus tam Deiparæ illibatam Conceptisnem, quam quidquid ad ipsam asserendam, & elucidandam spectat, ab omni telorum incursu, siue aduersariorum contradictione esse tutissimum: sic id diffundente præfato loco P. Viegas: *Comparauit eius collum sponsus turri Dauidicæ omni armorum præsidio munitissimæ, vt perspicuum esset, gladium qui in Virginis collum stringeretur insceta, & clypeos impenetrabiles incurrere, & præterea non solum hebetari, sed etiam infringi.* Pergit multis in hanc rem Viegas, tùm in Virginis honorem inflectens verba illa Ecclesiastici 24. versic. 19. *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*, quod platani folia referant speciẽ scutorum, & tot quasi scutis platanus sit accincta, quot foliis vestitur in typum Mariæ, quæ tota scutum, tota victoria est: tùm etiam thronum Salomonis, quem duodecim leones, seni ex vtraque parte per sex gradus ambiebant, 3. Regum 10. versi. 19. vt inter leones sibi incedendum persuadeat, quicumque ad hunc veri Salomonis thronum, nisi cum summà reuerentia velit accedere. In quem sensum statim adduci: Bernardum serm. *super signum* gloriosa Mariæ certamina, & victorias prosequentem. *Nimirũ* (inquit Bernard. de Deipara serpentis caput conterente) *ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede conteritura, cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine caussâ*, & post pauca. *Si contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati*

Cant. 4. vers. 4.

Viegas.

Eccl. 24 vers. 19.

3. Reg. 10. v. 19

Bernar.

dero-

derogatores, & beatam eam dicant omnes generationes. Quod quidem, & si de iis, qui piæ opinioni aduersantur, minime accipiendum sit: cũ ipsi Mariæ honoris sint quam maximè studiosi: at si aliqui fuissent (qui reapte non sunt) qui contentiosius quam par erat huic piæ opinioni fuerent infesti, suo etiam modo aptari posset.

IV *Apoca.* 12. v. 1. Nec pigebit ad Mariæ victorias, & triũphos reuocare visionem Ioannis Apocalypsis 12. vers. 1. de Mariæ immunitate exhibitam, dum Luna eius pedibus subiecta dicitur: *Signũ magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius coronã stellarum duodecim.* Nimirum, cum & Luna (expositoribus Augustino, Gregorio, & aliis PP.) Adamum peccantem, & culpæ originali posteros suos subiicientem adumbret (sic namque Augustinus epist. 119. *Quæ est de ritibus Ecclesiæ*, capit. 5. *Quis est ergo ille stultus, qui tanquam Luna mutatur, nisi Adã, in quo omnes peccauerunt?*) & pedes alicui rei impositi gloriosam victoriam, & extremam subiectionem denotent: vt Psalm. 46. vers. 4. *Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris:* & Psalm. 90. versic. 13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem:* signatè verò Iosue 10. versic. 24. *Ite ponite pedes super colla regum istorum:* & statim: *Sic enim faciet Dominus omnibus hostibus vestris:* in quæ verba Arias Montanus in suo Ioseph cap. 82. ait: *Sub pedibus hominis esse, subiectionis, & potentiæ, dominiique est:* & Serarius quæstio. 33. *Calcari pedibus in victis extremæ seruitatis, & ignominiæ: in victoribus summæ victoriæ, ac dominatus argumentum esse, prout indicant cũ veteres statuæ, tùm historiæ:* Ex iis planum fit: perinde esse, Adamum in posteros originariam labẽ diffundentem Deiparæ pedibus esse subiectum, ac Mariam non modo ab ea labe immunem esse; sed etiam summæ potentiæ, dominatus; atque victoriæ, tam de peccato originali, quam de ea opinione, quæ illud ipsi affingit, egregia signa, & argumẽta habere: Quare vide, vt statim post *signum* hoc *magnum* fuerit Ioanni ostensus draco magnus, *qui trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram:* Quod quidẽ in sensu non literali, sed accommodatitio possis quodammodo applicare illi Mauritio Parisiensi Episcopo, qui labente anno Domini 1175. vt scribit Antisiodorensis 3. summæ tract. 1. cap. 5. tam dirum bellum cũ Mariæ immunitate gessit, vt publico edicto cauerit, ne quis opinionẽ quæ ipsam asserit, posset defendere: vnde non immerito dixeris tertiam partem stellarum post se traxisse, cũ plures DD. licet inuiti per condescendentiam tracti (nam *tractus* vt inquit Aristoteles lib. 3. physicorũ est *species motus violenti*) ei decreto famulati fuerint: verum enim verò etsi aduersus mulierem amictam sole dracopugnauerit, & asseclæ eius, *non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus:* dum diuina Mariæ luce prævalente Parisiensis Academia, & Episcopus decretum Mauritij abrogarunt, & retractarunt: nec abrogatione, & retractatione contenti, nouum promulgarunt edictum, non quidem temporarium, siue ephimerum, vt illud Mauritij, sed perpetuum, & æternum duraturum; quo omnes omnino Academiæ professores ad defensionem immaculatæ Conceptionis sub iuramento tenerentur, vt Ioan. Bachonius in 3. dist. 3. quæstio. 4 affirmat, gloriosam victoriam pia opinione de aduersa reportante; in cuius possessione tranquille permanet: de quo alibi videro.

Antisi.

Cui sanè Victoriæ illa proxima V

esse

esse videtur, quam in celebratione festi illi: batæ Conceptionis, Mariæ immunitas consecuta est, cũ in Gallis de ea aliquando non leuiter cõcertatum fuit, dũ & Canonici Lugdunenses aliarum Ecclesiarum vestigia prementes festum de Virginis Conceptione solemni ritu celebrare cœperũt, & illis sanctissimus Bernardus Sanctorum gemma, & religiosæ hierarchię splendor, & flos obuiam iret, seuerius arguens, quod suo ducti spiritu nouam vellent festiuitatem introducere celebri illa epist. 174. sic eos castigans. *Vnde miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrùm voluisse mutare colorem optimum nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non cõmendat antiqua traditio*: Et quidem quòd tanta tũc esset in Ecclesia Bernardi auctoritas, & existimatio, quę rapidissimi fluminis impetum, non modo posset coercere; sed etiam cogere, vt versa aqua recurreret; non potuit tamen non ipse ardens illud studium celebrandi immaculatæ Cõceptionis festum retardare, eãque rem apud sapiẽtes viros in dubiam consilij lancem reuocare, qui auctoritate Bernardi permoti, siue fracti eius sententiæ sese adiunxere: Verum enim verò, *quamuis ipse* (vtar verbis Henrici Spondani in Annalib. Ecclesiasticis ad annũ 1136. num. 3.) *de re ipsâ tunc contrarium sentire videretur post longam tamen disputationem, ita demum perorauit, vt quæ dixisset, absque præiudicio dicta esse vellet sanius sapientium, Romanæ præsertim Ecclesiæ, cuius (vt ait) auctoritate, & examini totum illud, sicut & cætera eiusmodi vniuersa reseruaret, ipsius si quid aliter sapere paratus iudicio emendare. Quibus sane verbis in se ipso ostendit, qui sint legitimi Catholici hominis characteres: nimirum ad incudẽ sedis Petri quæque probanda referre ante-*

Bernar. Sponda.

A B C D E

quam recipiantur in vsum: Ergo qui sua auctoritate aliquale festo immaculatæ Conceptionis negotium facesserat, sua subinde modestia partes celebrationis festi adiuuit, & victricem tandem reddidit: vndè pergit Spondanus. *Porrò hoc ipse perfecit, vt re accuratiùs examinata proditis in medium Scripturæ sacræ testimoniis, præuiisque fidelium precibus Pontificio sanciretur decreto celebrandam esse in Ecclesia sanctissimæ Deigenitricis Conceptionem*: Sic ille. Ecce pulcherrimam Mariæ immunitatis Victoriam.

Sed & hinc quidem dixeris de pia opinione, quod Ioannes de sedente super equum album Apocalyps. 6. vers. 2. *Exiuit vincens, vt vinceret*: ab vna scilicet victoria in aliã: dum post relatum inter cœlestes spiritus Bernardum, non leuis de Mariæ immunitate inter eius discipulos & amicos: Petrum videlicet Cellẽsem, & Nicolaum Monachum S. Albani disceptatio fuit: vt ex vtriusq; epistolis apparet, quæ habentur tomo 12. Bibliothecæ Veterum PP. lib. 9. epist. Petri Cellensis, adhærẽte Petro Bernardi sensui: & reclamãte Nicolao, atque immunitatis Mariæ causam perorante: sic sententiarum diuersitatem pulchrè, & eleganter describente Cellensi epist. 9. *Quamuis diuersos hinc inde protulerimus sonos, tamen vnus, & simplex oculus vtriusque nostrum in Virginis obsequio, & famulatu, nunquã caligauit, sed neque Deo volente caligabit, vt autem gustus cibum discernit, & alius plus salis, alius minus exigit: sic sensus humanus quandoque austeriora, quando dulciora appetit auidius. Profert alius absque ponderationis, & auctoritatis, quod ei placuerit: recusat alius quidquid sale prophetico, aut Euangelico conditum non est. Vterque nostrum currit post Mariam, vtinam ad ipsam, vt credo, vna intentio animos purificat:*

VI Apo. 6 vers. 2.

Petr. Cellens.

sed

ſed varietas ſermonum, vtpotè linguæ diuerſæ, ſenſus Scripturæ ſalua fide alternat. An ſcientiores: An ſapientiores ſumus Auguſtino, & Hieronymo? Nonè in fide vnanimes, in religione concordes, in charitate feruentes, in ſcientia ſcripturarum ſublimes, in auctoritate pares, in quibuſdã ſententiis valde ſunt diſpares? Vbi vides diſſentientes ſano ſenſu inuicẽ mentes: ſed Nicolaum immunitatẽ Mariæ firmantem, & Petro inter diſputandum hæc ſuggerentem audi. *Nunc deſtaterâ u cã, quæ in hoc, vt dicitis videtur mẽtiri, quod dixi: Virgo ſingularis vicit omne peccatum, nõ omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo. Quod non omne debellauerit teſtimonium perhibet homicidiũ, adulterium, furtum, & horum ſimilium multa peccata, quæ eius affectũ nunquam momorderunt, eius memoriam nunquam contaminarunt, eius denique opinionem nunquam læſerunt:* & poſt nonnulla in eam ſentẽtiam: *Quod nullum ſenſerit peccatũ Virgo peccati deſtructrix, hoc videtur ſentire B. Auguſtinus, vbi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione:* Vndè poſt plura, quæ alibi à nobis ſunt appicta tandem concludit: *Sicut enim in cœlo qualis Pater, talis Filius: ſic in terrâ qualis Filius talis Mater: non dico de Spiritu Sancto concepta, vt Filius; ſed Spiritu repleta, & ſanctificata ex vtero Matris vt Filius.* Hæc ille: iam ſi noſſe cupis, qualis fuerit controuerſiæ exitus? Siue vter horum PP. Victor extiterit? Audi ipſummet Petrum, vt antea contradicentem, & reſiſtentem, ita tandem manus dantem, & Mariæ immunitatem apertis tibiis profitentem, credentem, dicentem, aſſerentem, atque iurantem hunc in modum: *Credo, dico, aſſero, & iuro, Beatiſsimam Virginem noſtram in æternâ prædeſtinatione ſingulari priuilegio munitam, nec à ſuâ Conceptione in aliquo violatã, ſed ſemper mãſiſſe, & permanſiſſe illibatam: & ſicut beata vltra humanam, & cæterorũ hominum naturam; ſic ſecreta, & incognita manet vltra omnem notionẽ.* Sic ille.

Nicola. Monachus.

Petrus Cellenſ.

A

B

C

D

E

Illa verò illuſtrior Victoria in difficiliori certamine relata fuit, quã in Academiâ Pariſienſi opimo pia de contraria ſententia cõfecuta eſt; cauſſam immunitatis Mariæ perorãte Doctore ſubtili Scoto, qui vt pulcherrimum Theologiæ ornamentum, & ſui ordinis decus, & ſplẽdor, ita illibatæ Conceptionis MARIÆ egregius Aſſertor, & vindex fuit, dũ ipſam à peccato originali, & a debito illius contrahendi immunẽ fuiſſe, non modo aſſeruit in 3. diſtin. 3. quæſt. 1. & in Reportorio: ſed etiã adeò gloriosè cuicit, vt ab eo opinio pia Victrix: ab opinionis verò piæ aſſertione, ipſe Victoris nomen obtinuerit. Rem à Pelbarto referente P. Salazar initio ſæculi 14. his verbis: *Pelbartus lib. 2. Stellarij part. 1. art. 3. refert, Scotum à facultate Theologicâ Pariſienſi accerſitum, & appetitum fuiſſe, vt ſuæ ſententiæ coram ſapientiſsimis Doctoribus rationem redderet. Cumque ducentena argumẽta illi obiecta fuiſſent; omnia memoria tenuiſſe, ac ſingulis tantâ verborũ & ſententiarum vbertate ſatisfeciſſe, vt omnes in ſuam ſententiam facile traxerit: tantamque ſui admirationẽ omnibus mouerit, vt Victor ab omnibus proclamatus exinde Victoris nomen retulerit.* Hæc ille: vt verò videris minime vacuum fuiſſe Victoris nomen, opima a Victore Scoto relata ſpolia recenſe. Nimirum in primis hac de cauſsâ Pariſienſis Academiæ DD. cenſuram, quam pridem contra piam opinionem tulerant, prorſus reſciderunt, caſſamque ac nullam pronunciarunt: dein de paucis abhinc annis Theologica facultas eiuſdem Academiæ ſeriò decreuit, nè oppoſita ſententia publicè relegi in ſcholis poſſet: ſubin-

Scotus.

Salazar

VII

de

de vero ab eadem facultate seuere disposítum,& præscriptum fuit, vt nullus gradum,& lauream Doctoris deinceps obtineret, qui iure iurando non promisisset, acerrimè à se piam opinionem de immaculatâ Deiparæ Conceptione fore defendendam. Vndè ad perpetuam rei memoriã eadem facultas sese huic festo quotannis celebrãdo deuouit, atque obstrinxit. Ad cuius sane morem, Almam Salmanticensem Academiam, quæ omnium scientiarum Princeps est, sese omninò cõposuisse suo loco videbimus. Quid iã hâc Victoriâ illustrius, glorioſius, magnificentius posſit excogitari?

VIII Sed aliam non minus illustrem Victoriam vide à piâ opinione in Concilio Basilienſi aduersus contrariam obtentam. Nec verò illico putes, velle me, aut in Decreto huius Concilij Mariæ immunitatem diffinientis vim facere, quasi in re iam iudicata: cum norim illud hactenus ab Ecclesia non fuisse receptum: aut etiam pronunciare eiusmodi decretum maximi habendum, ac suspiciẽdum esse, quod magnam totius Ecclesiæ conspirationem in hanc sententiam indicet: cum hoc inferius propriam sedem habeat. Sed illud tantum nos inde sumere, quod nostri instituti proprium est: nempè singulare ibi duellum inter vtramque opinionem extitisse illustremque palmam in inito certamine opinionem piam reportasse. Ergo cum in eo Concilio PP. mens fuisset decernere, quid de Deiparæ Conceptione ab Ecclesia tenendum esset: vt ad diffinitionem tanti mysterij eâ opportunitate, maturitate, & prudentiâ, quâ par erat, procederetur: duos è Doctoribus, qui Concilio aſsiderant selegerunt doctiores: quorum alter piam opinionem, alter contrariam propugnaret, cũctis argumentorum, & rationum momẽtis propositis, vt initio huius libri ex bonis Auctoribus tradidimus. Disputarunt igitur singuli per octo continuos dies multis verbis cũcta cuique sententiæ conuenientia, deditque initiũ dissertationi frater Ioannes de Montenegro Dominicanus vir apprimè doctus, & magnæ in disputando dexteritatis (quo subinde Doctore Concilium Florentinum in disputatione cum Græcis ob eximiam eius doctrinam vti voluit) suã que opinionem proposuit, explicauit, & variis argumentationibus fulciuit: sequenti vero die Doctor Ioãnes de Contreras Segouienſis piâ opinione dilucide expoſita, & multiplici ratione communita oppoſitis sibi argumentis satisfecit; quo ordine alternatiuè seruato, toti octo dies tam in disputando, quam inscribendo, vt PP. Concilij vtriusque opinionis momẽta commodius perpenderent, consumpti sunt. Re igitur maturè, & summa cura examinata illud emisit decretum Basiliense Concilium, quo Mariæ immunitatem absolutissimè asseruit. *Doctrinam illam diſſerẽtem glorioſam Virginem Deigenitricem Mariam præuenientę, & operante diuini Numinis gratiâ ſingulari, nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpâ, ſanctamque & immaculatam, tãquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam diffinimus, & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in cõtrarium prædicare, & docere.* Hæc PP. Basilienſes, vbi iterum repeto, non ideò a nobis huius Concilij suffragium modo adduci, quasi certæ fidei, aut summæ auctoritatis sit propter tot viros litteris, & dignitate præstantes, de quo alibi; sed vt appareat in quouis conflictu piam opinionẽ victricem extitisse, egregiam

Doctor Segouie.

Concil. Basilien.

giamque tunc laudem fuisse consecutam. Qualequale enim Conciliũ in hoc decreto siue diffinitione fuerit; negari quidem non potest, magnæ gloriæ nostræ opinioni fuisse, ipsam sub tot, tantisque iudicibus, qui Ecclesiæ apices esse videbãtur, post tam accuratam disquisitionẽ, opinioni minus piæ fuisse prælatam.

Illustres aliæ Victoriæ, & triumphi, quos Pia de MARIÆ immunitate Opinione contraria opinione gloriosè retulit.

ADNOTATIO II.

I

LONGVM quidem, & maximi laboris opus esset, omnes omnino Victorias persequi, quas de aduersæ opinionis auctoribus Pia opinio consecuta est, cum de illis meliori iure vsurpare possis, quod de Pompeij victoriis dixit M. Tullius orat. per Cõcilio Balbo. *Qui tot habet triumphos, quot oræ sunt, partesque terrarum*: in assiduo enim, & pœne quotidiano vtriusque partis per plusquam trecentos annos continuato conflictu, Dominicanis PP. in Mariæ quidem obsequiũ maximè pronis, sed piæ opinioni vbique semper infensis; ipsa perpetuo victrix euasit, quin vnquam ad illos fuerit inclinata Victoria. Ergo pluribus, siue antiquis, siue recentioribus dimissis, nonnullas insigniores in mediũ afferamus; & illam in primis, quam Ioannes Trithemius Abbas Spanehemensis Ordinis S. Benedicti de fratre Vvigando Cauponis obtinuit: quoniam etsi singulare duellũ fuisse videatur, plurium tamen vniuersitatum negotium fuit; quod tãdem ad summum Pontificem deuenit, qui pro Trithemio piam opinionem defendẽte iudicium tulit. Ergo prædictus Ioannes Trithemius rem sic refert in Chronic. Monast. Spanehemensis.

M. Tullius.

A

Anno quo & prænotato (fuit 1495.) II
Ioannes Trithemius Abbas ad petitionem Rumoldi à Laupach Prioris Carmelitarum Franchfordiensis, viri optimi, & custodis regularis observatiæ integerrimi, scripsit librum hodie vulgatissimum: de laudibus S. Annæ Matris beatissimæ Dei genetricis, & Virginis Mariæ: *Qui à multis in magno pretio habetur: in cuius septimo capite de purissima Conceptione Dei genitricis facit mentionem. Huius occasione surrexit quidam de ordine Prædicatorum Vvigandus Cauponis nomine Prædicator Conuentus Franchfordiensis, homo quidem satis doctꝰ, sed nimis temerarius, & superbus; opus quantum ad puritatem Cõceptionis pertinet, impugnare voluit, litteras contra Trithemium (occulto scribentis nomine sub fratris Pensantis manus vocabulo) per nuncium incertum ad illum misit, & quasi malè de Conceptione scripserit, satis timide increpauit. Cui Trithemius in hæc verba rescripsit.* Ægrè ferrem cõuitia tua, & opprobria, Lector innominate, nisi te graui morbo animi laborare intelligerem, quod vsque adeo in te prævaluisse cernitur, vt experientia Medicorum Principis Æsculapij necessaria ad tui curam videatur. *In fine autem sic epistolam concluſit.* Si religiosus es, si fraternæ Charitatis amator, à conuitiis, & maledictis te modo cohibere non negligas, neque in tua prudentia contra immaculatam Dei genitricẽ temerè cõfidas: nisi hoc feceris, erit tempus, in quo scripta tua irrisione dignissima in caput tuũ reiecta dolebis:

Trithemius.

B

C

D

E

lebis. *Cum his litteris, & aliis latoribus Trithemius misit virum quẽdam, & eruditum ad Franchfordiã (erat autem in aduentu Domini) qui apud Prædicatores exploraret subtiliter, quis esset ille frater* Pensans manus *Is cum illo veniisset, industria vsus comperit esse præfatum Lectorem Vvigandum Cauponis. Hoc cum ad Trithemium retulisset, ortum est grã de litterarium inter eos bellum, quod fermè per biennium inter eos durauit. Mox enim aduersus Vvigandum plures viri doctissimi, defensores Marianæ puritatis metro scripserunt, & prosâ, librum Trithemij, & sensum eius de Conceptione eius purissimâ defensantes. Biennio tandem elapso cõcordia facta est per Rectorem Vniuersitatis Colonien sis Vdalricum Kretvvys de Estingen, Doctorem S. Theologiæ famosissimum Maioris Ecclesiæ Colonien sis Canonicum, ac Archiepiscopi Consiliarium, ac per Thomam de Scotia, & alios sacræ Theologiæ Doctores, ita quod Vvigandus opinionem suam contrariam purissimæ Conceptioni Mariæ, & Trithemij opusculo abiurauit, veniamque temeritatis suæ petere ab ipso Trithemio compulsus fuit, & quod remissis iniuriis omnibus alter in alterum à modo inuectionem non scriberet. Nihilominus Prædicatores postea in Curia Romana sub Alexandro Papa VI. contra Trithemium impetrare, aut laborare subdole conati sunt, sed nihil profecerunt. Habebat enim Abbas Trithemius sibi cõstantissime adhærentes Vniuersitatem Parisiẽsem, Colonien sem, Tubingen sem, totumq; Ordinem Carmelitarum, Ordinẽ Minorum, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ maiorem cœtum Cardinalitũ, Archiepiscopos, Episcopos, & Principes multos, & pœnè omnem in Germania Clerum, ac viros doctos, & eruditos innumerabiles.* Hactenus Ioannes Trithemius.

III Illas vero illustriores Victorias omninò dixeris, quæ in celebriori Palestrà, & periculosiori pugna de fortioribus athletis sub maiore Principe certaminis relatæ sunt. Quarũ primam apello illam, à Mariæ immunitatis assertoribus anno Domini 1475. sub Sixto IV. obtentam. Nempè ipse non quòd è familia Frãciscana pius in piam opinionem foret; sed quod veritatis custos, rigidusque satelles esset, pro illibata Mariæ Conceptione stetit; eamque immaculatam appellauit; solemnique festo celebrare præcepit; indulgentiisque, ac omni gratiarum genere est prosecutus, vt sæpius vidimus. Etenim cum post præfatam à Victore Scoto relatam de impugnatoribus immunitatis Mariæ palmam, ipsi minime conquieuissent; sed nouas pugnas, nouas procellas excitassẽt; atquè huic malo Pontifex pro muneris sui ratione opportuna remedia vellet adhibere: quæstionẽ hãc denuo in Sanctitatis suæ præsentia, hoc est in oculis solis huius a Viris Sapientissimis vndequaque aduocatis, & conquisitis diligentissimè tractari, seu agitari decreuit. Qua in concertatione cum Deo duce Piæ opinionis Doctores pugnarent; & quod Homerus cecinit.

Omnis in arbitrio Victoria posita Dei est.

Caussa Deiparæ, & eius immunitatis Victrix gloriosè euasit: cũ post tot velitationes, vltro, citroque factas, & post diuturnam consultationem, & maturam deliberationem, & plenam caussæ cognitionem Põtifex Summus illustrem illam extrauagantem, quæ incipit: *Cum præexcelsa* expediuit, & iure canonico inseruit in Clem. *dereliquiis, & veneratSanctorum:* in qua, & Deiparæ Conceptionem appellauit miram, & de ea gratias, & laudes Deo referendas statuit: atque officium immaculatæ Conceptionis à Leonardo Nogario editum omnibus Eccles-

recí-

recitandum tradidit copiosissimas eas indulgentias, & gratias tam recitantibus, quã audientibus concedemus, *quas iuxta felicis recordationis Vrbani IV. in Cõcilio Viennẽsi approbatas, verba sunt Pontificis, & Martini V. & aliorũ Romanorũ Põtificũ constitutiones consequentur illi, qui Missam, & officiũ, & horas canonicas in festo corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi iuxta Romanæ Ecclesiæ institutionẽ celebrãt.*

IV Nec fuerit omittendum referre, quod omnes omninò Seraphicæ Religionis Chronicæ habẽt, in celebri hac disputatione adeò strenuum pugilem, & Marianæ immunitatis propugnatorem sese exhibuisse R.P.F. Franciscum Insuber Brixianum, vt commeritus fuerit à Pontifice Summo audire: *Tu es verus Sanson*, quã ipse appellationem tanti fecit, vt deinceps de Sansonis nomine vocatus fuerit: vbi si de mente Põtificis ambigas, adquam partem historiæ Sansonis alludere voluerit? Nõ equidem crediderim, tam ad Victorias de Philistæis à Sansone partas, quam ad Leonem à Sansone in via interfectum, in cuius ore dulcissimũ inuenit mellis fauum, quam Patri suo, & Matri comedendum obtulit, factam allusionem, cuius occasione illud ipse proposuit ænigma. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo:* Iudicum 14. versicul. 14. quasi diceret, is qui deuorat alios, iis ipse cibũ præbet, & ex forti, & duro egressum est, quod dulcissimum est. Planè vt quemadmodũ Sanson ferocem, & sęuum Leonem horribili in se impetu irruentem valentissimè tenuit, & lacertosissimè discerpsit, atque ab ipso prostrato miram mellis suauitatem percepit. Ita egregius ille Doctor, dum Authores opinionis minus piæ contra piam disceptantes, & terrorem incutientes tenuit, deuicit, atque prostrauit, eorumque argumenta discerpsit, dulcedinẽ immunitatis Mariæ tot indulgentiis, & gratiis Apostolicis conditæ, quæ omni suauitate dulcior est, & gustauerit ipse, & Patri, hoc est Põtifici Summo, & Matri ideſt inclytæ Religioni Seraphicæ, imò toti Ecclesiæ gustãdã dederit.

V Iam verò, si benè rẽ perpendis, tunc Pia opinio gloriosissimè vicit, tunc pulcherrimè triũphauit cũ à PP. Concilij Tridentini decreto de peccato originali opportunissima illa exceptio Mariæ nominatim addita est. *Declarat tamen ipsa Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatã Virginem Mariã, Dei genitricem: sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti PP. IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.* Quid enim? credis nè, id aut casu, aut pietate solum, quin pręuia concertatio & Dominicana contradictio exsisteret, appositũ fuisse? Minime quidem eo modo euenit. Vndè qua ratione, & quibus circunstantiis trãsacta res fuerit, ex ipsius Cõcilij Actis bona fide exactè referte, erit operæ pretium: & quidẽ nostra id singillatim interest, quãdò huic declarationi P. Didacus Laynez Societatis nostræ Generalis, homo summæ eruditionis, felicissimi ingenij, & ad maximam vitæ probitatẽ vtraque prudẽtia diuina, & humana exculissimus sedulam, & opportunã operam diligentissimè nauauit: ergo res sic se habuit.

VI Cum de peccati originalis ad posteros transmissione a Concilio diffinitum fuisset; & ab Episcopis decreto conficiendo destinatis, id videretur generali oratione proponendum: plures Concilij PP. & Fratres Franciscani, nec non signatissimè Didacus noster Laynez minime probarunt, affirmandum generaliter fore, peccatum Adami

Iudic. 14. v. 14

in totum genus humanum omninò transijsse, quod nisi Beata Virgo Mater Dei excipperetur nominatim, generali propositione videretur comprehendenda: quod Ecclesiæ sensui, & fidelium consensui repugnabat: Vndè eam in Decreto eximendam fore dicebant: Sed his auditis Patres Domicani in contrariam partem asserebant, propositionem eam adeò vniuersalem, & exceptione vacuam esse Sancti Pauli, omniũq; Sanctorum Doctorum, atque ideo exceptione minime immutandam, & glisceni quidem contradicendi studio affirmabant, vtcũque Ecclesia opinionem eam de immaculatâ Conceptione tolerauerit, eum tamen, qui rem penitus introspexisset, repertu-rum Virginem nihilo plus aliis communi contagione exemptam. Verum ad hæc Laynius, & socij acrius, & constantius insurgentes obiciebant; sic omninò damnari Ecclesiã, quæ Conceptionem Deiparæ solemniter colit, tanquam immaculatam, atquè hanc quidem rationem eo plus roboris habere, quo festum magna totius populi Christiani cõspiratione, & plausu celebratur; tũque immanem esse in gratitudinem derogari honori illius, quâ mediante omnes gratiæ Christi ad nos deriuantur: tùm etiam non penitus introspici dignitatẽ Matris Dei, quãdo nihilo plus aliis à communi labe eximitur: Quibus sane disputationibus eo concertationis ventum est, vt eâ de re, quæ obiter, & per transenam agebatur, principalis quæstio & dissertatio instituta fuerit.

VII Dominicani ergo rem ex professo tractantes in scriptura sacra, doctrina Patrum, & veterum Scholasticorum opinionis suæ fundamẽta ponere gestiebant. Piæ vero opinionis Assertores, & opposita ex scripturis, & PP. argumẽta dissoluebãt; opportuniora pro immunitate Virginis scripturæ, & PP. monumenta obiicientes: & pleraque miracula itidemque fidelium cõsensum proponebant. Contra quos Fr. Ioannes de Vdine è Dominicana familia dilẽmate signatè pugnabat. *D. Paulus, & Patres aut crediderũt totã vestrã Beatæ Virginis à communi mortaliũ lege exẽptionẽ, aut non crediderunt: si crediderunt neque tamen vnquam nisi vniuersè locuti sunt, nullâ factâ exẽptionis huius mentione; cur non nunc eorũ exẽplum imitamini? Si cõtra crediderunt: tunc vestra opinio nouitatẽ redolet:* At P. Didacus Laynez, & Fr. Hieronymus Lõbardellus Franciscanus præfatũ dilemma facilè sibi diluere videbãtur: affirmãtes, non minorẽ esse Ecclesiæ huiusce temporis auctoritatem, quam fuerat primitiuæ, eo videlicet Dei spiritu ductæ, eiusdem Christi Vicario gubernatæ, atquè ideò si Ecclesiæ veteris consensu factum, vt PP. sine exceptione tùm loquerentur; consensionem vniuersalem, quæ hisce temporibus celebratione festiuitatis illius, à Romana Sede instituta se prodit, ad Deiparam à cõmuni sorte excipiendam fortiorẽ esse, validioręque ab ea argumẽtationem desumi.

Fr. Ioãnes de Vdine.

Didac. Laynez. Hieron. Lombardellus

VIII Quo in loco duo de P. Didaco Laynez, quæ memoratu digna, & è re nostra sunt, ab omnibus, qui Cõcilio interfuerunt, dicuntur. Alterũ: ipsum, cum hâc ille disputationẽ aggressurus esset, serio primũ admonuisse nullũ se inter dicendũ è Patribus, aut scriptoribus nominaturũ, quẽ ipse à prima vsque ad vltimã lineã non perlegisset, cũ tamen inter cæteros, qui per plures fuerũt, tũ S. Augustinum, tùm Alfonsum Tostatũ allegauerit, vt tã huius viri eruditionẽ, & indefessum in euoluendis PP. laborem omnes sint admirati, quã inde argumẽto ipsis fuerit nullũ firmũ argumẽtũ aduersus illibatã Deiparæ Cõceptionẽ ex PP. desumi, quãdo

ei,

ei,qui illos perlegiſſet,nihil obſtrepere videbatur. Alterum:P.Laynez tunc temporis cum Concilio interat,quartanâ febri laboraſſe,cumque in diem diſſertationi de Deiparæ immunitate præfixum,quartana conſueto circuitu illi eſſet obuentura, eaque de cauſſa Concilium, quod ſingulari plauſu eius orationẽ excipiebat, facultatẽ fecerit, vt in ſequentem diem transmitteret cõcionem,ipſum tam MARIÆ patrocinio,quam bonitati cauſſæ à ſe ſuſceptæ innixum,datam ſibi dilationem recuſaſſe, & per tres integras horas magno animi ardore, & firmis lateribus diſſeruiſſe: rem miraculo confirmante,nam ipſum dicentem quartana febris reuerita minime inuaſit;& ab eâ deinceps euaſit incolumis.

IX Vndè quidem factum eſt, vt PP.Concilij,vel rei nouitate, vel potius firmiſsimis,tùm Laynij,tùm peritiſsimorum PP. Franciſcanorũ rationibus,imò verò peculiari Dei ductu permoti,addendam Decreto exceptionem MARIÆ communi calculo cenſuerint:Sed Dominicanis Patribus muſſantibus, itidẽque contendentibus,exceptionem non ſimpliciter ad MARIAM tantum eximendam;ſed in vtramque diſputationis partem eſſe proponẽdam; nempè, vt expreſsis verbis diceretur:*Neque Synodo fuiſſe animum eã inibi comprehendere,neque à communi lege ſegregare:* Ecce recruduit pugna,& tãto animoſius ab Aſſertoribus immunitatis MARIÆ redintegratum eſt bellum,quanto maiores vires,& fortiores in animis Conciliarium PP. radices à Laynij peroratione cauſſã Deiparæ iecisſe cognouerant:Ergo dum maiora moliuntur,& totam MARIÆ immunitatis cauſſam ad exitum perducere parant,Dominicani Patres felicioris exitus timore perculſi,tandem ſunt aſſenſi,vt hoc ſolum diceretur,non fuiſſe Concilij mentem ſanctiſsimam,& immaculatam Virginẽ generali propoſitione complecti, vt videlicet acriori dimicationi, & ſummæ contentioni præclarior Victoria,& gloriofior triumphus reſpõderet? Quid enim ad piæ opinionis gloriam,præſtantiam, & excellentiam maius, quam huiuſcemodi Tridentinæ Synodi ad MARIÆ immunitatem propenſio, & tacita quædam aſſertio. Ât quæ Synodus? Qui Patres? Quæ ſapientiæ, & ſanctitatis ſuppellex? Audi inclytum Chriſti Martyrem Angliæ(vt putamus) Edmundum Campianum in aureo ad Academicos libro ration. 4.tale de Tridentinâ Synodo iudicium ferentem.*Tridentina Synodus, quo magis inueteraſcet eo magis in dies,eoque perennius efflореſcet. Bone Deus! quæ gentium varietas, qui delectus Epiſcoporum totius Orbis! qui Regum,& Rerum publicarum ſplẽdor,quæ medulla Theologorum, quæ ſanctitas,quæ lachrymæ, quæ ieunia,qui flores Academici, quæ linguæ! quanta ſubtilitas! quantus labor! quam infinita lectio! quantæ virtutum,& ſtudiorum diuitiæ. Auguſtum illud ſacratum impleuerunt?*

Opinionis piæ de MARIÆ immunitate nouæ Victoriæ, & triumphi.

ADNOTATIO III.

I VENIO ad nouas Victorias, & triumphos, quos pia opinio de aduerſa retulit, & indeſinenter refert. Enim verò cum Mariæ immunitas non ſolum ex affectu, & ſtudio

assertorum pię opinionis, sed ex maiori Numinis illuminatione a quo *omne datum optimũ, & omne donũ perfectum descendens â Patre luminum*, Iacobi 1. versic. 17. hac nostra tempestate tã dilucide, atque perspicuè fuerit explicata, vt Deipara non modo non contraxerit peccatum originale, sed nec eius debitũ, neque in Adam peccauerit, quæ a lege communi excepta ad hoc solum in diuinæ prædestinationis decreto fuit electa, vt Mater Filij Dei esset: vix dici potest, quot sibilis a nonnullis (quibus nescio quâ ratione adeo vehementer displicuit tam piè, & gloriosè de Mariæ dignitate sentiri) hæc opinio siue ratio explicandi immunitatem Mariæ excepta fuerit: nec sibilis tantum, & dictenis actum est, sed grauis etiam censuræ stimulis confixa, & ad supremum Inquisitionis Tribunal, tanquam læsæ diuinæ maiestatis rea delata, in primo delationis ardore sistere, nec publicam lucem videre iussa est. Ende bellum, pugnam, atque discrimen. Videiam Victoriam, & palmam à PP. Salazario, & Granados descriptam: ille siquidem *in defensione pro immaculata Conceptione*, cap. 10. num. 7. sic ait: *Dum contentio, & conflictus pro vtraque parte rem versat, ad Complutenses Academiæ proceres Theologos delata res fuit: hi verò libratis vtriusque sententiæ momẽtis tam asserentis, quam negantis Virginem à debito culpæ originalis immunem, omnes ad vnum annuerunt, & immunitatem Virginis à debito culpæ originalis pie, & probabiliter defendi posse dixerũt, &c.* & statim: *Auctoritas verò Complutensium vsque adeò obtrectatorum calumnias extinxit, vt plerique graues Theologi in eam sponte deinceps abierint.* Hæc P. Salazar: sed P. Iacobus Granado fusius rem prosequitur, plenã dictis fidem concilians in hunc modum.

Iacob. 1. vers. 17.

Salazar Granado.

Cum Patres Ordinis S. Francisci paucis abhinc diebus Toleti assertiones prælo mandatas euulgassent, in quibus hæc propositio continebatur: Beata Virgo MARIA non contraxit debitum peccati originalis: *delata est prædicta doctrina ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis illius vrbis, prohibitumque proinde, nè defenderentur. Cuius rei occasione consulti sunt doctissimi quique Theologi Complutì, Hispali, Cordubæ, Granatæ, & in Academiâ Ossunensi* (addere his potuisset Auctor, si nosset, Academiam Salmanticensem omnium scientiarum Principem) *innumeriq; in prædictis locis subscripserunt huic propositioni, tanquam veræ, aut certè valde probabili, seu indignæ quacumque, vel leuissima nota. Quorum omnium subscriptiones ad meas manus deuenerunt, immò earum plures ad supremum Tribunal Quæsitorum fidei Matritum: vbi eadem propositio iterum diligenter discussa est: & post discussionem editum decretum à prædicto Supremo Tribunali Præsidente Cardinali Toletano* (D. D. Bernardo de Sandoual & Roxas) *tanquam Supremo Generali Fidei Quæsitore, quo declaratum est: nihil esse, quod impediret, quo minus prædicta doctrina typis excusa defenderetur, præceptumque vt Toleti prædictas Assertiones liberè tueri liceret: vtque id constaret Toleti, in die Sanct. Ildephonsi accerrimi propugnatoris B. MARIAE missus est â supremo Tribunali Nuntius, qui decretum illius diligenter Toletum deferret: in cuius totius rei fidem apud me habeo litteras Secretarij prædicti Supremi Tribunalis datas Matriti 22. die Ianuarij huius anni 1616.* Addit Pat. Iacobus Granado. *Quæ omnia ideò hoc loco notata sunt, nè quis deinceps audeat, prædictam propositionem notare, aut notatam ad Quæsitores sacræ Fidei deferre.* Addo & ego: Quæ omnia

II

hoc loco notata sunt, vt gloriosa immunitatis Mariæ Victoria eluceſcat.

III Succedit tempore huic alia non minus præclara piæ opinionis Victoria, quam anno 1622. Gregorio XV. Pontifice Max. auſpice conſecuta eſt. Lætabamur iam pridem, vt par erat, infeſto Cõceptionis, quod S.R.E. ad minus ſub Sixto IV. inſtituit, & ſolemni ritu celebrari præſcripſit, ac pia indulgentiarum largitione dotauit; & plaudebamus nobis ipſis in eo, nõ ſecus, ac Victores, rati efficaciſsimũ opinionis noſtræ munimentum, & velut ahæneũ murum ad eam contutandam: cum ipſi met DD. qui aliquando in contrariam ſententiam abierunt, ſanctus videlicet Thomas, & Bonauentura, adeò efficacem hanc rationem cẽſuerint, vt ſi in ea tẽpora incidiſsẽt in quibus Conceptionis feſtum à S. R.E. celebratur; certo certius ſit, piæ illos ſententiæ fuiſſe ſubſcripturos, dicẽte hac ocaſione S. Tho. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. *Non celebratur feſtũ, niſi de aliquo ſancto*, & Bonanẽu. in 3. diſt. 3. art. 1. q. 1. *Statuta etiam vniuerſalis Eccleſiæ de ſanctorum celebritatibus omnia fundata sũt ſuper ſanctitatẽ, vt nullo die pro aliquo ſancto ſolẽnizet, in quo, vel pro quo, perſona ſancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Qua ſanè ratione Mariæ Conceptionẽ puram, & illebatam, quaſi neceſſaria argumẽtatione inferebat Richard. à S. Victore diſt. 3. a. 1. q. 1. arg. 3. inquiẽs. *De renõ ſancta nõ eſt ſolẽnizãdũ, ſed Cõceptio carnis B. Mariæ Virginis eſt ſolẽnizãda: multi enim eã ſolemnizant, nec reprehenduntur: ergo, &c.* Sed enim contrariæ opinionis aſſeclæ rimã quærentes vix Conceptionis feſtum à Sixto IV. fuerat inſtitutum: cũ mẽtem Pontificis aliò inflectentes Feſtum non ad naturalem Conceptionem, ſed ad ſanctificationem ad illam ſubſecutam detorquere voluerunt: & quidem vt Pontifici re cognitâ curæ fuerit, eam ſtatim expoſitionem explodere, immò & damnare (vt ſuo loco vidimus) ſuãque mẽtem eſſe, Mariæ immunitatem ab originali peccato, quod cæteri mortales in Conceptione naturali incurrimus, in eâ feſtiuitate celebrari, rima tamen rimæ addita (quod maximæ admirationi omibus cordatis fuit, vt eſt apud P. Granados diſp. 3. ſect. 7, §. 3. n. 92.) vix iſtud ſanctificationis vocabulum, & ei ſubiectus ſenſus Pontificiâ falce valuit excindi, quin oppoſitæ ſententiæ auctoribus, ſiue in concionibus, ſiue in officio Eccleſiaſtico eo vti frequens, & ſolemne fuerit, vt iure potuerimus ſedi Apoſtolicæ quodammodo hac de re querimbundi ſuggerere, quod Maximus Tyrius diſſert. 36. dicere ſolebat. *Feſto diffido, niſi iis inter ſe conueniat, à quibus celebratur.* Verum enim verò diuturnum id diſſidium iam tandem aliquando finem habuit, cum pia opinione, & pio, & proprio nomine, ſiue vocabulo prę-ualentibus Pontifex Gregorius omni omninò rimâ præclusâ vocẽ *Sanctificatio*, ab Eccleſiæ vſu in feſto Conceptionis exulare coegit: diſertiſsime præſcribens ab Eccleſia, non celebrari ſanctificationem, ſed Conceptionem. Sic namque Summus Pontifex, non ſemel à nobis adductus: *Inſuper eadem Sanctitas ſua, cum Sancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam cuiuſuis ordinis, & inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quam priuatim, non alio quam Conceptionis nomine vti debeant. Cõtrauenientes autem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Cõſtitutionibus:*

O præclaram Victoriam ſub tanto iudice partam!

IV Quod ſi hæ intellectus pugnæ, ſiue pietatis bella ad forenſem ſtylũ, & curiales diſceptationes, & lites reuocare velimus, quæ rogo, illuſtrior potuit pro piâ opinione excogitari Victoria? quis triumphus nobilior? quam cenſorium Pontificũ Pauli V. & Gregorij XV. edictum, quo facultate factâ piæ de Mariæ immunitate opinioni, vt in ſuggeſtu, & publicis concionibus, & actionibus ſe ſe libere explicaret, commẽdaret, & omnium mentibus ingereret, terribille illud ſilentium opinioni minus piæ indixit, nè oris clauſtra perrumpere auderet, ſed mutâ & ſina voce eſſe: præſcribente Paulo V. *Non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Quod quidem prohibitorium edictum Gregorius XV. *Extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupra dictis, nè de cætero, &c. neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quod eadem beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hâc opinione affirmatiuâ aliquo modo agere ſeu tractare:* inſuper addente Pontifice: *Vt tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, alijque Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in transgreſſores ſeuerè animaduertãt.* Nimirum ſi animum intendis: nihil fauorabilius vni parti litis contentione eſſe videtur, quam ſi alteri à iudice ſilentium imponatur: tunc enim pars ſilentio addicta iure muſſabit, *tacens conſumor:* ſiue vt habẽt LXX: *Nunc obmuteſcam, & deficiã,* Iob 13. verſ. 19. Sanè vtvt id fuerit: ſilentium ad victricem cauſſam piæ opinionis facere facile videris ex modo dicẽdi, quo ſcriptura vſa eſt, cũ de Orbe terrarũ ab Alexandro Magno debellato dixit: *Siluit terra in conſpectu eius,* lib. 1. Machabæo. cap. 1. verſ. 3. vbi dum terram ſilentem in conſpectu Alexandri Sacer Scriptor fecit, ipſam deuictam, atque triumphatam omnino ſignificauit, atquè illuſtrium victoriarum, quas de cunctis gentibus Princeps ille retulit, præclarum reddidit teſtimonium, vt ab illo piæ opinionis victoriam, triumphumque noris: & cũ opinionem minus piam ſilẽtio obuolutam, & abſconditam videris, non immerito dixeris cum Tertulliano lib. 1. *aduerſus Valentinianos,* cap. 1. *Denique hunc primum congreſſionis cuneum armauimus, primamque hanc Victoriam auſpicamur, quia quod tanto impendio abſcõditur, etiam ſolummodo demonſtrare, deſtruere eſt:* Ita ille.

V Nec deſunt modo nobis aliæ è nouis certaminibus recenter conſecutæ Victoriæ, & palmæ adhuc in manibus florentes. Elapſo ſiquidẽ anno 1649. cum in Marianæ immunitatis gloriam ſuſcitaſſet Dominus ſpiritum Franciſci de Caſtelui è Regiâ familiâ B. Mariæ de Mercede, viri Religione, ſapientiâ, claro ſtemmate, & ardore in Deiparæ obſequium, illuſtris, vt in publico Salmanticenſis Academiæ gymnaſio Mariæ immunitatẽ pro roſtris propugnaret; Theologicas Aſſertiones Virgini immaculatæ dicatas pulcherrimis in primis hiſce ornauit, & communiuit ſalutationibus.

Aue digniſsima Filia Dei Patris in eius gratia, & amicitia concepta, atque in gloria.

Aue digniſsima Mater Dei Filij in eius gratia, & amicitia concepta, atque etiam in gloria.

Aue digniſsima Sponſa Dei Spiritus Sancti in eius gratia, & amicitia

citia concepta, atque etiam in gloria.

Aue dignissimum, viuumque Templum Sanctissimæ Trinitatis in eius gratia, & amicitia concepta, atque etiam in gloria.

Deinde verò pro Maria immaculate concepta Quintam è suis assertionibus sic adornauit.

Illa verba: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: ipsa conteret caput tuum*, Genes. 3. *intelligenda veniunt de dignissimâ Dei Matre in gratia, & gloriâ concepta. Primum, neutiquam vt disputes, sed vt exponam, appono. Verum enim verò suppositâ omninò dignissimæ Dei Matris Conceptione in gratia, nihilque huic suppositioni oppositum concernendo, libentius (si volueris) in gloria conceptam defensabo. Mysterium istud Conceptionis dignissimæ Dei Matris in gratia paulatim nobis Deus aperuit, & aperit: sed modo vt perlegi in quibusdam satis peritis Auctoribus, piè, valdeque eruditè docentibus inscriptis suis prælo mandatis, iam est vltimo dispositum, proximeque quoad ptam partem definibile, quibus assentiendis, non sola pietas, sed rationes me maximæ vrgent.*

Verum cum contrariæ opinionis Doctores grauiter ferrent, piam opinionem tam gloriosè caput efferre, nullum non lapidem mouerunt, vt indictam iam harum assertionum dissertationem impedirent; verum irritus planè eorum conatus fuit, ipsamet Academia Salmanticensi occasionem suam putante Marianæ immunitati fauere, & eius pugili in illo diserimine manum porrigere, nè ab incepto tantæ gloriæ cursu desisteret. Ergo grauissimo illo PP. Doctorumque Senatu applaudente, theses de Mariæ immunitate palmã retulerunt, egregiusque ille Athleta Victor renunciatus est.

VI Sed qui illius tuendæ immunitatis Mariæ ardor, & studium fuit, semel vicisse non contentus, eandem Palæstram, eandemque Victoriam denuo ad Pincianam Academiam secum deferre voluit; vt in florentissimo illius Academiæ Lycæo iterũ Mariam immaculatè conceptam propugnaret: iterum ipsius immunitas, & pia opinio Victrix euaderet. Sed hic opus, hic labor fuit, acrius tunc recrudescente bello; & oppositæ sententiæ DD. ad Inquisitionis Tribunal rem deferentibus, vbi dum apud integerrimos Fidei Quæsitores iterum facta Inquisitio, iterũ examina tio, iterum etiam propia opinione relata Victoria, Decretumque pronũciatũ, vt præfatæ Assertiones publicè disputarẽtur, propugnarentur, & omnium plausu exciperentur.

VII Et quidem, qui Mariæ immunitati vincendi mos est, exiuit tunc vincens, vt vinceret. Nimirum Franciscani PP. sub quorum auspiciis Opinio pia, vt sic dixerim, enutrita, & non modo ad miram altitudinem, quam nunc habet, erecta, sed etiam ad Victoriam edocta est, præfato strenui illius pugilis exemplo incitati, & quasi calcari currentibus adhibito: in nouam etiam à se ipsis referendam Victoriam mentem posuerunt: & glorioſa in Deiparæ immunitatem æmulatione, vt aucto censu quidquid glorioſum, & mirabile in Conceptione Mariæ excogitari, quidquid in pia opinione præexcellens inueniri potest, sibi propugnandum susceperè, adnitentibus in hãc gloriam, tanquam duce, & Palestræ Magistro Reuerendo admodum P. M. Fr. Ioanne de Villamar primario Theologiæ in celebri S. Francisci Conuentu Lectore, viro, vt limatissimi ingenij, & eximiæ doctrinæ, ita egrègio Diuini verbi concionatore: vt propugnatore vero, & athleta Fr. Antonio Bohordo dexteritate, & dicendi acumine, ac subtilita-

te conſpicuo. Ergo ad Mariæ immaculatè conceptæ honorem ſub hoc diſputandæ quæſtionis titulo.

VTRVM PIA DE IMMVnitate Virginis ab originali peccato ſententia ſit proximè diffinibilis?

Haſce Aſſertiones defendendas propoſuerunt.

PRIMA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio in gratia præordinata fuit ante præſcientiam peccati. Vndè & eſſet Dei hominis Mater, etiam Adamo non peccante.

SECVNDA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio in gratia, (quam paulatim nobis Deus aperuit, & aperit) eſt proximè diffinibilis, vel (quod idem omninò eſt) vltimo ad diffinitionem diſpoſita.

TERTIA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio in gratia, infert liberationem eius à debito contrahēdi originalem maculam.

QVARTA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio in gratia, argumento eſt negandi omnem fomitem ad peccatum, & affirmādi fomitem ad omnem virtutem.

QVINTA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio fuit in maiori gratia, quam inuenitur in cæteris omnibus beatis, etiam collectiue ſumptis.

SEXTA ASSERTIO.

MARIAE Conceptio in gratia originali infert ſatis piè, eius etiā Conceptionem in gloria.

VIII Hæc omnia in laudem, & gloriā Mariæ immunitatis ſapientiſsimi, & religioſiſsimi PP. animosè propugnare voluerunt, quibus (vt vides) nihil ſapientius, nihil ornatius, amænius, floridiusexcogitari potuit: ſed enim quemadmodum viridioribus roſis, & lætioribus frumentis (ſic alicubi Plutarchus) cātharides innaſcuntur: ſic floridas haſce theſes, maior, & feruidior contradictio inſecuta eſt: omni modo apud ſanctiſsimum ſupremum Inquiſitionis Tribunal contendētibus opinionis minus piæ auctoribus, vt hæc diſputatio omninò interdiceretur: vbi ecce iterum controuerſia, lucta, & examen: verum vt è nubibus Phœbus lucidior; ita ex contentione ſplendidior Victoria colluxit: facultate à ſupremis Quæſitoribus facta, vt prę fatæ Aſſertiones integræ, & illæſæ, quin iota vnū aut apex ex illis præteriret, publicè defenderentur. Ergo in Regio illo S. Franciſci Pincia no Conuentu grauiſsimorum Patrū tam ex Academia, quam ex omnibus omninò ſacris Ordinibus adſtā te Senatu; quo ſanè frequentiorem, aut grauiorem nullum me vidiſſe memini, dum vix aliquis ex omnibus inibi Theologiam profitētibus, abfuerit, tanta doctrinæ, & eruditionis copia, tanta veritatis luce, vel (ſi mauis) euidentia, cauſſa Mariæ tractata, & peracta eſt: vt cunctis argumentorum telis ex omni pharetra excuſsis, omnium adſtantium vna vox fuerit, in tanta ſolis claritate, ſcintillulas oppoſitarum rationum nullum potuiſſe habere momentum.

IX Dixerim tandem pro coronide, non ſic quidem, non ſic Auctoribus opinionis minus piæ in ſimili concertatione ſemel, & iterum contigiſſe. Nam in primis anno 1615. etiam ante prohibitionem Pontificiā, cuius ſæpè meminimus, cū Hiſpali typis mandaſſent Aſſertiones in quibus Beatiſsimam Virginem maculæ originali obnoxiam, immò *conſpurcatam* (hæc ipſorum locutio

adeò

adeò absona,& importuna fuit) affirmabantur delatâ ad eminentissimum D.D.Bernardum de Roxas, & Sandoual Supremum,& Generalem Fidei Quæsitorem, & ad Illustrissimum D.D.Antonium Gaetanum Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniæ Nuncium,& a latere Legatum,ex amborum præscripto eæ Assertiones interdictæ fuerunt, facultate negatâ,nè vnquam publicè defenderentur. Deinde verò eodẽ ferme tempore Barcinone, Regium Proregis munus obeunte Excellentissimo Duce de Alburquerque,dũ idemmet Auctores opinionis minus piæ pernimiles theses de peccato originali Deiparam comprehendente defendẽdas proposuissent,similiter etiá illæ prohibitæ sunt,donec famori,& minori consilio iterũ excuderentur,addita felici illo, & venerabili exceptione à Concilio Tridentino posita: *Beata Mariâ Virgine dẽpta:* Videris vtrãq; historiã bona fide conscriptã in libello Regi Philippo III. D.N. oblato pro legatione ad Ss. D.N.Pont. mittẽda.

IHS

DISSERTATIO IV.

ANTIQVITAS OPINIONIS piæ de Mariæ immunitate.

OPINIO PIA DE MARIÆ IMMVNITATE opinioni minus piæ signatè præcellit, quod vetustate nobilis, nouitate felix sit.

ADNOTATIO I.

INTER cæteras quæstiones,quæ circa Deiparæ immunitatem ab vtriusque partis Doctoribus vltro citroque agitantur,illa non ignobilis censetur,quæ in cardine antiquitatis,siue nouitatis opinionis piæ versatur:& verò cum illius Auctores cæteris omnibus,quæ ad Mariam immaculatè conceptam spectant,vnâ mente,& vno sensu conspirent,hac in re tantisper variare videntur. Etenim ipsemet piæ opinionis custos, rigidusque satelles Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis in Appendice sermonis *de Conceptione* in prima cõsideratione dixit: *Mariam non fuisse conceptam in peccato originali de iis veritatibus est, quæ nouiter sunt reuelatæ, vel declaratæ tam per miracula,quæ leguntur,quam per maiorem partem Ecclesiæ,quæ hoc modo tenet.* Vndè quidem solemne est Doctoribus contrariæ sententiæ,& opinionem piam nouitatis insimulare, *Gerson.*

eaque

eaque ratione bonitati cauſſę ipſius diffidere, & omnẽ antiquitatis gloriam, ſibi ſumere dixit quippe Caietanus: *Noſtra ſententia requieſcit in ſinu Sanctorum, & Doctorum priſcorum: in eo autem ſinu non eſt cur error timeatur:* Verum enim verò, vt
Caietan. requiem iſtam (minime quidem impauidam, & ſecuram, vt ſibi fingit Caietanus, ſed vndique ſibi metuẽtem) dimittamus, ſiue in alium locũ tranſmittamus; modò quæſtioni de antiquitate opinionis piæ eum in modum ſatisfieri exiſtimamus, vt quandò omne quod aut venerandũ, aut felix habetur, in pia opinione inuenitur; ipſa & vetuſtate nobilis, & nouitate felix dici debeat: Nã quid fuerit antiquitate nobilius, quamquod à primis incunabulis ab Apoſtolorum ore Eccleſia accepit celebrauit, & in ſingulares Eccleſias, & nationes diffudit? Quid nouitate felicius, quam ea doctrina, quam omnes omninò Auctores nouiter docent: omnes Concionatores nouiter prædicant: cuncti Scriptores nouis ſemper argumentis cõfirmant? ipſaque quotidie de nouo ſplendet nouis fulta rationũ radiis.

II Sed quid (inquis) vetuſtati, & nouitati? quid antiqua doctrina cũ recenti poſsit habere commune? vt opinio pia ſimul antiqua, & à vetuſtate nobilis? ſimul recens, & à nouitate felix dicatur? Libentius ſanè huic dubitationi ſatisfecero, quod hâc in re cũ opinione pia cauſsã habeant cõmunẽ pleræq; aliæ opiniones, quę hodiernâ tẽpeſtate à Theologis, præſertim verò a DD. noſtræ Societatis, nõ ſine magno plauſu, & Theologicæ diſciplinæ profectu traduntur, quæ quidem, quod ab ſchollâ Auctorum opinionis minus piæ diſcrepare videantur, ab ipſis nouitatis arguuntur: Is enim mos eſt hiſce Auctoribus, & opiniones, queis ipſi tenacius adhærẽt, ab antiquitate, & veterum Doctorum patrocinio commendare, & quoſcumque Scriptores, qui ab eorum ſenſu diſſentiant, nouitios Theologos appellitare, ac eorum ſententias tanquã recenter excogitatas, & ab antiquis Patribus diſcordantes palam traducere, & mordaci aceto perfricare; cum tamen re verâ tam pia opinio, quam hæ, quæ ab iis Auctoribus nouitates vocantur, non modo à ſubtilitate, & facilitate explicandi res difficiles: opportuniores, & ſubtiliores, ſed etiam ab ipſamet antiquitate, & canâ eruditione venerabiliores, & laudabiliores haberi debeant: vt iure dixeris opinionem piam (& idem iudicium eſto de cæteris) quæ dicitur opinio noua, non eſſe nouæ doctrinæ inductionem, ſed reductionem ad primæuam doctrinam; ac proinde non eſſe captationem nouitatis exactè loquẽdo, ſed potius depulſionem nouitatis ſuperinductæ antiquæ doctrinæ.

Ergo vt explicauero, quâ ratione opinio pia, & vetus, & recens ſit, non importune vſurpaſſerim eã imaginem (qui iam olim in celebri quidem doctiſsimorum virorum cõfeſſu huc intentus vſus ſum) ſiue potius eum modum nouiter ſupputandi annũ, vel anni ſolaris dies ex Põtificio Gregorij XIII. decreto in Eccleſiam inuectum, quod huic cogitationi explicandæ ſit accommodatiſsimus; dum ab ipſo conſtat, eã ſupputandi rationem ad ſpeciem tãtum videri nouam, cum reapſe omnium antiquiſsima ab ipſamet primâ anni conſtitutione fuerit. Nimirum cum tempore Iulij Cæſaris primi Romanorum Imperatoris, annus ſiue potius ratio ſupputandi dies anni, à Solis curſu, & ordine aberraret, & velut extra axem ob incertas, & inæquales dimenſiones, aut dinumerationes circumduceretur, Cæſar, qui non minus Aſtrologiæ peritiâ, quam bellicâ gloria pollebat, vt pro maiori Reip. commodo

III

annum

annum certis numeris,& iusta mensura constringeret,computandi rationem cum ipso Solis cursu compo suit,vt ad ipsius per Zodiacum integrũ excursũ Annus,siue anni dinumeratio conficeretur. Sed enim cũ iste solaris cursus,non tantum trecẽtos sexaginta quinque dies, sed quinque etiam horas, & quadraginta nouem minuta,vel si mauis, sex horas demptis vndecim minutis cõsumat,non equidem potuit in labẽtes subinde annos hæc ratio numerandi subsistere:seu certa supputatione librari illis quinque horis, & quadraginta nouem minutis extra præscriptum numerum superfluentibus,& iustæ supputationi obsistentibus. Licet enim tunc Cæsar consulte prouiderit diem intercalarẽ, qui quarto quoque anno,horas illas cõsumeret, & iusto deinceps numero annum impleret, adhuc tamen ea computatio propter minuta, quæ supererant,necessaria ratione claudicabat;vt enim ipsa vndequaque constaret,si illæ horæ, sex integræ fuissent;ita dum his horis vndecim illa deerant minuta,quæ in quatuor illis annis,quadraginta, & quatuor minuta,siue vnam dempto quadrãte horam conficiunt;indè ratio numerandi vndique in posterum constare nequibat. Quod tamen tunc ratione paruitatis materiæ (vt vulgo dici solet) nullum incommodũ reputatum fuit.

IV Sed enim,errore à minutis istis maiorem in cumulum in dies excrescente:nõ secus in physicis,ac in moralibus illudmet euenit, quod tum *Vellei. Paterc.* Velleius Paterculus lib.1. dicebat. *Non enim ibi consistunt exempla vbi cæperunt,sed quemlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagandi sibi viam faciũt, & vbi semel à recto decerratum est,in præceps peruenitur.* *Augus.* Tùm etiam Augustinus tract.1. in primam Ioan.epist.de minutis erratis admonebat. *Ista leuia,quæ dicimus,noli contemnere: si contemnis, quandò appendis:expauesce,quandò numeras:* ita quidem minuta hæc rectam rationem numerandi annum interturbantia adeò expauit magnum illud Oecumenicum,& celeberrimum Concilium Nicænum, *Concil. Nicæn.* quod ad firmandam Catholicam Fidem,& asserendam aduersus Arrium Vnigeniti Dei consubstantialitatem coactum est,vt minime crediderit rẽ sua auctoritate indignã, medicas huic errori manus,hoc est opportunam emendationem adhibere. Quare re benè,& exactè perpensa,supputationem Anni ad Cæsaris gustum omninò reddidit, fixo veris Æquinoctio in primo Arietis gradu,à quo Zodiacus sumit initiũ die vigesima prima mensis Martij, quod sane vt præstare posset, tres dies,qui à numero tunc exorbitabant,anno illi ademit. Verum cum hac ratione erroris rami detruncari possint,radix verò nunquam possit euelli,obstrepentibus semper iustæ dinumerandi rationi minutis illis,à quibus iustus numerus non constat, in multo maiorem cumulum à sæculo Concilij Nicæni in nostra vsque tempora error iste excreuit: quare iterum tam à Pontifice Summo Gregorio XIII. quam ab omnibus Christianis Principus(solis hæreticis obnitentibus,quod de correctione, & rectitudine ageretur) Annus, qui tunc 1582.numerabatur in iudiciũ, & examen vocatus est, & doctissimorum hominũ iudcio erroris supputatione apprimè facta,vt denuo tam ad Cæsaris præscriptum, quam ad Concilij Nicæni normam Æquinoctium veris in primo Arietis gradu figeretur,quò simul cum sole Annus excurreret; toti decem dies ei anno amputati sunt, ij scilicet, qui propter tres illos horæ vnius quadrantes ex minutis coalescẽtes per tot annos multiplicatos a recta dinumerandi ratione redundabant,

& dies illa, quæ iuxta veterem supputationem quinta Octobris dicenda erat, nouiter decimaquinta numerata est. Vndè quidem factũ est, vt hic numerandi, siue supputandi modus, quo iam vtimur, simul nouus videatur, simul vero vetustissimus, & certissimus sit: & quidẽ nouus hodie appellatur à pluribus Germanorum, qui eum respuerunt, ne Pontificio edicto assentiri viderentur: quod alius sit ab eo, cui tunc illa incerta, & errans dinumeratio erat imbibita: Ver⁹ verò, & antiquissimus omnium merito dici debet, quod idem omnino sit cum eo, quẽ primum Iulius Cæsar Solaris Anni inuentor, deinde verò Concilium Nicænum eiusdem anni Corrector ad Solis cursum per Zodiaci diuagationem compositum præscripsere.

V Audisti hæc? Ergo idem prorsus, quin ab imagine veritas vel hilum distet, de opinione pia, quæ Mariæ Conceptionem ab omni labe puram, illibatam profitetur, sicut etiam de pluribus opinionibus, quas Societatis nostræ schola docet, dictum existima, vt tam illa, quam hę, etsi à contrariæ sententiæ Auctoribus nouitatis insimulentur, & aliquam forsan nouitatis speciem habere videantur (vt dicebat Ioannes Gerson,) re tamen vera antiquissimæ, & ex veteribus PP. haustæ fuerint, ac proinde potius dicendæ sint depulsiones nouitatis superinductę antiquæ doctrinæ, quã captatio nouitatis, quemadmodum præsens anni supputatio, etsi noua videatur, re tamen illa omnium antiquissima est, quam primum Iulius Cæsar inuexit, & Concilium Nicænum restituit: Porrò etsi aliquando adinstar Isaac nouos videamur doctrinæ puteos effodere, dicente de illo Moyse Genes. 26. verſic. 18. *Rursum fodit alios puteos, &c. appellauit eos iisdem nominibus, quibus ante pater vocauerat*, non tamen aliam aquã, quam illammet, quę antiquis puteis inerat haurimus, & bibendam damus, sapienter in hunc sensum per allegoriam inflectẽte Rupertho hos puteos, cum sua in Apocalypsim cõmentaria Friderico Colonien si Prę suli inscribens rationem reddit, cur post tot, tantaque ab antiquis PP. in eum librum edita volumina, ipse illum de nouo elucidare moliretur, hunc in modum inquiens: *Sanctarum spatiosus ager Scripturarum omnibus Christi Confessoribus communis est, & tractandi illas nulli iure negari potest licentia: dũ modo saluâ fide, quod sentit, dicat, aut scribat. Quis nãq; rectè indignetur, eò quod in eâdem possessione post vnũ, aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filij succedentes. Denique Isaac, & alios puteos fodit, appellauitque eisdẽ nominibus, quibus ante pater vocauerat. Sequitur scriptura, & dicit.* Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam: *item* foderunt & aliũ: *ac deinceps.* Profectus inde fodit alium puteum. *Itaque iuxta hanc regulam nobis quoque conceditur, post illos puteos, quos foderunt: id est post illos tractatus, quos tractauerunt Patres, & priores nostri, & alios fodere puteos proprio vomere ingenij: dum modo viuam, & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum, vel errorem faciat legenti.* Hactenus Rupertus. Apud quem preme eã partem allegorię, in qua obseruat Rupertus, Isaac alios quidem fodisse puteos, sed tamẽ *eos iisdem nominibus* appellasse *quibus antea pater vocauerat*: vt argumento fuerit, ad speciem quidem nouos nouæ doctrinæ puteos videri, sed re ipsa eosdem esse cũ iis quos pater effodisset: quippè quibus eadem aqua viua sapientiæ ab eadem origine scaturiret, nec nouam eam doctrinam, sed potius innouatam

Rupert.

Gen. 26. vers. 18.

dici

dici debere, quæ ad priſtinam veterum Patrum doctrinam conformata nouitatem ſuperinductam antiquæ doctrinæ depelleret.

VI Igitur pia de Mariæ immunitate opinio (ſi verè æſtimas) aqua viua A eſt, non equidem recentem habens ſcaturiginem, vt ei importunè obijcitur, ſed illammet quæ priorum. Patrum puteis, & ſcriptis ſubeſt: cũ ab ipſiusmet naſcentis Eccleſiæ faſcijs fuerit ab Apoſtolis tradita, & ab Eccleſiâ, tam Latina, quam Græca celebrata, nec nõ à primis, & vetuſtiſſimis Patribus per ſuccedentia ſæcula vſque ad noſtra tempora aſſerta: immò verò hæc Mariæ immunitas multis retro ſæculis in Scripturâ ſacrâ varijs figuris, & ænigmatibus à Dauide, Salomone, cæteriſque Vatibus præſignata, & viuaci penicillo depicta conſpicitur, vt & occa B ſione verborum Pſalm. 86. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei*: pulchrè inquit Richard. à S. Laurentio lib. 4 C de *laudib. B. Mariæ*, hunc in modum: *Ipſe qui antiquis inſpirauit, vt de Matre ſuâ ſub ænigmatibus glorioſa prædicerent: ipſe & quoſdam modernos illuſtrat, vt de ea glorioſa, non taceãt*: & à pluribus Auctoribus præſertim à noſtris copioſiſsimè demonſtratum eſt, vt facilè videris apud PP. Ferdinandum de Salazar D *in defenſione pro immaculatâ Virginis Conceptione*, toto cap. 42. Iacobum de Granado in 3. part. tom. 4. controuerſ. 2. tract. 1. diſputatio. 3. Ioannem Perlinum *in Apologiâ Scholaſticâ pro Magnæ Matris immunitate*, diſt. 10. per ſexdecim capita. Ambroſium de Peñalola *in vindicijs Deiparæ Virginis de peccato originali*, diſput. vndecima, totâ. Petrum de Ojeda *in informatione Eccleſiaſtica de Deiparæ immunitate, tota*, Ioan. de Pineda *in Aduertentijs ad priuilegium Ioannis Regis Aragoniæ*, aduertentia 4. dum omnes hi DD. *accuratiſsimâ diligentia*, & fi-

Pſal. 86 verſ. 2.
Richar. à S. La.
Salazar
Granad.
Perlin.
Peñaloſ.
Ojeda.
Pineda.

diſsima eruditione cuncta Eccleſiæ orientis, creſcentis, & adiuſtam grãditatem adoleſcentis ſæcula locupletiſsimis SS. PP. monumentis impleuerunt, atque adornarunt, vt merito poſsis de ipſis dicere, quod Tertullianus in lib. *de teſtimonio animæ* c. 1. ijs, qui Chriſtianæ diſciplinæ nouitatem obijciebant, hunc in modũ reſpondebat. *Nõ nulli quidẽ, quibus de priſtina litteratura, & curioſitatis labor, & memoriæ tenor perſeuerauit, ad eũ modũ opuſcula penes nos cõliderũt, cõmemorantes, & teſtificãtes in ſuggillationẽ, & originẽ, & traditionẽ, & ſententiarũ argumẽta, per quæ recognoſci poſsit, nihil nos aut nouũ, aut portentoſũ ſuſcepiſſe: de quo nõ etiã cõmunes, & publicæ litteræ ad ſuffragiũ nobis patrocinentur, ſi quid aut erroris eiecimus, aut æquitatis admiſimus.* Tertull.

VII Sane ſic ſe hæc res haberevidetur, ac iam olim ea Chriſtiana Religio, quæ eo nomine calũniam ſuſtinuit, quod noua eſſet, & eius Prædicatores captarẽt nouitates, atq; ita Paulus Actuũ 17. v. 18. ad Areopagũ in iudiciũ ductus eſt, tãquã *nouorũ dæmoniorũ* (id eſt nouæ diuinitatis) *annũciator* eſſet, ſed ipſe quidẽ Atheniẽſibus planũ fecit, adeò non eſſe nouã eã doctrinã, quã illis ingerebat, vt nihil ipſa antiquius excogitari poſſet, quippè ipſe nõ alium illis Deũ annunciabat, quã eũ qui fecit cœlũ, & terrã, quem illimet ſub arã *Deo ignoto* dicata colebant, ad quẽ itidẽ modũ ad Romanos ſcribẽs, vt hãc nouitatis impoſturã refelleret de induſtriã dixit: *Segregatus in Euãgeliũ Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Ad Roman. 1. verſic. 2. omninò adſtruens, ſe minime prædicare nouum Euangelium, ſed vetus illud, quod multis retro ſæculis, & promiſſum à Deo, & & præfiguratum fuerat: Ad hunc Rom. 1. verſ. 2.

enim modum iure nos pro opinionis pię antiquitate dicere posſumus, eam nos Deiparam, puram, illibatam, & à communi labe expertem annunciare, quam Deus antea promiserat in Scripturis Sanctis per Prophetas suos sub varijs ænigmatibus, & figuris, & quam Apostoli, tanquã *cœli, qui enarrant gloriã Dei* prædicauerunt, quamque per cuncta retro sæcula Ecclesiæ PP. atquè Magistri nobis immaculatam tradiderũt. Quod quidem inter alia pro Deiparæ immunitate, ita disertè adnotauit Petrus Burus Canonicus Ammiensis, qui ante centũ, & quadraginta annos floruit in hymno.

Petrus Burus.

In dies Conceptionis Virginalis.
Percelebris fama quieſcit.
Gloriæ tenax prioris, quam moderni
Aſſerunt nunc Scriptores.

Vbi pulchrè dictum *gloriæ tenax prioris*, vt innuatur nihil nouum nũc modernos Scriptores asserere, sed prioris gloriæ, quam cœli enarrauerunt, tenaces esse, quin nouæ sint opinionis Auctores, sed potius depulsores nouitatis superinductæ veteri opinioni: dum pulchriores dicendi modos, & voces magis opportunas, atque limatas afferunt, quibus omnimodam Mariæ à labe originali immunitatem ab Auctoribus opinionis minus piæ temporum decursu obnubilatam (non secus ac ab illis excrescentibus minutis interturbatur certus ordo supputandi annum) commodius explicent, & fidelium animis, & auribus commodius ingerant.

VIII Nec omiserim nouâ ratione, siue imagine hunc sensum firmare sumptâ ab ijs loquendi modis, quibus hominem, tum ad imaginem Adæ conformatum, tùm ad similitudinem Christi compositum Apostolus, & veterem, & nouum hominem appellauit: Audi illũ ad Ephe-

Ephes. 4 vers. 22. sios 4. versic. 22. *Deponere vos secundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris: renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitiâ, & ſanctitate veritatis*, & ijsdem ferme verbis ad Colossens. 3. versicul. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum*: Ad quæ verba non possis non ambigere, quo modo Paulus, nouum hominem appellauerit eũ, qui *ſecundum Deum* (hoc est vt sæpius vidimus ad imaginem, & similitudinem Dei factus est) *creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*: Itidemque veterem dixerit illum, qui post Adæ transgressionem corrumpitur secundum desideria erroris: cum exacte loquendo Vetus homo ille dici debeat, qui prior fuit: hoc est, qui primitus, *ſecundum Deum*, siue ad imaginem Dei creatus est: is verò nouus homo fuerit, qui à primo hoc est à vetere defciuit, & diuinâ similitudine deperdita ad exemplar Adæ peccatoris sese composuit: non ne prior Adam iustus, quam Adam peccator? ille ergo Vetus, hic nouus, nisi fræna mutare videamur, dicendus fuerit. Sed enim si Paulum perdimus, ab hoc sensu non it: sic enim ipse nouum hominem dixit: *Qui renouatur ſecundum imaginem eius, qui creauit illum*: vt dixerit reapse antiquiorem hominem illum fuisse, *qui ſecundum Deum creatus eſt*, qui subinde nouitatem erroris accepit, ac proinde renouari necesse fuerit, hoc est ad pristinum prioris hominis statum, & splendorem reformari, vt cum renouatur spiritu mentis suæ, is ipse homo, siue Adam sit, *qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitiâ, & ſanctitate veritatis*: eaque nouitas po-

Coloſſ. 3. vers. 9.

tius dicenda sit depulsio malæ nouitatis antiquo iustitiæ statui malè superinductæ.

IX

Sub quo quidem sensu de Christo Domino, qui ab Apostolo *nouissimus Adam* dicitur 1. ad Corint. 15. vers. 45. dixisse videtur Irenæus M. lib. 4. aduers. hæres, cap. 67. *Cognoscite, quia omnē nouitatem attulit semetipsum afferens, qui fuerat annunciatus: hoc enim ipsum prædicabatur: quoniam nouitas veniet innouatura.* Sic ille: Apud quem obserua eum dicendi modum *omnem nouitatem attulit*: priorem scilicet & posteriorem cum ipse non quæuis nouitas fuerit, sed nouitas innouans ea videlicet, quæ inueterata erant, quod à primo antiquitatis statu exciderant renouans, & ad priorē statum reuocans. Hæc quidem omnia si Virginis immunitati, & piæ opinioni aptare velis, ad ipsam Deiparam de se sub personâ sapientiæ dicentem: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria: opes superbæ, & iustitia*, vbi Symmachus pro voce *iustitia* notā ter reponit: *vita antiqua*, vt de se planum fecerit Maria, originalē, & primitiuam iustitiam se fuisse adeptā, & secundum Deum creatam fuisse, vitamque illam antiquam, quæ ab ore Dei primitus eflata in hominē est, percepisse, vt quemadmodū omnes ab Adamo vitam mortalē accepimus, ipsa a Dei Filio spiritum viuificantem hauserit, dicente præfato loco ad Corinthios Paulo. *Factus est primus homo Adam in animā viuentem: nouissimus Adam in spiritū viuificantem*, vt cum Dei Filius aduenerit naturam humanam innouaturus, Matri suæ vitam antiquā, quæ in spiritu viuificante censetur, indiderit: Iā verò ab hoc loquendi modo manuducimur, vt tam quæ de homine Vetere, & nouo, quam de vita antiqua Deiparæ dicuntur opinioni piæ accommodemus: vt ipsa scilicet, & vetus, & noua fuerit: dum primitus, & antiquitus annunciata, & prædicata denuo renouata, maiori populi Christiani plausu annunciatur, & celebratur.

1. Co. 15 vers. 45. Ireneus M. Simmachus.

A

Eiusdem argumenti: de antiquitate, & nouitate opinionis piæ.

B

ADNOTATIO II.

ERgo non aliter capiendus Ioannes Gerson, cum dicebat: *Mariam non fuisse cōceptam in peccato originali de ijs veritatibus est, quæ nouiter sunt reuelatæ, tam per miracula, quæ leguntur, quam per maiorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet*) quam sub sensu Petri Buri affirmantis, recentiores nunc Scriptores antiquæ gloriæ immunitatis Mariæ tenaces, illam plus plus elucidare, & nouis accessionibus subtilium, & piarum cogitationum: & monumentorum SS PP. peculiari luce perfusorum denuò firmam, & communitā reddere, quæcumque difficilia, & aspera à contrariæ sententiæ auctoribus obiecta in vias planas redigentes: vt hinc appareat opinionem piam, nulla ratione nouitatis insimulari posse. Nimirum vetera de nouo elucidare, limare, perpolire, consolidare, firmare, nemini vnquam vitio, aut fraudi fuit: nec captator nouitatis hac de caussa dici potuit. Qua de re ipsemet antiquitatis verus custos, rigidusque satelles, & nouitatum acerrimus insectator Vincentius Lyrinensis in lib. *aduersus prophanas omnium hæreticorū nouitates*, c. 30 prudēter differuit, vbi cum dixisset. *Quodcūq; igitur in hac Ecclesia Dei agricultura fide Patrū satū est, hoc*

I Gerson.

C

D

E

Vincen. Lyrinen.

idem filiorum industriâ decet excolatur, & obseruetur: hoc idem floreat, & matureſcat, hoc idem proficiat, & perficiatur, ſubiicit opportunè. *Fas eſt enim, vt priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur poliãtur. Sed nefas eſt, vt commutentur, nefas vt detruncentur, aut mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant, neceſſe eſt, plenitudinẽ.* Hæc Vincẽtius ibi, quæ vt ipſe plusplus explicet, atque diffundat c. 22. eiuſdẽ libri oportet meminiſſe: ſic nãque inquit. *Chriſti verò Eccleſia ſedula, & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos nihil in his vnquã permutat, nihil minuit, nihil addit: nõ amputat neceſſaria, non adponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena: ſed omni induſtriâ id vnum ſtudet, vt vetera fideliter, ſapienterque tractando, ſi qua illa ſunt, antiquitus informata:* (vide, an irrepſerit mẽdum, & legẽdũſit *deformata* niſi *informata* ſumat Vincẽtius pro ſemiformata, aut non plenè formata) *& inchoata accuſet, & poliat, ſi qua iã expreſſa, & enucleata, ea ſolidet, firmet, ſi qua iã cõfirmata, & definita, cuſtodiat.* Hactenus Vincẽtius Lyrinẽſis. Ad cuius guſtum, vt ſeſe conformet opinio pia de Deiparæ immunitate, iam obſerua.

II Habet ergo ipſa in primis tanquam certiſsimam, veriſsimamque doctrinam (etſi illam ad dogmata de Fide modò nullatenus referat, quamuis breui à Sede Apoſtolica referendam fore firmiter ſperet) Deiparã ab ipſo Eccleſiæ Oriẽtis exordio ab omni peccati originalis labe exortem, & immaculatam, atq; ãb hoc ſenſu Vatem non abire, cum ait: *Pſal. 18 verſ. 1.* *Cœli enarrãt gloriam Dei.* Pſalm. 18. verſic. 1. Nimirum vt Mariam Dei gloriam eſſe, & ad Dei gloriã ſignatè factam alibi copioſè ex PP. adſtruximus: ita à cœlis hoc eſt ab Apoſtolis gloriosè annunciatã, hoc eſt ab omni labe expertem prædicatam nouimus, ſeſe tunc hoc cœlorum libro, ſiue volumine (nam cum libro, ſeu volumine cœli in ſcripturã componuntur, & pro rei opportunitate ſiue complicari, ſiue explicari, & extendi dicuntur. Pſalm. 104. verſic. 3. Iſaiæ 34. verſi. 4.) latius explicante (vt lib. 1. eq peculiari adnotat. tractamus) Quoniam verò temporum decurſu perfecta huius voluminis ſcientia tantiſper abſconſa, ſiue conſcriptæ in illo litteræ aliquantulum deformatæ, ſiue detritæ videbantur, ſpeciali quidem curæ, diuinæ prouidentiæ fuit, vt quod in Eccleſia Dei Apoſtolorum, & priorum Patrum doctrinã ſatum fuerat, *hoc idem filiorum induſtriâ excoleretur, limaretur, poliretur,* quin tamen conſtabilita ab Eccleſia dogmata de peccato originali immutarentur, aut mutilarentur; ſed huius orthodoxæ doctrinæ integritate retentâ, quidquid ad MARIÆ gloriam, & à communi labe immunitatem acciperent, *euidentiam lucem, & diſtinctionem.* Quod reapſe præſtitum à Sacroſancto Concilio Tridentino videmus, quod *omni induſtriâ id vnum ſtuduit, vt* vetera Fidei dogmata de peccato originali fideliter, ſapienterque tractando, MARIÆ Conceptionem in illis minimè comprehenſam iri, omninò aſſereret, ſiue vt quæ iã expreſſa, & enucleata apud fideles erant, firmaret, & conſolidaret, ſiue etiã, vt ſi quæ huius doctrinæ litteræ in aliquorum opinione extritæ, aut ſemiformatæ erant, denuo formaret, atque poliret. Sacra cuius veſtigia premens ſapiens piæ opinionis Schola iam ſubinde animoſè docet, MARIAM non modo originariam labem non contraxiſſe, ſed neque huic debito tãquã Adę filiam, & hæredem fuiſſe vnquã obnoxiam, cui fundamento innixa,

Pſ. 104. verſ. 3. Iſai. 34. verſ. 4.

omnia

omnia insuper perfectissimæ puritatis,& eximiæ munditiæ,& exquisitissimæ pulchritudinis,& splendidissimi candoris voces, & nomina excogitauit,quibus hæc omnimoda à labe originaria immunitas aptius, & commodius explicaretur, & fidelius animis insinuaretur, & tenaciùs infigeretur.

III Vndè quidem contrariæ opinionis Doctoribus harum vocum nouitatem nobis obiicientibus iure respondemus,quod magnus ille Athanasius in disputatione cum Ario,nouum consubstantialitatis nomen respuente,ei inquiebat. *Athan.* *Nominis nè offenderis nouitate? an etiam rei ipsius veritatem,quæ hoc est sortita vocabulum,refugis? Res enim antiqua nouum nomen accepit,non vocabulo nouo noua rei veritas accessit.* Sic Athanasius pro re suâ verissimè,& pro nostrâ satis opportunè. Nimirum cũ nostris vtimur nominibus,quibus Maria ab omni labe peccati,& peccati debito immunis, & vndique immaculata asseritur, eidem Vincentio Lyrinensi egregio nouitatum mastygi obsecundamus, dum ille prætato libro cap. 17. Catholicum Doctorẽ sub persona Pauli Timotheum epist. 1. ad ipsum capit. 6. vers. 20. monentis. *1. Timo. 6. v. 22.* *O Timothee depositum custodi.* *Vincen. Lyrin.* hunc in modum instruit. *O Timothee! O Sacerdos! O tractator! O Doctor: site diuinum munus idoneum fecerit,ingenio exercitatione,doctrinâ:esto spiritualis tabernaculi Beseleel, pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe,fideliter coapta,adorna sapienter: adijce splendorem,gratiam venustatem: intelligatur te exponẽte illustrius,quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur,quod antea vetustas non intellectum venerabatur,eadem tamen quæ didicisti, doce,vt cum dicas noue,non dicas noua.* Hæc appositè Vincentius, quæ nos doctrinæ,quæ Mariã vndequaque immaculatam,& à peccato, & peccati debito immunem facit,ominò aptamus:dùm pretiosis gemmis dogmatum de peccato originali splendorem gratiam,venustatem adijcimus,Dei Matrem,cœli Reginam,Angelorum,& hominum Dominam à communi lege excipientes,itidemque cum ipsa ab Apostolis,à Concilijs,a Patribus intemerata,impolluta, immaculata asseritur:hanc puritatem, atque munditiam non tantum ad actualia peccata,sed etiam ad originariam labem omninò referentes,vt inde tam ab hac,quam ab illis vndique, & plene immaculata subsistat. Quæ quidem sic docemus,vt eadem prius à PP. antiquis didicerimus,*vt intelligatur* nobis exponẽtibus *illustrius, quod antea vetustas,non plenè intellectum venerabatur*;sicutidem dicimus *noue*,vt non dicamus *noua*: ad eum modum,quo annum *noue*,non verò noua ratione, aut dinumeratione,supputamus,cum eadem hæc cum vetere illâ sit,quã minuta exuberantia distorserant.

IV Et verò huc opportune retuleris diuina Deiparæ verba,felicissimãque illam promissionem cuius in antiloquijs prærijs huius libri §. 3. nu. 3. meminimus. *Qui elucidant me,vitam æternam habebunt,* Eccles. 24. vers. 36. Nam si benè æstimas, elucidare perinde est,ac *splendorem gratiam,ac venustatem* rei non tam obscuræ,quam obscuratæ reddere, & quasi à vetustatis tenebris vindicare: Sanè quasi hoc opinionis piæ opus sit, veterem de Mariæ immunitate doctrinam renouare, siue noua luce perfundere,& indesinenter illustriorem facere. In quem sensum appositè inflexeris expositionem,quam illis Varis verbis. *Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam.* Psalm. 88. versicul. 5. in Mariæ gratiam adhibet Richardus à S. Laurentio *Eccl. 24 vers. 36.* *Psal. 88. vers. 5.*

lib. 10. *de laud. Virginis*, vt Deipara, quæ excelsa Dei sedes est, per omnes omninò generationes sæculorum perpetuis, & sibi succedentibus laudibus cumuletur: nam cum dixisset: *Adhuc autem non cessat hæc Sedes quodammodo ædificari, quia ad honorem eius quotidie nouæ Ecclesiæ ædificantur, noua altaria dedicantur*: quæ ad Ecclesias, & altaria, quæ mirâ deuotione, & contentione in Deiparæ immunitatis honorem per totum terrarum orbem quotidie eriguntur, opportunè accommodauerit; subiicit: *Et quæ inueterauerunt, renouantur, & ad ostendendam ipsius gloriam â Modernis de eâ sacræ Scripturæ multipliciter exponuntur: & ideò dicit ipsa. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Hæc Richardus: Preme illa, *quæ inueterauerunt renouantur*, vt videris antiquitatem, & nouitatem opinionis piæ, & proinde censendam antiquitate nobilẽ, & nouitate felicem, dum ipsa reapse antiquissima est, cum verò temporum siue decursu, siue malignitate tantisper fuisset obscurata, vel vt melius dixerim à terrenis vaporibus obnubilata, subinde verò Diuina prouidentia causſam Deiparæ immunitatis agente, pristino splendori restituta fuerit, vt iure censendum sit, piam opinionem non esse nouæ doctrinæ inductionem, sed potius depulsionem nouitatis superinductæ antiquæ doctrinæ, vt vetus opinio ab Apostolis, & antiquis Patribus tradita illustrius intelligatur, & opportunius prædicetur.

Richar à S. La.

V

Nec fuerit quidem iniucundum, aut extra rem, hanc cogitationem componere cum præfatâ Anni supputatione, cuius imaginem ad præsens institutum vsurpauimus. Sanè vt ex Iulij Cæsaris præscripto, fixo Æquinoctio in primò Arietis gradu, à quo Sol Zodiacum perlustrare incipit, Annus æqualiter decurrebat, sed eius æqualem dimensionẽ iustamque supputandi rationem minuta illa, quæ superfluere vidimus interturbabant: ita planè à primis nascentis Ecclesiæ temporibus per plura sublabentia sæcula, Pia de Mariæ immunitate opinio inoffenso pede feliciter decurrebat, eaque doctrina siue in Orientalibus, siue Occidentalibus Ecclesiis per totũ terrarum orbem credebatur, tenebatur, tradebatur, & festiuis vbiuis gaudiis colebatur, donec sæculo duodecimo intrante velut à minutis superfluentibus, turbantibus, rectum, & æqualem supputandi ordinem cœpit in dubium vocari, nonnullis Auctoribus pio quidem animo opinioni minus piæ ad fauentibus: deinde verò denuo excrescentibus molestis iis minutis anno Domini 1175. quidam Mauritius Episcopus Parisiẽsis (vt auctor est Antipodorensis 3. summæ tractatu 1. capit. 5.) malo fato piæ opinioni infensus infaustum, & insipiens edidit decretum de opinione asserente immunitatem Deiparæ non defendẽda, eòq; post se, Episcopali potius, quam rationabili auctoritate tertiã stellarum partem traxit, piæ opinionis splendore nonnihil obnubilato, quamuis nõ extincto, dixit quippe verissimè Tertullianus libr. de Anima. *Quod est à Deo non tam extinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus, extingui non potest, quia à Deo est*: & verò vt indidem subiicit idem Tertullianus, *sicut lumẽ aliquod aliquo obstaculo impeditum manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculo fuerit*: ita densitate Mauritiani huius obstaculi pia opinio obumbrata fuit, vsque ad annũ 1346. in quo præfatum Decretum, ab Episcopo, & Academia Parisiensi, non modo retractatum, & abrogatum fuit, sed iustã etiã talionis retributione percussum: contrario videlicet edicto

Antisi.

Tertull.

promul-

promulgato, vt quotquot Magiſterij, aut Doctoratus lauream in celeberrimâ eâ Academiâ eſſent adepturi ad defenſionem piæ Opinionis, quæ Mariam ab omni labe immunem aſſerit ſub iuramento obligarentur: de quo vidè Ioann. Bachon. in 3. diſt. 3. quæſtion. 4. Vndè iam ab hoc Anno opinio pia, quæ Mauritij obſtaculo erat impedita, *radiat inuentâ libertate, & luce ſua* (vt vtar verbis Tertull. indidem) feliciter fruitur. Etenim etſi noua indefinenter ſuperfluant minuta, quæ rectæ ſupputandi rationi tantiſper officere videantur: nouis tamen Pontificiis decretis in ordinem maturè rediguntur: dum amputata facultate contrariæ opinionis DD. concionandi, & diſputandi, & in priuatis etiam colloquiis ſuam ſententiam defendendi, oppoſitæ nebulæ diſſiciuntur, nec niſi apud pauculos locum habent.

Bachon.

Appendix ad præcedentes Adnotationes de antiquitate, & nouitate opinionis piæ.

Vbi ſingillatim expenduntur verba illa apud Iob cap. 32. verſ. 8. *Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam, &c.*

ADNOTATIO III.

I ENIM verò, quamuis nobis omninò ſit certum, opinionem piam de Mariæ immunitate antiquiſsimam eſſe, nec aliunde à nouitate felicem deputari, quam quod denuo fuerit innouata, ſiue reformata, quæ olim tantiſper obſcurata, ſiue deformata fuerat: atquè idem omninò debere ferri iudicium de pluribus opinionibus Scholæ Societatis Ieſu, quæ à nonnullis nouitatis inſimulantur, cum ipſæ quidem, vel ex veterum PP. monumentis depromptæ fuerint ſenſumque communem habeãt cum ſententiis Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, & aliorum Eccleſiæ Doctorum, vt apertâ fronte cũ Ambroſio lib. 3. *de Virginibus*, poſsimus dicere. *Nos enim noua omnia, quæ Chriſtus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Chriſtus eſt. Si igitur Chriſtus non docuit, quod docemus, etiam nos id deteſtabile iudicamus.* placet tamen in gratiam eorum, qui non niſi antiquitatem, ſiue veruſtatẽ nobis opportunè importunè obtendunt, eum doctrinæ limitem præfigentes, vt vltra meras veterum Auctorum Scholaſticorum, nihil ſentiendum, aut docendum ſit nec nihil aliud ſentiendum, aut loquendum fuerit, ab ipſis vel latum vnguem diſcedendum, tantiſper expẽdere, valde infirmum, tã ad opinionem minus piam, quam ad alias opiniones firmandas indè deſumi argumentum: totâ ſapientia cũ ſuis alumnis, ſiue ſacri ij, ſiue prophani fuerint huic inſalubri ſenſui reclamante: quod vt S. Cyprianus epiſt. 71. monuit. *Non eſt conſuetudine præſcribendum, ſed veritate vincendum:* & quemadmodum aduerſus Gentiles affirmabat Arnobius. *Religionis auctoritas, non eſt tempore æſtimanda, ſed Numine:* ita & doctrina non tam à tempore, quam à veritate, & ratione ſuffragium habere debeat.

Ambr. *Cypria.* *Arnob.*

Hâc planè mente imbutus ſapiẽs Eliud Iob cap. 32. verſ. 8. dicebat. *Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam, ſed vtvidèo ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam: Nõ*

II *Iob 32. verſ. 8.*

ſunt

sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Quorum verborum is sensus esse videtur, vt dixerit Eliud. Certò apud me pridem statueram, prouectiori ætati totum sapientiæ pondus, quasi obæratum, & vinculo adstrictum esse: verum iã experimento didici, fieri quidem posse, vt multi senes sicut ætate, ita & scientia langueſcant, & frigeant: contra verò Diuinus Spiritus, cuius munere homines sapiunt, & intelligunt, iuuenibus etiam communicetur, atquè eos æquè sapientes, & illuminatos, ac viros diuturnæ sapiẽtię, probè instructos, & in rerum diuinarũ tractatione exercitatos reddat. Sed vide, vt verbis sensus hæreat, & nostrum institutum confirmet: Ideò obserua illa verba: *Spiritus est in hominibus*, a Nicolao de Lyra, Dionysio, & Caietano, & aliis ad animum rationalem referri, vt dixerit Eliud, etiam iuuenibus subesse animum intelligendi, & sapiendi capacem, qui æque ac senes scopum collimare possint; at multo cõmodius à S. Thoma, Vatablo, Titelmano, & aliis de diuino spiritu accipi: Pro quâ explicãdi ratione lectio Symmachi fideiubet, quę habet: Spiritus Dei est in hominibus; vt commendet Eliud sapientiam suam nõ ab ętate, sed à diuini spiritus vnctione, & magisterio, quod is omninò sit, qui sapientiam, & intelligentiã mortalibus inspiret, vt verissimè dixit Lactantius lib. 7. cap. 7. *Verum autem non nisi eius scire est, qui sit doctus à Deo, neque enim potest aliter repudiare, quæ falsa sunt: eligere, ac probare quæ vera.* Vtramque autem explicationem, vnam & eãdem ex prædicta thesi, quam persequimur, feceris, quod humanus spiritus diuino afflatus in dies capacior, sapientiæ, & mysteriorum Dei fiat: Quare rectè inde infert. *Non sunt longæui, sapientes, nec senes intelligunt iudicium*, non equidem quod his verbis senibus sapiẽtiam deneget, sed quod nolit, adeò illam senectuti esse alligatam, vt vni prouectiori ætati dicendi, & docendi dignitas subsit, cum sapientia potissimum ex Diuini spiritus beneficio æstimari debeat, qui quos vult, & vt vult, & quando vult, scientiæ, & sapientiæ, & cognitionis mysteriorum donis cumulat. *Nonenim dat Deus spiritũ ad mensuram*, Ioann. 3. vers. 34 Porrò huic Eliu sensui ille videtur affinis, quem Plutarchus in libr. de audiendo, sic expressit. *Quæ in Philosophia dicuntur, ea oportet, existimationeeius, qui dicit, detractâ, seorsim per se examinari, vt enim in bello, ita etiã in auditione multa sunt inania*, subiicit: *Etenim canities dicentis gestus, supercilium, sui iactatio, maximè autem vociferationes, ac tumultus faciunt ad percellendum imperitum auditorẽ.* Hæc Plutarch. & quidem rectè illud: *oportet seorsim per se examinari*: vt videlicet veritati dicti, potius quam auctoritati dicẽdi fides adhibeatur. Quam sententiam prius docuerat M. Tullius lib. 1. *de naturâ Deorum*, ad finem inquiens: *Non enim tam auctores in disputando, quam rationis momenta sequenda sunt. Quinetiam obest plurimum iis, qui discere volunt auctoritas eorum, qui se docere profitentur*: reddit rationem. *Desinunt enim suũ iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.* Hæc Cicero.

Ioan. 3. vers. 34.

Plutar.

M. Tullius.

Lactan.

III

Sed nemo, opinor, luculentius hunc sensum expressit, quã Ansbertus in epistolà *ad Stephanum Papã*, omninò adstruens, eum qui recentioribus Scriptoribus velit adimere facultatem nouè sentiendi, siue noua scribendi, quæ orthodoxæ fidei contraria non sunt, iniuriam videatur irrogare Diuino spiritui, qui vni cuique prout vult, & quando vult, sapientiæ dona distribuit: Sic namque primum ait: *Et re vera, sanctis-*

simè

simè Pater, totius Ecclesiæ libertas, talis hucusque permãsit, vt vnusquisque prout desuper accepisset, sine alterius controuersia volumina cõderet, nec damnatum alius ab alio sentiret, nisi (quod absit) horum quilibet contra fidem sensisset, nè scilicet Spiritũ Sanctum, qui vnicuique prout vult, dona distribuit, humano imperio aliquis subiacere putaret. Damnandus itaque censetur, quisquis hanc libertatem Spiritus abolere conatur. Obserua, opportunè dictum de Diuino spiritu humano imperio videri subiectum, cum *ad mensuram* cogitur, nè modò de nouo Scriptoribus cõmunicetur, sicut in diebus antiquis. Pergit verò Ansbertus; affirmans etiam omnipotentiæ Spiritus Sancti eâ ratione derogatum iri: ita concludens. *Si itaque præsens tempus hoc adimit, vt scribi non debeat, quod quisque benè intelligit, ergo (quod nefas est dicere) Spiritus Sanctus omnipotentiam amisit, qui varietati temporum subiacere cœpit, cum ei istis diebus uunc agere non licet, quod eum per sanctos Prædicatores in præcedentibus fecisse nullus fidelium dubitauit.* Hæc omnia Ansbertus. Quibus nonnulla ex Plinio iuniore, & ex Seneca illis valde consentanea iuuat adiungere: sic enim prior libr. 6. epist. *Miror antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio, neque enim quasi lassa est, effætaque natura, vt nihil iam laudabile pariat:* Seneca vero lib. 7. natural. quæstion. cap. 31. *Pusilla res mundus est, nisi in illo, quod quærat, omnis mũdus habeat. Nõ semel quædam sacra traduntur. Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura facta sua non semel tradit: Initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus. Illa arcana nõ promiscue, nec omnibus patent: reducta & in interiore sacrario clausa sunt: ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit, aspiciet:* Ita Seneca.

Plinius. *Seneca.*

Quæ præsenti instituto commodè, & facile aptaueris.

Nec alia Ruperto mens fuit, itidem ac Ansberto cum Pontifice Summo agenti in prætatione ad opus de processione Spiritus Sancti: vbi cum sibi obiecisset illud Diuini oraculi: *Nec vir, nec mulier quidquã vltra offerat in opere Sanctuarij.* Exod. 36. vers. 6. quasi is his verbis mysticus subesset sensus. Nihil iam vltra scribẽdum, sed cessandum ab scriptionibus de argumentis ab anterioribus Doctoribus pertractatis, obiectioni huic hunc in modum occurrit. *Non benè videntium, imò inuidentium est, tali similitudine vti vt dicant, sicut tunc offerebat populus plusquam necessarium fuit, ita nunc plures scribuntur libri, quã necessarium sit. Semper licuit, semperq; licebit vnicuique dicere, salua fide, quod sentit. Nolentem autem nostra nemo compellit.* Sic ille. Apud quem pende id, *Non benè videntiũ, immò inuidentium est tali similitudine vti,* Nam primum non benè vident, qui sapientiæ, & scriptioni, etsi eâdem de re terminum præfigunt: sapienter quippè dixit Augustinus libr. 1. *de Trinitate,* cap. 3. *Vtile est plures à pluribus fieri libros diuerso stylo etiã de quæstionibus iisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat: ad alios sic, ad alios sic:* ita August. & ab eo Paschasius in prologo super Matthæum inquiens: *Vnde videant quibus quæ offerimus, non fastidientibus si displiceant: propterea nos tacere non debuisse, cum Auctores Ecclesiarum sacrã in responsione, luce clarius demonstrauerint, vtile quidem esse plures à pluribus fieri libros diuerso quidem stylo, sed non diuersa fide, vt ad plurimos vna, eademque doctrina Sancti Spiritus promulgata perueniat ad alios sic, ad alios autem sic.* Ita Paschasius. Cui sensui aucto censu adstipulatur Seneca epist. 72. contendens, meliorem quidem eorum conditionẽ esse,

IV

Exo. 36. vers. 6.

Rupert.

August.

Paschas.

Seneca.

esse, qui ad scribendum posteriores accedunt: Etenim ipse cum occasione libri cuiusdam amici de monte Æthna, qui solennis poetis locus est, dixisset. *Quem quominus Ouidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius impleuerat. Nè seuerè quidem Cornelium verterque deterruit. Omnibus præterea feliciter hic locus se dedit, & qui præcesserant, nō præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse:* subiicit ad rem: *Sed multum interest, vtrum ad consumptam materiam, an ad subactam accedas. Crescit in dies, & inuentis inuenta non obstant. Præterea: conditio optima est vltimi: parata verba inuenit, quæ aliter instructa nouam faciem habent, nec illis manus iniicit, tanquam alienis, sunt enim publica. Iurisconsulti negant, quidquam publicum vsurpari.* Hactenus ille. Quâ etiam mente, quâ itidem locutione M. Tullius lib. *de optimo genere dicēdi*, exemplo Aristotelis eruditos ad scribendum exhortans, dixerat. *Nec verò Aristotelem in Philosophia deterruit â scribendo amplitudo Platonis.* Sed & S. Hieronymus in præfatione epist. ad Ephesios vtriquePhilosopho adhærens eodem dicendi modo inquit. *Numquid aut Tertullianus B. Martyrem Cypriantī, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit ab scribendo?* Sic ille.

M. Tullius.

Hieron.

V Deinde verò premeilla Ruperti verba: *immò inuidentium est, talisimilitudine vti*, quæ videlicet cessandum esse à nouis scriptionibus de argumentis iam tractatis monet, nè nouæ cogitationes, siue noui modi explicandi res difficiles in Ecclesiā inuehantur. Quod si inquiras, quod inuidiæ genus id fuerit? Nè inuidiosam responsionem adhibeam: dixerim cum Philippo Abbate: perinde sanè id esse, ac inuidere gloriæ Dei, dum eius laudibus, quæ necessariâ ratione ad diuinorum mysteriorum cognitionem consequuntur, terminos, & metas ponere contenditur: Sic enim Philippus lib. *de silentio Clericorum*, cap. 49. *Diuina Bonitas, cū nostris maioribus suam voluit gratiā impertire, eisque prompta aperire manu sciendi, & scribendi gratiam, sicut multos illis contemporaneos intra illud secretarium, non inclusit, sic ab illo sanctuario, non exclusit plures posteros futuros: immò tam posterius, quam anterius nonnullos ad hoc officium promouere voluit, etsi non omnes æqualem in scribendo gratiam merea tur obtinere. Benignus Deus, cum eā amplectitur, qui antecellit cæteros scientia, inferiorem quēlibet, quæ sua est misericordia, non repellit, sed diuersorum sicut verbo, & scripto laudari vult, cuius laudes à nullo eorum sufficienter explicari prævalent.* Pergit statim. *Qui autem inhibere vult ab scribendo studiosum quemlibet, quasi quemdam terminum vult diuinis laudibus adhibere, vt videlicet de eo non præsumat quispiam scribere, nisi cui datum fuerit, summa, & perfectâ scientiâ nitere.* Hæc Philippus.

A B C D E

Philip. Abb.

Hæc quidem omnia valde appositè aptaueris sanctissimæ Virginis Magisterio, quæ apud Salomonem, tum *doctrix disciplinæ*, Sapientiæ 8. vers. 4. tum etiam turris ędificata ad docendum dicitur: Cant. 4. vers. 4. nimirum vbi nos legimus: *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis*, in Hebræo habetur *ædificata est ad disciplinas*, siue *ad docendam*: vt quemadmodum paulò ante dixerat eo in loco sapientiæ Salomō. cap. 7. vers. 27. *Et cum sit vna, omnia potest, & in se permanēs omnia innouat: & per nationes in animas sanctas sē transfert: amicos Dei, & Prophetas constituit:* Quæ videlicet velut dispensatrix scientiæ, & sapientiæ Dei nouâ de die in diem luce diligentes se perfundat, vt ab ipsis melius, & opportunius Scripturæ sacræ verba intelligantur, ea præsertim,

VI

Cant. 4. vers. 4.

Sapi. 7. vers. 27 & c. 8. vers. 4.

tim, quæ ad ipsius immunitatem ab omni labe originali asserendam faciunt: opportunè elucidante Salomonem Richardo à S. Laurentio libro 12. *de laudibus B. Mariæ*, hunc in modum. *Gratiam largitur maximè diligentibus se, quâ Scriptura sacra de die in diem melius intelligatur & pertrahentibus pluribus multiplicatur scientia, ipsa etenim reuelat profunda de tenebris: & cum sit doctrix disciplinæ amicos Dei, & Prophetas, id est sapientes constituit.* Sic Richardus. Vides, vt à Mariæ institutione, & doctrina multiplicetur scientia? & profunditas immaculatæ Conceptionis eius de tenebris reueletur? & Scriptura sacra quotidie melius intelligatur?

Richar. à S. La.

Eiusdem argumenti de antiquitate, & nouitate Opinionis piæ, vbi singillatim expenduntur verba Psalm. 118. versic. 99. & 100.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est, super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui.

ADNOTATIO IV.

I *Ps. 118. vers. 99. & 100.*

CRediderim opinionis piæ asseclas bono iure fidēter vsurpare posse hæc Psalmi verba absolutè pronunciantis: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui:* Sed enim vt videris, quam opportunè ipsi Auctoribus opinionis minus piæ oppositi ea sibi aptauerint; commentarium Ambrosij, & Eusebij adire operæ pretium fuerit. Primò siquidem Ambrosius scitè perquirit, quo modo modestissimus Dauid intra humilitatis, & modestiæ metas dicere potuerit, se super omnes docentes, & super homines ætate prouectiores intelligere? *Videtur inconueniens esse* (inquit) *verecundiæ prophetali huiusmodi vsurpatio, eò quod præsumpserit dicere, quod super omnes docentes intellexerit, cū vel Moyses legem acceperit, & populo eius instituta tradiderit, Aaron sacrificiorum omnium decurso ritu sacerdotalem docuerit disciplinam. Iesus Naue significauerit, quemadmodum circumcisio possit iterari. Samuel vnctionis propheticæ, pariter ac regiæ sacramenta monstrauerit?* Auget verò difficultatem Eusebius opponens Vati verba Christi Domini apud Matthæum cap. 10. vers. 24. *Non est discipulus super Magistrum*, nè ille posset sese docentibus anteferre: Respondet verò Ambrosius. Vera quidem ea omnia esse, verum Dauidem non sibi, sed Dei Magisterio, quo ipse imbuebatur deferre excellentiam. Audi: *Videretur (inquam) incongrua præsumptio, nisi præmisisset superiora, quibus nō immerito super docentes intellexisse se comprobaret. Debuit hanc assumere confidentiam, qui docebatur â Domino, & mandatum, quo docebatur, Domini erat, & ipse Dominus, qui docebat*: Vndè concludit Ambrosius: *Merito super omnes intellexit, quem docebat ipsa sapientia, vndè & alibi ait.* Beatus, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eū Psalm. 93. Hactenus Ambrosius firmans ea, quæ præced. adnotat. PP. monebant, nunquam esse abbreuiatam manum Domini, quin nouos sibi discipulos indesinenter faciat, qui ab ipso de lege suâ edocti, & eruditi super docentes se intelligant: nam merito super omnes intellexit,

Ambr.

Matth. 10. v. 24

xit, quem docebat ipsa sapientia.

II Confirmat magnopere sensum hunc Pauli sententia ex præclara S.
1. Co. 14 Cypriani expositione 1. ad Corin-
vers. 29. th. 14. versic. 29. dicentis: *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Quo in loco duo obserua: alterum ex Am-
Ambr. brosio affirmante his verbis Apostolum alluisse ad morem in Synagogis circa subsellia obseruatũ: ait enim. *Hæc traditio Synagogæ est, quam vult Paulus nos sectari, vt seniores dignitate disputent sedentes in cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento supra mattas, quibus si reuelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec despiciẽdos, quia membra corporis sunt.* Ita ille: Alte-
Cornel. rum ex P. Cornelio, circa notionem & significationem Prophetiæ sapiẽter adnotante, duas ipsi partes subesse vnam, quæ præsensio quædam est, ac prædictio futurorum, aut etiam quorumuis reconditorum: alteram, & quidem principaliorem, ac diuiniorem, quæ de Deo, deque pietate, & virtutibus dexterius, & diuinius ex Spiritus Sancti aspiratione differit, vndè infert Prophetas non solum vocari, qui futura, vel arcana instinctu Spiritus Sancti proloquuntur, sed etiam Doctores, qui eiusdem Spiritus Sancti instinctu docent, & exhortantur ad pietatem. Ex quibus videris sensum Pauli esse, posse aliquando in rebus diuinis edisserendis melius aliquid sedenti in pauimento, quam sedenti in cathedrâ reuelari, planè, vt possit dicere *super omnes docentes me intellexi*, ita hæc capiente, & elucidãte Cypriano epistol 71. vbi cum citasset hunc Pauli locum subiungit.
Ciprian. *Quà in parte docuit, & ostẽdit multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque, non pro eo, quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi sed si quid melius, & vtilius extiterit libenter amplecti.* Reddit pulchram rationem. *Non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur.* Ita Cyprianus. Benè ergo, & modestè de se pronunciauit Vates, super docentes, & super senes intelligere, qui Deum Magistrum, & Doctorem habebat.

III Nec minus opportuna, sed expe-
Euseb. ditissima quidem hæc Eusebij respõsio est, non incongruè Dauidẽ affirmare se superdocentes, & super senes intelligere, qui diuina mandata *exquirebat*, non perfunctorie, aut negligenter in illa incumbens, sed potius omne studium, & diligentiã impendens, & accuratam, ac sedulam operam nauans in quotidiana diuinæ legis meditatione sese exercens. Cur namque talis discipulus Magistro non sit sapientior, si illo diligentiorem, & solertiorem se præbet? Sed Eusebium accipe, post allata verba Domini. *Non est discipulus super magistrum*, sic dicentem: *Dicendum est hoc dictum à Saluatore, cum priùs distinxisset, ac dixisset.* Nè vocetis magistrum super terram: vnus est enim vester Magister, qui est in cœlis. *Illius igitur Magistri comparatione non est discipulus præstantior. Qui verò hoc loco multi significantur longè alij sunt, quibus sæpenumero discipulus est præstantior ex multa, & assidua erga Dei sermones exercitatione.* Hæc Eusebius, quæ non placet plus expẽdere. Sed illis adiungere, quod præfato loco dicebat Paschasius.
Paschas. *& Philosophus sæculi tale aliquid post priorum studia ratione vigente probatur concessum, quorum Doctores, quanto iuniores fuere, tanto vtique perspicaciores.* Si inquiras, quare? promptum est respondere ex Se-
Seneca. neca. *Multum interest, vtrum ad consumptam materiam, an ad subactam accedas. Crescit in dies, & inuentis inuenta non obstant. Præterea*

condi-

conditio optima est vltimi, parata verba inuenit, quæ aliter instructa nouã factem habent. Quæ omnia appositè præstrinxeris, si ad ea explicanda vius fueris imagine nani, siue pumilionis, qui quantumuis breui corpore paululum supra terram extet super gigantis tamen humeros impositus, plus illo videt, & res è longinquo positas melius cognoscit. Quo
M. Tullius. plane sensu dixit M. Tullius *Tusculana prima* in principio. *Sed meum iudicium fuit, omnia nostros, aut inuenire per se sapientius, quam Græcos, aut accepta ab illis feciße meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.* Ita ille. Nec omi B lerim hic laudare iudicium Horatij hâc ferme de re sic affirmantis.

Horat.
Si veteres ita miratur, laudatque poetas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet: errat,
Si quædam nimis antiquè, si pleraq; durè
Dicere credat eos ignauè multa, fatetur. C
Et sapit, & mecum facit, & Ioue iudicat æquo.

Quæ non importunè aptaueris veteribus, siue senibus, super quos inquit Vates se intelligere, præsertim ijs, qui immunitati Mariæ infensi sunt, quod quædam nimis antiquè, pleraque durè, ignanè multa dixisse non dubitamus. Nec fuerit quidẽ id mirandum: nam de magnis inge, nijs illud dici pareſt, quod & de magnis venatoribus, qui sæpè, quod multa sectentur, quædam aut negligentius insequuntur, aut non omnino assequuntur.

IV Sed alteram Ambrosij responsionem, quam præfatæ dubitationi adhibet: non fuerit iniucundum audire: distinguit enim inter docentem, & Doctorem, quasi Doctor, vt doctior aliorum sit iudicio approbatus, docens vero is sit, qui se ipsum docendi muneri ingerit: Audi. *Deinique ante nos quidam interesse dixit inter docentes, atque Doctores: fortasse hoc arbitratus, quia Doctores sunt alieno iudicio ad hoc munus electi: docentes autem, qui propriâ vsurpatione hoc sibi munus assumserint:* ita Ambrosius. Quod verò ipse ex aliorum sensu esse dixit: ex proprio ita immediatè firmauerat: *Moralis quoque suauis locus est, quod multi docentes sunt, qui id quod non intelligunt, docere se dicunt, & plurimi sunt discipuli, qui studio suo assequuntur, & industria, quod non didicerunt à Magistris.* Obserua illa: *Qui id quod non intelligunt, docere se dicunt,* & ijs adde: tametsi nonnulli intelligant; quod docent, a deo tamen impolitè, & inornatè sensus suos exprimere, vt ipsis merito accommodaueris quod præfato loco inquit Tullius. *Fieri autem potest, vt rectè quis sentiat, & id quod sentit, polite eloqui non possit, sed mandare quemquã litteris cogitationes suas, qui eas, nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliquâ allicere lectorẽ, hominis est intẽperãter abutẽtis, & otio, & literis,* vndè infert. *Itaque suos libros ipsi legũt cũ suis, nec quisquã attingit præter eos, qui eãdẽ licẽtiã scribẽdi, sibi permittũt.* Sic Cicero. Benè ergo Dauid ait, super docẽtes hos intelligere, qui propriè, & exactè loquẽdo DD. nõ sint, sed vel aliorũ assecłæ, vel qui hoc sibi munus immerito assumpserint: A quo nõ longius iuisse Senecã dixeris cũ ep. 33. *Seneca.* Lucillum sic monebat. *Aliquid de tuo profer: omnes istos nũquã auctores, sẽper interpretes sub alienâ vmbrâ latẽtes nihil puto habere generosi, nũquã ausos aliquando facere, quod diù didicerãt. Memoriã in alienis exercuerũt: aliud est meminisse, aliud est scire: meminisse est, rem commissã memoriæ custodire: at contra scire est, & sua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad magistrum respicere.* Hoc dixit Zeno:

Ambr.

M. Tullius.

hoc Cleanthes. Aliquid interſit inter te, & librum, quouſque diſces, iam & præcipe: Hæc Seneca: Quo ergo iure iſti docentes, qui nunquã auctores, ſemper interpretes ſunt queri de Dauide poſsint, quod ſuper ipſos intelligere pronunciet? Cur itidem cauſſentur? quod aliquando extra metas doctrinæ ab ipſis imbibitæ per ſapientiæ campos alij Auctores, qui verè Auctores ſunt, velint diſcurrere? Vndè ſtatim inibi Seneca: *Præterea* (inquit) *qui alium ſequitur, nihil inuenit: immo nec quærit. Quid ergo? Non ibo per priorum veſtigia? ego verò vtar via veteri, ſed ſi propriorem planioremque inuenero, hanc muniam*, & ſtatim. *Qui ante nos iſta mouerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt.*

V Ergo vt ad rem loquamur, qui Mariam immaculatè conceptam tã ſtudioſè, & accuratè profitemur, qui ſcientiam in Deo conditionatã ponimus, qui auxilia congrua ad operandum, à Deo hominibus impertiri affirmamus, quin phyſicâ prædeterminatione opus ſit, viâ veteri vtimur, ſed quam nouâ inueſtigatione, accurato ſtudio, ac labore propiorem, planioremque facimus, atquè munimus: omninò perſuaſi eos, qui ante nos quæſtiones iſtas mouerũt, non dominos, quibus obtemperare, ſed duces fuiſſe quorum veſtigiis inhærere debeamus, eo plane modo, quem pergit Seneca oſtendere ſubijciens: *Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, multum exillâ etiam futuris relictum eſt.* Ita Seneca ibi, quę epiſt. 64. copioſius ita diffundit. *Veneror inuenta ſapientiæ inuentoreſque: adire tanquam multorũ hæreditatem iuuat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum patrem familias: faciamus ampliora, quæ accepimus. Maior iſta hæreditas à me ad poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis:* Sic ille pulchrâ quidem hæreditatis acquiſitæ imagine vſus, quam bonus pater familias ampliorem, & locupletiorem aucto cenſu reddere tenetur. Vide verò vt extremis illis Senecæ verbis. Multum adhuc reſtat operis hæſerit Baldus ille Iureconſultiſsimus Decret. numer. 12. vbi cum ſibi ſcribenti obiecisſet: *Dicet aliquis, ad quid loqueris? cum tot ſcripſerint, & mundum illuminauerint?* Reſpondet. *Adhuc multum reſtat operis, multumque reſtabit, quia inuentis inuenta non obſtant.*

VI Ita quidem bonum patrem familias agebat Chriſtus Dominus cum legem hæreditate à populo acceptam implebat, illam ad perfectionem adducens: apud Matthæum 5. verſicul. 21. inquiens: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quam Scribarum, & Phariſæorum, &c.* & eodem cap. verſic. 43. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, &c.* Siue quia re apſe legem ipſam veterẽ correxit adiunctis ijs, quæ ad perfectionem Euangelicam deſiderabantur: non quod lex in ſuo genere perfecta nõ fuerit, ſed quod minus perfecta, quã Euangelium: fuit ſiquidem lex pædagogus Iudæis, tanquam pueris ruditer erudiendis adhibitus, donec melior Magiſter Chriſtus firmioribus iam ingenijs meliora proponeret, hiſmet verbis id adnotãte Maldonato, & pro hoc ſenſu afferẽte Irenæũ, Tertull. Clem. Alex. Hilariũ Epiphan. Baſil. Chryſoſt. Hieron. Ambroſ. & alios, ſiue quia ipſam Dominus rectè, & legitime explicauit vẽdicans verũ eius ſenſũ à ſiniſtris Phariſæorũ interpretationibus: Qua planè ratione ab illis nouitatis inſimulabatur: vt multo ante prædixerat Dauid Pſal. 21. v. 17. illis verbis: *Circũdederũt me canes multi: cõciliũ malignãtiũ obſedit me:* ineſt quippe hoc acumen canis imagini, vt inibi

Matth. 5. *ver.* 21 *&* 43.

Seneca.

Mald.

Pſal. 21 *verſ.* 17.

obſer-

obſeruauit Caſsiodorus, nec non Chryſoſt.hom.8. *in Pſalmos*, quod canis, vt domeſticis blanditur, ita ignotos ſibi latratibus inſequitur, atque eo modo Iudæi noua de dilectione doctrinæ Chriſti oblatrarẽt: ita enim inquit Caſsiodorus: *Cantũ natura talis eſt, vt nouis hominibus nullatenus acquieſcant, ſed importunis, atque aſsiduis latratibus arceãt, quos notitiâ domeſticæ conuerſationis ignorant. His ergo Iudæi iuſtiſsimè comparantur, qui nouam doctrinam Domini minimè recipientes, cõtra eum ferociſsimis vocibus oblatrabant. Doctrina verò noua eſt.* Mãdatum nouum do vobis. Hæc Caſsiodorus. *Caſsiod.*

VII *Seneca.* Vt verò opportuniſsimè concludamus, denuo audiendus eſt Seneca præfata epiſt.33. eandem doctrinam ſic inculcans: *Adijce nunc, quod iſti qui nunquam tutelæ ſuæ fiunt, primum in ea re ſequũtur priores, in quâ nemo nõ à priore deſciuit: deinde in eâ re ſequuntur, quæ adhuc quæritur: nunquam autem inuenietur, ſi contenti fuerimus inuentis:* Vbi obſerua illa. *In eâ re ſequuntur priores, in quâ nemo non à priore deſciuit.* Quæ non omnino abs re aptaueris prioribus Doctoribus opinionis minus piæ: Quod ſi inter illos numeraueris Angelicum Doctorem (quem nos pro ſummâ in ipſum reuerentiâ; & pro cœleſtis luminis magnitudine, quo illum intime perfuſum nouimus, extra eum numerum poni mus ſecuti acre, & ſincerum iudiciũ D. Domini Antonij Calderon nũquam pro meritis laudati in ſuo *Aſſertore Dominicano* propediem edẽdo) quemadmodum eius aſſeclæ cõſtanter affirmant: animoſe dicemus eum illos in eâ re ſequi: *In quâ nemo non ab ipſo deſciuit*: nam præterquam quod omnes huius æui Scriptores, quotquot illi ſunt, ab ipſo diſcedunt, nec non cuncti noſtræ Societatis Magiſtri, cum alias ex præſcripto teneamur Angelici præceptoris doctrinæ inhærere (quod & nos quidem non inuiti, ſed libentes præſtamus) hâc in re ab ipſo deſciſcere (vt ab auctoribus opinionis minus piæ intelligitur) à noſtris maioribus ſeriò monemur: plurimi ex ipſismet Dominicanis Patribus ab ipſo deſciſcunt: vt libro ſeq. teſtibus ſignatis probabimus.

A

Opinio pia contrariæ præcellit, quod Maria in poſſeſsione immunitatis à labe originali ſit.

B

ADNOTATIO V.

C I AM ijs quæ hactenus diximus illud fuerit addẽdum pro præſtantia opinionis piæ, quod ſuperius adductus Doctor Segouienſis adiungebat. *Quod tam abunde verbo, & ſcriptis defenſio huius materiæ facta eſt, cauſſa extitit defenſionis fidelis populi, &c. item honoris Virginei: nam cum in poſſeſsione huius laudis fuerit, à millefere annis, tuenda eſt in poſſeſsione ſuâ â cunctis fidelibus.* Optima quidem propoſitio, & neceſſaria argumentatio, legitimũque pro poſſeſſore iudicium: cum *in re dubia* (nec fuerit nobis pia opinio dubia) *melior ſit conditio poſſidentis.* Enim verò, vt ad acuta veniamus, & rem intra artis regulas includamus: non vnus tantum poſſidendi modus, ſiue poſſeſsio, ſed duplex à Iure Conſultis eſſe dicitur: alteram enim poſſeſsionem iuris: alteram facti aſsignant; vtraque verò Deiparam gaudere, ſiue vtrãque ad Deiparam pertinere, haud difficile fuerit euincere. Porrò poſſeſsio iuris à Bartulo, & eius aſſeclis *in lege* I *Doctor Segouienſis.* *Bartulo*

D

E

prima, D. de acquirenda, vel amittenda possessione, diffinitur: *Ius insistendi alicui rei, tanquam suæ nõ prohibitæ possideri.* Cuius diffinitionis singulas particulas Iurisperiti singillatim explicantes: ius insistendi rei, sic capiunt, vt possessor rẽ pacificè retinere possit, tam iuris remedijs, quam armatâ manu, si ea opus sit, eam aduersus perturbatores tutando: Deinde, dum iuri insistendi rei addunt, *tanquam suæ*, omninò volunt, eam rem ad possessorem, non vtcumque, sed iusta de caussa, & bono titulo pertinere. Quod plusplus explicant subijcientes, *non prohibitæ possideri*: quod iure reclamante nemo valeat in rem aliquam ius acquirere. Possessio vero facti est *detentio rei corporis, & animi, & iuris adminiculo*, vt ex *Sylaest.* Hostiensi docet Syluester verbo, *Dominium*, 2. Et quidem detentionis nomine comprehenditur apprehensio prima, quæ possessionis inceptio, & acquisitio est: corporis verò, & animi adminicula eo referuntur, vt res, quæ incipitur possideri, aliquo modo corporaliter siue pedibus, siue manibus, siue oculis à possidente comprehendatur animo possidendi sibi, quod depositarius, non facit, sed & iuris etiam adminiculum desideratur, vt detentio rei iusta omninò sit. Hæc sic digesta hausimus (placet enim indicare per quos profecimus) ex egregio Scriptore, & Deiparæ mirificè studioso *P. Viuero.* P. Petro de Biuero nostræ Societatis *lib. de sacris priuilegijs, ac festis Magnæ filiæ, sponsæ, & Matris Dei*, differt. 1. n. 19.

II Ecce ergo tibi MARIAM, & iuris, & facti possessione immunitatem ab omni labe originali legitimè retinentem, quæ *ius habet insistendi* omnimodæ puritati, & immaculatæ Conceptioni, *tanquam suæ*. Quomodo enim hæc immunitas, & puritas non sit sua, cum Dei Mater ipsa sit? quomodo non sit sua, cum Summi Patris Filia sit? quomodo non sit sua, cum Diuini Spiritus Sponsa sit? quomodo non sit sua: cum rerum omnium Domina, & hominum, & Angelorum Regina sit? quomodo non sit sua, cum ipsa ab Angelo *gratiâ plena* dicatur? quomodo non sit sua, cum ipsa cum Adamo nullum commercium habuerit? Nec lex ipsi posita, aut pactum cum eo initum ad ipsam spectauerit? Cui quidem iuri MARIÆ omnia iura annuunt, applaudunt, fauent, Romanis Pontificibus adeo non prohibentibus à Deipara immunitatem ab omni labe possideri, vt ipsi potius sacris diplomatibus possessionem hanc tueantur, & communiant, atque spiritualibus Ecclesiæ armis eam aduersus perturbatores indesinenter propugnẽt: eodemque modo Concilium Tridentinum Deiparam in suâ possessione defendat Sessione 5. præterbens. *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, in quo de peccato originali agitur Beatam, & Immaculatam Virginem MARIAM Deigenitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.* *Concil. Trident.* Itidemque pro eâdem MARIÆ possessione Patres, Doctores, Scriptores, cunctæque Ecclesiæ, & vniuersi Orbis Christiani populi multo acrius, & ardentius, quam pro Helena Troiani decertent: simulque eam Christiani Reges armata penè manu, tutentur, & sartam tectamque esse velint: Et vt id quidem ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis firmatum habeamus, vt rem tamen extra omnem contentionem, & litem ponamus, inficiari profecto nemo poterit, à trecẽtis ad minus annis, quibus

cultus

cultus Immaculatæ Conceptionis, maximè floruit, opinionem piam in Hispania, Italia, Gallia, Germania, & alijs orbis partibus apud Ecclesias Episcopos, & Scriptores possessionem pacificam omnium consensu retinere, præsertim verò in Vrbe & Curia Romanâ, à qua in iura, consuetudines, & Ecclesiastici ritus dimanāt, sic testāte Ioanne de Baccone Carmelitarum Prouinciali, & doctissimo Theologo, qui floruit tempore Clementis VI. Pontificis, & obijsse dicitur anno 1346. vt scribit Cardin. Bellarmin. in Scriptoribus Ecclesiasticis. *Publicâ, & diuturnâ consuetudine celebratum est hoc festum* (Purissimæ Conceptionis) *in Curia Romana etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium cum solēni Missa, & sermone singulis annis in domo fratrū Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo, & hæc durauerunt tempore multorum Romanorum Pontificum vsque ad præsens tempus. Et constat, quod tanquam diuturnam, & notoriam solemnizationem ipsis in Curia præsentibus seruatam benè nouerant Domini nostri Summi Pontifices, & sedes Apostolica, & per consequens hæc est sancta, & Catholica Religio.* Hæc Ioannes de Baccone in 4. sententiarum distinct. 2. quæstion. 4. articul. 3. Apud quem expende illa verba. *Publicâ, & diuturnâ consuetudine celebratum est hoc festum*, ex ijs opportunissimis huic rei Tertulliani libr. *de Corona militis*, cap. 3. *Quādiu per hanc lineam seram reciprocabimus habentes conuersationem inuecteratam, quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla Scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ de traditione manauit. Quo modo enim vsurpari, quid potest, si traditum prius non est?* Pulchrè.

III Hæc cum animo voluo, & perpendo statim venit in mentem epistola S. Petri Chrysologi ad Eutycen Presbyterum, quæ habetur ad calcem epistolarum S. Leonis Papæ, & inserenda præscribitur ante epistolam XI. Leonis. *Tristis legi tristes litteras tuas, & scripta mæsta mærore debito percurri. Quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis audire facit gaudium cœleste: ita nos affligit, & deijcit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones, & Christi generatio, quæ diuina lege scribitur inenarrabilis post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur. Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quo modo Nestorius lapsus est disputans de naturis, non latet prudētiam tuam. Magi Iesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitētur, & Sacerdotes, qui sit, qui virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt. Cum vagitum daret IESVS in cunis, gloriam in excelsis Deo cœlestis clamat exercitus. Et modo quandò in nomine eius omne genuflectitur cœlestiū terrestrium, & infernorum originis eius quæstio mouetur?* vt ex ipsa primum vsurpem dolenter argumentationem illam. *Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones, &c.* cum videam trecentis ad minus annis possidente Maria immunitatis suæ opinionem, non omninò ademptam fuisse humanam eâ de re quęstionem cœlestibus copijs pro ipsa militantibus: Deinde verò vt Matri aptauero, quæ de Filio inquit Chrysologus: *Modo quandò in nomine eius omne genuflectitur cœlestium terrestrium, & infernorū originis eius quæstio mouetur?* Nimirum in Mariæ nomine, & in purissimæ Conceptionis obsequio omne iam genu flectitur: quin ab eius cultu se se quisquam velit, aut valeat subtrahere, quid ergo ori-

Baccone. *Tertull.* *Chrysol.*

ginis eius quæstio iam moueatur? Quì de tam quietâ,& pacifica possessione lis ventilari, aut moueri, quæstio possit, quæ possidenti ingrata non fuerit? Opportunè huic rationi aiebat Clemens Alexandr. lib.7.stromatum. *Quomodo qui vexant possessiones,dominos iniuriâ afficiunt,& qui milites,eorum imperatorem:ita Domini est contemptio,eorum qui sunt illi dedicati, vexatio:* Credo equidem,nec vana fides,hâc inter alias de caussa Sanctissimos Pontifices Paulum V.& Gregorium XV. contrariæ opinionis sectatoribus silentium sub anathemate indixisse, vt Mariæ possessionem plusplus tuerentur,vt quandò in nomine ipsius omne genuflectitur,dubiæ originis eius quæstio iam non moueatur.

Clem. Alex.

IV

Sed hoc subinde firmissimũ pro possessione immunitatis Deiparæ argumentum,murusque ahæneus esto;Festum quod Catholica vniuersalis Ecclesia de eius Conceptione die octauo Decembris solemniter celebrat:omnibus omninò particularibus Ecclesijs,Episcopis,Clero, & omni populo Christiano in illud consentientibus,concurrentibus,& coniurantibus,monente simili de re Augustino lib.*contra Cresconiũ Grãmaticum*,cap.33. *Quamuis huius rei certum de Scripturis canonicis nõ proferatur exemplum,earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus,quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ,quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Sic August. vt ex illo ipsasmet Diuinas Scripturas pro hâc possessione stare etiam dixeris:*Cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ:* Quod quidem argumẽtum acrius ipsemet Augustinus intorquet epist.118.inquiens.*Si quod horum per orbem frequentat Ecclesia,quin ita faciendum sit,disputare,insolentissimæ insaniæ est.* Hæc ille: Et verò cum de festo Conceptionis,quod per orbem frequentat Ecclesia, nullus omnino disputet,quin ita faciendum sit:manifestè apparet,obseruationem inueteratâ(vt dicebat Tertullianus) præueniendo,statum fuisse in quo Deipara pacificam immunitatis iuę possessionem habere dicatur.

Augus.

V

Quæ hucusque diximus pro possessione facti immunitatis Deiparæ faciunt:sed vt ad iuris possessionem denuo reuertamur : audi Mariam caussam suam perorantem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio.* Prouerb.8. vers.22. Deũ enim Mariam abinitio possedisse, perinde quidem est,ac Mariam ab initio possessionem immunitatis ab omni labe originaria adeptam fuisse:verum vt locus hic, qui pro hâc thesi frequens,& vulgatissimus est, peculiari aliqua luce perfundatur: & caussa possessionis forensi stylo pertractetur:pone obsecro,siue cõtestare litem inter naturam,& gratiam:siue inter Adamum terrestrẽ, & Adamum cœlestem: vter eorum primam Mariæ possessionem sit aucupaturus:eam sibi Adamo, & humana natura vindicantibus, quod fœmina sit ab humanis parentibus communi generationis via exorta. Contra vero Dei Filio contendente,ius sibi esse insistendi Mariæ,tanquam suæ,qui ipsam sibi in Matrem præparauerat. Enim vero Adami ius ex communi lege originis,& ingressus peccati ad speciem adornatur.Etenim cum Iulianus (apud S. Thomam in cap.5.epist.ad Romanus) contra doctrinam fidei,& Cõciliorum de peccato originali, sic argumentaretur: *Non peccat iste, qui nascitur:non peccat iste, qui genuit:non peccat ille,qui condidit;per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum figit ingressum?* Augustinus ibi ita ei obuiam iuit. *Quid quæris,ò Iuliane,latentem rimam?*

Prou.8. vers.22.

Augus.

m am? Cum habeas apertissimam ianuam. Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum: vt diceret quod est in Prouerbio. *Cur patente viâ quæris semitam?* Quoniam verò Iulianus de cardine in quo hæc porta vertitur, adhuc ambigebat, & viam per quam originale peccatum venit, quæritabat, pergit indidem S. Thomas id explicare, subdens. *Sicut peccatum actuale, quod est peccatum personæ trahitur ad singula mẽbra per aliquem actum personalem, ita peccatũ originale trahitur ad singulos homines per actum naturæ, qui est generatio*: En via, en porta, porta per quam intrat in singulos homines peccatum: nempè humana generatio, ergo dixerit Adamus, ea ratione Marię possessionem ad se pertinere, quæ ex patre Ioachimo, & matre Anna genita est.

S. Thom

VI Sed inuicta stat Mariæ ratio: & inuiolabile hoc ius, quod vitiatę ab Adamo naturæ ius infringat. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, si aduertis duo: alterum verbũ *possidendi*, ex vsu Scripturæ ad liberorum susceptionem siue procreationem referri, sic enim dicitur Genes. 4. vers. 1. de Eua concipiente, & pariente Cain. *Quæ concepit, & peperit Cain dicens. Possedi hominem per Deum.* Vndè hæc verba Sapientiæ, quæ in manibus habemus, in primario sensu ad æternam Filij Dei generationem sic retulit Hieronymus in epist. ad Cyprianum: *Possessio significat, quod semper in Patre Filius, & Pater in Filio fuerit.* Alterũ proverbo *possedit*: LXX. legere. *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua*: vbi Marię ortus, siue Conceptio, signatè creatio, non verò generatio dicitur: vt argumento fuerit, ipsam etsi verè, & reapse ex Adamo genita, & procreata per veram generationem fuerit: at tamen quod attinet ad noxium influxum, & ianuam peccati, & mortis, per quam quotquot vitalem habitũ accipiunt, ingrediuntur, perinde se habuisse; ac si non genita, sed creata, & ex nihilo facta fuisset: quippè quæ post pactum, cum Adamo initum, legemque violatam, fieri, & creari decreta fuerit: vt in superioribus vidimus, ac proinde non potuerit illi noxium Adami caput, aut legis transgressio officere. Sub quo tenu in priori libro obseruauimus Christi generationem à Maria notãter ab Euangelistis describi, dum Matthæus ducta linea ab Abraham descendit vsque ad Ioseph *virũ Mariæ*: parentibus Virginis silentio pressis, quasi nullum ipsa ab eis originem habuerit: Lucas verò, qui generationem Christi ab ipsa Maria auspicatus est, nec parentum eius meminit, vt eorum genealogiá vsque ad Adamum duxerit, nec vsque ad Adamum vtcumque, sed vsque ad Adamum prout à Deo primũ creatus est. sic enim inquit. *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, Lucæ 3. vers. 38. vt dixerit, qui fuit Adam non post pactum, legemque violatam, sed illius Adam. *Qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, ad Ephes. 4. vers. 24. A qua obseruatione non iuit Leo Pontifex in epist. Decretali ad Pulcheriam Augustam inquiens. *Dicit enim Matthæus.* Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: *Et ita humanæ originis ordinem sequitur, vt generationum lineas, vsque ad Ioseph, cui Mater Domini erat desponsata deducat. Lucas verò retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem rediit, vt Adam primum, & Adam nouissimum eiusdem ostenderet esse naturæ*: ita ille. Obserua *eiusdem esse naturæ*, Sed naturæ quidem integræ, recenter à Deo formatæ; nulla maculæ fœditate corruptæ: *eiusdem naturæ*, Adami iusti innocẽtis, & recti, qui præceptum sibi impo-

Gene. 4. vers. 1.

Hieron.

Ephes. 4 vers. 24.

Leo Põt.

situm non fuerat transgressus. Vbi iam vides, quam stricto iure Mariæ possessio ad Adam nouissimum, & ad eius gratiam omninò pertineat: dum ipsa aliter quidem, quàm cæteri mortales, non per vitiatæ generationis ianuam, sed per gratiã, quasi ex nihilo creata fuisset in vitam ingrediens à Deo sic possessa est, vt & ipsa Dominum etiam per immunitatem ab omni labe possedisse dicatur: ad eum modum, quo de æterna Filij ex Patre natiuitate dicebat Hieron. *Possessio significat quod semper in Patre Filius, & Pater in Filio fuerit:* & semper in Maria Dominus, & Maria in Domino semper fuerit.

VII *D. Franciſc. de la Cueba.*

Et verò quoniam hic de possessione tractatus omninò forensis est, operæ pretium quidem fuerit, hic eorum signatè comminisci, quæ pro hâc Deiparæ possessione firmanda scripsit dissertissimus Iure Consultus D. Franciscus de la Cueua & Sylua in Regijs Conuentibus Aduocatus *in informatione pro purissima Mariæ Conceptione iuxta iuris diuini, & humani leges facta*, quam typis mandauit Matriti, & ipse corã tota Curia miro omnium plausu recitauit, vbi inter alia acutissimè excogitata aduocans præfata verba Salomonis sub Deiparæ persona, *Dominus possedit me in initio viarũ suarum*, expendit ipsum subiecisse: *antequam quidquam faceret â principio*, vt videlicet Deus ante pactum cum Adamo initum, & transgressionem legis Mariam dicatur possedisse: vnde cursus vim facit in tempore quo hæc possessio enunciatur: dum non dicitur: *Dominus* possidet me, sed *possedit me*: vt ideo *tanquam antiquissimus, & æternus possessor semper censeatur idem dominium, & irretractabilem apprehensionem retinuisse.* Inquam rem præter alia hæc verba Hectoris Æmilij de iure fœudali c. 12. n. 32. nostro instituto per

Hector Æmilius.

A opportuna adducit: *Et quatenus antiquissimũ instrumẽtũ dicebat, quod Dominus possedit eiusmodi castrũ, cũ verba significatiua siue plenæ possessionis: nõ tãtũ hæc plenitudo superiora tẽpora cõplectitur, sed ad præsẽs, & futurũ cõtinuata iudicatur: hoc enim prouenit à natura dominij semel radicati: prouenitebat etiã in his terminis à magnitudine possessoris, & subiacentis rei, cuius pudorem attingebat, tam opulentum, & singulare castrũ, numquam deseruisse:* Hæc ibi: quæ nõ tãtum à sensu sed ab ipso sono Deiparæ aptauero: dicente de Domino Euangelista: *Intrauit IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens circa pedes Domini audiebat verbum eius.* Lucæ 10. vers. 38. nimirum dum illud Castellũ in quod intrauit Dominus ad MARIAM frequenter refertur. Bernardus elegantissime per omnia ei sic aptauit, vt Dominus possidens eiusmodi castrum verbis plenam possessionem significantibus faciat: sic enim ipse serm. 2 de Assumptione præfata Lucæ verba discutit. *Felix mulier, cuius domus Saluatore suscepto inuenta est munda quidem, sed plane nõ vacua*, & statim, *sed forte curiosius quisquã requirat, cur in præsenti Euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat? Arbitror sanè, nè id quidem â proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitẽtiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in eâ proinde scopa Lazari quæreretur.* Hęc Bernardus: mirè adstruens possessionem Domini in hoc Mariæ castrũ in initio viarum suarum, quin aliquando aduersarius possessor illud occupauerit.

Luc. 10. vers. 38.

Bernar.

IHS

LIBER IV.

DE

B. MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

PROOEMIVM.

FIRMAMVS itidem hoc libro opinionem piam de MARIÆ immunitate, neque indotatam, neque incomitatam, neque incomptam esse; quam videlicet auctoritate Apostolicę traditionis, Romanæ Ecclesiæ, Concilij Tridentini, Ecclesiæ Græcæ, Summorum Pontificum, omnium Ecclesiarum, Episcoporum, & Academiarum totius Orbis Christiani, cunctorum sacrorum Ordinum, Maximorum Imperatorum, potentissimorum Regum, Principum, ac Dynastarum, Christianorum Regnorum, subnixam manifestè ostendimus: vt iam nihil ipsa siue ornatius, & comptius, siue locupletiore dote eminentius; siue tandem ab inclytorum assectarum comitatu illustrius, aut esse, aut excogitari queat.

IHS

DISSERTATIO I.

DE AVCTORITATE, QVÆ Opinioni piæ ab Apostolorum doctrina accedit.

OPINIO PIA DE MARIÆ IMMVNITATE Apostolos Dei primos Authores, & Doctores habuit.

ADNOTATIO I.

I

Idiota.

S. Ephr.

Lucæ 4. vers. 19.

A

B

C

MERITO quidem sanctissima Deipara, vt à sapiente illo Idiota, *Magistra, & illuminatrix Apostolorum dicitur*, ita à S. Ephrem sermone de sanctissima Deipara, *præconium Apostolorum prædicatur*, quod videlicet a Maria, tanquam ab illa, *quæ conseruauerat omnia verba in corde suo*, Lucæ 2. vers. 19. inter cætera diuina mysteria signatè quidem omnimodæ puritatis, & immunitatis ab originariâ labe doctrina fuerint edocti, eamque Ecclesiæ manifestam fecerint, atquè omnes gentes, ac populos pietate hâc imbuendos curauerint, vel eadem quidē ratione, quod à Mariæ immunitate immensa ipsius dignitas plusplus innotescat, itidemque eius in Matrē Dei glorioſissima electio mirum in modum subsistat. Vbi illud in primis obseruandum occurrit: talem tantamque Mariæ humilitatem, atquè modestiam fuisse, vt quò celsior, atquè glorioſior hæc immunitatis suæ gloria, & excellentia erat, eò difficilius & quasi per vim ab ipsâ pulcherrimam istam notitiam à Sanctis Apostolis fuisse extortam, sub hoc plane sensu de illis Deiparâ velut queribunda dicente: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*, Cant. 5. vers. 7. nimirum ibi pro *pallio* septuaginta verterūt *theristrum*, quod faciei velamen erat, vt inquit Hieronymus in cap. 4. Isai. his verbis. *Theristra nos possumus appellare palliola, quibus obuoluta est Rebecca, & hodie quoque Arabiæ, & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ.* Ad quem modum Ambrosius lib. *de Isaac, & anima*, cap. 6. sponsam hic cum Rebecca, componit, inquiens: *Bene quidē quæ sic sponsa veniebat, cum pallio quo obnuberet caput suum, cum sponsus occurreret, sicut Rebbeca, quæ cognito quod Isaac sibi veniret obuius, descē-*

Cant. 5. vers. 7. LXX.

die

dit de camello, & pallio se operuit, vt ex hac expositione sensus, qui sponsæ pallio subest, sit, Mariam omnimodam puritatem, & immunitatem, quam in Conceptione habuit, quæ omninò in facie significatur, (vt ex Spõsi verbis Cant. 2. v. 14. *Ostende mihi faciem tuam*: sæpius ostẽdimus ex Ruperto verba hæc ad Mariæ Cõceptionem reuocante, itidemq; ex Origine hom. 4. dicẽte: *Spõsum velle ostendi sibi faciẽ, vt videat an aliquid Veteris hominis in ea resideat*) suam immunitatem prę ingenti humilitate absconditam, & contectã habuisse, eo modo quo dicebat Augustinus in expositione Cantici Magnificat tom. 9. *Audacter pronuncio, quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit, sed Spiritu Sancto docente didicerat sic sua per humilitatem tegere.*

II Vt hinc perinde fuerit Sãctos Apostolos à Deipara *pallium abstulisse*, atquè pulcherrimam hanc immaculatæ Conceptionis suæ notitiam, quæ ei maximæ gloriæ, nobis verò ingenti vtilitati futura erat, quasi vi illata extorsisse: hæc verba ita explicante Ruperto: *Sancti Apostoli inuenerunt me, quia me quærebant, quærebant autem me, quia in me sperabant esse thesauros Altissimi, percusserunt me, quandò post ascensionem Domini mecum conquerebãtur de illius absentia, interrista tulerunt mihi pallium quo tegebam secreta, quæ in corde conferebam, tunc enim aperui illis cor meum, & quæ in secreto seruaueram plana feci.* Hæc Rupertus. Ad cuius gustum. Richardus de S. Laurentio libr. 4. de *laudibus Mariæ*, appositè componens hæc verba, cum illis Lucæ 2. vers. 19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: sic vtraque exponit. *Omnia non solum verba, sed etiam facta: verbum enim interdũ ponitur pro re, vide ergo nè restringas demonstrationem tãtum ad verba, quæ hæc dicit, sed ad omnia facta, & dicta, &c.* tulerunt pallium meum mihi, ideſt, *à me rapuerunt reserationem secretorum filij mei, quæ prius tegebam, quasi sub nubilo, & velamine silentij, & erãt occultata apud me, custodes*, murorum *ideſt Apostoli.* Sic Richardus. Vndè quidẽ venerabilis Beda in suo Martyrologio die octaua Decembris signatissime affirmat Conceptionẽ Deiparæ ex apostolica traditione in Ecclesia celebrari. Itemque Matthæus VVestmus in Chronic. anno 1228. Iodocus Coccius lib. 3. artic. 6. Stephanus Raguinus lib. 1. Petrus Ojeda in aurea sua apologia, siue *fundamento pro Immaculata Conceptione*, à capit. 2. multis confirmant, consuetudinem celebrandi Immaculatam Conceptionem Deiparæ in Ecclesijs Hierusalem, Syriæ, Ægypti, & Armeniæ ab Apostolis originẽ traxisse. Flauius verò Dexter in lib. quem inscripsit *omnimoda historia*, notante, pro Hispanię nostræ gloria (vt postea videbimus) inquit: *Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ.* De quo quidem testimonio postea redibit sermo, vt prius egregia Apostolorũ Dei monumenta appingamus.

III Et in primis in memoriam reuoca notissimum illud Beati Andreæ in Passionis suæ libro à presbyteris Achaiæ conscripto, cuius quotquot de hac re agunt, meminere: *Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, necessarium fuit vt de immaculata Virgine natus Christus perfectus homo, qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quã perdiderant omnes, repararet*, sic ibi. Quid opportunius? quid illustrius? quid explicatius, quam Deiparam Immaculatam eodem omninò mo-

Beda. VVestmus. Iodoc. Coccius. Raguſin Ojeda. Flauius Dexter. Andr. Apost. Rupert. Richar. à S. Laurent.

do dicere, ac terra illa fuit, de qua primus homo ante transgressionem, ante legem, ante pactum formatus est? atque vnam cum altera componere, vt secundus Adam primo in originis puritate responderet? Sed quo inquis dato fideiussore hæc verba ab Andræa Apostolo nouimus? Respondeo, eos tibi ex Cardinali Bellarmino lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* spōsores dando, quibus fidem dare, fere necessarium fuerit. Nam primum S. Petrus Damianus, qui ante sexcentos annos floruit in sermone 2. *de S. Andræa* hanc historiam à presbyteris Achaiæ conscriptam in singularem authoritatis arcem susceptam esse, sic omnino affirmat. *Non immerito in singularem authoritatis arcem susceptæ est, quam qui viderunt scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.* Deinde vero Laurentius Surius, & Aloysius Lipomanus Scriptores grauissimi, qui ex valde probatis authoribus Sanctorum vitas descripserunt, & Ioannes à Louanio vir multæ doctrinæ, & iudicij, *in censura de passionibus Sanctorum*, quæ habetur in Martyrologio Molani, itidemque quotquot historias Ecclesiæ bonâ fide conscripserunt, hanc historiam, vt legitimâ probauere. Tandem S. Bernardus in sermonibus in Vigilia, & festo de S. Andræa, verba quibus S. Andræas Crucem est allocutus, & refert, & miris laudibus ornat, & quod caput, & irrefragabile testimonium est, Ecclesia in Breuiario Romano nuper recognito, diligentissimo, de huius historiæ fide, facto examine, eam recepit, & retinuit, vt iam, *his amplius, non sit requirendum.*

IV Verum enim verò istud Andreæ testimonium, non tantum referre, sed etiam expendere, & elucidare oportet, & quidem causalem illam, *necessarium fuit, vt de Immaculata Virgine natus Christus, &c.* ipsimet externi authores, & iuris interpretes persecuti sunt ijsdem Andreæ verbis, quasi ex Augustino, aut apud Augustinum inuentis. Namque Aluericus iuris vtriusque Doctor, qui floruit anno 1340. (vt inquit Antonius Possevinus in apparatu) in suo Dictionario littera A. fol. 7. citatus à D. Francisco de la Cueba in informatione iuris pro Immaculata Conceptione Mariæ Virginis, fol. 24. cum interrogasset: *Sed quare Christus dicitur nouissimus Adã, cum primus fuerit contemptor diuini præcepti, hic vero agnus innocens, & mitissimus, vndè ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* dubitationi sic occurrit. *Ad hoc B. Augustinus egregiè respondit dicens: sicut primus homo per lignum præuaricationis, mortem induxit, necessarium erat, vt per lignũ passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur, & quoniã de terra immaculata factus fuerat, qui per lignum præuaricationis, mũdo mortem intulit, necessariò de Immaculata Virgine natus est perfectus homo, in quo Dei filius, qui primum fecerat hominem, vitam æternam per Adam perditam repararet, ac pro suaui cibo arboris vetitæ escam fellis reciperet, & in se suscipiens mortalitatem nostram, suã nobis cõferret immortalitatem.* Hæc Aluericus. Vbi primum vides verba Andreæ, ab Augustino adducta; Deinde pro Deiparæ immunitate opportune expensa, eâ quasi necessariâ argumẽtatione facta, vt reparationi decor & debitus proportionis ordo seruaretur: quin excelleret ruina, & illustrior esset lapsus, quam victoria, si saluatoris Mater non fuisset æque Immaculata, ac prima illa terra, de qua Adam formatus fuerat, nam si lignum ligno opponi iusta ratione exigente oportuit, quanto magis Immaculata, & viuens Mariæ terra, terræ Immaculatæ è qua ille confictus est, cõponẽda, & æquãda fuit?

S. Petr. Dam. *Surius.* *Lipom.* *Ioann. à Louiano* *Molani* *D. Franc. de la Cueba.* *Aluer.* *Augus.*

Nec

V

Nec eo tãtũ loco S. Apoſtolus Andreas pro Deipare immunitate ſuffragium tulit, cum iterum, atq; iterũ eã opportuniſsime firmauerit. At enim tam pro ſecundo hoc Andrææ teſtimonio, quam pro alijs Apoſtolorũ monumentis, noſſe operæ pretium eſt, in regia S. Laurentij in Eſcorial Bibliotheca librum M.S. aſſeruari, qui inſcribitur *Apocalypſis noua B. Amadæo authore*, de quo, vt authores minus piæ opinionis (quibus omnia quæ in fauorẽ piæ opinionis adducuntur, contemnere inſtar triumphi eſt) forſan adulterinum apocryphum, & ſomniatum appellabunt, ita plures non ignobiles Doctores magnæ authoritatis, & ponderis eſſe cenſent. Ibi ergo *raptu octauo* Angelus Gabriel Andræam Apoſtolũ Mariam ſic alloquẽtem inducit. *Tu ſola ab vniuerſali damnatione præſeruata fuiſti; non tu mortua in Adã fuiſti: vnica es, vnica immaculata receſsiſti à quocumque peccato, recedere à peccato tam longe nemo poteſt.* Ita ibi omni ratione, omni modo Andræas Mariæ immunitatẽ adſtruẽs, & aduerſaria tela repellens, qui & *præſeruatam ab vniuerſali damnatione, & ſolam, & vnicam, & vnicam immaculatam* eſſe ait, itidemq; nunquam in Adamo mortuam, atque ab eo, & à quocumque peccato tam longe recedentem, vt nullus æque lõge valeat recedere, affirmat.

B. Amadæus

Perlin.

Ad quæ verba noſter Ioannes Perlin. *in apologia pro magnæ matris immunitate*, diſt. 8. c. 4. aduerſus AEgidium à Præſentat. Mariam non tantum à peccato originali, ſed etiam à debito immunem efficaciter probat, & huius auctoris rimas, & euaſiones omninò præcludit. Vide illum: vt ego nouam confirmationem ex Andræa inibi appingam, dum ipſe Deiparam denuo, ſic alloquitur, & exorat. *Tibi, & filio nos commendatos fore velis, vt quæ ſine peccato ſemper fuiſti nos, & poſteros peccatores tua charitate completi digneris*, pulchra quidem ratione MARIAM peccatorum aſylum ſtatuens, quod ipſa ab omni peccato ſemper fuerit immunis, quã quidem argumentationem peculiari ea de re adnotatione in ſuperioribus ſumus perſecuti.

A

B

C

D

E

VI

Amad. Thom. Apoſt.

Nec minus locuples, & opportunus MARIÆ immunitatis teſtis eſt S. Thomas Apoſtolus, qui præfato libro Amadeia Gabriele Archãgelo ipſam ſic laudaſſe dicitur: *O quam fœlix es, quam fortunata, & in initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti, & Adæ peccato præuiſo, non fuiſti cum alijs omnibus condemnata, ſed voluit, vt merita filij tui, tibi ſuper omnes prodeſſent, itaque pro minimo momento noluit inimicam, ſed ſemper amicam puriſsimam.* Hæc Apoſtolus Thomas, quæ non ſolum Mariã immunem, & exortem à communi noxa, & condemnatione, atque ab ea Chriſti meritis ſingulariter præſeruatam faciunt, ſed etiam ſignatiſsime noſtram ratiocinationem, atque diſcurſum de modo, quo Deipara electa, & immunitatem conſecuta fuit, confirmant. Nam, ſi meminiſti, perinde fuit dixiſſe Sanct. Thomam *in initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti*, ac id, quod nos meditabamur, Deum cum ſe ſe ad efformandum primum hominem, & ſuam ei impertiendam imaginem accinxit, non vnam tantum viam inijſſe, ſed ſe ſe velut in biuio conſtituiſſe, vt vel Adamus ſtaret diuinam ſimilitudinem virtutibus, & moribus probatiſsimis exprimens, vel illo labente ſors melior de clade veniret, ipſamet diuini Patris imagine, & Archetypo humanam carnem aſſumente ex lectiſsima, & puriſsima Matre, quæ tanquam Dei parens futura, ab omni macula foret immunis. Vnde opportune addidit Apoſtolus. *Adæ peccato*

præuiſo (ſcientia ſcilicet conditionata vt diximus) *non fuiſti cum alijs condemnata, ſed voluit, vt merita filij tui tibi ſuper omnes prodeſſent*, quod, vt ante permiſsionem peccati, & legem, & pactum decreta, ita vt Dei matrem puriſsimã, & nulli labi obnoxiam decebat, electa es.

VII *Matth. Apoſt.* Thomæ Apoſtolo ſuccedit pro illibata Mariæ Cõceptione Matthæus & Mathias, eodem Archangelo Gabriele inibi reuelante priorem dixiſſe: *Niuei candoris es, ô Maria, immaculata, ſcirpus ſine nodo, Spiritus Sanctus, qui eſt æternum donum, te ſanctificauit, purgauit, & illuminauit, & ſingularibus priuilegijs decorauit*: tantum non dicens Matthæus *nodũ in ſcirpo quærere* (vt eſt in prouerbio) qui in Maria originariam labem quærit, quæ immaculata, & niuei candoris ſemper fuit: itidemque diſſertiſsime affirmaſſe Mathiam, *in peccato non fuit Concepta, omni gratia, & omni ſcientia fuit impleta*, vt ſenſum communem, cum ipſomet Gabriele habere videatur, qui Mariam *gratia plenã eſſe*, affirmauit Lucæ 1. verſ. 28. omni ſcilicet ex parte, omni tempore, omni modo gratia affluentem, quin gratia in Virgine temporaria fuerit (vt alibi adductus dicebat S. Athanaſius ſerm. de *ſanctiſs. Deipara*) ſed ab ipſa origine perpetua, *neque enim id temporarium*, inquit, *in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe, quemadmodum, & nunc in præſentia, & in æternum vſque habet hæc Virgo obumbrantem ſibi virtutem Altiſſimi*, quæ verba Athanaſij ſenſum communem habent, cũ præfatis Matthæi Apoſtoli, *Spiritus Sanctus, qui eſt æternum donũ, te ſanctificauit*. Hæc ex Amadæo de Apoſtolorum ſenſu, & ſententia pro Mariæ immunitate, quod ſi in illo libro aliqua ad alia myſteria ſpectantia, minus certa, ſiue etiam diſſona inueniuntur, benè à Patre Perlin. citato loco notatum eſt ea à ſanctiſsimo Amadæo, nunquam dicta, aut ſcripta fuiſſe, ſed à nonnullis mendaciorum proxenetis inſerta, vt ſub tanti viri nomine, quæ alias non poterant, venditarent, quæ planè obſtare non debent, quominus ea quæ certa, ſana & vtilia ſunt, vndequaque ſubſiſtant: nam vt iuris regula decernit: *Vtile per inutile, non vitiatur.*

Vt iam ex his, quæ de hoc Apoſtolorum ſenſu vidimus valde probabile reddatur illud Apoſtolorum Cõcilium, in quo Deiparæ immunitatẽ inter fidei veritates fuiſſe relatam S. Theſyphon Martyr S. Iacobi Apoſtoli, qui minor appellatur, in vno ex libris plumbeis in Monteſancto prope Granatam inuentis hunc in modum refert. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præſeruata fuit à peccato originali in primo inſtanti ſuæ Cõceptionis, & libera ab omni culpa, & qui ita non ſenſerit, non conſequetur vitam æternam.* Iam verò tam de huius teſtimonij grauitate, quã de authoritate, quæ præfatis verbis ſubeſt, & qua ratione ijs ſubſiſtentibus, modo de fide non ſit, Mariã abſque originali labe fuiſſe cõceptam, optimè à recentioribus differitur, præcipuè à P. Iacobo Granado tract. 1. diſp. 3. ſect. 6, à nu. 74. vſque ad 78. Sed & hinc etiam apparet, mirum in modum cum præfatis Apoſtolorum verbis cõſentire, quod initio huius adnotationis dicebat Beda. *MARIAE Conceptionem ex Apoſtolica traditione celebrari*, ſicut & Flauius Dexter: *Iacobi prædicatione, & doctrina feſtũ immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Deigenitricis MARIAE fuiſſe inſtitutum.* Quibus conſentit Marcus Maximus Archiepiſcopus Cæſaraugustæ (qui floruit ſub Heraclio Imperatore, & regnante in Hiſpania Siſebuto, & à Sanct. Iſidro in Cathalogo virorum illuſtriũ

VIII *S. Theſyphon.* *Granado.* *Beda.* *Flauius Dexter.*

inter

Lucæ 1. verſ. 28. *Athan.* *Perlin.*

inter illos signate recensetur) cum in eleganti hymno de apparitione illa in qua Cæsar augustæ Augustissima Dei Para Maria S. Iacobo se se visendam dedit, hæc ait.

M. Maximus.

Ostendit illi se hilarem,
Suoque natalitio
Conceptionis aureæ
Templo manent encomia.
Conceptionis hinc diem
Iacobus Hispanos docet
Et prædicat ceu cæteri
Ab omni labe liberam;
Hinc mos habet principium
Hunc celebrandi iugiter
Populis Iberis diem
Qui durat vsque hodie.

Luitpr.

Quibus monumentis ab alijs ante me obseruatis, bone Lector, adiunge vetustum authorem Luitprandū Subdiaconum primum Toletanum, subinde verò Episcopum Cremonēsem, quem è vetustatis latebris erutum, bona nobis fide in lucem dedit ille sui ordinis splendor, scriptorum flos, atquè Reipublicæ litterariæ decor D. D. Laurentius Ramirez de Prado Regius in supremo Castellæ Senatu Consiliarius, cui, vt iuris vtriusque veram consummatamque scientiam, & ab ea perfectā, & exactam iustitiæ administrationem, ita illum eruditionis spiritum, qui omnium sciētiarū partē implet, omnino debemus. Ergo Luitprandus in Chronico anno DC. LXXVI. nu. 131. pag. 359. Adgustū Flauij Dextri, & Marci Maximi hæc habet. *Beatissima sedes de columna in vrbe Cæsar-augustana, quæ constructa est iussu Virginis à B. Iacobo, cum in Hispania prædicauit anno XXXVII. à Natiuitate Domini, & consecrata eiusdem Immaculatæ Conceptioni (quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique) hoc tempore celeberrimo, multorum peregrinorum contubernio visitatur.* Hæc ibi, quibus nihil potuit opportunius, aut ad rem illustre magis afferri.

A

B

C

D

E

IX

Sunt planè hæc testimonia pro MARIÆ immunitate perspicua, & firmissimæ authoritatis, quam quidem apud eruditos authores constanter retinuerunt, donec (malo fato) illa nostrorum met Doctorum, siue bona, & ingenua indoles, cui non nisi probatissima placent, atque indubitata, siue insana disputandi, & omnia controuertendi libido in dubium reuocauit. In primis etenim sapientissimus Ferdinandus de Salazar de tota controuersia, quæ ad MARIÆ immunitatem pertinet obsignem pietatem, eruditionem, & accuratissimam diligentiam optimè meritus, in Apologia *pro immunitate Virginis*, cap. 35. num. 15. & sequentibus, cū præfata monumenta, & alia plura, quæ Pater Petrus de Ojeda, magno studio, & acumine in hanc rem congesserat, retulisset, & eius eruditionem miris laudibus ornasset, itemque protestatus esset, nolle se suos commilitones exarmare, sed eorum potius sectari vestigia; immo & satis glorioſum ducere, illis manus dare, post tantæ modestiæ professionem, nullum non lapidem mouit, vt hæc pietatis arma ab illius manibus extorqueret, contendens eos omnes authores: *Non de Conceptione Virginis passiua*, addit (*liceat sic loqui*) *quatenus significat illibatū in B. Annæ visceribus conceptum, sed de actiua quatenus Christi D. in ipsius Mariæ vtero intemeratum itidem conceptum sonat, accipiendos esse.* Deinde verò P. Franciscus de Biuar Cisterciensis vir limati ingenij, & apprimè doctus in notis ad Flauium Dextrum decem post annos, eamdē passiuæ, & actiuæ Conceptionis distinctionem, tanquā è suâ pharetra depromptam in mediū protulit. Eique P. Melchior Incofer homo iudicio suo sapiens (nec fuerit ingratijs dictum) in epistola ad ipsum typis excusa multum de ea gratulatus est.

Salazar

Ojeda.

Biuar.

Incofer.

A quibus deinceps authoribus, eam distinctionem Doctores opinionis minus piæ auidè arripientes, præfata testimonia, & quæcũque alia, quę Conceptionẽ sonent, hac noua luce sic obscurare nitũtur, vt ad Deiparæ immunitatẽ asserendam, nullam omninò vim eis subesse velint. Vndè in libello supplici, quẽ eminẽtissimis D. D. Cardinalibus, *super titulo Immaculatæ, tribuendo Virgini, non autẽ conceptioni*, cum in hac distinctione, quam ipsi non inuenerant, sibi maximè placuissent, vt ipsa in vtrãmque partem, qua vtilis sibi esset, vterentur: eâque ratione de Menologio Græco illam respuente, pronunciassent, *sed vbi agitur de Conceptione passiua, qua in vtero S. Annæ Virgo fuit concepta, Menologiũ, vel inutile* (ipsis scilicet) *vel deprauatũ est*, subijciunt immediatè: *Imperiti cõcionatores discant hæc populis licenter obtrudere, sed frequẽter temeritatis pœnas in Sancto Officio luunt*: Rati videlicet imperitiæ, aut temeritati tribuendũ, eiusmodi distinctioni, non acquiescere.

X Ego verò nõ tam irascor ijs auctoribus quibus solenne est, omnia quæ immunitati Deiparæ fauẽt, aut apocrypha, aut somniata, aut adulterina vocare, quã præfatis nostris DD. qui nulla alia vrgentiori ratione, quam ingenij, siue stili exercẽdi caussa, ea contrariæ opinionis scriptoribus arma, & acumina subministrarunt, quæ alias ipsi minimè tractare nouerant, egregiã scilicet laudem, & spolia ampla referentes, si nouam hanc distinctionem passiuæ & actiuæ Conceptionis, nullis bonis vsibus opportunam, pro his monumentis explicandis, in scholas inveherẽt. Quanto satius? quanto opportunius! à bonorũ authorũ partibus ipsi stetissent! & tantũ animi impetum in eorũ sensum plusplus pro Deipara immunitate firmandum, cõuertissent! Sed enim quia pudet, tædet que in his immorari, ac singulis eorum argumentationibus, cõiecturis potius, qua solidis rationibus innixis obuiam ire, & vt prouerbio dicitur: *per eãdẽ lineã reciprocare serrã*, cõtentus fuero, si eas omnes egregij Iuliani Toletani vetusti scriptoris (quippe fuit is à secretis Bernardi Toletani Archiepiscopi, tẽpore Alphõsi VI. Castellæ Regis anno 1037 fœliciter regnantis) funditus euertero, dũ ipse cadẽ illa, locutione, qua Flauius Dexter, & Marcus Maximus, & Luitprandus de festiuitate hac ab Apostolis decreta, & à Iacobo in Hispania promulgata vtus, immaculatã Mariæ Cõceptionem, ad passiuã, qua ipsa in B. Annę vtero cõcepta est, signatissime, ac differtissime refert. Sic nãque primũ in chronico à præfato D. D. Laurentio Ramirez de Prado viro nunquam satis pro dignitate laudato, Parisijs in lucẽ edito anno 1628. occasione prędicti Bernardi Archiepiscopi Toletani recenter tũc diem obeuntis n. 697. inquit. *Erat B. Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare festũ eius dẽ Dominæ cũ magna deuotione, & fecit celebrare deuotius festũ Immaculatæ Cõceptionis eius, quod prædicabit in Hispania S. Iacobus, & incepit ab Apostolis in Cõcilio decernẽtibus.* Vt autẽ appareat ad Immaculatam Cõceptionẽ passiuã de quâ agimus referendũ esse, idẽmet author in Aduersarijs n. 395. totã verborum, aut sensus ambiguitatẽ auferẽs, inquit: *Traditio ab Apostolis in Concilio cõgregatis B. Virginẽ Mariã originali peccato incõtactã esse.* Ita ibi. Quid expressius, quid luculentius? quid magis extra dubitationis aleã excogitari potest? Abi iã ergo, & aliã distinctionẽ, siue rimã quære, vt eludas traditionẽ Hispanã de Apostolorũ cõcilio in gratiã Conceptionis immaculatæ Marię. Sed nè longi in hac adnotatione simus, in alia ad Iacobum Apostolum transeamus.

Iulianus

D. Laurent. Ramirez.

Opinioni piæ S. Iacobus in ſua Lithurgia ſuffragatur.

ADNOTATIO II.

I *Iacobus Apoſt.*

PRædictis Apoſtolorũ monumẽtis, Iacobi fratris Domini teſtimoniũ ſuppar eſt, in ſua Lithurgia, quæ habetur in Bibliotheca veterum PP. vbi Mariam non modo à perfectiſsimâ ſanctitate, ſed etiam ſignate à puritate, & omnimoda munditia, ſic laudat. *Cõmemorantes ſanctiſsimam, immaculatam glorioſiſsimam Dominam noſtram Matrem Dei, & ſemper Virginem Mariam*, & rurſum paulò poſt *commemorationem agamus ſanctiſsimæ, Immaculatæ, glorioſiſsimæ benedictæ Dominæ noſtræ Matris Dei, & ſemper Virginis Mariæ.* Deinde verò poſt conſecrationem, & alias preces iterum, & iterũ Dei paræ puritatem, ſic efferens. *Præcipuè ſanctiſsimæ, Immaculatæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ ſemperque Virginis Mariæ*, qui buslaudum ornamentis, ſic ſubinde cantorum chorũ cõcinentem inducit. *Dignum eſt, vt te vere Beatam dicamus, Deiparam ſemper Beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem Dei noſtri honorabiliorem, quam Cherubim, & glorioſiorem, quam Seraphim, quæ ſine corruptione Deum Verbum peperiſti, te vere Deiparam magnificamus.* Quibus in locis obſerua, quam accuratè, & quoties Deipara *Immaculata* prędicetur, vt hac appellatione quæuis ab illa macula quæcũque illa fuerit, vndèquaque propulſetur cũ præpoſitio *in*, quà cõponitur vox *immaculata*, negatiua ſiue priuatiua ſit, quæ omnẽ omninò maculã remoueat, vt ea videatur eſſe Iacobi Apoſtoli mẽs, & quotquot ab ipſo Mariã *immaculatã* nominẽt (vt ſtatim videbimus) vt Deiparã extra rationẽ maculæ, aut culpæ ponat: tantũ nõ dicẽs ipsã nulla ratione, nullo tẽpore, labe aliqua fœdatã, aut ſordi obnoxiã extitiſſe, quod pluſpl° voluit explicare addẽs, *ſemper beatam, & omnibus modis irreprehẽſam*, vt videatur exprimere verba Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula, ſiue* (vt apud Septuaginta habetur) *reprehẽſio nõ eſt in te*, quibus duplicata ratione originariã à Maria maculã abſtergit ſpõſus, quippè tũ affirmat ipsã *totam pulchram*, quod perinde eſt, ac *ſemper beatam*, quæ duo neutiquã verè dicerentur, ſi aliquãdo originariæ labi ſubiecta fuiſſet, cũ is qui affirmatiuè profert *ſemper*, & dicit *totã eſſe pulchrã*, nullum relinquit locũ, aut tẽpus deformitati culpæ, ſiue maculæ: tũ etiam negat aliquo modo reprehenſioni obnoxiã Mariã dici; præſertim cum in verbis Salomonis, *macula non eſt in te*, deſit in Hebræa lectione verbum, *eſt*, vt quemadmodũ lib. 5. videbimus in exactâ huius loci expoſitione, tẽpus maculæ à Maria contrahendæ, omninò auferatur, & negetur. Quod quidẽ videtur indicaſſe Iacobus appellãs Mariã *omnibus modis irreprehẽſam*, quod inter varios modos reprehẽſionis, ille etiã cẽſeri debeat, quo à peccato originali homines reprehẽſioni obnoxij, ſiue reprehẽſibiles, & reipſa reprehẽſi, & cõdẽnati reddũtur, vt acutè, & ſapiẽter probat P. Gabriel Vazq. 1. 2. diſp. 131. c. 2. & 3. ex verbis Cõcilij Trident. Seſs. 5. decreto de peccato originali Canon 2. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, quam perdidit ſibi ſoli, & nõ nobis perdidiſſe, &c. anathema ſit.*

Cant. 4. v. 7.

Lect. Hebræa.

Vazq. Concil. Trident.

Quẽ ſanè ſenſũ appellationi huic II

immaculatæ redditum omninò, cõfirmat similis lithurgia, quam in Euchologio Græcorum adinuenit Gilbertus Genebrardus, in qua Deipara appellatur planè Immaculata hunc in modum: *Qui consecuti sumus gaudium in tuo conceptu, ò plane Immaculata! Salutamus te, cum Angelo clamantes, salue Mater Emanuelis Dei, & saluatoris nostri.* Habet quippè peculiarem epitasim ad omnẽ dubitationem depellẽdã, siue ad quemcumque scrupulum eijciendum ea locutio, siue allocutio, *ò planè Immaculata*, ac si dicatur, *ò prorsus, ò omninò, ò plenè*, ò vndique carens macula, nimirùm si Deipara aliquando originali labi obnoxia fuisset, minime dici posset, *planè, & plene Immaculata*: quemadmodum semper Virgo, ea mulier minime diceretur, quæ vt modo castissima esset, aliquando tamen à Virginitatis flore excidisset. Sed istam cogitationem melius explicauero ex ipsius Dei sensu. *Plane, & plene*, rem Immaculatam definientis, sic enim oraculo Leuitici 22. vers. 21. & 11. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus, quam de ouibus Immaculatã offeret, vt acceptabile sit, omnis macula non erit in eo*, quod statim magis explicãs subijcit: *Si cæcum fuerit, si tactum, si cicatricem habens, &c.* Manifestè docens, illud immaculatum non esse, quod vt modo immaculatum sit, aliquandò tamen maculam habuit, vt omnino ex mente oraculi immaculatum censeatur, quod semper, & a sui initio absque vlla macula fuit. Pende primum, & connecte hæc verba, *immaculatum offerat*, cum illis ea explicantibus, *omnis macula non erit in eo*, atquè ista cum his, *si cicatricem habens*, hoc est signum, aut vestigium maculæ, siue vulneris obducti & sanati, vt videris immaculatũ omnia tempora complecti, nec ad præsentem tantum statum, sed ad præteritum etiam aspicere, ad cũ plane modum, quo diximus: *Sancta immaculata Virginitas*, nullo videlicet tempore temerata, siue violata. Itidemque vt inter candidum, & dealbatum in superioribus distinguimus, cum ex canticis Deiparam cãdidam speculabamur, quæ a suæ Cõceptionis initio gratiæ candorem habuerit, cæteros verò iustos dealbatos, & mundatos Christi sanguine videbamus apud Ioann. Apocalyps. 7. vers. 14. dicentem: *Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni*. Sed enim nè huic cogitationi aliquis pro immunitate Mariæ fideiussor desit, audi Richardum à S. Laurentio lib. 8. *de laudibus Virginis*, Mariam perinde *Immaculatam*, vt nulla ipsi obducti vulneris cicatrix, siue vestigium fuerit, ita facientem. *Hæc est petra super quam non est inuentum vestigium colubri.* Idest Diaboli. Ita ille.

Nec omiserim, ex Æthyopum liturgia, quam alij nostro Iacobo fratri Domini, in cuius testimonio hæremus, alij B. Marco Euangelistæ attribuunt, hanc Mariæ *Immaculatæ*, appellationem pro eius immunitate signatè expendere, sic namque primum ibi in precibus ad Deum, per Mariæ manus deductas habetur. *Domine omnes eos quorum recordamur, custodi in recta fide, & in gloria omni tempore, & fac vt ferueant ineffabili, & inexcogitabili charitate, per preces, ac intercessionem, quã pro nobis facit Domina nostra sancta, & Immaculata Virgo Maria*, postmodum modo cum consecratur, & eleuatur Domini corpus, sic dicitur: *Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit ex Domina nostra sancta, & immaculata Virgine Maria.* Vbi præterquam, quod Mariam *Immaculatam* appellans Iacobus, siue Marcus, *Immaculatæ*

vim

Gilbert. Genebr. — *Apoc. 7. v. 15.* — *Richar. à S. Lau.* — *Leuitic. 22. vers. 21. & 11.* — III *Marco Euang.*

vim ſic ſubinde exprimit. *Interceſſione plenæ gratiæ Virginis Genetricis Dei Mariæ, quæ in omnibus eſt ſancta*, perpetuam illi ſanctitatē, nunquam ſcilicet eclypſim, ſiue defectum paſſam, ſed in omnibus, hoc eſt ab origine, ſubſiſtentem illi aſsignans: Obſeruo notantiſsime Deiparam appellari, & dici *Immaculatam*, cum de corpore Chriſti in Euchariſtia conſecrato agitur: quippè hoc omnimodam puritatem, & ab ipſo origine munditiam exigit: vt ex oraculi præſcripto nuper adducto apparet, *Immaculatum offeret, vt acceptabile ſit*. Subinde verò, vt iam obſeruaſſe me memini in ſuperioribus, quod ad conficiendum in Euchariſtia corpus Chriſti hoſtia immaculata ſignatè requiratur, & Deo offerri ita dicatur: *Offerimus tibi Domine hoſtiam Immaculatam*, quæ videlicet vndequaque munda, è pane azymo, abſque vllo fermēto ſubſiſtat, vt Incarnationis myſterium Dei Filio carnem ex Immaculata, & puriſsima carne Mariæ nulli fermento veteri obnoxia ſumente, in Euchariſtia, & contineatur, & adviuum repræſentetur; in hanc rem eruditis authoribus obſeruantibus, antiquitus in hoſtijs, in quibus Chriſti corpus conſecrandum erat, Mariæ Deiparæ imagines inſculptas eſſe, vt vnum ab altero myſteriū. Mariæ ſcilicet immunitas ab Euchariſtia, & Immaculata Euchariſtiæ hoſtia, à Mariæ puritate, & immunitate explicarentur, atquè commendarentur.

IV Ecce tibi Mariam *Immaculatā*, in Apoſtolorum ſententia (multa quidem ad veritatem, & germanū ſenſum proniore explicatione, ſiue ſignificatione) perinde eſſe, ac illā ab omni macula, ſiue fermento originalis labis Conceptam. Et vero hāc planè de causâ in præcedentibus adnotationibus piam opinionē fœlicem eſſē adſtruximus, quod in Mariæ immunitatem eam fœlicem operam nauat, quæ eius laudibus nihil demit, quæque Patrum ſententias, non ſolum benigne (quod ad fœlicitatis partem ſingillatim pertinet) ſed etiam ſimpliciter accipit, & ſuum illis ſenſum, & vim in propria ſignificatione, & totâ ſuâ latitudine (vt aiunt) tribuit. Quid enim nobis ſimpliciter audientibus ſonat Immaculatum? Niſi id quod eſt abſque macula, quemadmodum, & impurum, quod munditia, & puritate caret? quin nobis vllo modo occurrat tantummodo id ad præſens tempus, non vero ad præteritum fore referendum, in quo alterum fuerit Immaculatum, alterū verò immundū. Sed abſolutè, & ſimpliciter illud in ſe ipſo ſine macula, hoc verò ſine puritate eſſe. Quoniam vt paulo ante vidimus, quod maculæ aliquandò ſubiacuit, id abſolutè immaculatū non eſt, ſed ſolum ſecundumquid, vt aiunt, quod planè in appellatione *Immaculatæ*, quæ Mariæ tribuitur maximè locum non habet, cum ea eius puritas ſit, quæ proximè ad Deum accedit, & a peccati impuritate, quam maximè excogitari poteſt, recedit, vt ex Sancto Thoma iā vidimus, necnon ex Chryſoſtomo, apud eundem Angelicum Doctorē in Catena in cap. 1 Lucę, Mariæ mūditiam exuberantem appellante, illis verbis de Domino de Spiritu Sācto ex Maria Virgine concepto. *Quam beatum corpus illud, quod ob exuberantē munditiam Virginis Mariæ, vt videtur, donum animæ ad ſe ipſam allexit.* Etenim cum exuberans perinde ſit ac affluens, abundans, plenum, fœcundum, fertile, ſi Mariæ munditiæ, vel hilum temporis dēpſeris, exuberans munditia dici non poterit. Quam in rem opportunus eſt D. Franciſcus de la Cueba celeberrimus I.C. in informatione, quam pro Mariæ immunitate confecit, fol. 9. col. 2. vbi cum plenum de-

S. Thom. Chryſoſt.

D. Franciſc. de la Cueba.

finijſſet,

finijſſet, *quod omnibus ſuis partibus cõſtat:* ſic ex Rebuffo *in l. Herennius 122. D. de verborum ſignificatione,* firmat: *vt plenum ſit completum, refertum, integrum, affluens,* vt *in l. ſi arborem, D. de ſeruit. vrbanor. prædiorũ.* Itidemque ex Bald. *conſ. 293. num. 3. vol. 4.* affirmante: *Plenum dicitur cui nihil poteſt addi, & â quo nihil poteſt minui, vndè quando facultas cõceditur pleno iure, intelligitur, ideſt, integre ſine diminutione.*

Rebuff. Baldus.

Sed illud huic inſtituto fuerit opportunius ex eodẽ I.C. D. Frãciſco de la Cueba in ea informatione fol. 23. col. 2. quod in ſuperioribus adnot. de Chriſti hæreditate ab immutate Mariæ aſſerta, lõgius perſecuti ſumus. Nimirum dũ vltro, citroque inter Iuriſperitos controuertitur vtrum filij, qui ante matrimonium nati, ab illo ſubinde, iam contracto legitimi fiunt, iure decernente *tanta eſt vis matrimonij, vt filij antea nati fiant legitimi,* adeò legitimi cẽſendi ſint, vt eius fœudi, ſiue maioratus ſint capaces, ad quod ſignate vocãtur filij legitimi, & de legitimo matrimonio nati: alijs authoribus in affirmatiuam, alijs in negatiuam partem abeuntibus, illud extra omnem dubitationis aleam, tãquam exploratiuris eſſe affirmat, tunc fœudi ſiue maioratus tales filios fore incapaces, quandò in fœudo, ſiue maioratu illa conditio ponèretur, *vt filij legitimè nati, abſque maculâ forent,* quod tunc ipſamet filiorum conceptio pura, & munda omni ex parte exigatur: præcedente ad illam matrimonio ſolenniter contracto. Nimirum etſi matrimonium poſt conceptionem, aut natiuitatem filij, aufert maculam, cui erat obnoxius, & è illegitimo legitimum reddit, at enim verò minime tollit ab eo, fuiſſe ei maculæ aliquando ſubiectum, ac proinde vitiatam, & maculatam extitiſſe originem, ſic reddente rationem Baldo *in cap. innotuit de electione, num. 20. Quia legitimatio eſt ordo præpoſterus, & macula fuit impreſſa origini.* Itidemque Stephano Graciano *tom. 3. diſceptation. Forenſium cap. 554. numer. 53. & 54. fol. 506.* qui poſt multa ſic concludit, *licet illegitimè natus legitimetur ex matrimonio ſubſequenti, adhuc tamen ei remanet macula originalis.*

A B C D

Baldus.

V

D. Franciſ. de la Cueba.

VI

Quæ ſanè omnia noſtro inſtituto opportune aptantur, vt ex illis videris, non alio modo appellationem, *Immaculatæ,* quam Apoſtoli Mariæ Deiparæ tribuunt, vere & propriè ſubſiſtere, niſi ſemper, & in ipſa met Conceptione, & origine pura, illibata, abſque næuo, & macula fuerit, quia quemadmodum legitimatio eſt ordo præpoſterus, & macula fuit impreſſa origini, vt dicebat Baldus, ita ſanctificatio, præpoſterus itidem ordo eſt, quin tollat maculam origini fuiſſe impreſſam. Sed hac de re iterum cito nobis redibit ſermo: cum de hac met appellatione Mariæ Virgini à Concilio Tridentino attributa in ſequentibus egerimus.

IHS

DISSERTATIO II.

DE AVCTORITATE, ET certitudine, quę opinioni piæ ab Ecclesia Romana accedit.

OPINIO PIA DE MARIÆ IMMVNITATE Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate firmata.

ADNOTATIO I.

I

ICmurus ahæneus esto. Sanctam Catholicam Romanã Ecclesiam, illibatã Mariæ Conceptionem laudare, & solenni ritu colere, & eius celebritate à mari, vsque ad mare, & ad vltimos terræ fines propagare à tẽporibus Xisti IV. Pontif. Summi duplicata Cõstitutione solenne festum Conceptionis Deiparæ per vniuersam Ecclesiam celebrari præscribentis: vt constat ex extrauagante *cum præexcelsa*, quæ corpori iuris inserta est sub titulo *de reliquijs, & veneratione Sanctorum*: nec non ex alia hâc eâdem de re Constitutione sub eodem met titulo, quæ incipit *graue nimis*: tam dilucidè, tamque differte in posteriori affirmante Pontifice: *Cum sancta Romana Ecclesia de intemerata semper Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solenniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit*, in priori verò: *Cum præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorũ, &c. Quasi stella matutina perrutilat, deuotæ considerationis indagine perscrutamur, &c. Dignum quin potius debitum reputamus, vniuersos Christi fideles, Omnipotẽti Deo, &c. De ipsius immaculatæ Virginis Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Ecclesia Dei Missas, & alia Officia diuina dicant, & illis interssint, indulgẽtijs, & peccatorum remissionibus inuitare.* Ex quibus Constitutionibus non tantum Ecclesiæ Romanæ, sed etiã sacro Sancti Concilij Tridẽtini sensus liquet Sessione 5. in Decreto de peccato originali præcipientis: *Obseruandas esse Cõstitutiones felicis recordationis Xisti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis.* Qui quidem Romanæ Ecclesiæ sensus itidem constat tam ex Martyrologio Romano, in quo die octaua Decembris legitur. *Conceptio Beatissimæ Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi.* Quam ex Missalibus, & Breuarijs

A

B

C

Xistus IV.

tum

tum antiquis, tum modernis a Pio V. & à Clemente VIII. & ab Vrbano VIII. editis, & recognitis. Quæ sanè omnia quamuis non eò ab Ecclesiâ referantur, vt immunitatem Deiparæ, tanquam fidei dogma proponat: at eò manifeste eunt, vt in ipsam se maximè propendere significet, suæque intentionis esse, fideliũ animis, & mentibus eam ingerere, vt constans Doctorum opinio fert.

II

Ex hâc ergo Conceptionis Mariæ festiua celebratione a Romana Ecclesia instituta efficacissimò pro Mariæ immunitate conficitur argumentum, quod piæ opinionis Auctores præsertim P. Ferdinandus de Salazar cap. 33. & D. D, Antonius Calderon cap. 7. hunc in modum simplicissimè proponunt. *Mariæ Conceptio ab Ecclesia solenni ritu celebratur: ergo sancta, illibata, & labis expers est.* Similiter plusplusdiffundẽs P. Granado tract. 1. disp. 3, cap. 7. §. 4. num. 100. *Quidquid publico, & solenni ritu Ecclesia Catholica celebrat, non potest esse falsum. Sed Ecclesia Catholica publico, & solenni ritu celebrat B. Mariam fuisse præseruatam à peccato originali: ergo non potest esse falsum.* Vident, opinor, ineluctabilem huius argumenti vim, & dum se ab illo expedire non valent; ipsorum animi nimis generosi, siue proprij iudicij tenaces, quidquid sibi obstat impellentes, nodũ quem non possunt extricando soluere, eludere scindẽdo malũt. Nouum ergo nomen ex suo sensu erutũ Conceptioni, cuius festum Ecclesia celebrat, imponentes affirmarunt, Conceptionis vocabulum ex sensu Ecclesiæ non ad naturalem Mariæ Conceptionem fore referendum, sed ad spiritualem, quæ in sanctificatione censetur: cum gratia velut Mater animam ipsam concipit. Quæ sanè solutio, vt antiquorum opinionis minus piæ Doctorum tantum esse videatur: vereor tamen nè de manu in manum ad nostra vsque tempora accepta durant, cum hi Auctores in festi Cõceptionis celebrationi, pro Conceptione, sanctificationẽ perpetuò reposuerint, donec peculiari Gregorij XV. Decreto eam vocem vsurpare prohibiti sunt. Nè vero sine bonis fideiussoribus argumentũ soluisse videantur, eam doctrinam tribuunt S. Thomæ 3. part. quæst. 27 art. 2. ad 3. Bonauenturæ in 3. dist. 3 art. 2. quæst. 1. num. 14. & Richardo in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. *S. Tho. Bonau. Richar.*

III

Verum vt solutio falsa, ita etiam fideiussio fallax est: & vt hinc incipiam: cum S. Thomas, & S. Bonauẽtura, ante Xistum Pontificem, & festi Cõceptionis institutionem scripserint, quâ ratione? aut modo eorum doctrina nouæ huic festi celebritati, a quâ argumentum conficimus aptari posit, versâ omninò post eorum scripta rerum facie, & à Pontifice Summo iam approbatâ festiuitate, de quâ ipsi ideò dubitabãt quod Ecclesiam Romanam pro illa stantem non viderent: Distingue ergo tempora, & vt videris S. Thomã & Bonau. laude esse dignos, quod cum viderent festum Conceptionis ab Ecclesia Romanâ, quæ Ecclesiarum norma, & caput est, nõ celebrari, eam doctrinam tradebant, nè omninò condemnarent priuatas quasdam Ecclesias à quibus illud festiuis gaudijs colebatur, vt eorum factum, & animum in bonam partem interpretarentur: ita inuenies reprehensioni obnoxios, qui post festi institutionem, ea doctrina, & auctoritate se se communiunt, quæ non modo ab institutæ festiuitatis scopo, & à Pontificis sensu, sed etiam à S. Thomæ, & Bonauenturæ mente it, ipsi quippè si post Xistum Pont. scripsissent, & ab eo Conceptioni Virginis cultum festiuitatis exhibitum vidissent, pedibus & manibus in festi sensum iuissent: quin illam ei expositionem adhiberent, quam non nisi in

Salazar Calderõ.

Granado.

A B C D E

reue-

reuerentiam Romanæ Ecclesiæ excogitarunt.

IV *Maxi. Tyrius. Galen.* Iam solutioni ipsi primum occurrimus ex illo Maximi Tyrij placito. *Festo diffido, nisi ijs inter se conueniat, à quibus celebratur,* & ex præclara Galeni doctrina libr. 1. *Method.* vbi disputaturus de morbi naturâ auspicatur ex communi significatione vocis, inquiens: *Quâ igitur id methodo inueniemus? videlicet, vt de notione ipsa prius conueniat: cum sine hâc propositæ rei substantiam inuenire non liceat. Ipsam verò notionẽ, quæ omnibus in confesso sit, sumendã diximus.* Quod inter Auctores opinionis minus piæ, & inter nos, immo verò inter Pontificem Xistum de festi scopo, siue de sensu, & significatione nominis minime conueniat inter auctores opinionis minus pię, & inter nos, immo inter Pontificem Xistum minime conueniat: Romano Pontifice de naturali Cõceptione iuxta notionem, quæ omnibus in confesso est loquente: illis vero auctoribus de spirituali, siue de sanctificatione, quæ reapse conceptio nõ dicitur: Et verò cum vox Conceptio & ex suâ natura, & ex perpetuo loquentium, atque audientium vsu pro prima fœtus animatione sumatur, siue ea peccati expers sit, vt de Christo Domino dicimus, *qui cõceptus est de Spiritu Sancto,* siue nõ, vt de seipso inquit Vates Psal. 50. *Psal. 50. vers. 6.* vers. 6. *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum:* facile apparet importunũ esse, & à nominis significatione alienum ab his auctoribus voci *Cõceptio* adhibitum sensum, de quo opportunè dixeris cũ Tertulliano *Tertull.* lib. *de carne Christi,* cap. 13. *Omnia periclitabuntur, aliter accipi, quam sunt: & amittere quod sunt, dũ aliter accipiuntur, si aliter quam sunt, cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum:* tantum non dicens, vt bonus Scholiastes Tertulliani explicat. *Cerda.* Cum resipsas, & conceptus earum, earumdemque proprietatum seipsis vicissim communicare nequeamus, id præstamus vocibus, in quarum fide res ipsas noscimus significatas, cuius modi sunt propriè (hoc vocauit *proprietates*) vnde nè equiuocatione laboremus, cuique nomini, & voci creditum est significare rem aliquam, cuiusmodi sit, eamque significationem incolumem, *constantemque tueri debet.* Pulchrè verò dixit Tertullianus, fidem nominum salutem esse proprietatũ, quod si nomini fides desit, æger & infirmus dictionis sensus sit futurus: quo sensu Augustinus siue Auctor, qq. *veteris, & noui Testamenti,* quæstion. 43. *Augus.* sapienter dixit: *Nemo in hæresim ruit, nisi â nominum ratione discedens: simplices verò permanentes in nominum ratione Catholicæ Fidei adhæserũt:* Sed rursum hac de re Tertullianus eodem lib. cap. 23. & 24. *Tertull.* *Apud nos* (de fidelibus loquitur) *nihil ambiguum, & retortum in ancipitẽ defensionẽ: lux lux, & tenebræ tenebræ: & est est: & non non. Quod amplius hoc, à malo est:* in quem itatim sensum inflectit illud Isaiæ 5. ver. *Isai. 5. vers. 20.* sic. 20. *Væ qui dicitis malum bonum & bonum, malum: ponẽtes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce in amarum:* hunc in modum: *Istos scilicet notat, qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conseruant, vt anima non alia sit, quam quæ vocatur: & caro non alia sit, quam quæ videtur, & Deus non alius, quam qui prædicatur.* Hæc omnia Tertullianus, quę à nostro instituto, nec hilum distãt, quasi ille pro nobis dixerit, salutem piæ opinioni de Deiparæ immunitate à Xisto Põtifice medica, & sapiẽti manu adhibitam, à proprietate huius vocis *Conceptio* subsistere, eamque eiviolenter adimere, qui aliter accipiunt, quam est, germanæ nominis significationi facientes impostu ram, & lucem cum tenebris, & tene-

bras

bras cum luce cõmiscentes: vt pro luce, & dulcedine gratiæ, quæ ex proprietate vocis, & sensu Pontificis Conceptioni Mariæ obtingit, tenebras, & amaritudinem peccati originalis à quo dicunt sanctificatã, eius Conceptioni offundant: vbi denuo obserua eam locutionẽ Tertulliani: *Istos scilicet notat, qui nec vocabula ista in luce proprietatem suarum conseruant*, nebulas scilicet, & tenebras illis admiscentes, vt proprietatem significationis obscurẽt: quod planè perinde est, ac vnam vocem eamque diuersam pro alia substituere, vt ipsemet Tertullianꝰ elegantissime dixit lib. *de præscriptionibus*, cap. 17. *Tantum obstrepit veritati adulter sensus, quantum & corruptor stylus*: vt dixerit, quid interest? an adulterum, & alienum sensum voci affigas? an mendaci calamo aliam pro illa vsurpes? Quod si ab ipsis nominibus, quæ similia esse videntur, debemus in disputationibus abstinere, nè similitudine allecti à vera significatione vocis, in quà vim facimus, discedamus, vt Cassiodorus in præfatione ad librũ *de anima*, sic monuit. *Oportet prius nominum similitudines, quasi ramos obuiantes abscindere, nè semitam disputationis nostræ vocabulorum consonãtium syluæ vmbrosis imaginibus videatur attexere*: quanto magis, cũ nomen dissimile, siue sensus dissimilis voci obtruditur, vt argumẽti vis eludatur: Benè quidem, & opportune ad priora verba Tertulliani eius Scholiastes Ludouicus de la Cerda monuit. *Hinc viris doctis mira reuerentia vocum, & significationis communis fuit, ex quibus interdum argumenta mutuabant, vt Tertullianus sæpefacit.* Ita ille.

Tertull. *Cassiod.* *Cerda.*

V Sed deinde ad præfatam solutionem repellendam habemus firmiorem Pontificium sermonem; cui omninò debemus attendere: cum idẽmet Pontifex Xistus IV. grauiter ferens eius verba eò superstite aliò deflecti, quam quò eius sensus, & mẽs ibat; tale interpretamentum reprobare, & sub anathemate damnare decreuit: edita denuò, & priori addita noua extrauagante sub eodẽ initio *graue nimis*: vbi cum præmisisset. *Nonnulli diuersorum ordinum professores publicè affirmare hactenus, non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seù sanctificationem Virginis Mariæ celebrare*: ita statim in eos fulminat. *Nos igitur temerarijs ausibus, & peruersis à veritate penitus alienis assertionibus, & scandalis, quæ exinde in Ecclesiâ Dei oriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volẽtes: motu proprio, &c. Huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eandem Sanctam Romanã Ecclesiam de spirituali dũtaxat Conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis glorioſæ festum celebrare, & eos qui crederent, & tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati maculâ insuâ Conceptione præseruatam fuisse propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vt potè falsas, & erroneas, & à veritate alienas: editosque desuper libros prædictos id continentes auctoritate Apostolicâ præsentiũ tenore reprobamus, & dãnamus*: Hactenꝰ Põtifex, apud quẽ duo manifeste vides: alterũ: dãnare Põtificẽ, tãquã erroneũ, quod Ecclesia Romana de spirituali duntaxat Conceptione, & sanctificatione festum, & solemnitatem celebret: alterum, non contentum Xistum hac declaratione, insuper rationem reddere voluisse; cur erroris damnet id asserentes: Quia videlicet id assererent minime ignari Sãctam Romanam Ecclesiam de intemeratæ, semperque Virginis gloriosæ Mariæ Conceptione festum celebrare, & speciale, ac proprium offi-

cium

cium ordinasse: quibus in verbis satis clare ostendit Pontifex, tùm ex ipsamet festi institutione planum fieri Ecclesiam Romanam colere naturalem Conceptionem Virginis, tum etiam sub hoc sensu accipiendam vocem *Conceptio*: atquè ideo hallucinatos fuisse, qui tam festum, quam vocem in præfatum sanctificationis festum detorserant. Ne verò aliquid intactum relinquamus: quod si aliquis sciolus de huius Constitutionis firmitate, aut integritate aliquem Lectori iniecerit scrupulum, videsis Pat. Granado præfato loco §. 3. numer. 97. & V-Vadingum (virum de Ecclesiastica historia optime meritum in legationibus Regum Hispaniæ ad Pontificem fol. 282.) & præ omnibus D. D. Antonium Calderon in lib. *pro titulo Immaculatæ Conceptionis*, cap. 7. à numer. 10. qui egregia dexteritate, & acumine, cum tibi facile eruet.

VI Nec fuerit hinc discedendum, quim obseruem, tam ex eodem egregio Scriptore, quam ex P. Ferdinando de Salazar cap. 33. num. 4. præfatum interpretamentum, siue sententiam asserentem Ecclesiam Romanam de spirituali tantum Cõceptione, seu sanctificatione festum celebrare, non solum à Xisto IV. sed etiam ab Alexandro VI. itidemque à Concilio Tridentino Sess. 5. in decreto de peccato originali damnatam esse, tanquam erroneam. Quippe Concilium cum inibi aurea illa verba dixisset: *Non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatam Virginem Mariã Deigenitricem*: signate subdit: *Sed obseruandas esse Cõstitutiones Xisti PP. IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis*. Quæ verba à prædictis Auctoribus optimè expẽdũtur. Vide ibi.

VII Sed enim præclusa præfata rima, siue ea solutione reiecta, qua vim argumentationis a festo Conceptionis petitæ eludere olim conabantur Auctores opinionis minus piæ nouã aliam excogitarunt, concedẽtes Ecclesiam non spiritualẽ, sed naturalẽ Deiparæ Conceptionẽ colere, sed non vt sanctam, & illibatam in primo instanti Cõceptionis, prout Cõceptionis, prout Conceptio Virginis significat B. Virginem in primo instanti *sui esse*, fuisse immaculatam, sed quatenus dicit relationem ad futuram sanctitatem, & mũditiã. Nec pigebit appingere duas imagines, quas ad huius solutionis expositionẽ, siue confirmationẽ adducunt: alteram ex Ægidio Romano quotlib. 6. q. 20. alteram ex Bonau. vt appareat quam fruolis, & fragilibus innitãtur: ergo inquit Ægidius: *Sicut enim filio Regis primogenito defertur excellentior honor, quã alijs filijs non ratione dignitatis, quã tunc habet, sed quia ius habet ad Regnũ, in cuius throno sedebit, ita Virgini Mariæ cum concipitur, defertur honor celebritatis, non quia tunc fuerit sancta, sed quia proxime sanctificanda erat præexcellẽtissimo gradu sanctitatis.* Ita ille. Nec absimilis a Bonauentura hæc adducta imago: *Si filius Regis claudus nascatur, si à claudicatione processu tẽporis sit liberandus, non est de claudicatione dolendum, sed potius de natiuitate gaudendum: per hunc modũ si quis in die Conceptionis solennizat attendens magis sanctificationem futurã, quã Conceptionẽ præsentem, non videtur dignus redargui.* Hæc ex Bonauen. Bandell. & quidẽ Bonauen. qui ante tẽpora Xisti Põtificis, scripsit *non videtur redargui*, præsertim cũ post modũ sententiam in melius mutasse nouerimus, est tamẽ dignissimus redargui Bãdellus, qui post prętatũ Põtificis decretũ, & festi institutionẽ, claudicante hac imagine vsus fuerit, sensu nihil discordãte à priori solutione iam reiecta, dũ contendit Ecclesiã nõ cele-

A Egidius.

Bonau.

Bandell.

P. Salazar.

Concilio Trident.

brare primum Conceptionis Mariæ instans, tanquam sanctum, & ob sui puritatem venerandum reclamante in vtraque Constitutione Pontifice: dum in extrauagante: *Cū præexcelsa*, dixerit: *Dignum quin potius debitum reputamus vniuersos Christi fideles Omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias, & laudes referāt, & institutam in Dei Ecclesia Missam, & alia officia dicant, &c.* & in extrauagante *Graue nimis*, loquēs de vtraque sententia; pia, & minus pia pronunciet; eos qui dicunt contraxisse peccatum, videlicet in primo instanti: nam de secundo nunquam lis, aut controuersia fuit, non esse censurâ hæresis notandos, quia id nondum erat ab Ecclesia diffinitum: esse tamen censura graui dignos si oppositam sibi sententiam, quæ videlicet præseruationem pro primo instanti docet, hæreticam esse prædicent, aut doceant: quando quidem ita prædicantes magnâ iniuria videantur afficere Ecclesiam Romanam, quæ Conceptioni, secūdum istorum explicationem, idest præseruationi pro primo instanti festum celebrat. Igitur explicante se ipsum, & Ecclesiæ Romanæ mentem Xisto Pontifice festum Conceptionis omninò celebratur pro primo instanti non verò pro secundo.

VIII Quod planè argumentum itidē necessariò conficitur ex Bernardo epist. illa celebri 174. ad Lugdunenses vbi Ecclesiam Lugdunensem reprehendit, quod absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate festum Conceptionis celebraret: quod ijs planè rationibus impugnat, quæ post primum instans locum non habent, vt oculos habenti patebit: Intellexit ergo Bernardus Lugdunensem Ecclesiam eam Conceptionem celebrasse pro primo instanti, vt Bernardum intellexisse agnoscunt, quotquot Bernardi auctoritate, & rationibus ab eo adductis contra Conceptionem in primo instanti sumptam pugnant. De quo statim redibit sermo, vt modò argumentationis huius euidentiam ostendam ex ipsamet impugnatione festi huius sub Bernardi temporibus: & celebri illa hâc de re concertatione inter Petrum Cellensem, Bernardi spiritum, & sensum amplectentem, & Nicolaum Monachum à Sanct. Albano, qui eiusdem Bernardi à secretis non à sensu opinionis, quam habuit, aut quæ ipsi imponitur habuisse, fuit, dum vrgente Petrum Nicolao, vt & festum Conceptionis celebraret, & MARIAM immaculatè conceptam crederet, Petrus ad Romanam Ecclesiam sensum suum transferens lib. 6. epistol. 23. dicebat: *Vtinā salua veritatis auctoritate, lance communis consilij hæc Domina, & moderatrix totius Christianitatis Conceptionem Virginis librasset, & approbasset, & à mari vsque ad mare hanc propagasset, Sole id est Apostolico, & Luna, idest Curiâ Romanâ præeūte, tam secure, quam expeditè in lumine vultus eorum gressus ponerem, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidū & securum.* Hæc ille, vbi aperte vides Conceptionis festum, quod Bernardus impugnasse dicitur, & de quo Petrus Cellensis optabat, & expectabat Romanæ Sedis libram omninò referri ad primum Conceptionis instans, de quo erat controuersia: cum de secundo nulla, tunc disceptatio esset, nec tunc timere debuisset Petrus in lubrico gressus ponere: Nec aliem omnino sensum, quantumuis desudent Aduersarij, cum in hæc Petri Cellensis verba inciderint, quæ vti ipsis hactenus inuisa, sic post modum inuisa erunt: reddere poterunt ei dicendi modo de Romana Ecclesiâ: *Conceptionem Virginis librasset, & ap-*

Petrus Cellens.

pro-

probaſset, quam vt eo ſignificetur: vtinam Conceptio in primo inſtanti expendatur, & vt illud immaculatũ approbetur. Vndè huc valde opportunus Ambroſius Catharinus in diſputat. ad Concil. Trident. part. 1. colum. 102. præfatum argumentum ſic vrget: *Quid ergo ex hac reſpõſione licet colligere, niſi quod omnes huius quæſtionis reſolutionem à facto Romanæ Eccleſiæ, quod nunc eſt notiſſimum, pendere confitebantur? Hugo Cardinalis manifeſtè, vbi ait, Virginẽ originale peccatum contraxiſſe, ex eo inferebat, propterea eius Conceptionẽ nõ celebrari. Qui verò bonus eſt Logicus, ab oppoſito conſequentis, neceſſario colligit oppoſitum antecedentis:* Hæc Catharinus. *Cathar.*

IX Enim verò vt plures alias rationes dimittam, quę id manifeſte euincunt: ab ipſamet vocis Conceptionis ſignificatione, prout à doctis, & indoctis intelligitur conficio argumentum iuxta ea, quæ n. 4 de illa diximus ex loco ſymboli de Chriſto: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*: & ex verbis Vatis; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*: cui tot illa teſtimonia Tertulliani iungebamus de vocabulis in luce proprietatum ſuarum conſeruãdis: quibus, & illud modo ex eodẽ Tertulliani lib. cõtra Praxæã c. 9. adiungimus. *Vtique enim omnia, quod vocãtur, hoc erũt, & quod erãt, hoc vocabũtur: & permiſcere ſe diuerſitas vocabulorũ non poteſt omninò, quia nec rerum, quarum erunt vocabula: Eſt, eſt: non, non: nam quod amplius hoc eſt, à malo eſt:* Ergo Conceptio (*ſi quod eſt vocatur, & vocatur quod eſt*) nam modo omninò hic locum habet, quod idẽmet Tertull. lib. *de Reſurrectione carn.* c. 18. dixit: *Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda eſt ſuæ ſorti*) nihil aliud ſignificat, quam primam fœtus animationem, ſiue copulationem animæ cum corpore, quæ in momento fit: cum hoc momento elapſo, iam *Tertull.*

non dicatur exiſtere Conceptio, ſed creatura concepta: ad eum planè modum, quo mors vnico itidem momento abſoluitur: nam immediatè poſt illud mors non perſeuerat, ſed abijt: & corpus, aut mortuum, aut occiſum, ſiue cadauer dicitur: vti inquit Seneca, epiſtol. 24. *Mors non vltima venit, quæ rapit vltima, mors eſt*: quæ ſic effert Scholiaſtes Iuſtus Lypſius: *Non quæ venit, & iam præterijt, mors eſt, ſed illa propriè, quæ rapit vltima, & nos aufert*: Ex quâ quidem Conceptionis proprietate, & vocis eam exprimentis ſignificatione, neceſſaria argumentatione concluditur, Eccleſiam aut celebrare Cõceptionem MARIÆ, vt ſanctam in primo inſtanti, aut non celebrare Conceptionẽ ipſam, ſed quidvis aliud: cum elapſo primo Conceptionis ſiue animationis inſtanti, iam non ſit, nec dicatur Cõceptio, ſed MARIA quæ concepta fuit, vt hinc videris, quam funditus ruat prafata Aduerſariorum doctrina, qua argumentationi obuiam eunt, quam recẽter in libello ad Eminentiſs. Cardinales, ſic denuo explicant: *Sanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur ab Eccleſia Catholicâ, & iuxta ſenſum Eccleſiæ, non eſſe illam, quam alij in primo: alij in ſecundo inſtanti ponunt, quia vtramque dubium eſt, & opinabile, & âparte rei aliter eſſe poteſt, ſed eſt illa ſanctitas, pro illo inſtanti, quo vere fuit Sancta*: Nimirum cum Conceptio primo illo inſtanti circunſcribatur in horum Doctorũ doctrinâ, feſtum Conceptionis euaneſcit, & propriè dici debebit feſtũ ſanctificationis reclamante Pontifice Gregorio XV. ac proinde eam doctrinam repellente, vt ſtatim videro, ſi primum obuiam iuero valde infirmæ cuiuſdam Neoterici euaſioni. *Seneca. Iuſtus Lypſius.*

Dominicus ſiquidem Grauina 2. part. quæſt. 9. art. 3. reſpondet, non X *Grauin.*

esse de maiestate Ecclesiæ, attendere ad instantia Metaphysica, in quibus aliquid accidit, sed ad euentum ipsum, atque ideò in hoc festo: *solũ intendere declarare, quod B. Virgo fuerit sanctificata in vtero S. Annæ, quod autem hoc contigerit in hoc, vel illo instanti non curare.* Quod quidẽ an indignatione, an risu sit excipiẽdum, nondum apud me constitutũ habeo. Quis enim cum videt totum rei cardinem in eo verti, vtrum in primo, an in secundo instanti Maria sancta fuerit; miram hominis insulsitatem non rideat, qui è maiestate Ecclesiæ non esse dixerit de hoc, vel illo instãti curare: cũ id perinde sit, ac si dicatur non esse de maiestate Ecclesiæ declarare, an Conceptio Deiparæ expers, aut non expers peccati originalis fuerit, ac proinde totam disputationem, quæ ab his instantibus pendet, velle eludere, aut dissoluere: quemadmodũ si ea quæstione de qua S. Thom. 1. part. quæst. 63. art. 5. & Scotus ab eo dissidens in 2. distin. 5. quæst. 2. *Vtrum Angeli in primo instanti indiuisibilis creationis suæ peccare potuerint?* post longam hinc inde disceptationem, in qua altera ex duabus opinio euinceretur: respõderet Grauina, non esse de maiestate Ecclesiæ aut Theologicæ facultatis curare an hoc cõtigerit in hoc, vel in illo instanti, sed solum attendere ad euentum ipsum.

EIVSDEM ARGVMENTI.

Romanam Ecclesiam naturalem Virginis Conceptionem in primo instanti illibatam colere ex Decreto Gregorij XV. euincitur.

ADNOTATIO II.

SED iam præfatam rimã, qua elabi volunt aduersarij facile fuerit præcludere ex Decreto Pontificis Summi fœlicis recordationis Gregorij XV. edito die 23. Maij anno 1622. in Congregatione Generali sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis habita in sacro Palatio: in quo præterquã quòd opinioni minus piæ silentiũ illud imponitur, nè publicè, aut secreto dicatur, neque externè extra labia proferatur: illud signatè præscribitur, nè in Missæ sacrificio pro voce *Cõceptio* à celebrante, siue recitante officiũ vox *sanctificatio*, subrogetur. Audi. *Et insuper eadem sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solẽniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tã sæcularibus, quam cuiusuis ordinis, aut instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diurno officio celebrandis, tam publicè, quã priuatim: non alio quam Cõceptionis nomine vti debeãt. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit, subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus ac præfato Decreto suorum prædecessorum ipso facto incurrendis: & ita decreuit, ac mandauit vbique inuiolabiliter obseruari:* Hactenus Pontifex Summus: in quibus verbis præter egregiam pietatẽ diuinamque sapientiam, qua prouidit, Deiparam, eiusque immunitatem a cunctis Ecclesiæ filijs vno ore, vnoque labro celebrari, quemadmodum celebrandã, laudandamque monebat S. Ioannes Euchaita in Menæis Græcorum die 30. Ianuarij Ode 1. inquiens: *Te tanquam amabile cunctorum mortalium decus celebramus vniuersi hymnis cãtãdis in vnũ veluti labiũ, vnã-*

que

quæ vocem collecti: ſignatiſsimè obſeruo Gregorium XV. non ſenſu ſolum, ſed ipſomet tenore verborum, cum Xiſto IV. conſpiraſſe, vt declararet Romanam Eccleſiam non ſanctificationi, aut ſpirituali Cõceptioni Deiparæ poſt primum inſtans Cõceptionis, ſeu animationis ſubſecutum, ſed naturali Conceptioni in primo inſtanti metaphyſico ſuæ exiſtẽtiæ feſtum inſtituiſſe: adeo videlicet ad mentem Xiſti IV. ſeſe conformare voluit: vt eadem illius verba: *Cũ Sancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ Virginis Conceptione feſtum ſolenniter, & officium celebret*: Sane vt contortas illas explicationes feſtiuitati de Conceptione à Romanâ Eccleſiâ celebratæ adhibitas, & à Xiſto IV. iam damnatas denuo ipſe amoliretur, diſſertiſsimè ſtatuens, mentem Romanæ Eccleſiæ eandem nunc eſſe, quæ fuiſſet iam pridem Xiſti IV. nimirum celebrare feſtum de Conceptione Virginis in verò, & vſitato ſenſu, & proprietate huius vocis, prout ſignificat animationem primam, à qua originale peccatum abfuiſſe piè, & ſapienter ſupponitur: non autem provt fingitur ſignificare ſanctificationem poſt aliquod tempus à primo vitæ inſtanti ſubſecutum. Quod vel inde planum fit: quod aliàs ſi Eccleſia Conceptionis feſtum caperet pro ſanctificatione Virginis poſt primum inſtans, fruſtra prohibuiſſet, hanc ſubſtitutionem vocis *ſanctificationis*, ſiue ſanctitatis, quandòquidem hæc vox magis ad ſenſum Eccleſiæ accederet: immò verò ipſum plenè exprimeret, & æquiuocationem de medio auferret,

II Occurrit huic rationi Grauina reſpondens Pontificem Gregorium in hoc Decreto, non ea ratione vocem ſanctificationis in locum Conceptionis ſubrogari prohibuiſſe, quòd ſenſui Eccleſiæ in feſti celebratione aduerſaretur, ſed potius vt vniformitas in precibus fuſis nomine Eccleſiæ, & officio diuino ſeruaretur: & ſcandala, & contentiones inter Catholicos euitarentur: Sed Grauina in primis in hiſtoriâ peccat ignorans, ſiue diſsimulans occaſionem, qua prædictum Decretum Pontifex edidit: quippè magnus Rex noſter Philippus IV. per Excellentiſsimos Principes Ducem de Alburquerque, & Comitem Mõtis Regalis Legatos ſuos ſignatè à Sanctitate ſua poſtulauit, vt in Conceptionis feſtiuitate, vox *ſanctificatio*, qua nonnulli vtebantur, & quæ ſaporem feſtiuitatis ab vniuerſa Eccleſia celebratæ obtundebat, è medio tolleret.

Scilicet is ſuperis labor, ea cura quietos.

Sollicitabat Pontificem videlicet, & Regem, vt Dominicani PP. vniformitatem cum cæteris in precibus ſeruarent, & non potius ardens ſtudium in Deiparæ immunitatem fixum in corde ipſos ſtimulabat, vt magnum aliquid in ipſius honorem molirentur. At ipſemet Summus Pontifex in epiſtola ad Regem Catholicum, cuius meminit Armamentarium Seraphicum in Regeſto fol. 187. itidemque idem Rex Philipus in Epiſtola ad Pontificem, quæ inibi etiam habetur column. 318. diſſertiſsime expreſſerunt: ſic enim primum Rex ibi: *Dux Alburquerquius, & Comes Montis Regij me monuerunt Decreti, quod à Sanctitate veſtrâ emanauit in fauorem puriſsimæ Conceptionis Dominæ Noſtræ ad quod peculiari affectus ſum lætitia, dum conſidero, quam ſancta, & veſtra Beatitudine digna fuerit hæc reſolutio, quantaque gloria hinc reſultauit Deo, ſanctiſsimæq; Dei genitrici, & fidelibus populis cõſolatio, qui tãto feruore, & fiducia expectarunt ſucceſſũ hũc in fœlice veſtræ Beatitudinis Põtificatu.* Deinde vero oſtẽdẽs,

hâc de re per preces,& ſupplicationes Maieſtatem ſuam cum Pontifice egiſſe ſubijcit. *Sanctas veſtræ Beatitudinis exoſculor manus, ſanctè aſſeuerans, interſummè grata hoc vnum me computare, & vltra quam dici poteſt, magni me æſtimare, quod mea interceſsio aliqualem in hâc re habuerit partem, ſicut largius ſignificabit V. Beatitudini Dux Alburquerquius, cuius relationi me remitto.*

III Sed & Summũ Pontificẽ facilè conſtat non eâ curâ vexatum, vt vnam vniformitatem cum Eccleſia Romanâ in precibus Miſſæ,& diuini Officij in Patribus Dominicanis curaret, quem minimè latebat non in vnâ hâc voce, ſed etiam in pluribus ceremonijs Miſſæ,& in modo recitandi officium diuinum illis ſolenne,& licitum eſſe à Miſſali Romano & officio diſcrepare, ſed ea propter vocem ſanctificationis ſuſtuliſſe, vt peculiarem affectum in Mariæ immunitatem oſtenderet, & ſenſum Romanæ Eccleſiæ in eius feſtiuitate planum faceret: Quemadmodum in epiſtola, quam Regi noſtro reſcripſit, hunc in modum ſignificat. *Gregor. XV.* *Vix dici poteſt, quanto nos gaudio cumulauerint nuperæ litteræ Maieſtatis tuæ de immaculatæ Deiparæ Conceptione diſſerentes. O curam Catholico Rege dignam, & Chriſti Vicario gratiſsimam!* & poſt nonnulla: *Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maieſtatis tuæ, tantumque negotium iterum, accuratiusque penſauimus aliquod tibi Regniſque tuis ſolatium afferre cupiẽtes.* Sic Pontifex. Vides vt eius mẽs votis Philippi Regis reſpondens, nõ vniformitatem illam attenderet, ſed obſequium præſtare Deo, eiuſque Genitrici? Quod ſanè plenius, ac diſſertiùs ipſemet Pontifex aperuit in epiſtola ab eo reſcripta Senatui Ciuitatis Hiſpalenſis, quæ in eodem Seraphico Armamentatio apud Regeſtum fol. 194. tranſcripta habetur: etenim cum inclyta illa Ciuitas ob hoc Decretum in fauorem immaculatæ Conceptionis Virginis editum ingentes Pontifici gratias egiſſet, agnoſcens ſe maximè locupletatam magno hoc bono,& fauore, *quem reſultaſſe* (inquit) *ex decreto veſtræ Beatitudinis circa myſterium immaculatæ Conceptionis Virginis Sanctiſsimæ Dei Genitricis & Dominæ noſtræ cognoſcit.* Hæc illi Pontifex Gregorius inter alia reſcripſiſſe fertur: *Vos autem ſcientiam ſalutis præclarè didiciſſe oſtenditis, cum beneficium vobis tributum profitemini eo Apoſtolico decreto, quo altercantium Theologorum diſſidia tollere, & cœleſtis Reginæ dignitati conſulere nuper voluimus:* Hæc pro noſtro ſenſu,& contra Grauinæ explicationem Pontifex clarè, atque præclare: dum monet Ciuitatẽ Hiſpalenſem mentem,& ſcopũ Decreti Deiparæ dignitatem reſpicientis rectè intellexiſſe: Abeat ergo Grauina, vel oſtendat nobis ſimilia verba Pontificis: quibus illum mentem ſuam ſic explicantem ſcientiam ſalutis didiciſſe affirmet.

IV *Grauin.* Quod verò addit Grauina ideò etiam ablatam è medio a Pontifice vocem *ſanctificatio*, vt amoueret ſcandala,& diſſenſiones, non verò quod aduerſaretur menti Eccleſiæ in feſti celebratione, non eſt ad rẽ; quod omninò confundat hanc Decreti partem, cum præcedẽti, in quâ occurrens Gregorius ſcandalis, ſilentium aduerſarijs, ſiue in publicis cõcionibus, ſiue in priuatis colloquijs indixit: vix enim nouimus diſſidia, atque ſcandala orta fuiſſe ex illa celebrandi varietate, & vnius vocis pro aliâ ſubſtitutione. Quod manifeſtè euincitur ex ipſismet Decreti verbis: *Quibus omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis ordinis, & inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacroſanctæ Miſſæ ſacrifi-*

cio

cio, ac Diuino Officio celebrandis tam publicè, quam priuàtim nullo alio, quam Conceptionis nomine vti debeant; nam cum prædictum Decretum omnes Christi fideles comprehendat; etiam illos qui aliud officium a Romano priuatim, & secreto recitant: manifestè fit eam explicationem minime subsistere, quod enim scandalum, aut quæ dissidij causſa oriri posset ex eo, quod sacerdos è Dominicanâ familia priuatim & secreto in sua cellula recitans officium Diuinum vocabulo sanctificationis vteretur? Et tamen id singillatim ipsis a Pontifice prohibitum fuit? Ergo vt priori Decreti parte *altercantium dissidia tollere*: ita posteriori hac *cœlestis Reginæ dignitati consulere* voluisse ex ipsiusmet verbis certum est: Consuluit autem dũ præscripsit, vt in celebrando officio Conceptionis vniformitas non solum vocis, sed etiã cultus iuxta sensum Romanæ Ecclesiæ retineretur, explodens, & à sacris exterminans vocem sanctificationis iuxta eorum mentem, qui illam festiuitati adhibebant, vt festi scopum interturbarent, nolentes vti voce Conceptionis sonante primũ animationis momentum, quam quia Ecclesia purã, & illibatam piè agnoscit; ideò solẽni cultu celebrat.

V Nec fuerit cursim prætereundum quod præfati libelli Auctores pro ipsorum benignitate, & charitate nos commonefacere studuerunt: Nam post citata superius verba, & quæ subijciunt. *Nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem primo instanti immaculatam, hoc enim adhuc est dubium*, sic nos seriò admonet. *Qui aliter dixerit, viderit, quomodo valeat os hæreticorum obstruere, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calũnias ingeminant.* Quod sanè aliter mihi videtur dictum, quam ad morem eorum, qui in summo discrimine constituti, se suaque non curantes de leuissimo aliorũ periculo anxij sunt, vt Damasippus ille, qui cum patrimonium omnimodis vexasset, immò consumpsisset; de minimis aliorum emolumentis valde erat solicitus; quem sic ridebat Horatius lib. 2. satyra 3. *Aliena negotia curo, Excussus proprijs*: aut alter ille senex aliorum consiliarius, cui apud Comicum ingerebatur. *Tantum nè ab re tuâ est otij tibi? Aliena vt cures*: vt etiam iam dudum in diuite illo auaro obseruasse me memini, qui summis inferni cruciatibus obnoxius, de viuentium salute anxius erat, Lucæ 16. vers. 28. debuissent siquidem hi Auctores, antequam nos ea de re admonuissẽt, quæ nos minimè stringit, & cui expeditissimam ad manũ responsionem habemus; attẽtius videre, quomodo & Pontificis Xisti, & Gregorij XV. Decretis valeant satisfacere, dum vterque affirmat: *Sanctam Romanam Ecclesiam de intemeratæ Virginis Conceptione festũ solenniter celebrare*: Et Xistus explicationem de conceptione spirituali signate damnauerit: Gregorius verò haud dissimili sensu vocem sanctificationis à festi celebritate exterminatam exploserit, vt auctores opinionis minus piæ ad veram notionem Conceptionis naturalis, vel inuitos traheret, quin vlterius proprietatem vocis, & sensum festiuitatis eludant: Certè P. Gabriel Vazquez tom. 2. in 3. part. disp. 117. num. 63. de Caietani sententia; à qua nescio an hilum differat præfatus libelli sensus grauiter, & opportunè dixit. *Mirandũ tamen valde est, quod post tempora Xisti IV. Caietanus dixerit: hoc festum in Ecclesia celebrari ratione solitæ sanctificationis in vtero, siue illa fuerit concessa in ipso momento Cõceptionis, siue postea: cum in eo officio per Xistum IV. approbato, ipsa Conceptio, immaculata, & sancta sæpius dicatur, & ab ipso Xisto (vt diximus)*

Horati. Terent. Luc. 16 28.

P. Vazquez.

mira appelletur, videlicet propter ſanctificationem B. Virgini in eodem momento conceſſam, vt paulò ante notauimus. Hæc P. Gabriel Vazquez qui pro ſua animi moderatione cõtentus fuit dixiſſe; Mirandum valde eſſe poſt tempora Xiſti IV. id affirmaſſe Caietanum: cum tamen alij Auctores ea de re grauius cenſuerint: & Patrem quidẽ Vazquez imitati ſunt P. Granado dicta ſect. 7. numer. 92. & alij noſtræ Societatis Scriptores, benè exiſtimantes: *Melius eſſe* (vt inquit Chryſoſtomus in Catena S. Thomæ in cap. 23. Matthæi) *propter miſericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatẽ*: Verum enim vero, ſiue de vocabulo ſanctificationis, quod Cõceptioni obtrudebatur, ſiue de ſenſu à Caietano, Grauina, & alijs feſto Conceptionis adhibito: minime dubitauerim dicere, quod Photius de Agapio colum. 177. dicebat: *Eum adhibere vocabula in ſpeciem ſana, ſed re ipſa morboſitatis referta, & penitus inſpicientibus graue olentia.* Certè hac de re tantiſper graueolens Grauinæ, & Caietani ſenſus eſſe videtur.

Photius

VI Nec ille ſuauior Grauinæ ſenſus eſt cum poſt modum affirmat Xiſtũ Pontificem Conceptionem Deiparæ quæſito vocabulo appellaſſe *miram*: non verò immaculatam, vt attenderet non ad conceptus ſanctitatem, ſed ad mirum modũ, quo Deipara ex patre ſene, & matre ſterili concepta eſt. Sanè vt huic auctori aptiſsimè accommodaueris, quod de Aſtrologis, vulgo iactatur, altiſſimas illos cœli plagas ſpeculantes, ea quæ ante pedes habent, non videre: cum inibi ſtatim, idem Pontifex poſt prædicta verba ſubijciat ſe Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate cõfiſum illa in perpetuum valitura Conſtitutione ſtatuere, & ordinare: *Quod omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui Miſſam, & officium Conceptionis eiuſdẽ Virginis glorioſæ iuxta piam, & deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis, & quæ deſuper ab ipſo Pontifice emanauit Miſſæ, & Officij eiuſmodi inſtitutionem in die feſtiuitatis Conceptionis, & per Octauas eius deuotè celebrauerint, indulgentiam, & remiſsionem peccatorum cõſequãtur:* In illa autem Miſſa, & officio: quis non videat, quam differte Virgo immaculata dicatur, & eius præſeruatio, quam ſolenniter decantetur. Primo ſiquidem in limine officij illa ponitur Antiphona. *Tota pulchra es Maria, & originalis macula non eſt in te*: & in oratione Officij, & Miſſæ, quam Pontifex à ſe ipſo dicit emanaſſe, dicitur: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionẽ dignum Filio tuo habitaculũ præparaſti, &c.* quæ vox immaculata per totum officium ſæpius inculcatur, & in extrauaganti *Graue nimis* affirmat idem Pontifex Romanam Eccleſiã ſpeciale, ac proprium de Cõceptione B. Virginis officium Leonardi de Nogarolis, de quo in principio extrauagantis celebrare: & paulò poſt reprobat, & damnat aſſerentes peccare eos, qui Immaculatæ Conceptionis feſtum celebrant. Vides vt Pontifex Conceptionem Deiparæ non tantum miram, ſed etiam immaculatam appellet? immo ideò mirã, quia immaculata fuerit, vt ſtatim dicam: Nec cauilletur qiſquam, quaſi elogium illud immaculatæ in Virginem, non in Conceptionem cadat, nam proximè eius elogij explicationem ſubdit Pontifex: *Sine macula conceptam*, & ita præter cæteros, ex Dominicana familia intellexit Magiſter à Porrecta ad 3. part. S. Thomæ quæſt. 27. art. 2. vbi Conceptionem ritè dici immaculatam eo fundamento docet.

Porrect.

Ecce tibi (bone Lector) quã gra- VII

tis

tis vim faciat Grauina in voce *mira* semel à Pontifice posita, vt eius sensum circa Deiparæ immunitatẽ eleuet; qui ante oculos habuit voces *immaculata*, & *sine macula*, sæpius auctoritate Apostolica repetitas, firmatasque. Quidquod? debuisset animaduertere, *si mens non læua fuisset*: voci *mira* miram emphasim pro Mariæ immunitate subesse, eaque Xistum Pontificẽ de industria vsum fuisse, vt significaret Deiparam cœleste miraculum, siue prodigium, & monstrum fuisse, quæ in Conceptione sua præter causarũ seriem, immò contra ipsammet naturalem exigentiam causarum humanum genus ob Adæ præuaricationem originali noxæ addicentiũ ab ea immunis, & libera euasit. Quæ de causa (vt vidimus lib. 1. dissertation. prima, adnotat. 5. S. Ignatius M. Deiparam *cœleste prodigium*, siue vt è Græco alij legunt *cœleste monstrum*: Sanctus Sabbas *incomprehensum prodigium* appellarunt, nimirũ *monstrum* diffiniunt Aristoteles, *erratum naturæ à solita secundum speciẽ ratione degenerans*: & quidem vt Adam in iustitia, & sanctitate ad imaginem Dei creatum post peccatum ab iustitia, & diuina similitudine recedentem merito monstrum humanum, & erratum naturę rationalis dixeris, quòd à debita secundum speciem ratione degenerauerit, ita omnino Mariam, quæ sola inter cũctos mortales à solita secundum speciẽ peccato originali obnoxiam ratione discesisset: iure monstrum cœleste, eiusque Conceptionem *miram*, prodigiosam, & miraculo similem appellaueris: de qua inibi à nobis citatus in Menæis Græcis dicebat S. Sabbas. *In te primi parentis subsilit lapsus vltrà pergendi facultate sublatâ*, & S. Iosephus Confessor. *Mors, cuius præcipitem impetum reprimere nulla vis potuit, ad te vsque perueniens attonita stetit*: Quæ Pontifex Xistus habuisse videtur ob oculos cum Deiparæ Conceptioni epitetõ *mira* attribuit.

VIII

Iam tãdem monitum illud ab importuno calamo. *Qui aliter dixerint, videant quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calũnias ingeminant*, vel vt leuidense ridemus, vel, si serium, cum stomacho reijcimus: nã (vt plura omiserim quæ apud Card. Bellarm. & Pat. Gabriel Vazquez, & alios hac de re videri possunt) qui infallibile Ecclesiæ iudicium norunt, quem alium clypeũ desiderent, vt se se vndique protegant, aut quod præter hoc telum vibrare opus fuerit, vt obstruatur os loquentium iniqua: Nobis quidem cœleste illud Diploma, quod sibi exhiberi volebat Caluinus, vt crederet Mariam cœlesti dono ab originali labe fuisse præseruatam, Xisti Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ auctoritas est, hac Põtificia institutione festiuitatis Conceptionis Deiparæ tuti, securi, & quieti sum⁹, despiciẽtes hæreticorum calumnias velut insanos fluctus in firmissimum saxum illidentes. An non hac ratione dicebat Augustinus se Euangelio credere, quod ei Ecclesia credendum fore affirmaret? An non S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 12. summam Ecclesiæ auctoritatem tribuit? inquiens. *Dicendum est, quod maximam auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ in omnibus imitãda est, quia & ipsa Catholicorum Doctorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet: vndè magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini, vel Hieronymi.* Sic ergo à Xisti tempore, ab eiusque Decreto de immunitate Mariæ statuendum est, vt quam de ipsa opinionem, ille ex accuratissimo examine, & disputatione coram se habita probabiliorem inuenit sub inde ex festi institutione certam, & indubitatam (extra diffinitionem)

nobis

nobis fuerit. Quod quidem duplici eoque in eluctabili probamus argumento. Alterum est Christianas hac de re Constitutiones tanto in pretio, ac veneratione deinceps in Ecclesia habitas fuisse, vt omnes omninò à Xisto Pontifices, nec latum ab illis vnguem vnquam discesserint, immò & ipsas iuri Canonico inseruerint, & nouis diplomatibus firmauerint, adeòque earũ obseruationẽ sedi Apostolicæ curæ fuisse, vt in disputatione in Concilio Tridentino habita super Deiparæ exceptione subijcienda Decreto *de peccato originali*, cum de eâ concertatione à Legatis Pontificijs Paulus III. Summus Pontifex certior reddi tus fuisset, ipse eos his verbis seriò monuerit: *In primis verò Diploma Xisti IV. vti valeat, vigeatque semper attendendum*: Vndè cum à Concilio fuit præscriptum, exceptionem omninò ponendam singillatim ad Pontificis mentem, additum est, Xisti cõstitutiones fore obseruandas.

IX Alterum est, ab hâc festiuitatis Conceptionis ex Romani Pontificis præscripto institutione mirum in modum apud omnes Christi fideles toto terrarum orbe disterminatos piam opinionem inualuisse, taleq; ac tantum robur, & inuictas, ac insuperabiles vires recepisse, vt totus post eam mundus, tam que eruditũ, quam rude vulgus cursu vadat, vt videlicet illemet Diuinus Spiritus qui Ecclesiæ caput ad Conceptionis illibatæ festum instituendum permouit, eius itidem corpus, & membra ad Mariæ immunitatem credendã, amplexandam, & totis viribus tutandam peculiari ardore inflammare videatur. Hinc infiniti Scriptores (vt ipsemet Caietanus in tractatu *de Conceptione* fatetur) pro immunitate Mariæ fideiubentes, quin libros de ipsa scribẽdi vllus sit numerus, hinc Vniuersitatum, Regnorum Regum, Principum publicati, & manifestati affectus: hinc omnium ciuitatum, & insignium oppidorum emissa vota, & iuramenta, & institutæ festiuitates: hinc denique totius populi Christiani sensus, atque consensus tanto ardore, tanta animi, & mentis deuotione Deiparam ab originali labe immunem credit, & tã firmo decreto ei adhæret, vt & graue scandalum patiatur, quotiescumque audit aliquid ab hâc sententiâ alienum, & paratissimus sit ad vitã sanguinemque fundendum pro huius veritatis affirmatione, & defensione. Hæc cum animo voluis omninò dixeris de ijs, qui calumnias hæreticorum hac de re formidãnt: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

EIVSDEM ARGVMENTI.

Romanam Ecclesiam in honorem, & cultum Conceptionis naturalis, seu primi instantis animationis Deiparæ festum instituisse.

ADNOTATIO III.

SED vt lubrici, & incomprehensibiles sunt Auctores opinionis minus piæ post tot paratas argumento à festo Conceptionis confecto solutiones, tandẽ pedem referunt; & quidquid antea concesserant, negant affirmantes festum non celebrari in cultum Cõceptionis, sed in gratiarum actionẽ, vt festum inuentionis Crucis, vinculorum S. Petri, Apparitionis S. Michaelis, & festum Rosarij, quæ sancta, nec dici, nec esse necesse est, sed I

sanctum esse Deũ, cui in eo festo gratiæ agũtur pro eo beneficio inuẽtionis, Apparitionis, &c. ad quẽ (inquiũt) modũ in festo die Cõceptionis gratias agim⁹ pro beneficio Cõceptionis miraculosæ ex vtroq; parẽte sterili: nec nõ Cõceptionis vtilissimæ, quæ arrha fuit, & pignus totius oeconomiæ Incarnationis Verbi Dei; quin hac celebritate profiteamur ipsam Conceptionem sanctam fuisse. Quam solutionem acceptam ab Aureolo in 3. distin. 3. & à Capreolo ibidem quæst. vnica art. 3. Antonio Ioanne de Neapoli, & Bandello tract. *de Concept.* sect. 1. p. 2. ad 10. plures hodierna tempestate Thomistæ sequuntur.

II *Irenæus*

De quâ sanè solutione illud in primis dicendum occurrit, quod alio intento dicebat S. Irenæus M. lib. 5. cap. 13. *Coguntur tanta male interpretari, qui vnum nolunt benè intelligere*: quippè omni solida solutione destituti illud asserunt, quod nec historicè verum est, nec Theologicè prodest: Etenim verum non esse planè constat, quia Ecclesiæ, quæ primitus hoc festum celebrauerũt, omninò in cultum Conceptionis celebrasse nouimus, vt de Ecclesia Græca in seqq. planum fiet: de peculiaribus verò Ecclesijs Latinis, vt omittamus minus certas historias, irrefragabilem habemus testimonium S. Bernardi epist. 174. de Ecclesia Lugdunensi, à qua dissertissimè, inquit celebratum fuisse festum Conceptionis in eius cultũ; & ideò Bernardus festum illud sub hoc sensu impugnat: & ad epistolæ finem eâ festiuitate peccatum honorari, & falsam videri festiuitatem induci; nam cum præmisisset: *Solus itaque Dominus IESVS de Spiritu Sancto conceptus, quia solus, & ante conceptum Sanctus. Quo excepto de cætero respicit omnes ex Adam natos, quod vnus humiliter de semetipso, ac veraciter confitetur*: in iniquitatibus *inquiens* conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sic inde statim infert: *Cum hæc ita se habeant, quænam erit festiuæ ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur cõceptus, qui de Spiritu Sancto non est, nè dicam de peccato est, aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas*: Rueret ergo tota Bernardi argumentatio ruinoso fundamẽto innixa: cum Ecclesia Lugdunensis ei respondere posset; se non in cultum & honorem Conceptionis, quæ sancta esset, festum celebrare, sed in gratiarum actionem pro mira Virginis Conceptione.

Bernar.

A

B

III *Bernar. Augus. Vvier.*

Similiter etiam de alijs Galliæ Ecclesijs eodem sensu festum Conceptionis celebrantibus, itidem in primis constat ex eodem Bernardo in eadem epistola paulo post dicente: *Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam parcens deuotioni, quæ de simplici corde, & amore Virginis veniebat. Verum apud Sapientes, & in famosâ nobilique Ecclesia, & cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensi, nescio an sine graui offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim*. Deinde verò ex Augustino VViechmãs in Diario Eccles. ostendente tam in Ecclesia Narbonensi, quam in alijs primarijs Franciæ iam ante tempora Bernardi festum illibatæ Conceptionis celebrari solitum. In Anglia verò quis ignoret multo antea festum hoc fuisse institutum. Nec de Galliæ, & Angliæ Ecclesijs solũ manifestum est, festum ab ipsis in Conceptionis cultum, & honorem celebrari: cum etiam de priuatis Ecclesijs Romæ affirmet Ioannes Bachõ in 4. distin. 2. quæst. 4. art. 3. *Publicâ, & diuturnâ consuetudine celebratum est hoc festum in Curiâ Romanâ, etiam cum venerabili Congregatione*

C

D

E

Ioan. Bachon.

Do-

Dominorum Cardinalium cum solenni Missa, & sermone singulis annis in domo fratrum Ordinis B. Mariæ de Carmello: & hæc duravuerunt tempore multorum Romanorum Pontificum, usque ad præsens tempus. Hæc Ioan. Bacho, qui floruit anno 1340. vt videre est apud Cardin. Bellarmin. in lib. de Scriptor. Eccleſiaſticis. Quod omnino firmatur a Patribus Concilij Baſilienſis Seſſ. 36. diſſertiſsimè dicentibus: *Renouantes præterea inſtitutionem de celebranda eius Conceptione* (immaculata videlicet, vt apertiſsimè inibi declaratum eſt) *quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias, ſexto idus Decembris antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur, ſtatuimus, & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſijs, Monaſterijs, & Conuentibus Chriſtianæ Religionis ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendam eſſe.*

Concil. Baſil.

IV

Quæ quidem omnia egregie confirmat S. Thomas, à quo ſimilem argumentationem, cui nequit ſatisfieri, conficimus. Nempe ipſe 3. part. quæſt. 27 art. 2. ad 3. cum ſibi obiecisſet, videri Conceptionem eſſe Sanctam, quia non celebratur feſtũ niſi de aliquo ſancto, feſtum autem Conceptionis celebratur ab aliquibus, ſic reſpondet: *Dicendum, quod licet Romana Eccleſia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamẽ conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium. Vndè talis celebritas non eſt totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod feſtum Conceptionis celebratur datur intelligi, quod in ſuâ Conceptione fuerit Sancta. Sed quia quo tempore fuerit ſanctificata, ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius, quam Conceptionis in die Conceptionis ipſius.* Vbi manifeſtè vides Angelicum Doctorem agnoſcere feſtum celebrari propter ſanctitatem & cultum: Nam ſi propter gratiarũ actionem celebratum fuiſſet, multo facilius ea ſolutione ſeſe ab argumento expedire potuiſſet, vt modo ſeſe expedire tentant eius Scholæ aſſeclæ. Similia prorſus habet quotlibeto 6. quæſt. 5. art. 7. ad cuius mẽtem Caietanus to. 2. opuſculorum tract. 1. cap. 5. cultum etiam propter ſanctitatem agnoſcit. Adhęc idẽ S. Th. eadẽq. 27. a. 1. in arg. *Sed cõtra* affirmat non celebrari feſtum ab Eccleſia, niſi de aliquo ſancto: quod itidem dixerat in 3. diſt. 3. quæſt. 1. atque hac ratione vtrobique probat Natiuitatem Virginis ſanctam eſſe, id non dicturus, aut intentum non bene probaturus, ſi hiſtoricè verum fuiſſet, etiam de non ſancto in gratiarum actionem, & non in cultum feſtum celebrari. Vt hinc viderint Thomiſtæ, quam aperte contra S. Thomæ ſenſum pugnent.

A B C D E

V

Denique feſtum iſtud apud Latinos ortum habuit, ſiue potius renouatum, aut reſtitutum fuit, vt refert Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 42. & conſentit Card. Baronius in Martyrologio die 8. Decembris ex reuelatione illa, quæ facta fuit S. Anſelmo ſiue Abbati Elpino: nam de eo, cui facta eſt reuelatio dubium eſſe videtur, de reuelatione non item: cuius hiſtoriam ex M.S. Codice antiquo probat idem Baronius itidem affirmans de ea locutum fuiſſe B. Bernardum epiſt. 174. At in ea reuelatione Elpino quærenti, quo ritu officium in eo feſto celebrari oporteret? Legitur reſponſum ab eo venerabili Põtifice, qui illi apparuit. *Omne officium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione, excepto quod nomen Natiuitatis mutabis in nomen Conceptionis:* Igitur, qui huic Reuelationi fidem adhibentes feſtum celebrare cæperunt, officio vſi ſunt ſicut in die Natiuitatis (quẽadmodum a tempore Pij V. reſtitutum fuit in Breuiario Romano exceptis Lectionibus) at officium illud

Petrus de Nat.

Baron.

mani-

manifeste apparet ad cultum fuisse institutum, & mysterij Sanctitatem colere in natiuitate, & in Conceptione sanctam vtramque appellãdo. Ergo à tempore Reuelationis, sicut a tempore Pij V. vsque ad nostra tempora festum Conceptionis in cultum celebratur, cum hodie nõ secus ac festum Natiuitatis, quod ad cultum fuisse institutum concedit S. Thom. & negauit nemo, cum sanctitatis elogio celebretur. Quod si ad tempus ante Pium V. voluerimus respicere: cum per integrum sæculum Ecclesia vsa fuerit officio illo M. Leonardi Noguerolis à Pontifice Xisto approbato, & laudato, in quo, & cultus manifestissimè exhibetur, & Conceptio Deiparæ multis modis immaculata perhibeatur, itidem conuincitur historicè verum non esse, quod non in cultum, mysterij, sed in gratiarum actionem, hoc festum celebratum vnquam fuerit.

VI

Iam verò etiamsi in gratiarum actionem festum id fuisset institutum adhuc Theologice id non prodesse istis Auctoribus inde patet, quod exempla, ab ipsis adducta, non euincunt simile vnquam festum fuisse aliquando institutum pro re cui subesset peccatum, aut macula, quod ostendere debuissent vt eorum ratio, siue argumentatio subsisteret. Sane Bernardus, vt supra vidimus aperte sentit fieri id non posse illis verbis. *Quo pacto conceptus festus habebitur: qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa videtur induci sanctitas: alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta natiuitas: nam si sic intendebatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas.* Ergo ex mente Bernardi Conceptio celebrari Ecclesiastico ritu non potest, nisi sit sancta; & celebrari festum de ea nõ

Bernar.

A B C D E

potest: si in ea sit peccatum; sic enim honoraretur peccatum, & falsa sanctitas induceretur. Vndè etiam cõtra Lugdunenses instabat Conceptionis festum celebrandum non fuisse contra Ecclesiæ ritum, & sine licentia, & auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ videlicet declarasset in mysterio sanctitatem inesse, non peccatum. Nec valebunt inde Bernardo, aut rationi ipsi occurrere, quod festi scopus in gratiarũ actionem tendat, cum eadẽ ratione posset institui festum negationi Sancti Petri, aut peccatis Magdalenæ cum relatione ad eorum conuersionem, & in gratiarum actionem, quod egregie pœnitentiam egerint: quo nihil absurdius dici potest. Vel assignent nobis discrimen inter festum Conceptioni peccato maculatæ dicatum, cum relatione ad futuram sanctificationem, siue ad gratiarum actionem pro sanctificatione futura; & festum pro Petri negatione institutum cum relatione ad subsecutam pœnitentiam, siue ad gratiarũ actionem pro illa.

VII

Ex quibus iam manifestè vides, quam sint infirmæ, & ineffi caces, quotquot argumento à festo Conceptionis adhibentur solutiones: Meliorem quidem ingenij indolem, & maioris ingenuitatis specimen præseferre videtur Illustrissim. Dom. Dom. Magister Franciscus de Araujo Primarius Salmanticensis Academiæ Theologiæ Anteceſſor, & Segouiensis Ecclesiæ Episcopus, qui præ animi sui candore minime dubitauit affirmare Romanam Ecclesiam in honorem, & cultum Conceptionis Deiparæ festum celebrare: Quid enim aliud vir Sapientissimus, & veritatis amans posset dicere? Addit tamen (quod nolim addidisset) Ecclesiæ auctoritatem solum cogere voluntatem ad festi celebrationem in honorem Conceptio-

nis: non vero ad flectendum intellectum, vt à semel imbibito sensu discedat: Vnde statim infert S. Thomam, si hodie viueret, adhuc non fuisse sententiam mutaturum: Sic enim ipse inquit 1.2. quæst. 21. art. 3. *Illustr. D. Araujo.* *Auctoritas Ecclesiæ indicens talefestum cogit ad cultum nouo modo B. Virgini exhibendum, qui est actus voluntatis, non ad antiquum iudicium intellectus mutandum.* Hæc Illustrissim. Domin. Quibus in verbis, vt candorem animi, & ingenij ingenuitatem iterum laudo, itidemque affirmo ex festi celebritate nos minimè velle iudicium Auctorum contrariæ opinionis modo ita frangere, quasi illa ab Ecclesiâ prohibita sit: ita non possum omninò existimare, Sanct. Thomam, stâte hac solemnitate festi Conceptionis ab Ecclesia Romana institutâ, iudicium, & mentem non fore mutaturum: Quod quidem duplici ratione mihi persuadeo: alterâ à natura obedientiæ: alterâ à docilitate animi Angelici Doctoris petita: & quoad obedientiæ perfectionem attinet, norunt eius rei periti, eum, qui se totum Deo immolare vult necesse esse, vt præter voluntatem intelligentiam etiam offerat, vt non solum idem sentiat, quod Superior, eiusque iudicio subjciat suum, de quo non solum PP. nos admonere consueuerunt, & ea de re multi sunt, dixit quippe Ambrosius lib. 1. officiorum cap. vltim. *Ambr.* *Primùm, illud decorum est, vt quod habes pretiosissimum, hoc est mentem tuam, quâ nihil habes præstantius, Deo deputes*: & Chrysologus *Chryſol.* sermon 55. occasione obedientiæ ab Abrahamo in immolatione filij Deo exhibitæ: *Quæ cœlestis Pater iubet, non discutit sed iudicat gloriosa*: nec alio sensu Sanct. Bernardus *Bernar.* serm. 3. *de Circumcisione*, dicebat. *Hæc si molestè cæperis sustinere, si diiudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiam si exterius impleas, quod iubetur: non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ*: Verùm etiam ipsimet Gentiles: nam & Seneca epistol. 94. cum dixisset: *Nihil esse frigidius, quam lex cum prologo*, & legem breuem esse oportere, quæ non disputet, sed iubeat: tandem concludit: *non disco, sed pareo*: tantum non dicens æquè iudicium, atque voluntatem superiori fore subijciendum, quin iussa discutere conueniens sit. Et Cornelius Tacitus libr. 6. *Annalium* sub persona M. Terentij Tiberium Cæsarem alloquentis saprenter inquit: *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, aut quibus de caussis extollas. Tibi summum iudicium dij dedere: nobis obsequij gloria relicta est*: Ex quibus eximius ille spiritualis vitæ Magister Sanctissim. P. Ignatius in epistol. obedientiæ legitimè inferebat: si secus id esset, & hæc iudicij obedientia in subditis non subsisteret, fieri nõ posse, *vt vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet, cum sit naturâ comparatum, vt animi nostri vires, quæ appetitiuæ dicuntur, sequantur apprehensiuas: & nisi adhibitâ vi voluntas iudicio repugnante diù obtemperare non possit.*

Seneca. *Corn. Tacit.* *S. Ignat.*

Et verò, vt hæc ratio bona sit; altera quidem fuerit multo melior, quæ sumitur ab egregia ingenij indole Angelici Doctoris, qua nihil flexibilius, nihil obsequentius, siue magis procliue in Ecclesiæ iudicium: de quo vide quæ diximus libr. prȩcedent. cum de docilitate opinionis piæ, siue Auctorum eius egimus. Vbi præter Summi Pontificis Ioannis XXII. verba quibus egregiam Sancti Thomæ modestiam, humilitatem, & submissionẽ erga Romanæ Ecclesiæ decreta cõmẽdauit, illud mirabile ex eius Actis adduximꝰ, cũ ipse officio

VIII

Lectoris

Lectoris ad mensam fungens, syllabam recte pronunciasset, & de ipsa à præfecto lectionis malè fuisset admonit⁹, magnâ animi demissione à recta pronunciatione discedens sinistræ correctioni sese subiecit, atq; conformauit, ratus (vt postea ea de re interrogatus respondit, nihil interesse syllabam breuem, aut longã contra leges prosodiæ facere; referre vero quam plurimum sese omnino superiori conformare, atque ei iudicium submittere. Audis hæc? & dubitas S. Thomam, si modo in viuis foret, & Ecclesiam Romanam Deiparæ immunitatem colentem, & celebrantem opinionem suam (si sua fuit) non fore mutaturum? Scilicet syllabam malè corrigenti iudicium submittendũ: & Pontifici Summo benè de honore Virginis admonenti non subijciendum iudicaret: Benè quidem hæc ob oculos habẽs P.M.Fr. Ioannes à S. Thoma magnę auctoritatis vir, tom. 1. in 1. part. disputat. 2. *de doctrina S. Thomæ*, art. 2. §. *hoc puncto*, & seqq. cum dixisset tempore S. Thomæ Ecclesiam Romanam sensisse pro sententia affirmatiua, toleratse verò negatiuã (vnde ibi illam appellat *assertam*, hanc verò *toleratam*) subijcit: *At postquam Ecclesia Romana celebrat festum Conceptionis, loquendo in vi doctrinæ D. Thomæ, oportet vice versa de his sententijs censere, & D. Thom. sic cẽseret*: Hæc ille, recte rimatus mẽtem S. Thomæ, & recte de egregia ingenij eius indole sentiens recte etiam opinionem piam *assertã* modo ab Ecclesia: & minus piam *toleratã* appellans, quamuis non rectè asserat Ecclesiam olim de his sententijs vice versa iudicasse: cum nullum nobis hac de re fideiussorem dare possit: nos verò oppositum non modo pluribus testimonijs ex Martyrologio Bedæ, Vsuardi, & Adonis, sed etiam ex PP. Concilij Basilienſis, n. 3. confirmauerimus.

Ioan. à S. Tho.

Ecclesiam Romanam Mariæ Conceptionem, vt sanctam, ac proinde, vt immaculatam, atque omnis labis expertem colere.

ADNOTATIO IV.

IAM verò quæcunque præcedenti adnotatione diximus, non solũ valent ad repellẽdas aduersariorũ solutiones, sed etiam ad firmandam ex illis Deiparæ immunitatẽ, cum in eius honorẽ, & cultum Ecclesia Romana festũ instituerit: de quo non omiserim dicere, illud inter alia pro se signate habet, quod illi primogenito diaboli Martino Luthero maximè fuerit inuisũ; adeò enim ipse sibi non constauit, vt quũ Mariæ Conceptionẽ illibatã crediderit, vt videre est in sermone *de Conceptione*: festum tamen nescio quâ de causa ita fuit auersatus, vt solenne ipsi fuerit dicere: *Nullum festũ magis odi, quam festum Conceptionis, & festum Corporis Christi.* En ergo peculiare huius festi ornamentum: nam vt de Nerone, qui primus Cæsariano gladio in Christianos ferociuit dixit Tertullianus in Apologetico cap. 5. *Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illũ, intelligere potest, non nisi grãde bonum à Nerone damnatum*: ita & nos gloriamur, non nisi grande aliquod bonum a Luthero dãnatũ. Nec lõge iuit ab insania Lutheri, mali oui peior pullus Ioãnes Caluinus, qui in *Anti Concilio Tridentino*, vt sese Concilij PP. è diametro opponeret; ad morem illorum, qui multis, & miris Christi Do

Tertull.

mini signis non contenti signum de cœlo videre cupiebant Lucæ 11. *Luc. 11. vers. 16.* versic. 16. procaciter, & insulsissime dicebat; priuilegium immunitatis Deiparæ se minime admissurum, nisi prius illi cœleste diploma exhiberetur: scilicet propter hæreticorum principem: *Moueatur terra, & transferentur rupes de loco suo*: vt est apud Iob 18. versic. 4. Sed de hoc infra: modo ad rem. *Iob. 18. vers. 4.*

II Vide ergo iam vt subsistat argumentum illud initio totius disputationis propositum. *Gloriosæ Virginis Conceptio ab Ecclesia Romana colitur, & solenni ritu celebratur, ergo sancta, & omnis peccati, ac maculæ expers est*: Nimirum hac consequentia nihil certius, aut frequentius apud Patres, vt omnes omninò Scriptores, qui hac de re egerunt, frequenter adnotant, in quorum ore verba Augustini, Bernardi, Sanct. Thomæ. Bonauenturæ, & aliorum natant. Omnes siquidem adducunt Augustinum epistol. 113. generali, ratione affirmantem: *Ideò Ecclesia obitus, nõ natales sanctorũ celebrat, quia obitus sunt sancti, nõ natales*, & ser. 95. de Sãctis omninò ad rẽ nostram: nam cum dubitasset: cur Ecclesia obitus Sanctorum festiuis gaudijs celebret, non verò natales? Respondet: *Martyres ad mala certamina nascendo venerunt trahentes originale peccatum: morientes autem ad bona certamina transierunt finiẽtes omne peccatum*: & iterum serm. 13. qui est *de sancto Cypriano*, de eo inquit, *Quid est hoc fratres? Quando natus sit, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus, sed illum non celebraremus, etiam si nossemus: illo enim die traxit originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum*: Itidem omnes etiam proferunt Bonauenturam in 3. dist. 3. quæst. 2. indidem à Dionysio Carthusiano citatum, notantissimè dicentem. *Statuta vniuersalis Ecclesiæ de celebritate sanctorum, omnia sunt fundata supra sanctitatẽ, vt nullo die pro aliquo Sancto celebrarit, in quo, vel pro quo non fuerit aliqua sancta persona, cui ille honor defertur.* *Augus.* *Bonau.* *Carthus.*

A Omnes etiam afferunt Bernardum quem iam citauimus celebri illa epist. 174. ad Lugdunenses, vbi cum dixisset: *Ego quod ab Ecclesia accepi securus & teneo, & tracto. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam cœlis, quo intulit celeberrimorum festa gaudiorum*: subijcit: *Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atquè sanctũ, firmissimè cum Ecclesia sentiens, in vtero eã accepisse, vt sancta prodiret*, & post pauca: *Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta, quã nata; nec fallitur omninò sancta Ecclesia sanctũ reputans ipsum Natiuitatis eius diẽ, & omni anno cũ exultatione vniuersæ terræ votiua celebritate suscipiens*. Sed & omnes his addunt tũ S. Thom. eodẽ, quo Bernardus sensu 3. p. q. 27. art. 1. in argumẽto. *Sed cõtra*, docẽtem. *Ecclesia celebrat Natiuitatẽ B. Virginis, non autẽ celebratur festũ in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto*, tum etiã S. Ildephõsum his Patribus præeũtẽ *lib. de Virginitate, & Parturitione Mariæ*, hoc argumento vtentẽ, ad adstruendũ, Deiparã ante Natiuitatẽ fuisse sanctificatam hunc in modũ: *Sic & B. Virgo, nisi in vtero sanctificata esset, minimè eius Natiuitas colenda esset: nunc autẽ quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eã ab omni originali peccato immunem fuisse.* *Bernar.* *S. Thom.* *S. Ildep.*

III Ecce tot PP. & ab ipsis tot Scriptores manifeste affirmare Ecclesiã solenni ritu nõ celebrare, aut colere nisi quod sanctũ est, vt sese à sæculariũ siue Æthnicorum Principũ more discriminet, qui natalẽ diẽ celebrẽ habere cõsueuerũt, vt de Herode inquit Marcus c. 6. v. 21. *Et cũ dies opportu-* *Marc. 6. v. 21.*

portunus accidisset Herodes natalis sui, cœnã fecit principib⁹, & tribunis & primis Galileæ: Patrũ ergo verba Deiparæ Cõceptioni aptata itidem ac in Natiuitate eiusdem Virginis, aut in Sanctorum obitu, eius sanctitatem confirmant: vt quemadmodum ab Ildephonso, Bernardus; *Securus accepit, & tenuit* ortum Virginis sanctum esse, quia ab Ecclesia festiuus habetur: *Quia statuta Ecclesiæ de celebritate sanctorum* (vt dicebat Bonauentura) *omnia sunt fundata supra sanctitatem*: ita & nos securi accipiamus, atque teneamus, Mariam originali peccato in Conceptione sua non subiacuisse: quia eius A Conceptio ab vniuersali Ecclesia solenniter celebratur: dicentes sensu S. Thomæ, *Ecclesia celebrat*, Conceptionem Virginis: *Non autem celebratur festum in Ecclesiâ, nisi pro aliquo sancto*: & ore Bernardi. *Nec fallitur omninò Sancta Ecclesia sanctũ reputans ipsũ* Cõceptionis *eius diẽ, & omni anno cũ exultatione vniuersæ terræ votiua celebritate suscipiẽs.* B C

IV Nec minus firmum argumentum sumitur ab ipso Officio Conceptionis à Pio V. in Breuiarium Romanũ inducto: in quo expressè in responsorio octauo dicitur: *Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Quod planè præcedentem rationẽ omninò certam, & indubitatã reddit; cum hinc subsistat iure Ecclesiã de Conceptione festum celebrare, quia sancta est: Quo omninò vocabulo exprimebant PP. necessarium requisitum, vt festum celebraretur, vt dicebant Bonauentura, & S. Thomas: Ecce ergo iam non subintellectam, sed ab Ecclesia expressam cũ Mariæ Conceptione argumentationem, quâ Natiuitatem ipsius celebrari debere ab Ecclesia dicebat Bernardus. *Nec fallitur omninò sancta Ecclesia sanctum reputans ipsam Natiuitatis eius diem*: cum itidem Conceptionem sanctam appellet: Quod si aliquis noxiâ ruditate dubitet, aut inquirat. Quid sit esse Sanctum? Audiat, quomodo ab Apostolo diffiniatur, siue describatur Dei Filius ad Hebræos 7. vers. 26. *Sanctus, innocens, impollutus*: audiat & S. Dionysium libro *de Diuinis nominibus*, cap. 12. sanctitatem ita diffinientem: *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata* (siue vt alij legũt, *immaculata*) *puritas*, quam diffinitionem probat Sanct. Thom. in 3. distin. 3. quæstion. 5. artic. 1. in corpore, & 3. part. quæstion. 27. art. 2. in corpore: vt inde duo norit: Alterum perinde esse Conceptionem sanctam dici, ac omnis labis expertem, & omni parte immaculatam: alterum huic elogio semel ab Ecclesia Conceptioni Deiparæ attributo non posse subesse falsitatem: Nam vt docet S. Thom. in 4. distin. 38. quæst. 1. artic. 5. in argumento. *Sed contra*, & ad 5. *in officio Ecclesiæ, nõ docet esse aliquam falsitatem.* Quod adeò verum existimat, vt ob hanc rationem doceat, fœminas virginitatis flore carentes, aut non esse velandas, aut saltem in earum velatione omittenda esse ea verba, quæ carnis integritatem, & virginitatẽ exprimunt, nè illis falsò tribuantur in Ecclesiæ precibus, quæ in Ecclesiæ officio à fortiori locum habet, cui nec hilum falsitatis subesse debet. D

Sed proh malum! Cogimur hìc rursum dicere de recentioribus DD. qui pro abolendo titulo *Immaculatæ Conceptionis*, libellos Eminentiss, Cardinal. dederunt. Cum Irenæo sæpius adducto: *Coguntur tanta malè interpretari, qui vnum noluut benè intelligere.* Nam, quod nemini adhuc in mentem non venerat, ibi affirmant, non vim in esse voci *Sancta*, ac voci IMMACVLATA, vt proinde ex ipsa æque efficax ar- E V

Ad Hebr. 7. v. 26. *Dionys. Areop.* *S. Tho.* *Ibidem.*

gumentum confici posſit ex mente Eccleſiæ pro immunitate Deiparæ. Sed quâ ratione? Quo teſte? quo fideiuſſore dato? Reſpondet: *Quia vox ſancta in ſenſu ab Eccleſia intento tam primum, quam ſecundum inſtans complectitur, ſiue, vt abſtrahit à primo, vel à ſecundo: & cum ſit terminus poſitiuus, ſufficit, vt in altero inſtanti verificetur: vox autem immaculata exprimit ſanctitatem per negatiua, hoc eſt, per negationẽ cuiuſque maculæ:* Vndè indidem iactanter dixerant. *Ex his corruit argumẽtum à verbis reſponſorij deſumptam.* Quicumque celebrant tuam ſanctã Conceptionem; *Facta vi, quod idẽ ſit ſanctum, & immaculatum vt inferatur, Eccleſiam celebrare Conceptionem immaculatam, quia celebrat Sanctã:* Hæc illi. Sed bene eſt, quod huius libellatoris commentum, in calamum, & ſub ferulâ egregij debellatoris D.D. (inquam) Antonij Calderon Theologi eximij caſtigãdum incidit, tanto quippe ingenij acumine, & ſententiarum grauitate, quin illis per pulchra verborum venuſtas deſit, illud profligauit, vt plus ſit quod in caſtigatione laudemus, quam quod in ſomniatâ illa reſponſione arguebamus: Nam in primis hunc titulum diſputationi præfixit. *Monſtrum eſt Conceptio ſancta, & non Immaculata: Diſcrimen quod inter has voces comminiſcitur Libellator, ſomnium eſt, non diſcrimen:* Deinde ad rem accedens poſt plura eleganter dicta ſic ſtatuit. *Hoc diſcrimen in primis falſum eſt: deinde nihil tibi prodeſt: denique nocet:* Quæ omnia tam egregia argumentorũ efficacitate probat, vt nihil ſupra dici poſsit. Vide, & fruere: nos actum agere, & bene dicta male repetita fore nolumus.

D. Antonius Calderõ.

VI Verum enim verò non poſſum, non pro ſtrenuo Duce diſcrimen illud profligante, immò verò adſtruẽte efficaciorẽ eſſe vocem *ſanctam*, ad aſſerendam illibatam Mariæ Cõceptionem, quam vocem, *Immaculatam* ſubſidiarium militem agere: & ea quæ mihi affirmat, tum opportunis Hieronymi verbis confirmare ad ea Pauli verba ad Epheſios 1. verſ. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi Cõſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati,* docentis. *Quod autem ait:* vt eſſemus ſancti, & immaculati, &c. *Inter ſanctum, & immaculatũ hoc intereſt, quod ſanctus, & immaculatus quoque intelligi poteſt: immaculatus verò non ſtatim, & ſanctus: paruuli quippe immaculati ſunt, quia integro corpore nullũ fecere peccatum, & tamen nõ ſancti, quia ſanctitas voluntate, & ſtudio comparatur: & quod immaculatus dici poteſt ille, qui peccata non fecit: ſanctus autem is, qui virtutibus, plenus ſit iuxta id quod in quodam Pſalmo dicitur:* Qui ambulat ſine macula, & operatur iuſtitiã. Hæc Hieronymus. Quæ vidiſſe omnino videtur Magiſter Porrecta Dominicanus vir, vt ſapientiſsimus, ita eximiæ pietatis, qui ad 3. part. quæſt. 27. artic. 2. inquit: *Reſpondeo immaculatum minus eſt, quam ſanctum:* tum etiam ex proprietate vocis *Sancta* oſtendere fruſtra ab Auctore libelli iſtud aſſignari diſcrimẽ, quaſi ſancta ſit terminus poſitiuus, & ideò ſatis ſit, vt in vno, aut altero inſtanti verificetur: vox autem *immaculata* exprimat ſanctitatem per negationẽ cuiusquam maculæ: quippe id nihil aliud fuit, quam aut voces ignorare, aut nullius melioris rei prætextu, quam à Conceptione Deiparæ ſanctitatem amouere, proprietatem vtriuſque vocis corrumpere: nimirũ vox *ſancta*, æquè, ac *immaculata* exprimit ſanctitatem per negationem cuiuſque maculæ, cum ſanctitas diffiniatur vt vidimus à Dionyſio, vt ſit *ab omni ſcelere libera, perfecta, ac omni ex parte incontaminatâ* (ſiue quod idem eſt: *immaculata*, vt recẽ

Epheſ. 1. 1. ver. 4. Hieron.

tiores

Dionys. tiores translatores Dionysij reponunt) *puritas*: itidemque cum quotiescumque à Paulo vox *Sanctus* vsurpetur, tum coniungatur cum voce *immaculatus*, vt ad Colossen. 1. *Colos. 1. vers. 22.* vers. 22. & ad Ephesios 1. vers. 4. tũ *Ephes. 1 vers. 4.* etiam Græca vox *agios* propriè sit *mundus, & expers à terrâ*: vndè quidem idem Apostolus eâdem epistola ad Ephesios 5. vers. 25. cum dixisset: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huius modi, hæc omnia quibus sanctitatẽ expressit per negationem cuiusque maculæ, sic complexus est: sed vt sit sancta, & immaculata, & eodem sensu Petrus epist. 1. cap. 1. vers. 15. dissertissimè: *1. Pet. 1 vers. 15.* *Quasi filij obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, sed secũdum eum, qui vocauit vos sanctum, & ipsi in omni conuersatione, sancti sitis*: vbi vides à Petro sanctitatem opponi prioribus ignorãtiæ desiderijs: sed & prophani Scriptores in exprimẽda sub hoc sensu voce *Sanctus* multi sunt, vt in cap. 1. epist. ad Philipp. vers. 1. obseruaui: contentus modo subijcere Virgilianum versum: in quo *Sanctum* est purum, & impollutum. Æneid. 12.

Virgil.

Sancta ad vos anima, atque istius nescia culpæ
Descendam.

VII Quod si verè æstimas, præter rationes dictas *Sancta* ad Mariæ Conceptionem puram, & illibatam, *atque istius nesciam culpæ*, exprimendam multo opportunior, & significantior est, quam vox *immaculata*, quod præter incontaminatam puritatẽ, siue cum illa simul, tanquã cõsectariã proprietatẽ, aut effectũ à caussa subsecutum etiam significet rem Deo, & Dei vsibus mancipatam, & consecratã, ac proinde aduersus iniuriam, & vim prophanã, religione quadam munitam, & quæ sit omni obseruatione inuiolata, vt tam luris periti, quã Latinæ linguæ Auctores obseruant: ita luret consultus Marianus *in l. 1. D. de rerum diuisione*, dixit: *Sanctum proprie dicitur, quod ab iniuriâ hominum defensum, atque munitum est*: vt videatur diffinijsse Conceptionem Mariæ Sanctam, quæ ab Adami iniuriâ diuina gratia defensa, atque munita fuit: Sed sacra multo sunt expressiora: sic enim Leuitici 22. vers. 6. *Sancti erunt Deo suo*: & Exodi 19. vers. 6. *Eritis mihi gens Sancta*, & c. 22. vers. 6. *Viri sancti eritis mihi*: & cum alluslone ad hæc loca Lucas c. 2. vers. 23. *Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur*: Adhæc peculiaris subest epitasis Conceptioni Mariæ *Sanctæ*, quod, & maculæ expers, & id dono Redemptionis Christi assecuta dicatur: nam vt lib. 1. vidimus ex S. Thoma opusculo 58. cap. 26. *Sanctus perinde dicitur, ac sanguine Christi tinctus*: in quâ significatione voci *Sanctus* reddenda eruditè adpesit S. Doctor ad Seruium in librum 12. Æneid. & ad alios Auctores Latinos, apud quos *sanctum dicitur, quod sanguine consecratũ est*, in quo quidem titulo sanctitas habitualis includitur, quam præcisè non dicit vox *immaculatus*, cum hic titulus propriè possit attribui infantibus, qui in puris naturalibus producti fuissent absque gratia actuali, vt alij DD. ante me docuerunt. Ergo iam obserua, quam sit opportuna vox *Sancta*, qua Ecclesia de industria vsa est ad exprimendam immunitatem Deiparæ, cum ipsâ non modo significetur eius Conceptionem omnino puram, & incontaminatã, sed etiam vni Deo consecratã fuisse, nec alterius vsibus, quã Dei addictam; atque hanc omnimodæ pu-

Marcianus.

Leuitic. 22. v. 6. Exo. 19 v. 6. & c. 22. v. 23.

S. Tho.

Seruius.

ritatis excellentiam a Christo Redemptore ei aduenisse: Quod quidem omne vox hæc comprehendit: vt hinc minimè audiendi sint, qui frustra iactant, Pontif. Pium V. cum pro officio illo Leonardi Nogarolis officium Natiuitatis substituit in Breuiario Romano, Conceptioni Immaculatæ aliqua ratione derogare voluisse: cum planum fecerimus: hac vnica voce significantius contineri quidquid illustre, & magnificum pro Mariæ immunitate in eo officio exprimebatur; vnde quidem multo melius, quam præfati libelli Auctores vim huius vocis videtur introspexisse Hieronymus Genuinus in centurijs Annagramaton centuria prima, qui hæc verba: *Conceptio sanctissima Mariæ*, per Anagrammen reddidit: *Mira satis, ac sine omni peccato*: Pulchrè, & verè.

Hieron. Genuin.

VIII Sed non ideò nouum, & efficax argumentum à præfato officio Leonardi Nogarolis pro Ecclesia Romana immunitati Mariæ apertis tibijs fauente petitum, omittendum nobis fuerit: Nimirum ibi tota est (Pontifice Summo laudante, & approbante) in Mariæ immunitate differtissimè profitenda, & celebranda: Etenim præter alia quæ itidem clara, atque præclara sunt in primis vesperis hæc decantatur ad secundum Psalmum Antiphona: *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te*: facta manifesta allusione ad verba Canticorum 4. vers. 7. (quæ de Mariæ immunitate esse capienda fusius lib. 5. ostendemus) *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: vbi opportunè in vocibus *Maria*, & *originalis*, Canticorum verbis interpositis obseruatum est ex Bernardo ab inclyto eius alumno, Illustriss. D. D. Angelo Mãrique è primario Salmãticẽsi Theologo Episcopo Pacensi in supplici libello *ad SS. D. N. Innocentium super diffinitione immaculatæ Conceptionis*, eam signatè habere epitasim, quæ non modo Scripturæ verba dissertè exponant, sed etiam in eũ sensum fortiter inflectant: quippe Bernardus serm. 3. *in vigilia Natiuitatis*, hæc inquit: *Quoties Ecclesia in scripturis Sanctis verba alterat, vel alternat: fortior est illa compositio, quam positio prima verborum*: Quæ verba clarissimus ille eius assecla, ita primum elucidauit, atque condiuit: *Fortior (inquam) non quasi alternationi, quia additæ ab Ecclesia maior fides debeatur, quam Scripturis, sed quia declarat, quod in illis est obscurum, atque ita declarat, ac si Spiritus Sanctus locutus esset*: Deinde præsenti instituto, sic aptauit. *Quod maximè in præsenti locum habet, cũ hoc officium præter auctoritatem Xisti IV. qui illud approbauit, habeat & pondus Concilij Tridentini, quod eiusdem Xisti innouauit Constitutionem.* Hæc sapientiss. Antistes.

Bernar.

Angel. Manrique Episcop.

IX Ad hæc: Orationi, quæ tam in Missa, quam in officio dicenda proponitur, ea vis, & efficacitas subesse videtur (vt idem met Auctor ibi obseruauit) vt in ea immunitas, & præseruatio ab originali labe Deiparæ, nõ tantum asseratur, sed etiam in nostræ iustitiæ, & glorificationis exemplar præscribatur, hunc in modum: *Vt sicut ex morte Filij tui præuisâ eam ab omni labe præseruasti: ita nos mundos ad te peruenire concedas*: Quod si Virgo Deipara à labe originali non extitit immunis, qualis (rogo) nostræ obsecrationis exitus, & successus erit? Egregiam quidem salutem, & iustitiam ex exemplari omnimodæ innocentiæ, & puritatis, quam in sua Conceptione Maria habuit, aucupabimur, qui inde potius damnationi redderemur obnoxij. Quo in loco meminisse oportet, Sanctum Thomam 3. part. quæstion. 82. art. 7. & quæst. 83. art. 1. ad 3. nec non Magistrum, & cum eo

S. Tho. Magister sent.

Scho-

Scholasticos in 4. distin. 13. sapienter docere, Sacerdotem in Missæ sacrificio, sicut non suo tantum, sed Christi, & Ecclesiæ nomine offert, qui præcipui offerentes esse dicuntur; ita nec suo tantũ, sed præcipuorum offerentium nomine orare: Vide ergo, qualis Deo, tam Christi, quam Sponsæ eius Ecclesiæ nomine offerretur oratio, si Maria ab originali labe, non esset immunis; quæ pro salute conciliaret exitium: cum hæc omnino vis subsit illi particulæ *sicut*, vt ab ea, vel salutis, vel exitij nostri ratio subsistat.

X Sed qui nolunt vnum benè intelligere, & coguntur tanta malè interpretari, bifariam respondent: Primũ officium illud non fuisse Xisti Pontificis auctoritate munitum, sed priuati cuiusdam Doctoris pietate editum: Verum nè facilè illis credam; ipse me Xistus Pontifex cogit: in præfata extrauaganti: *Cum præexcelsa*, in quanisi me oculi, aut digiti fallũt, sic lego: *Auctoritate Apostolica in perpetuum valitura Cõstitutione statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & Officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ iuxta piam, & laudabilem ordinationem dilecti Filij Magistri Leonardi de Nogarolis Veronensis, Notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanauit Missæ, & officij eiusmodi institutionem in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur*: Ecce manifestè Xistus Pontifex Apostolica auctoritate egit, cum officiũ Leonardi Nogarolis recitandum fidelibus proposuit? Sed & in extrauaganti *Graue nimis*: itidem dicit: *Romanam Ecclesiam speciale, ac proprium de Conceptione B. Virginis officiũ, &c.* Leonardi videlicet de Nogarolis, de quo in principio extrauagantis egerat: vbi Romanæ Ecclesiæ attribuit Pontifex officium, quod à Doctore illo fuerat ordinatum: & quidem rectè iuxta regulam Iustiniani Imperatoris *in l. 1, C. de Veteri iure enucleando*: *Ea nostra facimus, quibus auctoritatem nostrã impertimur*: Vides vt inclinet in partem caducum, qui ita respondent? Nec melius certe illi satisfaciunt, qui occurrunt dicentes, officium illud iussu Pij V, ex Breuiario, & Missali Romano fuisse expunctum, de qua expunctione tam immodicè, quam in gratijs triumphat: At, ò boni! meminisse oportebat: officium illud quamuis modo abdicatum, & punctum, Apostolica tamen Pontificis Summi auctoritate per integrũ sæculum, & vltra in Breuiario Romano positum, lectum, & vsitatum fuisse: nec potuisse Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, non dicam integro sæculo, sed nec momento temporis decipi, aut decipere, ac proinde eãdem firmitatem veritatis illi modò subesse, ac suberat ante expunctionem à Pio V. factam: Quam quidem minimè credimus ab ipso ea de causa, quam cõtrariæ opinionis Auctores afferunt, fuisse dispositam, vt num. 7. vidimus, sed consimili consilio, quo eiusdem Pij Pontificis iussu expunctum fuit officium proprium Visitationis B. Mariæ, & SS. Augustini, Dominici, Iosephi, Francisci de Paula, Catherinæ, Vrsulæ, & Benedicti, cum tamen hoc esset desumptum ex Antiphonario S. Gregorij Papæ: itidemque & festum Præsentationis Virginis, & S. Rochi, cuius tamen sanctitati, aut sanctitatis certitudini nihil deperijsse credimus.

Xistus PP.

A B C D E

His illud tandem pro coronide videtur addẽdũ: frustra DD. opinionis piæ in præfato libello, dum vocem immaculatam nobis interdicere contendunt, subijcere; eâ de causa nostros Auctores illam vsurpare, XI

vt cum *per Conceptionem immaculatam propriam ſententiam intelligũt: eius diffinitionem hiſce artibus ſaltẽ indirectè extorquere contendunt*: cũ noſſe debuiſſent, nihil eſſe noſtris Auctoribus candidius, nihil ſincerius, nihil ab artificio,& artibus magis alienum: quibus vnus veritatis amor: vnus ardor,& cura tuendæ immunitatis Deiparæ, niſi artes intelligere velint eas, de quibus M. Tullius lib. *de finibus*, dixit: *Artes efficiuntur ex cognitionibus, comprehenſionibusque rerum*, ſiue quas ipſe alibi diffiniuit. *Ars eſt, quæ cognitis, penituſque perſpectis, & in vnum exitũ expectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur.* Nimirum his artibus ſatis ſuperque inſtructi, & veritate opinionis piæ vndequaque cognita, perſpecta,& comprehenſa, argumentis ab omni demonſtrandi modo petitis nunquam fallentibus, ſed ſemper inuictis, & ineluctabilibus in vnum exitum gloriæ Dei, & Deiparæ expectantibus, diffinitionem opinionis piæ vni veritati, & pietati ſubnixi à Sede Apoſtolicâ ſuppliciter,& ſincere petimus,& fidenter expectamus; præſertim cum ab ipsâ Sanctiſsimâ Deiparâ (apud B. Brigittam libr. 6. *Reuelationum*, cap. 55.) didicerimus, veritatem hãc *in tempore præordinato*, quod iã aduenisſe credimus, totis lucis ſuæ radijs fore emicaturam. Huic verò ſtudio,& ſcopo non minus ſanè vox *Sancta* Conceptioni addita, quam ipſa Apoſtolica Petri Sedes nobis dedit, non minus inſeruit, ac vox *immaculata*, vt vidimus, immò valentius nos adiuuat. Quare non idcirco eâ vtimur,& retinere ſtudemus, quod noſtræ opinionis germana interpretatrix ſit, ſed quod vt Mariæ immunitatẽ multis nominibus multis dicendi modis explicare exoptemus, quin ſit ſatietas defenſionis illius, ita nullâ ratione, aut voce ei derogatum iri velimus.

M. Tullius.

Sed enim non poſſumus non mirari religioſos viros,& in diſputationibus moderatos vſos fuiſſe eo dicẽdi modo *extorquere contendunt*, quaſi piæ opinionis Doctores diffinitionem illius à Summo Pontifice, non ſolum ſubdolis artibus, ſed etiã quaſi per vim obtinere cõtendant: quippe ea omnino vis ſubeſt, verbo *extorqueo*, vt in Prouerbio dicitur: *Claũam è manibus Herculis extorquere*, & apud Ciceronem lib. *de finibus*: diſſerte. *Hoc eſt vim afferre Torquate ſenſibus: extorquere ex animis cognitiones verborum*: Crediderim latuiſſe libelli huius Auctores, quod Octaua Synodus Actione 6. affirmauit. *Veritas eſt pecunia intractabilis, & omnibus hominibus ineluctabilis*: tãtum non dicens, eam eſſe Veritatis naturam, quæ neque artibus, neque viribus cedat, ſiue edomari, aut emolliri ſe ſinat: ineluctabilem, & intractabilem omnibus omninò hominibus eam corrumpere nitentibus ſeſe exhibens, quin vlla poſsit vi, aut via expugnari. Cum ea ergo vis ſubſit verbo *extorqueo* precamur ab ijs Doctoribus in poſterum bona verba, itidemque nè nouas ſolutiones argumento à feſto Conceptionis confecto nobis obtrudant, ſumus ſiquidem compoſiti ad morem Senecæ, qui ijs tantum figmentis, quibus *os præcidi, non oculi erui ſolent*, credulum ſe præſtabat: vide illum lib. 4. qq. natural.

Cicero.

Octaua Synod.

Senecæ.

XII

IX

DIS-

IHS

DISSERTATIO III.

DE MAGNA AVCTORITATE quæ à Concilijs Oecumenicis opinioni piæ accedit.

CONCILIVM TRIDENTINVM MARIÆ immunitati maximè fauere, siue pro illa stare.

ADNOTATIO VNICA.

I VT non est animus pro Deiparæ immunitate aliquid ex Oecumenicis Concilijs tanquã rem definitam, & iam præiudicatam afferre: ita quidẽ magno nisu contendimus, pleraque ex illis in piam opinionẽ adeo prò pendere, vt ex illis non leuia pro ipsa argumenta confici valeant. Sanè si Basilienſi Synodo Pontificia adfuisset auctoritas, aut ipsâ Codices Montis Sancti Granatensis muniti essent, extra omnem dubitationis aleam Maria immaculatè concepta subsisteret: cum & Basilienses PP. Sesion. 36. dissertissimè pronũciauerint. *Doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam præueniente, & operante Diuini Numinis gratia singulari, nũquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam tãquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam diffinimus, & declaramus: nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, & docere,* & inter libros in monte Sãcto prope Granatam inuentus aureus quidã libellus Arabicè conscriptus exter, in quo sub titulo *de domo gloriæ, & domo tormenti,* præter pulcherrimas Deiparæ laudes de purissima Mariæ Conceptione ita decernitur: *Illa Virgo Maria: illa Sancta: illa electa à primo originarioque peccato præseruata fuit, & ab omni culpâ libera, atque hæc veritas Apostolorum Concilium est, quam qui negauerit, maledictus, & excommunicatus erit, & salutem non consequetur, sed in æternum damnabitur.* Verum enim verò etsi vtrumque testimoniũ magnum pondus habere videatur: alterum propter auctoritatem tot PP. sapientia, & dignitate præstantium, qui Concilio Basilienſi interfuerunt, & re non perfunctorie exa-

A

B

C

Conc. Basil.

minata, & vltro citroque controuersa (vt iam vidimus) iudiciũ protulere: alterum ob Religionem, quamons ille propter Sanctorum Martyrum reliquias, & libros pietate refertos colitur: ita quidem neutri, tanquam indubitatæ veritati innitendum existimamus, nec ex illis necessariam argumentationem eliciendam volumus, qui bene nouimus Basilienses tunc temporis, cum de Virginis immunitate sessio habita est, à Pontifice Eugenio, qui verum & legitimum Ecclesiæ caput erat, sese (malo fato) disiunxisse, ac proinde vt Acephalos legitima fuisse auctoritate destitutos: & vetustos illos Codices Granatenses adhuc humanæ potius, quam Ecclesiasticę fidei fulcroesse subnixos, quod non est tantum, ac tale, vt ab eo dogmaticum argumentum confici valeat. Ergo ad tutiora nos conuertimus.

II

Et quidem Sexta Synodus Generalis sub Agathone Papa Constantinopoli celebrata immunitati Deiparæ plurimum fauere videtur, dum ipsam Virginem sæpe sæpius immaculatam peculiari addita epitasi pronunciat. Sic namque in primis actione 8. *Confitemur Dominũ nostrum Iesum Christum incarnatũ esse de Spiritu Sancto, & Sanctâ, immaculataque Dominâ nostrâ Deigenitrice semperque Virgine Mariâ,* & Actione 12. exprimẽs plusplus vim appellationis *immaculata,* cũ præmisisset: *Christus enim Dominus in similitudinem peccati veniens peccatum mundi abstulit, & de plenitudine eius omnes recepimus, & formam serui suscipiens, habitu inuentus est vt homo,* signatè subijcit: *Quia sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiã absque peccato est partus de sancta, & immaculata Virgine Deigenitrice nullum experiens contagium vitiatæ naturæ:* Vbi accuratè expendas velim, verba, & sensum Synodi componentis Mariam cum Spiritu Sancto in Cõceptione actiua Christi Domini: vt quemadmodũ Christus absque originalis peccati participatione de Spiritu Sancto conceptus est: id enim tinniunt ea verba: *Sine peccato conceptus de Spiritu Sancto:* nam de quo alio peccato sermo esse poterat? Ita etiam de Maria immaculata, hoc est à primæua originali macula aliena natus fuerit, *nullum experiens contagium vitiatæ naturæ:* ea videlicet ratione, quod Maria immaculatam carnem, & à contagio Adæ remotã habuerit, quod eadem Synodus singillatim profitetur actione 18. his verbis. *Confitemur Iesum Christum in vtero illibatæ Deique Genitricis Virginis Mariæ habitasse, & animam, & corpus per Spiritum Sanctum ex sanctâ, & immaculatâ carne eius in propria substantia,* carnem sumpsisse nobis consubstantialem: Obserua ibi: *Immaculatam Maria carnem,* non vt referas ad Mariæ Virginitatem, quam tum iam expressérat, tum etiã ipsamet Christi de Spiritu Sancto Conceptio omninò prę se fert, sed ad carnem sine originaria macula, & à vitiatæ naturæ sordibus alienam.

Sexta Synod.

Quod planè ipsamet Sexta Synodus Actione 11. peropportunè significauit hũc in modũ de Dei Filio verba faciens: *Verum intactum ingressus Virginitatis puritate lustratæ Mariæ Sanctæ, præclaraque & quæ Dei sunt sapientis, & ab omni contagione liberæ, & corporis, & animæ, & intellectus incarnatur, qui erat incarneus, & formam suscipit nostram.* Hæc Sexta Synodus ibi. Quid iam explicatius? quid opportunius? quid illustrius vt Mariã a labe immunem asserat, quam ipsam ab omni contagione corporis, & animæ liberam prædicare? Nam si sapis, vox cõtagio, siue contagiũ, notanter a Concilio vsurpata est ad originale peccatum exprimẽdum:

III

nisi

mi si velit dicere Concilium impropriè fuisse locutum: Quippe contagium non quemuis morbum significat, sed eum singillatim, qui ex alterius contactu contrahitur, vt vsus loquendi fert, & apud M. Tullium 1. officiorum legimus: *Contagiones malorum, quæ ab vno profectæ manant latius*: & apud Virgilium.

Dira per incautum serpant contagia vulgus

Et apud Iuuenalem.

Dedit hanc contagio labem

Vndè à Cornelio Celso contagiosus morbus, contagiosa febris, contagiosa pestis passim dicuntur, quibus qui laborant, solo cõtactu alios inficiunt. Vt perinde iam fuerit, Cõcilium Mariam à corporis, & animæ contagione liberã dicere, ac immunem, & exortè facere ab hæreditario Adæ morbo, qui ab vno profectus manauit latiùs, & dedit hãc cõtagio labẽ, & contagiosam febrim. Hæc ex Sancta Sexta Synodo Cõstantinopolitanâ Deiparæ immunitati adeo fauent, vt valde efficax ab illis argumentũ sumi posse credamus: vbi pro ipsissima veritate, à qua nec hilũ oportet discedere, illud nõ omiserim animaduertere, apud aliquos Doctores optimæ notæ, & de pia opinione benemeritos in Apologia, quâ pro ipsâ conscripsere, hæc ex sexta Synodo Action. 11. & 12. verba citari. *A Diuinitate assũpta est nostra natura, illa, quæ ante peccatũ creata est, nõ quæ post præuaricationẽ vitiata*: Verũ ea ego, dum totã Synodũ attẽtius lustraui, & relegi, nullo modo potui inuenire. At enim cũ de bonorũ Auctorum fide nulla meũ animũ subeat dubitatio, illa mihi ad manũ expedita responsio est: hanc sextã Synodũ, vtpotè Græcè primitus conscriptam varios translatores, & translationes Latinas habuisse, quarũ singillatim meminit Seuerinus Binius in notis ad hãc Synodũ, atq; inde fieri potuisse, vt in earũ aliqua, nõ nulla ex verbis quæ nos ex editione Græco Latina Biuiana, quæ attulimus, & forte qui dẽ illa: *Etiã absq; peccato est partus de Sanctâ, & immaculatâ Virgine Deigenitrice nullũ experiẽs contagiũ vitiatæ naturæ*, ab alijs trãslatorib⁹ eo modo legantur, quo illi Auctores ea expressere verbis in eũdẽ sensum conspirantibus: vt vt verò id fuerit, haud dubium est quin Sexta Synodus Mariæ immunitati mirum in modum fauere videatur, vt appareat tum ex dictis, tum ex ijs, quæ iã dico premens eandem immaculatæ appellationem, quam PP. Concilij Tridentini Deiparæ attribuerunt.

Seuerin. Binius.

A B C D E

Ergo Concilium Tridẽtinum in Mariæ immunitatem maximè pronum fuisse, optimo merito affirmamus: atquè ea propter, vt ipsius Decretum penicularius expẽdere, ita Decreti occasionem prius nosse, erit operæ pretiũ, egit igitur Concilium prius de peccato originali Sessione 5. Canone 2. & 4. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatũ illũ per inobedientiæ peccatum, mortẽ, & pœnã corporis tantũ in omne genus humanũ transfudisse, non autẽ, & peccatũ, quod mors est animæ, anathema sit: cũ contradicat Apostolo dicenti.* Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt. Hæc Cõciliũ: quæ sanè verba cũ semel, & iterũ repetijsset, statim in Sãctissimã Deigenitricem mẽtis oculos reuerẽter intẽdẽs explicatis, & dissertis verbis pergit dicere: *Declarat tamen hæc ipsa Sãcta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatã, & immaculatã Virginẽ Mariam Deigenitri-*

IV

Concil. Triden.

cem, sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Xisti PP. IV sub pœnis in eis contentis, quas innouat. Hactenus Concilium. In cuius verbis cum plura sint obseruatu dignissima illud in primis sapienter adnotasse videtur P. Ioannes Perlin in Apologia pro Magnæ Matris immunitate, distinct. 7. c. 4. ex mẽte Concilij nolentis comprehendere Deiparam in illa propositione generali Pauli, *& ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt:* itidem inferri Virginem, vt originale peccatum non contraxisse, ita nec eius debito fuisse obnoxiam, cum extra intẽtionem, & mẽtem Concilij sit ipsam in Adã peccasse: de quo vide præfatam P. Perlini disputationem, quæ grauis, acuta, & accurata est.

P. Ioannes Perl.

V Sed præterea obserua inde manifestè euinci, Conciliũ maximè procliue in Mariæ immunitatem fuisse, quod sua sponte tam differtè, & signatè declarare voluerit, procul à suâ mente fuisse Deiparam in Decreto generali de peccato originali comprehendere, quippè potuit Cõcilium aut rem intactam relinquere, quin nulla tunc Deiparæ Conceptionis siue in hanc, siue in illã partem mentio fieret, & tamen signatè suam mentem de Virgine peccato originali non subijcienda testatam esse voluit, aut etiam potuit eã declarationem ijs verbis significare siue adornare, quæ neutri parti fauere viderentur, cum in vtriusque opinionis biuio Patres illi positi dicere potuerint, nolle se alteri expartibus fauere, aut contraire, ac proinde suę intentionis non esse Deiparam siue excipere, siue comprehendere, quẽ admodum Dominicani PP. omnimodo, & ratione dicendum fore cõtendebant, vt iam in superioribus vidimus cum de ptæclaris piæ opinionis victorijs egimus, & nihilominus pro suo in Deiparam studio accurata locutione, quæ in eius immunitate mſignatè propenderet declarare voluerunt: *Non esse suæ intentionis, comprehendere hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatam Virginem,* vt nobis in primis ex mente, & auctoritate Oecumenici Concilij expeditissima ad manum solutio esset argumento ex Pauli verbis petito de Adamo, *in quo omnes peccauerunt,* quin illo iam modo nos possit stringere: Deinde verò vt à Concilij sensu patens, securus, & felix ad piam opinionem fidelibus aditus esset, nec ijs solùm quibus ea, vt Sol splendet; sed etiam illis quibus sub luce maligna esse videtur: Vndè M. Fr. Ioannes à Peña Dominicanus (vt refert Episcopus Fr. Franciscus de Sossa alibi citatus) in suis in 3. part. Sanct. Thomæ commentarijs sic scripsit. *Valde quidem vrgebant Decreta Generalia circa peccatum originale, sed sacro vniuersali Concilio liberam facultatem concedente, quid in nos admisit Sanctissima Virgo, vt de eius puritate non credamus quidquid credi, sine scrupulo potest? Etsi Sacrum Concilium illam comprehendere non vult, idque protestatur, nec ego comprehendere volo, sed per illud ingredi ostium, quod mihi Synodus totam Ecclesiam repræsentans patefacit.* Hæc ille.

M. Fr. Ioan. à Peña.

VI Deinde verò in structurâ verborum Concilij maximè obseruari debet aduersatiua illa, *sed,* priori sententiæ opposita: dicente Concilio, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam Virginem, &c. sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Xisti PP. IV. Nimirum cum vna ex parte aduersatiua *sed,* inferat sensum immediatæ locutioni oppositum, vt (v. g.) cum dico nolo loqui, sed tacere: quemadmodum Tullius

lib.

Tullius. lib. *de oratore*, dixit: *Non depræstanti quâdam, & eximia, sed de vulgari, & communi sapientia disputo*: de quo nos accuratè egisse credimus in epist. ad Philipp. cap. 2. ad ea verba: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, &c.* ex alia verò Constitutiones Xisti omninò in fauorem immaculatæ Conceptionis editæ fuerint: perinde dictum videtur à Cõcilio, *non esse suæ intentionis comprehendere in Decreto originali B. Virginem, sed obseruandas esse Constitutiones Xisti*: ac si diceret suam mentem non esse Deiparam peccato originali subijcere, sed potius cum Xisto Pontifice piæ opinioni, de eius immunitate, quam ipse tãtopere probauit, & promouit, velle fauere: etenim si mens Concilij non esset ista: quid opus fuisset, & Constitutionẽ Xisti meminisse? & pœnas in transgressores, quę minimè respiciũt, aut tangunt auctores piæ opinionis, sed aduersarios (vt constat) signatè innouare?

Philip. 2.

A

B

C

VII Verum enim verò nihil manifestius ostendit ardens Patrum Concilij in Mariæ immunitatem studiũ, quam elogium illud *immaculatam*, qua ipsi hac de re agens de industriâ attribuit ad eum quidem modum, D quo Sexta Synodus ad exprimendam illibatam Mariæ Conceptionẽ illud (vt vidimus) vsurpauit: vt Concilium, quod tunc aperte Conceptionis immunitatem noluit diffinire; animum tamen, & propensionẽ suam in illam non obscure patefaceret, vt studiosis opinionis piæ nõ modo ansam præberent ad suum sensũ E fouendum, sed etiam ad bene in posterum de diffinitione sedis Apostolicæ sperandum. Quid enim aptius? quid fuerit opportunius ad asserẽdam Mariæ immunitatem, quam ipsam Deiparam immaculatã appellare? Nam, si verè ęstimas, Denominatio *immaculatæ Virginis* absque alio addito restringente omninò fert, vt ipsa absolute, & simpliciter, atquè adeò per totam vitam omni macula caruerit: quia videlicet vox *immaculata*, nõ potest in Deiparã in vniuersum cadere, si ipsi pro primo instanti non quadrauerit. Nam vt opportunè dixit Paschasius lib. de corpore, & sanguine Domini. *Non est ergo immaculata, quam næui obscenitas dedecorat*, quippè attributum *immaculatæ* præfert veluti Virginitatem spiritualẽ animæ per elongationem, siue abscessum ab omni mortali peccato, quod animę stuprum, & vim affert: vt proinde *Chrysost.* Chrysostomus homilia 24. in epist. *ad Ephesios*, peccatum appellauerit *animæ de virginationem*: ergo sicut virginitas corporea sonat omnimodam corporis integritatẽ nullo impuro commercio violatã, ita vt nullus Virginem dixerit fœminam, cuius corporis nitor non sit omninò illibatus, etiãsi post carptũ aliquãdo florem illum, omnimodã sanctimoniam colat, & corporis munditiẽ accurato studio seruet: quod nimirum virginitas omnia tẽporis spatia siue momenta cõplectatur, & in indiuisibili (vt sic dixerim) cõsistat, vt proinde nõ absre obseruauerit nõ nemo, nomina *castũ, purũ, honestũ* habere comparatiua *castius, honestius, purius*, sicuti, & superlatiua *castissimũ, purissimũ, & honestissimũ*, nomini verò *virgo*, nec cõparatiuum, nec superlatiuũ in esse, sed vtroq; carere, quod virgo sẽper, & omnino virgo sit, & esse debeat, quin corporalis integritas, seù virginitas, aut diminui, aut crescere possit: ita prorsus nõ potest dici per antonomasiã immaculata (quẽadmodũ B. Virgo dicitur) quę fuit aliquãdo maculata quãtũcũq; postea niteat, emaculetur, atq; sanctificetur, quod vox immaculata negationẽ alicuius cõtractæ maculæ singillatim denotet.

VIII Sed enim cum illud sit fortissimũ

telum, quod ab hoſte deſumitur, vide iam, vt quæ hactenus diximus, neceſſaria argumentatione confirmemus ab ipſis aduerſariorum manibus (velut claua Herculis) extorta. Nimirum cum pro Mariæ immunitate ab Eccleſia Romana aſſerta offerebamus Reſponſorium officij, in quo Conceptio Mariæ *Sancta* aſſeritur: itidemque cum ipſis contendentibus non debere dici Conceptionem *immaculatam*, obijciebamus perinde eſſe *immaculatam*, ac *Sanctam*: ſic illi nobis occurrebant, vt aſſererent non leue diſcrimen inter Conceptionem Sanctam, & immaculatam intercedere, hunc in modum. *Vox Sancta in ſenſu Eccleſiæ tam primum, quã ſecundum inſtans complectitur, ſiue abſtrahit à primo, vel ſecundo, & cũ ſit terminus poſitiuus ſufficit, vt in altero inſtanti verificetur: vox autẽ immaculata exprimit ſanctitatẽ per negatiua, vel negatione cuiuſcumque maculæ: ideò videtur excludere maculã pro quocumq; inſtãti:* Ex ore ergo tuo, te iudico ò bone, vt quãdo ais vocẽ *immaculata* exprimere sãctitatẽ per negationẽ cuiuſcũq; maculæ pro quocumq; inſtanti, tenearis cõcedere de Maria, quod negas de eiº cõceptione, vt nimirũ cum à Cõcilijs dicitur *immaculata* exprimatur ipſius ſanctitas per negationẽ cuiuſcũque maculæ, excludẽdo maculã pro quocũq; illius inſtãti, ac proinde à primo ſuæ Cõceptionis: aliàs propriè nõ erit in tuâ met ſententia Virgo immaculata. Vel aſsignẽt mihi diſcrimẽ inter B. Virginẽ immaculatã: & Cõceptionẽ immaculatã: vt hic vox immaculata exprimat ſanctitatem per negatiuã, vel negationẽ cniuſcũq; maculæ pro quocũq; inſtanti, & nõ ibi: cum vox eadẽ omninò, & eiuſdem vis, & ſignificationis vtrobiq; ſit: In eoſdem ergo caſſes, quos fugiunt, recidant neceſſe eſt, qui vim vocis *immaculata* perſonæ tribuũt, & Cõceptioni gratis negant: nam vt benè Tertull. lib. contra Praxeã c. 9. *Vtique omnia quod vocãtur hoc erunt: & quod erunt, hoc vocabũtur.* *Tertull.*

Tandem ſi obieceris infirmã ab hâc voce immaculatâ pro Mariæ immunitate deſumi argumentationẽ, cum in ſcriptura ſæpius dicantur *immaculati*, qui maculæ originali ſunt obnoxij, vt Pſal. 36. verſ. 18. *Nouit Dominus dies immaculatorũ*, & Pſ. 18. v. 14. *Tunc immaculatus ero, & emundabor â delicto maximo*, & Pſ. 17. v. 24. *Et ero immaculatus cum eo*, & alibi, immò verò Exodi 29. v. 1. & Leuitici 4. v. 3. & v. 33. & c. 14. v. 10. arietes, vituli, oues, & agni dicuntur *immaculati*. Reſpõdebo inſulſam quidem obiectionem eam eſſe, atque adeò frigidam, vt quod eſt in Prouerbio, Neronianas thermas refrigerare poſsit: cũ eâdem ratione homines dij dici poſsint, quod in Pſ. 8. v. 6. (ipſomet Dei Filio locutionẽ firmãte apud Ioan. 10. v. 34.) dicatur: *Ego dixi dij eſtis*, cũ tamen vox, quæ ſe ipſa diuinitatem præſefert, cũ hominibus tribuitur, diuinitatem minimè ſignificet, quod ipſis addicta aliã à diuinitate, a quâ ipſi lõge eũt, ſignificationẽ habeãt; cui enim ſit dubiũ Nomina, & epiteta ſecũdũ perſonas quibus dãtur fore accipiẽda: & aliter dici, Chriſtus immaculatus, vt ad Hebr. 9. v. 14. *Semetipsũ obtulit immaculatũ Deo viuẽti*, & 1. Pet. 1. v. 19. *Sed pretioſo sãguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incõtaminati*: aliter B. Virgo immaculata: aliter homines immaculati: aliter oues, & arietes immaculati: vt enim Chriſtus Dominus in diuina perſona ſubſiſtẽs, natura ſua immaculatº eſt: ita B. Virgini eo modo immaculatã eſſe cõpetit, vt Matrem Dei decet, ac proinde vndique immaculatam iuxta propriam vocis ſignificationem per negationem cuiuſcũque maculæ pro quocũque inſtãti dici debere. Quod quidẽ

Tertulli. IX *Pſal. 36 verſ. 18. Pſal. 18 verſ. 14. Pſal. 17 verſ. 2. Pſal. 81 verſ. 6. Ioan. 10 verſ. 34. Exo. 29. verſ. 1. Leuitici 3. verſ. 3 & verſ. 33. & cap. 14. verſ. 10. Hebr. 9. verſ. 14. 1. Petr. 1 verſ. 19.*

vt hominibus non conuenit: ita cũ eos immaculatos dicimus, minime volumus significare, sed eam puritatẽ illis subesse, quæ humanæ naturæ peccato originali subditæ, propria est: sicuti cum oues, & arietes dicuntur immaculati, ea tantũ extrinseca innuitur mũditia, quæ in pecoribus desideratur, ex quibus planè euincitur ex Conciliorũ, & PP. mẽte Deiparam eo sensu immaculatam dici, quod tota pulchra, & sine macula actuali, vel originali sit, nec aliud omniũ fidelium auribus tinnire Mariam esse immaculatam, quam ipsius Conceptionem immaculatam fuisse: atque hoc sensu ab ipso primo nascentis exordio (quod iam vidimus) Iacobum Fratrem Domini in sua Lythurgia dixisse: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram, Matrem Dei, & semper Virginem Mariam*: & iterum: *Commemorationem agamus sanctissimæ immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, &c.* Ea quidem necessaria ratione, quod vna Deipara *immaculata* per Antonomasiam dicatur, quod nulli vnquam è Sanctis hominibus, qui filij Adæ, siue filij iræ fuerunt, vnquam contigit, cuius puritas, atque munditia adspectu ad Mariæ puritatem à similitudine deficere videatur: sapienter id affirmante S. Georgio Nicomediensi in orat. 6 de oblatione Mariæ: vbi cum admirabundus dixisset. *Qualem oblationem fecit! Plane Deo dignam, nostroque ipsorum spirituali sacrificio, ac oblatione spiritualiorem, sacratiorẽque, ac pariorem nostra puritate*, subijcit. *Etenim vt nostra innocentia cũ ea comparetur, prorsus inuenietur à similitudine deficere, vt eius sanctitatis, ac incontaminatæ munditiei excellentiam æqualibus modis minime assequatur*. Sic ille.

X Nec omiserim plusplusid explicare ex appellatione Theotocos, si ue Matris Dei, quæ adeò B. Virginis Mariæ est propria, vt non sine insano errore alteri præter ipsam attribui possit, quod sola ipsa propriè, & verè dicenda sit Mater Dei, vt egregiè inquit S. Anastasius ad calcẽ narrationis *de exilio S. Martini Papæ*: vbi cum Mariam appellasset *sanctissimam, & præ omnibus sanctis colendam castissimam, & immaculatam, per benedictamque gloriosissimam, & excellentissimam omnium creaturarum, gratia plenissimã, gaudium facientem, & tribuentem Dominam nostram*, subdit: *Propriè naturâ, & veritate sola Dei genitrix semper Virgo Maria*: cum tamen plures ab officio sint Matres Dei, ipsomet Dei, ac Mariæ Filio affirmante. *Qui fecerit voluntatẽ Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & Mater est*, Matthæi 12. ver. 50. & Gregorio Magno hom. 3. in Euang. exponente: *Qui Christi frater, & soror est credendo: Mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & Mater eius prædicando efficitur*: Ecce ergo quâ ratione, & iusti dici possint, ac sint immaculati: & Maria dicatur immaculata: illi quidem ad eum modum, quo per vocabuli, & significationis eius extensionem, matres Dei etiam appellantur: Maria propriè vnice, & iuxta natiuam, ac germanam significationem tum Mater Dei, tum immaculata appelletur, ac sit, fide iubente Diuino Spiritu Cant. 6. vers. 8. *Vna est columba mea perfecta mea*: vbi ex Hebræa voce *tammathi* propriè legeris: *immaculata mea*, vbi cum dixit *vna*, omnino expressit, soli MARIÆ conuenire propriè immaculatam esse.

(*)

Iacobus, Apost. — *S. Anastas.* — *Matt. 12. v. 50* — *Gregor. Mag.* — *Georg. Nicom.* — *Cant. 6. vers. 8.* — *Lect. Hebr.*

IHS

DISSERTATIO IV.

DE ECCLESIA GRÆCA, ET cunctis Ecclesijs Romanæ Ecclesiæ subditis MARIAE immunitatem colentibus.

ECCLESIAM GRÆCAM MARIAM IMmaculatè conceptam ante mille, & ducentos (ad minus) annos solenni ritu coluisse.

ADNOTATIO I.

I ECCLESIAM Græcam siue in Missæ officio, siue in suo Rituali, nec non in Menologio Cõceptionem gloriosissimæ Virginis, vel ab ipsis Christi Domini Euangelistis, & discipulis edoctam solẽni cultu quotannis celebrasse solitam omnes Scriptores, quot Mariæ immunitati asserendæ fœlicem operam nauarunt: obseruant, & productis testibus confirmant: de quo vnum præ multis adi P. Petrum de Ojeda in informatione pro immaculatâ Mariæ Conceptione a cap. 4. Liturgias, Menologia, & Patres summa eruditione, & exquisitâ cura afferentem, & P. Ferdinandũ de Salazar in defensione pro immaculata Virginis Conceptione cap. 55. §. 4. Positis vero ijs, quæ isti PP. tradunt, & reuerenter obseruatis, ea modo pro hoc instituto, quæ nunquam hactenus Latinè visa, nec edita fuere, valde aucto censu ex Menæis Græcis adiungere, fuerit operæ pretium; auxiliarem ad id manum nobis amicè præbente R. Admodum P. Simone VVangnereckio nostræ Societatis egregio, & eruditissimo Theologo, qui præter aureum libellum inscriptum *Pietas Mariana Græcorum*, cuius initio huius libri meminimus, quo vix dici potest, quantum Deiparæ studiosos demeruerit, quod in illo plura antiquitatis vestigia pro Mariæ immunitate, quæ non ita aliunde hauriri poterant deprehendamus; modò ex ijsdem Menæis Græcis, quæ ipse prope diem Latinitate donata edenda parat, tum officium integrum Conceptionis die 9. Decembris ab Ecclesia Græca celebrari solitum, tum etiam Canonem Ecclesiasti-

A

B

C

P. Ojeda.

P. Salazar.

P. Simõ VVangnereckio

cleſiaſticum in die feſto Sanctæ Annæ concipientis; nobis hoc pietatis munus, & litterarium ſubſidium obnixe ab eo flagitantibus benignè, & liberaliter (quæ inſignis ipſius humanitas eſt) remiſit: cum amicâ, & eleganti epiſtola; cuius partem ad præſens argumentum opportunam ſubijcimus: eſt iſta. *Eruditum ſimul ac pium V. R. deſiderium (quo cætera quoque elogia Græcorum Mariana hactenus apud Latinos incognita ſingulari cum amore, & confidentiâ expoſcere à me dignatur) mirum in modum me excitauit iam dudum etiam ad ea, quæ mihi de hoc genere ad hunc reliqua ſunt, quibuſcumque modis potero ſacrarum Antiquitatum amantibus communicãda. Non enim hic tantum mea agitur cauſſa, quam potius Veteris Eccleſiæ gloria, cuius admiranda erga Magnam Virginem pietas (dum etiam ſuper omnia poſt Deum extollit, & prædicat) nuſquã euidentius cernitur, quam in Græcorum Veterum elogijs hiſce Marianis.* Subijcit poſt nonnulla humanè dicta: *Cæterum mitto nunc S. Andreæ Cretenſis Canonem Eccleſiaſticum de Anna Virginem Deiparam concipiente, quod eſt egregium ſanè de immaculatâ Virginis Cõceptione monimentum nunquam hactenus Latine viſum.* Hæc bonus Auctor, & alia poſt modum ante hunc canonem præſcribenda. Modo officiũ ipſum Conceptionis ab eodem Patre Simone VVangnereckio miſſum cum ipſiusmet Patris Scholijs præmittemus. Eſt titulus iſte.

Officium Diuinum Eccleſiæ Græcæ 9. Decembris celebrari ſolitum Cõceptionis S. Annæ, quâ illa Matrem Dei concepit.

Subijcit Auctor pro titulo: duo: alterum: *Agnoſcit hoc officium S. Sabbas, qui ante mille ducentos annos floruit in Rituali*, ſuo Hieroſolymitano: alterum. *Conceptionis vocabulũ hic vetus Eccleſia Græca accipit actiue, ſcilicet de Cõceptione, quâ cõcepit S. Anna: at Eccleſia Latina ſumit Conceptionẽ paſsiuè, quâ ſcilicet concepta eſt Virgo, ſed ambæ Conceptiones iſtæ in eũdem ſenſum recidunt.*

AD VESPERAS.

1 Quæ ſterilis erat, illa præter expectationem fructificans Virginem aliquando in carne Deum pariturã hilari iucunditate perfunditur, atque exultat, magna interim voce conclamans. Congratulamini mihi omnes tribus Iſraeliticæ; in vtero prolem gero, & ſterilitatis opprobrium nunc repello, ſicut nimirum placuit Deo benefactori meo, qui exaudiuit orationem meã, quique doloribus cordis mei medicinam attulit per vteri mei ad pariendum mundas diſpoſitiones, quas promiſit ſubdit Scholiaſtes: *Annæ concipientis lætitia diuinitus data, Conceptionis quoque ſanctitatem diuinitus datam indicat.*

2 Qui ex arida petrâ fontem aquæ produxit: ille nunc ventri tuo largitur fructum: o Anna! nẽpe perpetuam Virginem, è quâ tanquam petra promanabit ſalutis aqua. Nõ tu iam amplius ceu infrugifera terra incolis terram, & plane liberata es opprobrio tuo. Germinabis enim terram fructificantem, quæ ſcilicet fructificet ſpicam talem, ac tãtam, cuius beneficio totius humani generis opprobrium auferatur: quâdo quidem placuit Deo propter miſericordiæ viſcera alienam breui formam aſſumere.

Scholiaſtes: primum de hac ſtropha. *S. Sabbas in Rituali ſuo*, deinde vero: *Virginis Conceptæ comparatio cum petra oſtendit illam nulla vi peccati originalis, nec ad momentum cõminui potuiſſe, aut frangi. Item Anna terram fructificantem concepit: at ſi hæc terra ſpinas peccati originalis habuiſſet, verum non erat, terram hãc fructiferam fuiſſe tempore ſuæ Con-*

ceptionis: iam tunc autem fructificabat sanctitatem originalem hæc terra.

3 Prophetarum prædictiones nũc implentur. Mons enim Sanctus in Annæ viſceribus collocatur, & ijſdem ſcala inſeritur Diuina: magnus item Regis thronus hìc adornatur: præterea domicilium, in quo Deus pedem figat, intra hæc viſcera præparatur. Rubus quoque incombuſtus nunc in illis germinare incipit: inſtar etiam vnguenti fragrans ſanctitatis theſaurus ad ritum fontis iã in vtero Annæ ſcaturit ſterilitatis impetum reprimens, cuius rapacibus velut aquis avehebatur rerum diuinarum intelligens Anna, quam & corde fideli nunc laudamus.

Scholiaſtes: primùm *S. Sabbas, vel Auctor, vel Collector.* Deinde verò. *Hic concepta Virgo dicitur iam tum in vtero* mons Sanctus *propter originalem ſanctitatem, qua illa ſuper omnes homines in originis peccato naſcentes eminebat. Cætera quoq; ſymbola hic in Annæ vtero poſita primum Virginis momentum ab omni diaboli dominio, & peccati tum fœtore, tum aduſtione ſeù macula remotiſsimum fuiſſe conuincunt.*

4 Illud abſconditum Angelis, & hominibus Magnale Dei, illud inquam inuſitatum, & à ſæculo per oracula præſignificatum myſterium, nempe Maria Dei Filia in Annæ caſtæ viſceribus infantilem figurã accipit, & vna prꝛeparatur nunc ad habitationẽ Vniuerſalis ſæculorũ omnium Regis: & item ad reſtaurationem generis noſtri. Mariæ igitur agite in conſcientia purâ ſupplicemus exclamantes ad illam. Patrocinare nobis apud Filium tuum, & Deum, vt ſaluentur animæ noſtræ, vtpotè, quæ noſtrum Chriſtianorũ omnium præſidium exiſtis.

Scholiaſtes: primum. *S. Germani Patriarchæ: cuius nomẽ expreſsè hic in Menæus ponitur.* Pergit deinde.

Illud in Annæ vtero abſcõditũ Angelis, & hominibus Magnale Dei: illud inuſitatum, & à ſæculo per Oracula præſignificatum myſterium: illa in vtero Annæ iam tum Dei Filia Maria dici non poteſt, quod aliquando Dei abominatio, & diaboli mancipium fuerit.

5 Anna, ideſt, Diuina gratia (Scholiaſtes ſecundum ethymologiã nominis Hebraicè) aliquando pro ſobole impetranda preces fundẽs exclamauit ad Deum, & Creatorem omnium rerum. Adonai Sabbaoth, tu noſti quantum ſit ſterilitatis opprobrium. Tu igitur dolorem cordis mei diſsipa, & vteri mei cathara ctas aperi, atque eum ex infrugifero frugiferum redde, vt quod inde naſciturum eſt, tibi muneris loco afferamus, additoque plauſu, & hymnis glorificemus benignitatem viſcerũ tuorum, ceu per quam fuerit data mundo Miſericordia magna.

Scholiaſtes: *S. Germani Patriarchæ.* Deinde. *Anna ideſt Diuina gratia (vt eam hic appellant Menæa) concepit Virginem: eſt autem abſurdiſsimum dicere, quod Diuina gratia conceperit Virginem in peccato: Deinde Maria cum concipitur, dicitur* Miſericordia magna, *quã Deus dedit mundo (vt hic ſignificãt Menæa) atquè horrende abſonum eſſet, ſi hæc miſericordia magna per Deum mundo data fuiſſet aliquãdo inimica Deo, aut extra Dei gratiam poſita.*

Hactenus Officium Diuinum Eccleſiæ Græcæ die 9. Decembris celebrari ſolitum: ſubijcimus modo Canonem Eccleſiaſticũ ſupra promiſsum: de quo in præfatâ epiſtolâ cum dixiſſet prædictus Pater Simõ VVagnereKius, *Quod eſt egregiũ ſane de immaculata Virginis Conceptione monimentum*: hæc præmittit: *Sunt nouem numero Odæ, ſed ſecunda eſt omiſſa more perpetuo Græcorũ in officijs diuinis: quippe in prima Oda conſiderant illi perſonam quodam*

modo

modo Synanogæ adhuc ſanctæ, & integræ: at in Oda ſecunda eandem deteſtantur, vt iam à Deo degenerantem: hinc eam ſemper ſilentio trãſeũt: tertiam vero Odem dedicant Eccleſiæ Chriſtianæ, vtpotè Trinitatis cultui, qui ternarius ter in ſe ipſum ductus creat nouenarium hunc odarum propter nouẽ choros Angelorũ, qui sẽper collaudãt ter maximã Trinitatẽ

CANON ECCLESIASTICVS
in feſto S. Annæ concipientis.

EX MENÆIS GRÆCIS DIE 9. DECEMBRIS.

ODE PRIMA.

TVAM hodie concipiẽtis feſtiuitatem. O diuinarum rerum intelligens Anna! celebramus, quandò quidem ſterilitatis exſoluta vinculis, nunc concepiſti illam, quæ comprehenderet eum, qui nuſquam comprehẽdi poteſt. Iuſtorum exaudiſti, o Domine ſupplicationes: ſanctorumque progenitorum tuorum deſideria, & preces adimpleſti: ijs quippe puram Genitricem tuam attribuiſti, vt eâ tanquam ſuo germine gauderent:

A

Glorioſa nunc Anna concipit puram ſobolem, ſeu vt proprietas vocis Græcæ exigit, *nullâ maculâ contaminatam*, quæ aliquando concipiat Dominum carnis expertem, & bonum ſuper omnia: eademque Anna breui illam parturiet, quæ & ipſa in carne Chriſtum paritura eſt.

B

Theotocium, ſeu clauſula ad Deiparam.

Tu es, ò pura Virgo, mons ille Sãctus, quem præuidit in Spiritu Propheta, & ex quo eſt abſciſſus lapis, qui ſuo robore diuino contriuit altaria Idolorum.

C

Scholiaſtes: Græcè pro pura *eſt* agnin *ſumunt Græci Scriptores etiam prophani hanc dictionem exemplis in numeris pro hâc*: nullo prorſus vnquam næuo contaminata: *& ſæpe Menæa per hanc vocem*: agnin *abſque vllo alio, vel ſubſtantiuo, vel additamento, non niſi Deigenitricem intelligunt.*

ODE TERTIA.

SI fructum mihi ventris largiare (ad Dominum clamabat Anna) valde quidem ego à miſericordia tua magnificabor; cæterum hũc ipſum tibi fructum offeram, & ceu proprium dedicabo. Quæ cauſſa profecto fuit, cur Anna incontaminatam Deigenitricem in vtero cõceperit.

Tuam orantis vocem exaudiuit Altiſsimus, ò Anna, in paradiſo: ideòque ventri tuo fructum largitus eſt paradiſi nimirum illam progeniem, quæ nobis Gratiæ Diuinæ ianuam aperuit.

Scholiaſtes: *Vide vt Anna incontaminatam in vtero conceperit: hoc eſt ab omni labe Adæ remotiſsimam & expertem. Deinde vero: obſerua, notanter ab Eccleſia Græca Deum*

exau-

exaudientem vocem Annæ inducit in paradiſo, vt fructum paradiſi largiretur: ergo ſi Virgo fructus eſt paradiſi: procul ab eâ lolium, procul ſpina, nihil enim tale generauit paradiſus, tota ergo ab origine fructus benedictionis, & gratiæ.

Cum iuſta legis accuratè perfeciſſes ſeruiens Deo citra reprehenſionem, peperiſti mox Filiam, legiſlatorem nobis verum paritura: ob quam te cauſſam, O Anna omnibus veneranda! beatam dicemus quicũque inter fideles ſumus.

Theotocion, ſiue clauſula ad Deiparam.

Omnium ſacratiſsima Dei Genitrix ſubſidium credentium! in frugiferam ſterilitatem mentis meæ (obſecro) funditus profliga, animãque meam virtutibus fœcunda.

ODE QVARTA.

O Diuinum planè nuncium! ò famam, & ſermonem inuſitatũ! ſi nempè mihi quoque vis donetur concipiendi, reſonanti voce clamitabat Anna, miſsi ad ſe Angeli aduentu obſtupefacta: Gloria igitur Deo meo, qui facit mirabilia.

Cõgratulamini mihi omnes omninò tribus Iſrael: Concepi enim in vtero cœlum nouum: ex quo breui orietur ſalutis aſtrum, nempè verus largitor lucis: magnâ iterum vocis contentione iubilabat Anna.

Scholiaſtes: *Si Virgo iam tum in Conceptione ſuâ fuit cœlum? nihil igitur ei commune cum terra: ſi fuit cœlum nouum ideſt recens, ac nitidum,* non fuit igitur in peccati tenebris *concepta.*

Exaudiuit Deus Annæ ſuſpiria, atquè ad illius Orationem dignatus eſt attendere, ſimul ſterilitatis eius nebulam diſsipaturus, admirando eam lumine fœcunditatis illuſtrauit: vndè concepit Anna talem filiam, quæ ſola eſt pura.

Scholiaſtes: *Benè ab Anna talis filia concipitur, quæ ſola, & inconta minata eſt, quando fœcunditatis lumine illuſtrata dicitur: vbi etiam vide, iam tum lumen dici Virginem cũ conciperetur: nihil ergo tenebrarum originalium in ea extitit.*

Theotocion, ſiue clauſula ad Deiparam.

Virgo Dei Genitrix, quæ es tabernaculum incontaminatum, me nunc (quæſo) delictis contaminatum purifica per nitidiſsimas guttas miſerationum, atquè mihi manum præbe opitulatricem, vt tanto amplius exclamem: Gloria tibi (ò pura Virgo) quam Deus glorificauit.

ODE QVINTA.

ANNA, quæ germinauit ex radice Dauid, atque Ieſſe: hæc eadem nunc aliud ex ſe germen incipit progignere, nempè Virgam illam Diuinam, ex qua proſeminatur flos myſticus, ideſt, omniũ Creator Chriſtus.

Matrem me effectam (Anna exclamat) & intuebuntur populi, & obſtupeſcent. Ecce enim fructu grauidor ego ad ſingulare beneplacitũ illius, qui vincula diſſoluit ſterilitatis meæ.

Iuuenculam, quam concepi voce dudum prophetarum prænunciarunt: montem eſſe, atque portã nulli peruiam, hilariter alijs quoque præſentibus clamitabat Anna.

Scholiaſtes: *Portam hanc nulli peruiam, vtique nec originale peccatum penetrauit.*

Theotocium, ſiue clauſula ad Deiparam.

Nubem te lucidam, ac portam luminis, paradiſum item, menſam, atquè vellus te eſſe agnoſcimus. O pura ſimul, & Virgo, & Mater! Vnam denique, quæ in ſe manna dulcedinis pro toto mundo comprehẽdit.

ODE

ODE SEXTA.

QVomodo potuit vtero comprehendi (nempè communi more hominum) quæ Deum ipsum comprehendebat? Quo modo generari illa, quæ Christum genera-
A uit? Quomodo lactari demũ, quæ lactauit ipsum creatorem?

Scholiastes: *Manifeste hic indicatur, in concipiendâ hâc Virgine aliquid extraordinarium, & supernaturale concurrere debuisse, qualis est carentia peccati originalis.*

O plausu omnium celebratissimi coniuges, Ioachime, & Anna! cũ
B uestram Deus orationem ex audisset, mox vobis largitus est fructum fœcundissimum.

Anna columbam immaculatam concipiens in vtero impleta fuit verissimo spiritali gaudio: ideoque grato animo debitas Deo laudes cecinit.

Scholiastes: *En Virgo primo statim initio suo fuit columba immaculata, ergo minime fuit primò ex peccato originali coruus.*

Theotocium, siue clausula ad Deiparam.

Ter maximi cogitationum fluctus, prauarum itidem cupiditatum illecebræ, ac profundum præterea, peccatorum miseram meam animã exagitant tempestatibus. Opitulare ergo mihi sancta Domina.

ODE SEPTIMA.

VT in fœcunditatis sibi probrum effugere daretur, supplicabat Anna Domino Vniuersi, qui & motus misericordiâ exaudiuit vocẽ eius: pro quo suo Beneplacito singulari talem omninò fructum largitus
E est: ex quo ipsemet eius largitor nasceretur.

Regalis purpuræ nunc contexẽdæ in vẽtrẽ tuo fit initium ò Anna! quâ indutus Regnator cunctorum Deus spectabilem se mortalibus præbebit: in quâ & portandâ hostes, qui nos impugnant, humiliabit.

Scholiastes: *En Virgo primo statim initio suo in Sanctæ Annæ vtero materia fuit purpuræ Regalis, non ergo fuit crassus primo filus, & putidus pannus, id est peccato originali infectus.*

Suauiter fragrans vnguentum cõcipitur in vtero tuo, Anna, & quidẽ vnguentum tale in quo reciperetur ipse Dominus, qui est vnguentum vitæ æternæ, quique per habitũ è Gratia sua expirantem suaui mentes nostras odore imbuit.

Scholiastes: *Ecce tibi: Annâ primo statim creatæ Virginis momento* fragrans vnguentum *concepit, non ergo priùs concepit lutum originale, quod deinde in vnguentum mutaretur.*

Thetocium, siue clausula ad Filium Deiparæ.

Te, o Christe, secũ sacrosanctæ per
C sonam Trinitatis glorificamus, quia sine tui mutatione ex Virgine incarnatus proprietates hominum omnes accepisti; nostroque generi vnitus es. Patris tui natura. O IESV neutiquam exutâ.

ODE OCTAVA.

ILlam Dauidis vaticinio prædi-
D ctam ecce nunc in vtero concipio Reginam (exclamat Anna) pariamque præsidium, ac tutelam credentium cunctorum, quæ & ipsa parturiet aliquando Regem Christum.

Terra, quam inhabitet olim ipsius terræ Conditor, nunc incipit pullulare in vtero Matris Matrem Dei parituræ; illic item pullulat Regale Sceptrum. Arca Noui testamẽ
E ti, & Vas, in quo manna liteſcit.

In vtero similiter Matris Matrem Dei parituræ incipit iam pullulare Rubus incombustus, Candelabrum aureum, viuus Dei Dominatoris

thala-

thalamus, ac Virga denique pretiosa.

Scholiastes: *Huius Odæ sicut, & sequentis prædicata omnia â Beatâ Virgine (cum de illa in vtero Annæ conceptâ hic proferantur) in hoc sensu necessario ab illa excludunt peccatũ originale.*

A

Theotocion, siue clausula ad Deiparam.

Erige iacentem me in profundis vorticibus ærumnarum: expugna item inimicos, qui me nunc impugnant meam insuper animam incõditis voluptatibus vulneratam, nè ò Virgo negligas, aut despicias, sed miserere potius mei, ac salua me.

B

ODE NONA.

O Perum Diuinorum cognitione pollẽs Anna! accipè nunc gaudium singulare ob conceptum à te fontem, qui est ipsius vitæ receptaculum. Tu item, qui in vẽtre tuo sanctum suscepisti templum, quæque cæpisti hodie lumine iustitiæ illuminari. Tu (inquam) tuum idcirco magnifica Creatorem.

C

Scholiastes: *Anna cõcipiens Virginem* lumine *tunc* iustitiæ illuminata *dicitur. Ergo ex Ecclesiæ Græcæ mente nihil tunc tenebrarum peccati originalis intercesserit.*

Coniugum hæc biga venerabilis & insigniter decantata. Isti, aio, auiti, sobolis ante sæcula existẽtis progenitores, qui à legis diuinæ accurata semper custodia sunt celebrati, qui denique primitias gaudij nostri, genuerunt, Ioachim, & Anna (inquam) singulari a nobis honore afficiantur.

D

Hymnis quoque prosequamur Virgineam Genitricem Dei, quæ olim Danieli magnus: at verò Ioeli terra sancta esse visa fuit, quamque sancti Prophetæ alterius oraculaportam imperuiam, fontem signatum, vellusque diuinum nuncupa-

E

runt, hodie proinde glorificatur. Genitrix Dei Virgo ceu quidam color purpureus, quo lana Verbi ineffabiliter incarnati tincta fuit: ceu item thuribulum aureum, atque mensa Christo reponendo destinata. Ecce tibi Canonem Ecclesiasticum Ecclesiæ Græcæ egregiũ sanè de immaculatâ Conceptione Deiparæ monimentum, in quo mille modis Virginis immunitas adstruetur, & festum diem Conceptionis solemni ritu celebratur. Quod si sciolus aliquis obijciat, nihil nos festum Ecclesiæ Græce pro asserenda Virginis immunitate, quemadmodum festum Ecclesiæ Romanæ, adiuuare, quod Græcę Ecclesia festum Conceptionis S. Ioannis Baptistæ, quæ à peccato originali non fuit immunis itidem celebrare soleat: expeditus sim primum ad manum responsionem habemus (scientibus Græcam linguam loquor) multo aliter ab Ecclesia Græca festum Conceptionis Deiparæ, ac Ioannis (si tamen Conceptionis Ioannis ab ea festum agitur, de quo statim.) Nimirum de Mariæ Conceptione (vt notarunt Petrus Galatinus lib. 7. de *Arcanis Fidei*, & ab eo P. Gabriel Vazquez in 3 part. tom. 2. disp. 117. cap. 5. & vtrumque citans P. Petrus de Ojeda in informatione *pro immaculatâ Cõceptione*, cap. 4.) signatè, disertè, & expressè affirmatur immaculatam esse his verbis: *Conceptio munda Beatæ Annæ Dei, & Domini nostri Aniæ*: vbi Græcè est. *Prosyllepseos agne*: Græca vero vox *agnè* ea est de qua initio huius adnotationis diximus, exemplis innumeris significare *rem puram, nullo prorsus vnquam næuo contaminatam*: De Ioannis autem Conceptione nihil tale profertur: immo vero, quod omninò notãdum est (nè incerta pro certis, vocãtes ea quæ non sunt, tanquã ea quæ sunt, nobis obtendant) Ecclesiam Græcam non instituisse festum Cõ-

ceptio-

ceptioni Ioannis Baptistæ, sed potius Annunciationi Angeli ad Zachariam de prole futurâ sub hoc titulo: *Albaßaroth Ioannis*, ideſt *Annunciatio*, siue *Euangelizatio Ioannis*: qui quidem titulus omninò respondet verbis Angeli, apud Lucam cap. 1. vers. 19. *Missus sum hæc tibi Euangelizare*: & differte ponitur à Copritis in computo Paschali Arabis, cuius meminit Iosephus Scaliger lib. 7. *de emendatione temporum*. Quod planè efficaciter confirmatur ex traditione Ecclesiæ Syriacæ, quæ Græcæ indiuidua comes est, vt ex vtriusque linguæ versionibus apparet: Nam in versione Syriacâ noui testamenti ad hæc verba Lucæ in margine apponitur. *Lectio in matutinis Annunciationis ipsius Zachariæ*: vbi vides murum, quem nobis aduersum festum tam Græcæ, quam Romanæ Ecclesiæ, vt ahæneum obijciebant, inuentum esse luteum, & caducum.

Peculiaria Ecclesiæ Græcæ pro Deiparæ immunitate monumenta.

ADNOTATIO II.

I SVPPETVNT etiam in Menæis siue Rituali Ecclesiæ Græcæ egregia pro immaculatâ Virginis Conceptione testimonia, quæ ipsa Diuinis laudibus de industriâ inseruit, vt mentem suam circa MARIÆ immunitatem omni modo, & ratione manifestam, & testatam redderet. Etenim die 25. Martij homil. *de Annunciatione*, cum totam Dominicæ Incarnationis œconomiam ita patefeciſſet. *Ille misericors, & amator hominum Deus, cui perpetua de mortalium commodis cura, ille (in quam) ceu genitor pelculsus amore liberorum, cum opus manuum suarum à diabolo tyrannicâ seruitute oppressum, atque ad rerum turpium desideria, & ipsam quoque idolatriam abreptum videret, statuit Filium suum Vnigenitum mittere, qui genus humanum à diaboli manibus vindicaret*: Statim sensum suum de connexione immunitatis Deiparæ cum Dominicæ incarnationis Sacramento, sic disertissimè expressit. *Quoniam verò Decretum hoc suum, cum ab ipso Satanâ, tùm à cœlorum quoque virtutibus ignorari voluerat, primò quidem prouidentiâ singulari perfecit, vt Sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio tam omninò existeret pura, quam esse puram decebat illam, quæ tanto Bono, ideſt Christo digna existeret.* Hæc Ecclesia Græca: Potuit nè luculentius, aut explicatius perpetuam MARIÆ puritatem affirmare? cum dixerit prouidentia singulari Deum perfeciſſe, vt ipsa ab ipso vitæ suæ principio omnino existeret pura. Dabis nè alios explicatus his verbis? aut inuenies rimam, quâ elabi possis ab eius vi, & efficacitate?

Nec minus opportunè die 5. Maij Ode 3. de Sanct. Iræne M. in Clausula MARIAM immaculatè Conceptam asseruit, hunc in modum: *Mors instar flaminis ruens apud te perdidit vires. Quo sanè facto permoti Primitias Te immortalitatis vocamus.* Ita ibi: Pende accuratum dicendi modum quo Ecclesia exortem à lege communi, & originali macula Deiparam asseruit, dum mortem peccati imbellem, & sine viribus apud ipsam fecit: vt hinc merito primitias immortalitatis eam appelle-

II

mus, quæ nulli mortis ſpiritualis actui ſubiacuit: Quo etiam ſenſu eadem Eccleſia die 4 Iunij poſt Stichologiam ſecundam *de S. Metrophane Archiepiſcop. Conſtantinopolit.* itidemque die 2. Iunij Ode 9. *de S. Nicephoro Patriarchar. Conſtantinopolit.* in clauſula: in Virgine velut in radice immortalitatis totum negotium ſalutis humanæ peractum fuiſſe ſic affirmat. *Collaudemus Radicem immortalitatis, Paradiſum ratione pollentem, atque totius Orbis terrarum grandem theſaurum. In hac enim Virgine negotium mundi ſaluādi confectum eſt, ſimulque ſingulis hominibus originalis peccati venia parta:* vbi præter paradiſi imaginem, quæ hùc item facit, obſerua Deiparam radicem immortalitatis appellatam, vt nullum omnino commertium, cum morte à vitæ ſuæ principio habuerit: nihil ei de fructu læthali, & vitiata origine adhæſerit, quæ radix immortalitatis fuit, ideſt ab ipſamet radice, & initio ſui extitit immortalis, ſeu libera à morte peccati.

III Concinit ſibi alibi Græca Eccleſia, affirmans nihil in MARIA fuiſſe, quod Naturæ modum non exceſſerit: atque gratiæ ipſius dotes omni humana comparatione maiores extitiſſe: primò enim die 31. Martij Ode 8. de Sanct. Hypatio M. in clauſula hæc habet. *Nimirum omnia tua, ô Genitrix Dei! conditionem humanam excedunt,* & eodem die Ode 3. *In te quippè mores innouantur, ac leges naturæ:* Deinde die 2. Iulij Ode 9. Canonis ſecundi *de Virginis veſte Conſtantinopoli aſſeruata*: ita Deiparam affatur. *Tuam inexplicabilem gloriam: Tuas item collatas Tibi gratiæ dotes omni comparatione maiores modulamur, per hymnos, Tu enim fons exiſtis Sapientiæ, vnde Sapientia Diuina omnibus tui cultoribus perfruenda procedit:* ita ibi: Obſerua tum Gratiæ Deiparæ dotes, & excedere humanam conditionem, & comparatione humana maiores eſſe, quæ quidem elogia à Deipara communem labem repellunt, quæ humanæ conditioni ſubeſt, & intra humanam comparationem eſt: tum etiam ipſam dici Sapientiæ fontem, in quo planè illa vitiata peccati originalis origo, ſiue riuulus eſſe minimè poteſt: cum fons prior riuulo ſit. A quo non abit, quod die 20. Iunij Ode 9. *de Sanct. Methodio Patarenſi*, ſic habet. *Te nouæ legis Arcam vocamus, vnaque Nouæ Legis tabulam ab ipſo Numine ſculptam, cui ſuum Deus Verbum inſcripſit.* Pulchrè *Nouæ Legis tabula* à veteri peccati lege, & communi antiqui delicti contortio aliena: pulchrius, *ab ipſo Numine ſculpta*, vt Conceptionis MARIÆ, non niſi Deus Artifex fuerit. Sed illud mirificè hæc omnia firmat, quod eadem Eccleſia die 9. Martij in veſperis *de Sanct. Canone*, Deiparam ſalutans, ſic inquit. *Salue quâ nihil vnquam magis peregrinum inter mortales auditum! Salue paradiſi lignum ab ipſo Deo plantatum! Salue extirpatrix dæmonum! Salue ò gladie vtrinque acute hoſtis noſtri caput abſcindens!* Preme, immò quin premas, vide MARIAM omninò peregrinam inter mortales, vt nihil penitus humanæ conditionis Legi communi peccati, & vitiatæ originis obnoxiæ habeat; ac proinde inter accolas, & ciues mundi peregrina dici merito debeat: Deinde verò ipſam paradiſi: lignum dici, non quidem ab Adamo peccatore, ſed ab ipſo Deo plantatum.

Sunt his illa conſentanea, quibus IV alijs in locis Eccleſia Græca omnē omninò pulchritudinē Deiparæ attribuit: immò illā, Pulchritudinē ipſam eſſe affirmat: ita enim 4. Ianuarij Ode 1. *de S. Theoctiſto* in clauſula ait: *Agite, illam Caſtam*

mentem

mente similiter castâ, vt verè beatam prædicamus. Pulchritudinem scilicet, quam Deus dilexit, Iacobus ille cœlestis, quamque à se electam velut Tabernaculum sanctificationis incoluit. At qui si Deiparæ ipsamet pulchritudo à Deo dilecta, & electa velut tabernaculum Sanctum est, quo modo nævus aliquis culpæ ei subesse potuit? Nam pulchritudo, quæ omnibus numeris cõstare debet, nævum non patitur: Sãctitatis etiam tabernaculum peccatum, & sordes nõ admittit. Id quod ipsa Ecclesia die 4. Ianuarij Ode 3. de S. Theoctisto, ita confirmat. *Tu palã designata es Porta Solis ex alto progressi. Tu thronus Regis excelsus. Tu scala sublimis, & ad Cœlos vsque porrecta, per quam Christus, ò nævis omnibus libera Virgo! descendit*, ita ibi, & die 25. Martij Ode 3. & 4. *de Annunciatione:* Angelum Mariæ in salutatione illius turbatæ sic alloquentem facit. *Ego ex Angelis Deo adstantibus vnus ablegatus sum hùc ad indicandam Tibi voluntatem Diuinam. Quid me pertimescis? ò nulli vnquam nævo subiecta!* Sed & præfata die 4. Ianuarij Ode 4. de Sanct. Theoctisto rursum ait. *Ad te dies, noctesque, ò præ omnibus inculpata! clamabo, & hac ratione saluabor.* Sed illud maiorem emphasim habet, quod alibi docet; nempè Mariam vnicam inter omnes mulieres formosam ab eo, qui vnice formosus est, repertam, atquè ideò in Matrem electam: Sic enim habet die 7. Februarij Ode 4. *de S. Luca Monacho* in clausula. *Vnicus ille formosus cũ Te vnicã quoq; inter omnes mulieres Formosam reperisset, ò venerabilis Virgo! Tuam mox vterum incolere cæpit:* Nimirum hæc omninò tinniunt Deiparam vnicã iustitiæ originalis nullâ vnquam labe corruptæ pulchritudine præditam; est enim compositio vnici formosi cum vnicâ inter omnes formosa, quæ plane euaneſceret, si hæc illi non subesset epitasis, vt expendenti patebit. Quem etiam sensum habet Agnæ appellatio, quam Ecclesia Græca Deiparæ tribuit, dum simul Dei Filium propter omnimodam munditiam Agnum appellat die 20. Martij in vesperis *de SS. MM. in Monasterio Sanct. Sabbæ occisis:* exclamans: *O innocentis Agni genitrix Agna! qui ad peccata totius mundi proprio sanguine persananda aduenit.*

Est etiam opportuna Deiparæ immunitati appellatio Splendoris, quâ iterum, atque iterum Græca Ecclesia ad significandam MARIÆ dignitatem vtitur: Sic enim apud Menæa habetur die 7. Martij in vesperis *de SS. MM.* Basilæo, & Socijs. *Salue, quæ es Solis inaccessi vehiculum, & Radiorum loco ipsummet Solem emittis cunctarum mentium captu maiorem! Salue Mens Diuinorum ignium sublimibus velut excubijs fulgens! Salue splendor, qui scintillas, vt fulgur, vnaque totum terrarum orbem illustras! Splendor auteis tutulans radijs! Splendor omni genere venustatẽ decore! Cuius nobis exoriens lumen occasum, non habet.* Hæc ibi. Ad quæ verba omitti non debet optimi Scholiastis optima adnotatio, splendoris imaginem ita elucidantis, & diffundentis. *Splendorem Menæa Virginem vocant satis argutè, nempe* splendorem, *qui prodiit* ex sole iustitiæ *Christo, è quo vicissim splendore ipse etiam Christus tanquam* lumen incarnatum, quod occasum non habet, *exortus fuit. Repugnat autem* splendori *tenebras habere, nam si tenebras habet,* splendor *non est: immò cum tenebræ sint* absentia lucis (vt loquitur S. Isidorus libr. 13. originum cap. 10.) *non potest, vel vno momento* splendor *cum* splendoris *absentia, ideſt cum tenebris* iungi. *Vndè splen-*

dor MARIA (*vt illam vocant hoc loco Ecclesiæ Græcæ Menæa*) *ex eius mente, ac sensu nec vno momẽto culpæ tenebras habuit.* Hæc Scholiastes. In quem statim sensum adducit S. Vincentium Ferrerium, qui hãc argumentationem ex natura lucis desumptam ceu multo verisimam amplecti non dubitauit serm. 2. *de Conceptione Virginis*: vbi expendens illa Geneſis verba: *Fiat lux* affirmat *generationem* MARIAE *instar lucis absque tenebra culpæ peractam.*

VI Habet autem sensum communem cum hac splendoris similitudine Radij imago, qua ipsissimam Mariæ Conceptionem Ecclesia Græca explicat, & illustrat die 25. Iulij Ode 3. *de obdormitione S. Annæ*, hũc in modum: *Velut Sol quidã cum Luna coniunctus, inclytus Ioachimus, cum Anna Radium Virginis produxit, è quo deinde Radio seseipsius Diuinitatis splendor diffudit*: Quid illustrius, aut magis ad rem? Sunt verò eiusdem coloris, quæ indidem Ode 5. sic inquit Ecclesia: *Glorioſa Anna! Tu genuisti cœlum in terra, quod cœlum paulò post enixũ est Artificem cœli, qui te cœli Matrem ad cœlestia glorioſe traduxit*: Et quæ ibidem Ode 6. habet: *Omnibus encomijs maior est Anna, quia in lucem nobis edidit illam præfloridam Virgam, & omni prædicationemaiorem, quæ ex se protulit florem, qui nunquam marceſcet.* Et quæ in vesperis eiusdẽ dici sic canit. *Salue ò terra benedicta Anna, quæ florido partu terram Numinis fœtã Mũdo protulisti! Quæ Diuinã Legẽ exercitio indesinẽti amplexa Legis gratiæ prima lineamenta pro omnibus duxisti, dum nimirum vincula sterilitatis per Virginis tãtæ Natiuitatem dissoluis.* Hæc ibi vbi omninò apposite inducitur B. Anna in Conceptione Virginis prima Legis gratiæ lineamenta ductans: vt innuatur, ipsam à gratia inchoatam, & in gratia fuisse perfectam.

VII Quò etiam manifestè eunt egregia puritatis, & sanctitatis epiteta, quæ Ecclesia Græca Deiparæ attribuit, cum quibus originalis macula non benè se gerit: Nimirum die 24. Martij in vesperis minoribus Annunciationis, Gabrielem sic Deiparam salutantem inducit. *Aue ò purum valde Diuinitatis vehiculum! Te ab æterno Deus dilexit. Teque item ab æterno ad suam habitationem elegit*: & die 20. Februarij Ode 3. de S. *Charalampo* in clausula: *Tu omnium Sanctiſsima peperisti Sanctum Sanctorum planè pura Sanctitatis Domus*: Et die 12. Maij Ode 3. de S. Epiphanio: *Christum Sanctum Sanctorum sanctè peperisti, ò Sanctũ sanctitatis tabernaculum!* & die 25. Iannuarij *de S. Gregorio Theologo*: statim ante Canonem: *Salue, ò throne forma ignea splẽdide, in quo residet* IESVS *rerum omnium Dominus. Salue incorruptum, & illustre Sacrosanctæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti conceptaculum!* Vbi dum Ecclesia Græca Virginem indigitat thronum formaignea splẽdentem, omninò respexit ad illud Danielis 7. vers. 9. *Antiquus dierum sedit, Thronus eius flamma ignis.* Nimirum huius Virginis à principio vitæ, & primo suæ Conceptionis instanti *omnia tam excellenter irradiata noscuntur* (inquit Bernardus sermon. de verbis Apocalypsis) *vt nihil in ea non dico tenebroſum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, ac nec tepidum quidem aliquid aut non ferventiſsimum liceat suspicari.* Præterea die 4. Ianuarij Ode 6. *de S. Theoctisto* in clausula. *Qui solâ voluntate cælum extendit: hic alterum Te cœlum in terra produxit, ò genitrix intaminata! atque idem ex te tanquam, sol nobis caligine preſsis illuxit*: Et die 9. Iulij Ode 9. de sancta Theodote M. *Tu propalam*

Daniel 9. vers.

Bernar.

agnita es pro Christi omnium Regis, & sponsâ, & Matre, vt quæ ab æterno fulsisti creaturis omnibus sanctior. Vbi si verè æstimas; Deipara vt ab æterno fulgens sanctitate cognita, perpetuam gratiæ lucem habuisse significare videtur. Hæc modo Ecclesiæ Græcę pro Maria immaculatè conceptâ testimonia, dedisse contenti sumus, post modum alia ex peculiaribus eiusdem Ecclesiæ PP. daturi.

Cunctas Christiani Orbis Ecclesias cum suis Episcopis MARIAM immaculatè conceptam credere, ac profiteri.

ADNOTATIO III.

I NOuâ pro MARIÆ immunitate argumentatione à communi Ecclesiarũ omnium quæ per totum terrarum orbẽ constitutæ sunt sensu, & consuetudine vsurus, merito vsurpauero verba Tertulliani lib. *de testimonio animæ* cap. 1. *Nouum testimonium aduoco: immo omni litteraturâ notius, omni doctrinâ agitatius, omni editione vulgarius, toto homine maius: ideſt totum quod est hominis:* Quod nam que fortius, efficacius, notiusque argumentum veritatis opinionis piæ fuerit? Quam oculis videre, & auribus audire omnes omninò totius Populi Christiani Ecclesias MARIÆ immunitatem amplectentes, colentes, & in eius honorem, & cultum festum solenni pompa celebrantes, tum Concione ad populum habitâ, in qua Conceptio, vt immaculata summis ad cœlum laudibus extollatur: tum etiam in Matutinis precibus *Sanctam* toto ore canẽtes? Sanè vt non solum Germanæ filiæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesię sese esse profiteantur, sed etiã Apostolicum spiritum sibi subesse ostendant: ita quidem ab Ecclesijs toto orbe diffusis ad Ecclesiam vnam, & Catholicam Apostolorum spiritum, & doctrinam habentem sapiẽter argumentabatur idem Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 20. vbi cũ de Apostolis Ecclesias per Orbem fundantibus, dixisset. *Primo per Iudæa cõtestata fide in Iesum Christum, & Ecclesijs institutis, dehinc in Orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt,* ita subijcit: *Et proinde Ecclesias apud vnam quamque Ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, vt Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum:* Pergit reddens rationem. *Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ vna est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes: sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam probant omnes vnitatem.* Hæc Tertullianus pulchrè vsus eo dicendi modo: *traducem fidei, & semina doctrinæ:* nã traduces sunt, quãdo ramusculi plures ex vno trunco, vel vno vitis brachio diffunduntur, & in aliũ locum deducuntur inuicem connexi, idem fere, quod propago: vt inde efficaciter adstruat, singularum Ciuitatum Ecclesias à primæuâ illa vna, & Catholica Ecclesia ebibisse. Cui quidem sensui adeò firmiter adhæsit Irenæus M. lib. 3. contra hæreses, c. 4. vt dixerit. *Quod etsi de aliqua modica quæstione disceptatio orta*

Idem.

Tertull.

Irenæus

fuisset, nonne oporteret, in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum, & reliquidum est? Et statim eadem mente. *Quid autem, si neq; Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis: nonne opportebat, sequi ordinem traditionis, quam tradiderũt ijs, quibus committebant Ecclesias?* Sic Irenæus.

II En ergo quam sit efficax ab Ecclesiarum sensu, & vsu pro MARIÆ immunitate confectum argumentum: Quod libet proponere ijsdem verbis, quibus vtitur Ambrosius Catharinus in disputatione pro immaculatâ Conceptione lib. 3. in principio: Sunt ista: *Adijcitur testimoniũ Ecclesiarum vniuersi Christiani orbis, quæ tanto tempore, & annorum serie hanc celebritatem seruarunt. Sunt enim pœnè quingenti anni, ex quo hoc festum cœpit alicubi celebrari, qui mos creuit semper, vt & Romana Ecclesia circiter annos octoginta eam celebrationem magno cum fauore, atquè indulgentiarum honore recepit, cuius certè sola auctoritas persuadere deberet, siquidem, & particulares aliquæ Ecclesiæ tantæ sunt auctoritatis, vt & maiorum, clarorumque Doctorum sententijs earum consuetudines præferantur: vel ipso Caietano teste, cuius verba hæc sunt.* Ad quæ fundamenta (*quorumdam enim sacrorum Doctorum opiniones præmiserat*) si liberè respexerimus, nullum cogentem inuenimus habere rationem, nisi vltimum (*ideſt aliquarum consuetudo Ecclesiarum*) propter auctoritatem Spiritus Sancti gubernãtis Ecclesiam. Nam ob similes particulares consuetudines venerabiliter sustinent Theologi plures Sacerdotes conse crare eandem hostiam: Sic Caietanus 3. part. quæst. 74. art. 3. *Si ergo alibi Thomæ Auctoritas, & aliorum plurium aduersus paucarum Ecclesiarum ritus reijcitur, quia præferenda est Spiritus Sancti auctoritas gubernantis Ecclesiam: cur hoc similiter in re proposita pro Christi Matre non recipitur? cum omnes tãdem Ecclesiæ, & quæ est omnium aliarum Mater, & Magistra hoc ipsum ore apertissimo celebret.* Hactenus Catharinus: vt videris, me non omninò inepte cum hoc Ecclesiarũ testimonium proposui, dixisse Tertulliani verbis: *Omni litteratura notius, & toto homine maius esse:* reddente rationem Caietano: *Propter auctoritatem Spiritus Sancti gubernantis Ecclesiã,* & pro ipso fideiubẽtibus Hieronymo, Augustino, & S. Thoma: dum hic 2. 2. quæst. 10. art. 12. hæc scripsit verba, quæ in omniũ ore, & sensu sunt. *Dicendum est, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ in omnibus imitanda est, quia & ipsa Catholicorum Doctorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet. Vndè magis standũ est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini, vel Hieronymi, vel alterius cuiusquam Doctoris.* Augustinus verò epist. 118. cum cuidam dubitationi sibi propositæ sic primum respondisset. Ad hæc itaque ita respõdeo, vt quid horum sit *faciendum, si Diuinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus,* subijcit: *Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Tandẽ vero Hieronymus in epistola ad Lucinum in eandem sententiam, sic inquit: *Ego te illud breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ Fidei non officiũt, ita seruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti.* Hæc PP.

III Iam verò vt certum nobis, & exploratum sit, omnes omninò orbis tam veteris, quam noui Ecclesias immunitatem Virginis à peccato origi-

Cathar. *Caietan.* *S. Thom.* *Augus.* *Hieron.*

originali credere, profiteri, ac celebrare, iuuat tamen penſiculatius id expendere, nec ſub tã generali propoſitione argumentari; quinimo, quando cunctas connumerare infiniti laboris fuerit, nonnullas quidẽ ſingillatim in medium proferre, & vt ab Orientalibus incipiam, præter ea, quæ de Eccleſia Græca iam diximus, erudite obſeruat P. Petrus Ojeda noſtræ Societatis Theologus eximius, & de B. Virginis immunitate optimè meritus *in informatione Eccleſiaſtica pro immaculatâ Virginis Conceptione*, à cap. 2. Eccleſias Syriæ, Ægypti, & Armeniæ traditione à B. Marco Euangeliſta acceptam puriſsimam Deiparæ Conceptionem ab ipſis orientis Eccleſiæ primordijs feſtiuis gaudijs celebraſſe: vbi etiam in titulo feſti acutè expendit vocem Syriacam, quæ propriè Conceptionem ſonat: Deinde verò cap. 3. eandem feſtiuitatem in Eccleſijs Abyſinorum in Africa bonis fidei uſſoribus datis celebratam oſtendit: ſignatè ibi inter alia appingens hanc precationem ex Rituali, quo illi in Sacramento Baptiſmi adminiſtrando vtuntur: *Interceſſione plenæ gratia Virginis Genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus eſt ſancta.* Præterea cap. 4. Eccleſias Græciæ admirabili illa Andreæ Apoſtoli doctrina, cuius ſæpius meminimus imbutas immaculatæ Virginis Conceptionis ſtudioſiſsimas ſemper extitiſſe docet, vbi præter plura affert tum pulcherrima illa verba Liturgiæ decimæ, quam cum cæteris adiuenit, & nobis fruendas dedit Genebrardus. *Qui conſecuti ſumus gaudium in tuo conceptu, ô planè immaculata! ſalutamus te cum Angelo clamantes. Aue Mater Emmanuelis, & Saluatoris noſtri.* Tum etiam imperialem legẽ Emmanuelis Comneni Imperatoris Orientis, quæ feſtos anni dies præſcribens inter eos menſe Decembri feſtum Cõceptionis Deiparæ, ſic refert. *Nono Decembris, vtpotè quod in eo peragatur Conceptio Caſtiſsimæ Matris Dei Noſtri.*

Ojeda. A B C D E

Subinde verò P. Ojeda à cap. 5. conuerſus ad Occidentales Eccleſias, ſignatè verò ad Hiſpanas, illas ab ipſismet Apoſtolorum temporibus, à doctrinæ de Deiparæ immunitate amplexu feliciſsimas extitiſſe multis probat argumẽtis. In quorum confirmationem adde ſis duo: alterum quod habet Cardinalis Baronius *in adnotationibus ad Martyrologium Romanum* pro die XV. Maij, vbi dum tam illud, quam Martyrologia Bedæ, Vſuardi, & Adonis tradunt Cæcilium, & ſocios à Petro, & Paulo Epiſcopos conſecratos in Hiſpaniam ad fidem Chriſti diſſeminandam miſſos fuiſſe, hæc teſtimonio Põtificis Gregorij VII. in epiſtola ad Alphonſum Regem Caſtellæ, ita confirmat. *Septem Epiſcopos ab vrbe Roma ad inſtruendũ Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo directos fuiſſe, qui deſtructa Idololatria Chriſtianitatem fundauerũt, & Religionem plantauere, & officium in diuinis cultibus oſtendere, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicauere.* Ex quibus iure crediderim Eccleſias Hiſpaniæ ab his Sanctiſsimis Epiſcopis ab Apoſtolorum Principibus miſsis *officium in diuinis cultibus* ediſcentes Deiparæ immunitatem exinde concelebraſſe, & modo celebrare, & perpetuò celebraturas fore, pulcherrimum, & ſanctiſsimum hũc cultum conſtantiſsime vſque ad finem mundi retinentes: Alterũ: Almam, atque præclaram Eccleſiam Segouienſem ab Apoſtolorum temporibus per Sanctiſsimum Ierothæum fundatam peculiare ſacellum immaculatæ Conceptioni dicatum cum hac omninò per ſacelli circuitum ſcriptâ dedicatione habere. *A tempore Ierothæi B. Pauli diſcipuli, & huius Ciuitatis primi Præſulis illibata*

IV

Baron.

Gregor. PP.

Genebr.

tam

tam Conceptionem Sanctiſsimæ Virginis Deiparæ Mariæ toto cordis, & mentis affectu hæc Eccleſia, & tuetur, & celebrat, & tãdem voto, & iuramento firmauit octauo die Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo. Dũ vero ego pro exactâ veritatis cognitione ſemel, & iterum, & ſæpius a ſenioribus Eccleſiæ viris exquiſiui, quo fideiuſſore dato hic immunitatis Deiparæ cultus ſanctiſsimo Ierothæo adſcriberetur, omnes omninò, penesquos eius rei iudicium eſſe poterat, concorditer reſpondebant, traditionẽ eſſe a maioribus acceptam, de manu in manum ad ipſos deuolutam, vt mihi importunè eos de hâc traditione percontanti, & exagitanti videantur ſatisfeciſſe verbis Chryſoſtom. hom. 4. in epiſt. ad Theſſaloniceſes. *Traditio eſt, nihil quæras amplius, non omnia Apoſtoli per epiſtolam tradiderunt, ſed multa etiam, ſine litteris, eadem verò fide digna ſunt tam iſta, quam illa,* vel etiam reſpõſione illa illius Hillel, cuius apophtegma ex Druſio refert eruditiſsimus Ioannes Ludouicus de la Cerda 2. tom. in Tertullianum ad lib. *de Carne Chriſti*, num. 50. *Is eſt ſenex ille, quem Ioſephus vocat Pollionem, quem cum quidam rogaret, quot leges apud vos ò ſenex? Duæ reſpondit: vna videlicet ſcripta, & altera, ore tradita. Cumque diceret ſe adduci nõ poſſe, vt credat aliam eſſe legem, præter ſcriptam: ibi Hillel. Mi fili (inquit) ſede, & ſcribe Alphabetum. Quod cum factum ab eo eſſet: rogauit, quæ nam eſt hæc littera?* Aleph *inquit: Quænam illa?* Beth: *Rectè. Sed vnde ſcis, hanc litteram eſſe* Aleph, *& non* Beth: *illam vero eſſe* Beth *& non* Guimel? *Ad hæc ille: Quia maiores mei ita docuerunt. Tum Hillel. Si credis (inquit) quia maiores ita docuerunt, crede & legem eſſe non ſcriptam, quæ ore tradita ſit. nam & hoc quoque ijdem docuerunt:* ita ibi:

Chryſoſ.

Cerda.

His ergo & nos inſtructi libenter inſcriptioni Segouienſi, & Chryſoſtomo aſſentimur dicenti. *Traditio eſt nihil quæras amplius.*

Nec fuerit opus ſingulas ſingillatim Eccleſias connumerare, ſed cũ omnes omninò, quæ ſiue in Hiſpania, ſiue in vaſtiſsimis Indiarũ oris, ſiue in Italia, Gallia, Germania, Polonia, & cæteris Orbis plagis ſibi in cogitationem venerint: de omnibus ſecurus, affirmaueris, Deiparæ Conceptionem profiteri colere, & celebrare, non perfunctoriè quidẽ, ſed ſolemniter, profuſis gaudijs, & maximæ deuotionis ſignis datis: tũ habitâ egregiâ concione ad populum, in qua immunitatis Mariæ myſterium explicatur, elucidatur, atque extollitur cum ingenti fideliũ plauſu vno ore Deum in immaculata Virginis Conceptione laudantium: tum etiam in medium propoſita ſacra Deiparæ imagine puriſsimum ipſius Conceptum, & glorioſum triumphum, amplaque de Dracone diuinis pedibus ſubiecto relata ſpolia repræſentante, quo aſpectu vt nihil mortalium oculis gratius, nihil iucundius: ita nihil etiam magis indubitatum occurrit. Et quidem ad Diuinas laudes tam in Miſſa, quam in officio in feſtiuitate Cõceptionis Deo perſoluendas, ſingulæ ferè Eccleſiæ pro ſuo in Mariam ſtudio peculiaria Breuiaria, & Miſſalia, quæ eius immunitatem certatim celebrarent, antiquitus habuiſſe nouimus. *Nulla quippe nobilis erat Diœceſis,* inquit P. Salazar ad ſæculum XVI.) *quæ proprium de hoc feſto officium non haberet.* Teſtatur P. Ojeda vidiſſe ſe Breuiaria Eccleſiæ Hiſpalenſis, Eborenſis, Corduuenſis, duo Eccleſiæ Segouienſis, vnum item Romanum, quod quamuis diceretur à Cardinali Quinones diſpoſitum: at in Rubrica *feſti Conceptionis:* ex Breuiario veteri diceba tur deſumptum: præterea Vetus

Salazar Ojeda.

aliud

aliud Missale typis excusum Lugduni duas signate continens Missas sub titulo: *De immaculata Virginis Mariæ Conceptione:* nec non Kalẽdarium Hispalense redolens trecentorum annorum antiquitatem: Cõstitutiones etiam Synodales Ecclesiæ Malacitanæ. Multa etiam hac de re videris apud P. Salazar in sæculorum censu, nec non apud P. Ioan. Perlim *in Apologia Scholastică pro Magnæ Matris immunitate*, distinct. 9. cap. 1. & 2. & seqq. sed multo plura nobis ministrauit, omnium pœne Ecclesiarum Hispaniæ Breuiarijs, & Missalibus recẽsitis Armamẽtarium Seraphicum (opus egregiũ, & nunquam pro dignitate laudatũ) in Regesto authentico, & vniuersali à columna 195. subdens Missale Ambrosianum Mediolanense impressum Mediolani anno 1522. hũc Missæ introitum præferens. *Lætemur omnes in Domino diem festum celebrantes ob honorem B. Mariæ Virginis, de cuius immaculatâ Conceptione gaudent Angeli, &c.* vbi illud addo, quod ob egregiam sanctitatem, & summam auctoritatẽ B. Caroli Borromęi, peculiarẽ vim habet eius iussu hoc ipsum Missale denuo eo viuente, & approbante fuisse typis excusum, quod nos vidisse testamur.

Armament.

A B C D

VI Iam verò si dixeris ex hac omniũ Ecclesiarum in Deiparæ immunitatem vnanimi consensione, & festi Conceptionis illibatæ celebratione non confici nouum argumentũ præter id, quod conficitur ex festo ab Ecclesia Romana institutore: cum membra Capiti suo adhærere, illudque sectari necessaria ratione debeant: Occurram in primis in memoriam reuocans plures tam ex orientali, quàm ex Occidentali plaga Ecclesias ante festum Conceptionis à Romana sede institutum, illibatam Deiparæ Conceptionem solemni ritu celebrare solitas, vt in superioribus vidimus. Quod fuit in caussa, vt peculiare hinc ad asserendam Mariæ immunitatem argumentum conficeret Catharinus, vt n. 2. vidimus hùc aduocans quanti momenti esse debeat Ecclesiarum consuetudo, vt monebat Caietanus, sed deinde peculiaris vis subest generali huic Ecclesiarum consensui, dum Romanæ Ecclesiæ tantâ promptitudine obsequuntur, tanta alacritate obsecundant, vt vix vlla sit, quæ hanc obedientiam, & obsequium præclaris solemnitatis, & lætitiæ signis non testetur: Quædam siquidem festum Conceptionis non vtcumque, sed cum octaua celebrant, quædam insignia denuo Altaria in eius cultum erigunt cum pulcherrimo Virginis simulachro illibatam Conceptionem suam ad viuum exprimente: denique nulla non magnum quidpiam in eius veneration-em molitur: & vt è multis aliquid attingam è nostris Ecclesijs: Hispalensis cum suo Archiepiscopo, eoque & morum integritate, & litteris præstãtissimo simulq; cũ florẽtissimo Clero, anno 1617. Cõpostellana in plenâ Archiepiscopatus Synodo præsidente egregio illo Virginis immaculatæ cõceptiæ studioso dicã, an Aduocato Illustr. D. D. Ioanne Beltrano de Gueuara eius Archiepiscopo, anno 1519. Barcinonensis cũ Diœcesanis Episcopis anno 1618. Seguntina cum toto Episcopatus Clero, & Illustriss. D. D. Ferdinando de Andrade, & Sotomayor tunc illius Episcopo, modo Archiepiscopo Compostellano, anno 1644. & ante omnes Segouiensis, Cordubẽsis, Abulensis, Legionensis, & aliæ quam plures iure iurando interposito statuerunt, atque vouerunt sese opinionem piam fore amplexaturas, & pro viribus propugnaturas. Addidit Hispalensis anno 1639. pium, & laudabile Decretum, vt Cõcionatores in eius templo verbum

E

Dei

Dei ad populum facturos à Magistro cerimoniarum admonerentur vt Concionem à laudatâ cum Sanctissimo Altaris Sacramento Immaculata Deiparæ Conceptione exordirentur, itidemque vt in omnibus solennitatibus, quæ musico concentu celebrarentur: eadem laudatio festo finem faceret, quem etiam morem retinet Ecclesia Placentina, quæ insuper pium erga Deiparæ immunitatem affectum in fronte inscriptum præfert: cum in primariâ porta templi titulum Conceptionis immaculatæ mirè depictum habeat.

VIII. Sed quod ego hisce oculis in antiquissima Maioricensi Ecclesiâ cũ Romam peterem, vidi, silere non debeo: Amplissimum videlicet illius templum tam spiritualiter, quã materialiter (vt sic dixerim) immaculatæ Virginis Conceptioni esse dicatum: quod in primis templi frons mirâ structurâ elaborata à summo vsque deorsum Deiparam immaculatè conceptam egregijs symbolis adumbratam, & pulcherrimis titulis exornatam præseferat, cum accõmodatissima illa inscriptione. *Tota pulchra es MARIA, & macula non est in te*, & hac. *Non est factum tale opus in vniuersa terra*: vt ipsamet frons significaret totum templum illibatæ Deiparæ Conceptioni sacrum. Nimirum deinde inibi, & Festum Conceptionis cum Octauâ solenniter celebratur, & quotidie finitis Vesperis fit commemoratio Conceptionis, cum Antiphona, & oratione illa ritus antiqui. *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem, &c.*

Iam verò cum omnes Christiani populi Ecclesias immunitatẽ Deiparæ colentes facimus: id ipsum de venerabilibus ipsarum Episcopis affirmamus, quibus æquè fixũ est piæ huic opinioni adhærere, ac Episcopali munere fungi: Est enim quotidiano experimento comprobatum Episcopalem dignitatem, aut sectatorem immunitatis Mariæ inuenire, aut sectatorem facere. Sed hæc thesis peculiarem adnotationem exigit in lib. 5. vbi de statu proximè diffinibili piæ opinionis agendum est, commodius transmittendam. IX



DIS-

IHS

DISSERTATIO V.

DE AVCTORITATE, QVAE piæ Opinioni ineſt à Græcæ Eccleſiæ Patribus:

NOVA SIVE HACTENVS NON VISA Græcorum Patrum pro MARIÆ immunitate monumenta.

ADNOTATIO VNICA.

I *Caietan.*

NEMO planè non videt, Caietanũ terminos moderationis, ſeu modeſtiæ itidemque veritatis egreſſum cum in Opuſculo *de Conceptione Virginis* auſus eſt dicere. *Propterea non eſt mirum, ſi nullus Sanctus, nullus illuſtris Doctor antiquus pro hac parte* (pro opinione videlicet piâ) *afferatur, niſi fortè à falſarijs*, cum plura, eaque perſpicua Veterum PP. pro Deiparæ immunitate occurrant; quæ modo recenſere, tum multi tẽporis res, tùm actum agere foret, cũ id argumentum ab infinitis Scriptoribus copiosè, & dilucide pertractatum fuerit, præſertim a noſtris PP. Franciſco Suarez, Gabriele Vazquez, Gregorio de Valentia, Petro Caniſio, Ioan. Pineda, Iacobo Granado, Ioanne Perlino, & mirâ eruditione, ſæculis omnibus recenſitis à P. Ferdinando de Salazar in Apologia pro immaculata Virginis Cõceptione, cap. 42. Sed enim vt huic argumento pro piaopinione exPP. hauſta auxiliarem etiam nos manũ contra Caietanum præbeamus, age iam demonſtremus, nihil apud Græcos PP. antiquius, nihil ſolẽnius fuiſſe, quam Mariam vndique intaminatam, & ab omni næuo, etiam originali alienam, & immunem prædicare. Ergo in antiquiſsimis Græcorum Patrum Menæis, ſiue Rituali (quod S. Sabbas, qui ante mille, & ducentos annos floruit, ad vſum Eccleſiæ confecit: reparauit autem, & auxit poſt Sophronium Patriarchã Ieroſolymitanum S. Ioannes Damaſcenus, & nuper Venetijs, Græcè editum in Latinum ſermonem tranſtulit P. Simon VVangnereKius à nobis ſæpius laudatus, atque ob tenerorum erga Deiparam affectuum copiam in plures Centurias diſtributi) egregios hoſce pro Deiparæ immunitate fideiuſſores habemus,

A

B

C

Suarez. Vazqu. Valẽtia. Caniſius Granad. Perlino. Pineda. Salazar

parum

partim in superioribus datos, partim denuo hic allegandos.

II Et primùm quidem ipsemet Menæorum Collector S.Sabbas, quasi cæterorum PP. sensu imbutus, vt habetur die 3. Ianuarij Ode 3. *de Sanct. Gerdio* in clausula: Deiparã ab omni labe immunem, sic affirmat: *Nemo vt tu Domina, inculpatus est æquè, nec præter te intaminatus quispiam, ò næuo nulli subiecta: nam omnium creatorem ventre tuo clausisti, qui misericordia solus abundat.* Hæc S.Sabbas, quibus vt nihil manifestius, ita nihil dici potuit illustrius: nam quid expressius illis verbis? *Nec præter te intaminatus quispiã.* omninò affirmans Deiparam solã inter omnes creaturas intaminatã, quæ nulli penitus labi subiacuit: de industriâ verò vsus est Sabbas verbo *intaminata*, quod proprie refertur ad maculam, aut labem quæ ex alterius consortio accedit, qualis est macula originalis: Quid magis ad rem, quam exclamatio hæc? *O næuo nulli subiecta!* quid enim fuerit affirmare Deiparam næuo nulli fuisse subiectam, quam omnem prorsus ab ipsa peccati siue actualis, siue originalis næuum propulsare? Quid verò opportunius, quam totius sententiæ plenam, & necessariam rationem, nec simplicem quidem, sed duplicatam reddere? nimirum: quod & Dei Mater fuerit, ad cuius dignitatem tanta puritas necessaria foret: & is esset eius filius, *qui misericordiæ solus abundat*, vt dicere videatur (quemadmodum egregius Scholiastes adnotat) *Non decebat puritatẽ infinitã ex Matre, quæ aliquãdo cõtaminata fuisset, progigni, cum præteritarum sordium ipsa quoque memoria offendere soleat:* nec itidem decebat, filium, qui Misericordiæ fons est, Matrem suam in primo statim creationis momento copioso benignitatis imbre irrigare. Concinit autem sibi idemmet Sabbas cum apud eadem Menæa die 19. Ianuarij Ode 9. *de S. Macario in clausula*, generali oratione de Maria, quod Mater Dei fuerit, inquit, *Tu quæ creaturarum omnium Opificem procreasti, quidquid creatũ est, supergressa es Diuinitate gloriæ tuæ, sanctitate, & gratiâ.* Quod si Deipara Diuinitate gloriæ, & gratia quidquid creatum fuit supergressa est: quo modo non fuerit immunis à maculâ originali, quâ primi parentes caruerunt creati in iustitia, & sanctitate veritatis?

Sed deinde idemmet Pater in Menæis die 18. Ianuarij Ode 6. *de S. Cyrillo in clausula* eodem sensu Mariam, sic alloquitur. *Tu ò virgo Deipara per progeniem tuam totius vniuersi fines illustras. Dete enim solâ publicè constat, quod ab æterno Munda extiteris, vt quæ posses debas iustitiæ Solem.* Sic ille pulchrè, & luculẽter: vt in superioribus singillatim explicasse me memini. Quare pergo ad alia S.Sabbæ verba: & quidem 3. Ianuarij Ode 3. de S. Malachia in clausula ita loquitur. *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuisti, spem omnem meam repono.* Pende accuratam dictionem: *Nulli vnquam culpæ affinis:* Quid clarius? Quid præclarius? Similiter die prima Ianuarij in precibus Matutinis, post Stichologiam, seu Psalmorum recitationem secundam in vltimo Cathismate hæc habet. *Architectus, & Dominator omnium Deus ex incorrupto vtero carne susceptâ Humanitate generis Primatem creauit, ò Domina nulli vnquam reprehensioni obnoxia!* Vbi si verè æstimas, signatè dictum est à S.Sabba Mariam creatã à Deo Primatem humani generis, cum allusione ad primam parentem Euam, quæ in iustitiâ originali creata, & Mater viuentium dicta est. Quod si illa nulli culpæ obnoxia creata à Deo fuit, quo modo Maria vlli vnquam reprehensioni obnoxia fuerit? Nec mihi obieceris hæc

III

Sabbæ

Sabbæ verba immunitati à peccato originali Deiparæ nõ fauere, quod peccatum originale reprehensione dignum non sit: est enim multo certius,& apud DD. frequentius, homines propter culpã originalem verè reos esse, & reprehensione dignos censeri: siue in se ipsis, vt dixit Richard. 2. dist. 30. a. 1, siue in capite, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 81. ar. 1. ad 5. Scotus 2. dist. 32. q. 1. §. ad argumenta, vide Azor lib. 4. c. 29. q. 1. Sed vt ad S. Sabbã redeã ille iterũ & die 29. Ianuarij Ode 6. *Ex te solâ tanquam purissimo lilio in medio spinarum inuento, verum incolens tuũ sponsus ille tuus processit*, & die 1. Ianuarij Ode 9. *Tu quæ ab omni es næuo intacta*. Signatissimè vero die 12. Februarij Ode 5. Deiparę immunitatem meridianâ luce clariorem nobis sic obijcit. *Tu quidem ò Virgo illud Diuinæ originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat corpore humano indutum peperisti. Nam ab æterno propter splendorẽ integritatis, & pulchritudinem Virginalem, ac demum propter charismata, seu gratiæ dona, quæ te ab omni næuo immunem fecerunt, manifestè sola fuisti digna tanti partus honore.*

IV Illud vero peri Illustre, & omniũ opportunissimum S. Sabbæ testimonium esse dixeris, apud eadem Menæa die 3. Ianuarij Ode 9. de Sanct. Syncletica, vbi Deiparæ, hunc in modum gratulatur. *In te primi parentis subsitit lapsus vltra pergendi facultate sublata*: Obserua luculentissimam locutionem, quâ velut acu tetigit quæstionis iugulum Sãct. Sabbas, affirmans primi parentis lapsum ad Marię conspectũ substitisse, quin vltra pergere potuerit: quod ei nocẽdi facultas inhibita, siue sublata fuerit a supremo Legislatore Deo, Matrẽ suã extra telorũ iactum siue extra cõmunẽ legẽ, pactũ, transgressionẽ, & pœnã constituẽte. Quo eũt eiusdẽ Sabbæ, & aliorũ Græcorũ PP. allatæ, & afferendæ locutiones; quibus Deiparæ signatè; *intacta ab omni næuo dicitur*: quod in eâ substiterit: *Primi parentis lapsus vltra pergendi facultate sublata*. Hæc omnia ex S. Sabba.

Ad cuius gustum S. Iosephus Cõfessor plura eaq; valde egregia Deiparæ immunitatis habet monumenta: primo enim generali oratione immensã Mariæ puritatẽ, quâ pulchra ipsa pulchrũ progenuit, ita explicat, vt ipsam vndique puritatis nitore circũfulgentẽ faciat: In Menęis enim die 13. Ianuarij Ode 5. *de S. Hermylo, & Stratonico*, in clausula sic inquit: *Vt pulchra, vt florida, vt tota puritatis nitore circũfulgens sermonem diuinũ pulchritudine florentẽ corpore ex te sumpto cinxisti*. Deinde vero singillatim de omni modo ab omni labe munditia die 17. Martij Ode 1. *de S. Alexio*, sic ratiocinatur. *Filius æquè in creatus, ac Pater in te solâ reperit causſam, cur similem nobis naturam induceret, te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem*: vbi dũ Iosephus Deiparam solam à Deo super omnes creaturas puritate fulgentem inuentam fuisse, eademque de causſa in Dei Matrem electam affirmat; omnẽ ab ipsa originariã labẽ propulsat. Sed id plusplus indidẽ Ode 7. *de SS. MM. Amorio, & socijs*, sic aperit. *Tibi intaminato recentissimi Nitoris volumini sapientia Diuina inscripta est, quæ libro viuẽtiũ suos inserit pugiles*: Vbi obserua pulchrè appellatã à Iosepho Mariã *intaminatũ recentissimi Nitoris volumẽ*, vt ipsam in iustitia, & Sanctitate conceptam affirmet, quippe Nitor recentissimus nihil est aliud, quã primogenius nitor, quem nullus adhuc næuus præcesserit: Pergit Iosephus nouis imaginibus Deiparã à labe originariâ exortẽ facere: Etenim die 5. Ianuarij Ode 3. *de S. Ioanne Calybita*, sic eleganter ait. *Te integer*

V *S. Iosep. Confes.*

ille, ac purus ò vndique intaminata! tanquam Rosam instar vnguenti fragrantem in conuallibus reperit: Pende dicendi modum, quo Maria à Deo primum reperta dicitur instar vnguenti suauem odorem fragrantis; quod vt puræ, & immaculatę Conceptionis proprium est, ita ab immunditia originali, quæ fœtorem exhalat, quam longissimè abit: Similiter die 20. Martij Ode 9. disertè inquit. *Tu næuorum expers, ò Domina, Regis omnium thronus effecta es*: & die 2. Ianuarij Ode 5. *Saluè ò cadentis mundi erectrix: nulli vnquã culpæ subiecta*, & die 8. Ianuarij Ode 3. *Omni ex parte intemerata Domina imbecillitatem meam corrobora*: & ibidem Ode 7. *Fortitudo, laus, & salus mea est Dominus ille, qui te intaminatissimam Matrem elegit*, Et die 13. Iulij Ode 5. eandem Deiparam affatus. *Te per quam supplicer oro, quæ sola maculam in te omnẽ ignoras*: & die 15. Augusti Ode 8. opportunissimè. *Illa creatura vnica ab omnibus næuis intacta, quam omnes hominũ linguæ in vnũ collectæ, Angelorũ item omnium ora prædicatione dignà prosequi nequeũt*, & die 26. Februarij in vltima Stropha. *Spem nostram in te post Deũ reponimus, ò intactissima!* Et die 8. Ianuarij Ode 6. *de S. Domnicà* in clausula. *Per te ò in omni sanctitate Perfectissima Numinis Sponsa!* Hæc omnia S. Iosephus Archiepiscop. Tessalonicẽsis, qui singulari festiuitate honoratur à Græcis die 15. Iulij: vbi excellens in Menæis encomium habet.

VI Sunt etiam pro Deiparæ immunitate manifestissima Philothæi Patriarchæ Constantinopolitani verba apud eadem Menæa die 16. Iulij Ode 8. Canonis primi *de SS. Patribus Conciliorum Oecumenicorum*, in clausula: verba hęc: *Tota pulchra es, ò Virgo! planè tota pulchra: Tota nil nisi Nitor, & Species Lucis, tota item Phosphorus, seu Diem, ac Deum afferens Stella. Quare lumina cordis mei illumina, vt qui tuam, ò Domina gloriam instar Auræ exhalo, sumque vulneratus à singulari te glorificandi Amore.* Sic Philothæus: Obserua singula: singillatim vero illud: *Tota nil nisi Nitor & species lucis*, vt à Virgine quemlibet næuũ, siue nebulam, aut quidquid lux, & nitor non sit omnino repellas: Sed enim, ne officio nostro, aut veritati aliqua in parte desim, non recusabo ego ipse eam obiectionem anteuertere, qua non immerito aliquis huius testimonij auctoritatem possit in dubium reuocare, quòd Philothæus, etsi ob morum candorem olim venerabilis, & omnium disciplinarũ peritissimus, atquè in congressu ad dicendum, ac persuadendum valeret egregie, schismaticarum tamen partium postea contra Latinos assertor fuerit: Cui obiectioni duo respondebo: alterum, non omninò à Virginis gloria ire, quod eius immunitatem omnes, siue boni, siue mali ij sint agnoscant, & profiteantur: Dixit siquidem opportune probus Menæorum Scholiastes in prologomenis, num. 24. occasione huic simili. *Deiparam Virginem adeò Rem cunctis amabilem esse, vt eius honori, & laudibus etiam impij faueant, & licet pœne dedecus sit, ab homine malitioso laudari, tamen violenta lux illa veritatis nunquam magis esse inuicta cognoscitur, quam cum oculos etiam impiorum perstringit*: Alterum, Ecclesiã Græcam, quæ nunquam hominibus sincere Catholicis caruit, cum semel hæc Philothei verba in os suum accepit, meritò Auctoris mali infamiam sanctiori auctoritate sua diluisse, censendum esse: Sed iam ad alia tutiora, & omninò sine querela transeamus.

Alia Græcorum Patrum pro Mariæ immunitate teſtimonia.

ADNOTATIO II.

VI *S. Theophanes.*

SVnt præfatis monumentis conſentanea, quæ pluribus in locis Sanct. Theophanes Epiſcopus Nicænus non ſolum egregius Scriptor, ſed etiam inclytus *Scriptitius*, cuius videlicet fronti per Theophyli Imperatoris tyrannidem ob ſacras imagines defenſas inſcripti ſiue inuſti ſunt crudeliter duodeni ſcurriles verſus iambici, quos ipſe Tyrannus vena cruenta dictauit, ideò ipſe, & Theodorus frater eius germanus, qui eadem de cauſſa eadem glorioſa pœna affectus eſt *ſcriptitij fratres* appellati ſunt. Hic ergo glorioſus Chriſti teſtis pro Deiparæ immunitate teſtimonium reddit in Menæis die 23. Februarij Ode 4. & 5. *de S. Polycarpo* de Mariæ gloria ſic exclamans. *O à cunctis ſordibus incontaminata! & ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina!* vbi ſtatim occurit, quod inibi P. Simon VVangnereKius adnotauit quomodo dici poſſit Virgo *Vperamomos*, ideſt, *inculpatiſſima ſuper omnes inculpatos*, ſi peccatũ originis habuit, quo caruerũt in creatione ſua Protoplaſti? Et die 17. Ianuarij in Cathiſmate Virginali poſt Oden 3. *de S. Antonio Magno* eodem ſenſu inquit. *Vt inculpatiſſima Cõditoris Sponſa me celeriter è dæmonum machinationibus erue*, & ibidem Ode 7. *Immaculatæ & omnium Sacratiſſimæ Virgini Mariæ acclamatione fauſtâ plaudamus*, & ibidem Ode 8. *O intaminatiſſima Genitrix Dei inflictas à peccato cicatrices emunda*: & die 16. Ianuarij Ode 5. Canonis primi *de Cathedra S. Petri* in clauſula de Deiparæ puritate ait: *Sol ipſe, ò omnium celebrata vocibus Virgo! Te multo illuſtriorem ſe ipſo agnoſcit*: & die 16. Ianuarij Ode 5. *de Catena S. Petri*, in clauſula. *Multorum me ſcelerum: O intaminata! oneribus prægrauem alleua nunciam, &c.* & die 20. Ianuarij Ode 3. *de S. Euthymio*, in clauſula. *Diuinorum Vatum aſſerta. Tu ò ſola inter omnes benedicta velut ſigillo auctoritatis tuæ firmaſti cum pareres Verbum, quod loquebatur per illos*: & indidem Ode 4. *Lætare, quæ es Mons inumbratus a gratia: Lætare Tabernaculum! Lætare Arca! Lætare Candelabrum diuinam ſuſtinens Lucem:* Pende montem à gratia inumbratum, vt Mariæ in Conceptione celſitudo à Gratia ortum habuiſſe noſcatur. Deinde verò exclamaſſe S. Theophanem *Lætare Arca*, non ſolum cum alluſione ad Arcam fœderis, cuius operculum erat Propitiatorium *ex auro puriſſimo*: hoc eſt Chriſtus Dominus, *qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ſed etiam ad Arcam Noe de qua Geneſ. 7. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in ſublime à terrâ*. Quam MARIÆ imaginem fuiſſe ob immenſam puritatem Angelica ſuperiorem, ſic pulchrè affirmat S. Bernardinus Senenſis. *Multiplicatio aquarum in Arca Noe denotat gratiarum plenitudinem in MARIA, quæ eleuauerunt Arcam MARIAM (in quâ ſaluatum eſt vniuerſum ſemen generationis electæ) in ſublime à terra, ideſt ab omni terrenitate, & amore infecto, quia ad hanc MARIAE puritatẽ, & munditiam nulla pura creatura aſcẽdit, nec Angeli, nec Virgines.* Hæc Bernardinus à nobis iam alibi expenſa. Præterea verò Theophanes die 25. Ianuarij Ode 6. de *Sãct. Gregorio Theologo*, inquit: *Te ò Virgo Mater præuiderunt Prophetæ tã quam librum quẽdã planè intamina-*

Geneſ. 7

S. Bern.

tumin quo conſcriptum eſſet Verbum Dei.

VII *S. Dam.* Iam verò S. Damaſcenus locuples pro Deiparæ immunitate teſtis,& fideiuſſor eſt:præter plura enim ipſius teſtimonia,quæ in libris è Græco translatis habentur,in Mæneis quidem Græcis egregia nobis dedit huius veritatis monumenta: Ita enim primùm die 22. Ianuarij poſt Ode 9. *de S. Anaſtaſio M. O ſemper & vbique inculpatiſsima Numinis Mater,quæ es ingens cantādi materia Apoſtolis, Martyribus Prophetis, & omnibus demū Cœlitibus data*: Quo in loco ſapiēter à bono interprete obſeruatū eſt, vocē Græcā *panamomos*, quâ & hic Damaſcenus, &PP. Græci frequenter vtuntur ad exprimēdā Deiparę immunitatēvniuerſitatē mūditię ſignificare,ac proindein illa triplicē vniuerſitatē puritatis fore conſiderandam:primò, nimirum temporis:quia Virgo eſt:*pāta ton xionon amomos*, ideſt *omnibus omnino, temporibus inculpata*, etiam illo momento,quo ſacratiſsima eius anima fuit creata:deinde vniuerſitatem loci, quia *vbique inculpata*, hoc eſt non ſolum in terra,ſed in ipſo quoque vtero Matris. Tandē vniuerſitatē culpæ, quia *en panti egclimati amomos*, ideſt *in omni genere culpæ inculpata*,nè originali quidē *ſuper omnes omninò creaturas inculpata*,vt videris,quam accurato dicendi modo omnimodam Deiparę puritatem expreſſerit Damaſcenus. Ad quem modum indidem *in fine dei, vt ſignificaret Virginem, quidquid viuentibus* purum,& amabile cerniture poſsidere,inquit. *Salue columba electa,quæ mentē habes pennis inauratis ſpectabilem, ſalue ſpecioſiſsime turtur. Eximia ſuper omnes hirundo! Paſſercule Nitidiſsime abſque vlla næui vel vmbrâ. Salue Agno Dei noſtri grauida Agna*, vbi Damaſcenus præter alia opportuna; non ſolum à næuo,ſed etiam à næui vmbrâ Virginem alienam fuiſſe affirmat.

VIII Habet verò ille locus apud Damaſcenum in Menæis die 12. Auguſti miram emphaſim cum de Deipara,inquit. *Equidem videbaris, O Virgo! eſſe filia Adami collapſi: At re vera eras Tu ipſa Genitrix Dei eumdem reſtituentis in integrum.* Vbi obſerua opportunam antitheſim inter filiam Adami collapſi,ſiue peccato obnoxij,& Genitricem Dei, & in antitheſi egregium Damaſceni ſenſum Mariam a cenſu filiorum Adæ collapſi ſubducentis,quod genitrix Dei eſſet futura,vt omnino dixerit MARIAM adſpeciem videri peccato originali obnoxiam, quòd vt filia Adami humanâ naturâ conſtaret: at re vera à labe,& noxa Adami eſſe alieniſsimam, quippè quæ eſſet Genitrix Dei, qui Adamum collapſum in integrum reſtituebat: Planè vt adſtruat Damaſcenus tanquam rem indubitatam eam, quæ Dei genitrix eſſet futura,culpæ originali, obnoxiam eſſe non poſſe.

IX Nec minus ad rem idem Pater die 26. Ode 1. de ſanct. Xenophonte in clauſula Sanctiſsimam Virginem, cœlum à Deo elaboratum fuiſſe,ſic affirmat. *Qui vnus, & vnius cœlum extendit, ille quoque aliud cœlum, & quidem animatum elaborauit, Te nimirum, ò Deipara!* in cœli imagine videris,non minus diſtare MARIAM à culpa originali,quam diſtat cœlum,a terra,ſed qui dixit,Deum hoc MARIÆ cœlum elaboraſſe,planè ſignificauit illius initium,ſiue Conceptionem à luce gratiæ inchoatam,non à tenebris culpæ: Vndè iterum die 11. Ianuarij Ode 1. de Sanct. Theodoſio, Cœnobiarcha in clauſula, Deiparam, Diuinitatis ſplendoribus adornatā ſic facit: *Adoleſcentularū chorus ille Diuinus tāquā affiatiſsimo numine Te excellēter in mulieribꝰ*

Pulchram decantat, ipsius videlicet Diuinitatis splendoribus adornatam, vbi pulchrè Damascenus: *Pulchram Mariam affirmat à Diuinitatis splendoribus, quòd ei ab ipsis, omnis omninò decor; nullus omninò nævus adfuit.* Cõcinit verò sibi Damascenus die 15. Ianuarij in vesperis de S. Paulo Thebæo, dum Mariam Astrum solis imagine splendidum ita affirmat. *Salue Astrum Solis imagine splendidum! Salue omnium, amænitatum origo:* & indidē: *Salue lucerna luce totum mundum illustrante præfulgens, & illustrior facibus Solis. Salue illustrissimum Summi Regis Palatium*, & die 25. Martij Ode 7. & 8. de Annunciatione: Angelum, Mariam sic affantem inducens: *Intueor Te vt lampadem instar Luminum multorum illustrem, vt que Thalamum artificio Dei constructum, vt denique Arcam ex auro confectam.* Et indidem Ode 4. ex persona Angeli. *Quid me pertimescis? nulli vnquam nævo subiecta!* Quid clarius? & die 27. Ianuarij Ode 7. de B. Virgine. Stropha 3. & 4. *Salue scaturigo dulcedinis: Tu nobis demonstraris Pratum manu diuinâ consitum, Odorifer item hortus existis cuius germinum Sator, & cultor extiterit Deus:* & indidem Stropha 4. & 5. *Salue flos ex naturâ humanâ electe:* & indidem Ode 7. *Salue munditiarum omnium promptuariũ, &* & die 9. Martij in vesperis: *Obsecro te, ò ab omnibus nævis intacta!*

X Eodē quidē sensu, & stylo Deiparæ immunitatē tuetur S. Stephanus Sabaita, qui agnoscitur, vt sāctus in Menologio Cardinalis Sirleti die 28. Octobris, & de quo aiūt Menæa in Odis, illū vt solem fulsisse in cætu Religiosorum, & in eo à teneris vsque vnguiculis Deo consecratum fuisse: præterea morū eius exempla, vt solis radios explēduisse, denique virtutū quadriga in cælos euectum *Stephanon* à Christo, idest coronam Stephano dignā tulisse: ergo ille die 1. Ianuarij Ode 9. *de Circumcisione* Stropha 1. ad Mariā sic exclamat: *O quæ lucē diuinam progenerasti, quā luce Sol ipse posterior est, quæ etiam Lux in forma corporea ad nos homines appulit. Te inquam, ò benedicta, & ab omnibus maculis munda! velut Deiparam magnificis extollimus vocibus:* Quid autem fuerit Deiparam ab omnibus maculis mundam esse? quam nulli siue actuali, siue originali labi fuisse obnoxiam? Adiungo huic Sanct. Stephani testimonio illud Georgij Nicomediensis in ijsdem Menæis die 24. Martij Ode 5. *de professo Annunciationis*; MARIAM Virginem pro futura salutatione Angelica sic affantis; *Esto paratus, ò Diuinæ munditiæ Liber! quippe tibi Sancti Spiritus digito inscribetur Sapientia Diuina, sed incarnata, quæ insipientiæ meæ præmunitionem è medio tollat: O aureum item Candelabrum! ignem recipe Diuinitatis, vt per te illuceat Mundo, vtque nequitiarum nostrarum tenebras dissipet.* Hæc ille, opportunè Deiparam etiam ante Dominicæ Incarnationis mysterium appellans Diuinæ munditiæ librum, vt significet MARIAM non vtcumque ab omnibus maculis mūdam, sed ea munditia præditam esse, quæ Diuinam æmuletur, in qua nihil non eximie purum valeat suspicari.

Stepha. Sabait.

Georg.

Adstipulatur his Sanct. Andræas Cretensis die 1. Augusti Ode 6. *de SS. Machabæis* in clausula omnimodam, & diuinam MARIÆ puritatem ad publicam omnium notionem, & vocem sic reuocans: *De te publicè constat, O MARIA! quod sis Æterni Patris Beneplacitorum Thesaurus, Filij quoque Mundum intrantis cõmoratio, & Augustum denique Spiritus Sancti Diuersorium: ideoque totius Trinitatis Idæam vi quadam*

XI *Andr. Cret.*

pereffícaci repræſentas: vbi primùm obſerua, Mariam notanter dici Beneplacitorum Æterni Patris Theſaurum, vt innuatur nullum fuiſſe gratiæ ornamentum cuius creatura capax eſſet, quod ei Æternus Pater nõ dilargiretur, alioqui diminuta fuiſſet theſauri gratiarum imago: Deinde vero pende egregiam, ac pæne diuinam epitaſim, quæ ineſt huic dicendi modo, quo Deipara vi pereffícaci Idæam ſiue exemplar Auguſtiſsimæ Trinitatis in ſe repræſentare aſſeritur: quid enim maius, aut illuſtrius dici potuit ad perpetuam ab origine ſanctitatem, & puritatẽ Mariæ aſſerendam? Quippe Idæa ſeù exemplar, vel vt exactius loquamur, imago, ſeù ſpeculum rem ſibi obiectam ad viuum reddat, atque repræſentet: cum verò *Deus lux ſit*, quin *tenebræ in eo ſint vllæ*: *apud quem non eſt trãſmutatio, nec viciſſitudinis, ſiue momenti obumbratio*, vt ex Iacobo cap. 1. verſ. 17. in ſuperioribus vidimus, neceſſaria ratione dixeris in Mariæ Idæa ſiue ſpeculo Idæam totius Trinitatis repræſentante nihil non purum, ſanctum, & exactiſsimæ munditiæ ex S. Andreæ Cretenſis ſenſu, vnquam eſſe potuiſſe.

IHS

DISSERTATIO VI.

DE SVMMIS ROMANÆ ECcleſiæ Pontificibus immunitati Virginis fauentibus.

OPINIO PIA DE B. MARIÆ IMMVNITAte à Summorum Pontificum auctoritate ingentem, & ineluctabilem vim habet.

ADNOTATIO I.

OLIM videri me à Sãctis Patribus diſcedere, qui ab illis ad Summos Romanæ Eccleſiæ Pontifices gradum facio: *Quis enim Sanctos appellare dubitet* (vt verbis vtar Ennodij) *quos apex tantæ dignitatis attollit? aut enim hæc dignitas Sanctos inuenit, aut Sanctos facit.* Ingens ergo piæ opinioni auctoritatis, & ſanctitatis pondus à Summis Eccleſiæ Pontificibus ipſi certatim adfauentibus adeſſe, modo adſtruimus: cum primum Innocentius VIII. & ſubinde omnes à Xiſto IV. vſque in hodiernam diẽ egregium immunitati Deiparæ te-

ſtimo-

stimonium reddiderint: de quo sic Hispano sermone generaliter egit egregius ille vir Bono Publico immunitatis Mariæ natus P. Vincētius Iustinianus Antist. è sacrâ Dominicanâ familiâ in considerationibus pro immaculatâ Deiparæ Conceptione consideratione prima, à probo calamo Auctoris Armamentarij in Latinum sermonem trāslatus.

Vincēt. Iustin. *Prima consideratio est, omnes Summos Pontifices, qui post Xistum IV. Ecclesiam gubernarunt (Pio III. Marcello II. & Vrbano VII. exceptis, qui cum mensem integrum in Pōtificatus non expleuerint, pium affectum suum ostendere non potuerunt) magnis affecerint honoribus, & multis prosecuti sint gratijs eos, qui sentiunt, Dominam Nostram conceptā fuisse sine peccato originali: & ex aduerso, nec vnus Pontifex reperietur, qui vel in re minimâ oppositum opinātibus fauerit. Aliqui eorum Sanctæ Conceptioni deuotos valde laudarunt vt Xistus IV. & Iulius II. Alij (& hi sunt fere omnes) copiosas Indulgentias Ecclesijs, processionibus, imaginibus, & festis eius concesserunt. Alij, vt Alexāder VI. & Adrianus VI. confraternitates in testimonium immunitatis Reginæ cæli ab originali peccato erectas confirmarunt: & denique alij, scilicet Leo X. & Pius IV. Monasteria quædam Franciscanarum Monialium Conceptionis Ordinem profiteri voluerunt.* Hæc absolutissimè P. Vincentius Iustinianus, quæ tamen placet tantisper diffundere, sed illis primum adiungo, quæ P. Iacobus Granadus insignis pietate, & doctrina vir tractatu de Conceptione disput. 3. cap. 9. idem argumentū pertractans, sic inquit. *Quis non videat multum fauere huic sententiæ Pontifices, qui indulgentijs donant eos, qui credentes B. Mariam fuisse cōceptam sine originali aliquid recitant in illius honorem?*

Granad.

II Ergo primùm pro pia opinione adest nobis Innocentius Pontifex VII. Nam cum Parisijs tempore Caroli VI. Francorum Regis, & vere quidem Regis, qui Deiparæ, & signatè immunitatis eius ab originali peccato studiosissimus defensor fuit, acriter a Parisiensibus Magistris pia opinio de immaculata Conceptione propugnaretur, quidam frater Ioannes à Montesono Dominicanus animosius, quam par erat, in publica concione Deiparam originali peccato obnoxiam fuisse perdocuit. Quod Alma Academia Parisiensis ægrè ferens rem ad Innocētium Pontificem detulit, obnixè ab eo postulans, vt immoderatam concionatoris animositatem reprimeret: ipse verò illo aduocato, & caussa diligenter cognita, atque rationibus vtrinque expensis prædicto Ioanni à Montesono serio præscripsit, vt Parisiū rediens quidquid contra immunitatem Deiparæ in concione dixerat, publicè etiam in concione retractaret: Hæc ita referente Roberto Gaguino in Historia Francorum in Carolo VI. à quo primum P. Salazar: deinde alij, quamplures acceperunt, sed nouissimè Pater Hyppolitus Marrachius è facia Religione Clericorum Lucensium vir eximia doctrina, & pietate in Deiparam inter omnes excellens, quem Romæ humanissimum experitus sum in suis Pontificibus Marianis cap. 68. sic breuiter id omne cōplexus de Innocentio Pontifice inquit. *Ita erga Sanctissimam Matrē Dei Mariam deuotus extitit, ac in particulari erga eius absque originali peccato Conceptionem ita fuit affectus, vt Doctorem quemdam Theologum nomine Ioannem Montesonum, qui in suis concionibus in peccato fuisse conceptam ausus est prædicare, instante ad hoc Parisiensi gymnasio de Cōceptionis articulo semper benèmerito rigidè puniuit, & vt palinodiam caneret, coercuit.*

Innocen PP. *Gaguin.* *Hyppol. Marra.*

III

Xistus IV.

Succedit in censu Pontificum, qui Mariæ immaculatè Conceptæ insigniter fauere visi sunt Xistus IV. qui adeò in ipsam pronum sese exhibuit, vt duæ extrauagantes in superioribus adductæ, & expensę satis ostendunt, sed duo adhuc pro Xisto addendæ sunt: Alterum quod de vi, & efficacitate harum Constitutionum, & de intentione Pontificis in suadenda fidelibus pia opinione docet P. Gregorius de Valentia

Valent.

tom. 4. disp. 2. quęst. 1. puncto 2. hūc in modum. *Summus Pontifex, etsi non diffiniuit quidem hanc sententiam, nec iussit, vt illam amplecterētur fideles, tamen per concessionem indulgentiarum factam ijs, qui immaculatam Virginis Conceptionem celebrant, atque adeò planè ex officio, vt Pontifex, & prout in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ, suasit re ipsa omnibus fidelibus hanc de immaculata Conceptione B. Virginis opinionē, hoc ipso nimirum, quod ad immaculatæ huius Conceptionis celebrationem fideles omnes inuitauit per concessionem illarum indulgentiarum. Nec enim Conceptionem Virginis tanquam immaculatam celebrare, veraciter, & sine simulatione potest is, qui non putet fuisse immaculatam.* Hæc P. Valentia, quæ tam præsenti instituto, quam pro ijs, quæ de festi institutione diximus dignissima obseruatu sunt: iam vero alterum, quod promisimus tum ad Pontificiam auctoritatem, tum ad peculiarem Pōtificis Xisti erga Mariā immaculate conceptam affectū singillatim pertinent: quippe iam laudatus P. Hypolytus Marracius in Pontificibus Marianis cap. 76. apponit orationē in laudem Beatissimæ Virginis ab eodem Xisto Pontifice compositā, *vt in horis antiquis Parisiensibus* (sic ille) *videtur, quam deuotè recitantibus ipse Pontifex*, vndecim millium annorum indulgentiam concesit. Est autem huiusmodi.

A

Aue Sanctissima MARIA Mater Dei, Regina cœli, Porta paradisi, Domina mundi, Tu es singularis Virgo purissima, Tu concepta sine peccato originali, & ideò immaculatissima. Tu sine macula concepisti Iesum Saluatorem. Tu fuisti verissimè ante partum, & in partu, & post partum inuiolata, & illibata: fac me tuis sanctis precibus purè, piè, & sanctè viuere: & ora pro nobis Iesum Filium tuum dilectum, & post mortem me suscipe, ab omnibus malis mentis, & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera misericordiæ acquirere, & in gloria Paradisi in æternū gaudere. Amen.

B

Post Xistum aduocamus Innocētium VIII. mirè immunitati Mariæ fauentem cum ipse pijs supplicationibus illustris D. D. Beatricis de Sylua lectissimæ fœminæ inclinatus Apostolica auctoritate confirmauerit, & approbauerit Religionem instituta in cultum, & veneratione immaculatæ Conceptionis B. Mariæ diplomate dato anno 1489. pridie Kalend. Maij in quo Monialibus non modo præscribit officium Conceptionis recitandum, sed signate illis assignat habitum cœlestis coloris quo cœlestis, & puræ Deiparæ Conceptionis characterem perpetuò ferant. Ad hæc cum in hac Bulla Pontifex præmisisset: *Quod charissima in Christo filia Elisabet Castellæ, & Legionis Regina illustris ob singularem, quē ad Cōceptionem Beatæ Mariæ Virginis gerit deuotionis affectum vnam maximam domum, vt inibi vnum Monasterium ad honorem eiusdem Conceptionis erigeretur,* post modum subijcit. *Nos igitur, qui diuini cultus augmentum Religionis propagationem, & animarum salutem supremis desideramus affectibus piam, & laudabile propositum Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimum in Domino cōmendamus.* Quid pro mente Pontificis in Mariæ im-

C

D

E

IV

munitatem procliuis præclarius afferri valeat? Quæ sane omnia opportuno miraculo cõfirmata sunt. *Accidit enim nauim, qua hæ litteræ Apostolicæ deferebantur in maris profundum vi tempestatis, cum rebus omnibus, quæ in ea erãt, ipsisque adeò Apostolicis litteris demergi, & post duos menses easdem litteras integras, & illæsas ab illustri illa, & venerabili, D. D. Beatrice de Silua Toleti reperiri,* vt Frãciscus de Biuar Cisterciensis rerum Hispanarum diligens Scriptor refert in hist. Cister. part. 1. §. 4. Dixi opportunum miraculum: vt ipsæmet litterę quibus Mariæ immunitas firmabatur imaginẽ præseferrent Deiparæ præseruationis, *quâ in diluuio aquarum multarum* paternæ Adami maculæ ad *eã non approximarunt*, sed *stetit vnda fluens*: quia vt ipsam affatur S. Sabbas à nobis sæpius adductus. *In te primi parentis substitit lapsus, vltra pergendi facultate sublatâ.*

V Innocentij Pontificis tam in Petri Cathedra, quam in eximia ergâ Mariam immaculatè c õceptã pietate, ac deuotione sucessor fuit Alexãder IV. Pont. Max. qui Xisti Constitutiones magno verborum pondere firmauit: illis namque de verbo ad verbum transcriptis, sic decernit. *Tenore præsentium decernimus, & declaramus præinsertas litteras, ac omnia, & singula in eis contenta perpetuis futuris temporibus, donec per Sedem Apostolicam aliter decisum, & ordinatum fuerit, inuiolabiliter obseruari debere*: vt in his verbis appareat Pontificem Xistum non tã ab Alexandro expressum, quam in Alexandro impressum fuisse. Obserua ergo illa: *Omnia & singula in eis contenta*: vt videris ab Alexandro, & festi institutionem, & officiũ proprium de Conceptione: & appellationem immaculatæ Conceptionis approbari: itidemque damnationẽ illorum concionatorum: qui censuræ subijciebãt asserẽtes: *Dei genitricem sine maculâ conceptam, & originali in suâ Conceptione præseruatam*, sed & illud in Alexandri diplomate magni faciendum, quod affirmet, *non sine animi molestia accepisse* ignorationem siue contemptum constitutionum Xisti: sicut & ipse Xistus *graue nimis, & molestum* sibi id esse affirmauit, vt illis, qui aduersus Pontificum diplomata opinabãtur, iure quis dixerit: *Numquid parum vobis videtur molestos esse homines, qui molesti estis, & Christo Domini?*

Simili quidem pietate, & affectu VI erga Deiparæ immunitatem tum Iulius II. Pont. Max. denuo approbauit, laudauit atque firmauit tam Religionem, Immaculatæ Conceptionis, quam Regulam, & peculiare eius officium, vt habetur in Bulla data anno 1511. Quintodecimo Kalendas Octobris, quæ Toleti in Cœnobio Conceptionis archetypa habetur: tum Leo X. secutus sentum Xisti IV. in extrauag. *Cum præexcelsa* ordinationem officij Conceptionis Leonardi à Nogarolis *piam, deuotam, ac laudabilem* appellauit, & officium illud recitantes nouis fauoribus prosequutus est: singillatim indulgens, vt etiam tempore interdicti vtentes eo officio apertis ianuis, pulsatis campanis, & altâ voce per totam octauam solenne festum agerent: tantum non admonẽs laudes Deiparæ, signatè vero eius immunitatem non mussitando, sed sublatâ voce prædicari debere: Vide duplicatam hâc de re Leonis Bullam in Armament. Seraphico in Regesto à fol. 138.

Vt verò præfatos Pontifices In- VII nocentium, Alexandrum, Iulium, & Leonem piæ de Mariæ immunitati opinioni ad fauentes dicimus, quod ordinem sub immaculatæ Conceptionis aduocatione confirmauerint: ita quidem in eandem illiba-

tam

tam Conceptionem maximè proclives etiã affirmabimus Paulũ III, & Pium IV. qui Concilij Tridentini egregium illud decretum Mariam a communi regula peccati originalis excipiens itidem confirmarunt: quippè (vt inquit Imperator Iustinianus *in l. 2. C. de veteri iure enucleando*) *ea nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur.* Et quidem Decretum tale est Sessione 5. Canone 4. Declarat tamen hæc ipsa *Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginẽ Mariam Deigenitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.* Vndè hæc eadem verba non secus ab horum Pontificum, quam à Tridentini Concilij PP. ore, & animo excipienda sunt. Quoniam verò id decretum pro Mariæ immunitate mirè facit, & de eo pensiculatius iam egimus, & denuo agemus. Modò verò Paulo III. & Pio IV. Piũ V. adiungimus, qui peculiari Bulla siue motu proprio hâc de re emisso, qui incipit: *Super speculã* quidquid in fauorem piæ opinionis tam Sixtus IV. statuit, quam Concilium declarauit, firmum, ratumque esse voluit: addita illâ benignâ, & fauorabili clausula de extrauaganti: *ac si ea de verbo ad verbum inserta esset.*

VIII Sed enim Gregorius XIII. animũ in MARIÆ immunitatem proniorem patefecisse videtur, cum anno 1597. Bullam emisit (quod etiam eius prædecessor Pius V. præmeditatum habuit) aduersus plures propositiones Michaelis Baij Louanienſis Theologi, inter quas illam singillatim enumerat, quę est 69. *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum fuerunt vltiones, vel peccati actualis, vel originalis:* Iam verò de omnibus Michaelis Baij propositionibus: in quibus hæc inclusa, & comprehensa est, sic Auctoritate Apostolica censet Gregorius Pontifex. *Quas quidem sententias hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scãdalosas, & impias, auribus offensionem immittẽtes, respectiue auctoritate præsentiũ damnamus, circumscribimus, & abolemus.* Vbi vides eximiam Pontificis pietatem in Mariæ immunitatẽ: etenim si dixeris, ea ratione hanc propositionem à Pontifice damnatam, quod asserat afflictiones huius vitæ, quas Deipara experta est, *esse vltiones actualis, vel originalis,* quasi innuerit, Virginem non modo originariæ labi, sed etiam actualibus culpis fuisse obnoxiam: facilè occurrit P. Salazar cap. 42. ad sæculum 12. obseruans, propositionem Michaelis esse disiunctiuam, atquè adeò nè falsa fuerit, satis fuisse alterã partem esse veram: atque ideò cum auctoris illius mens fuerit afflictiones à B. Virgine perpessas culpæ alicui, vel originali, vel actuali sub disiunctione adscribi debere, atque ea propositio à Pontifice nulla distinctione facta omnino damnata sit, vtranque quidem disiunctionis partem notatam videri, cum facile potuerit in re tam graui Pontifex censuram circumscribere, & ad eam solum partem, quæ sana non erat, dirigere: siue quod facilius erat, addere *dele peccati actualis.* Benè quidẽ verũ est (quod inibi adnotat Salazar) non ea propter dicendum, siue sentiendum, propositionem illã quatenus Mariam culpæ originali addicit, aperte esse damnatam, cũ vel ex ipso modo dicendi res sub lite, & quasi sub luce malignâ sit, sed tantum inde constare: *Pontifices* (sic ille) *suis decretis tantopere piæ doctrinæ semper adfuisse, vt quodam-*

modo

modo ante deciſionem, quaſi quodam præiudicio deciſa ſit, & auctoritas Pontificia totſignificationibus (vt ita dicam) fœta futuram deciſionem iam iam parturire videatur.

IX Perſtãtes verò in præfata Iuſtiniani Imperatoris regula: *Ea noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur*, Clementem VIII. Põt. Max. Deiparæ immunitatis egregium propugnatorem adnumeramus, cum enim ipſe ſapientiſsimo, & religioſiſsimo Cardinali Bellarmino Catechiſmum ad fidelium inſtitutionem componere commendaſſet: in quo & fidei dogmata, & Eccleſiaſticæ preces explicarẽtur, atque ille Pontificio mandato obtemperans Angelicæ ſalutationis verba: *Gratia plena* ad Mariæ immunitatem omninò inflexiſſet, docens Mariam primarium gratię effectum, qui cum peccato pugnat, perinde in ſe ſuſcepiſſe, vt ab omni ſiue actuali, ſiue originali culpa fuerit immunis, hunc in modum. *Gratia Dei tres potiſsimum effectus in anima operatur: Primus eſt, quod peccata deleat, quæ vti maculæ animam commaculant: Secundus, quod donis, virtutibuſque eandem animã exornat. Tertius, quod robur etiam ſuppeditet, vt operibus meritorijs inſiſtat diuinæ Maieſtati in primis placentibus, Domina noſtra gratia plena eſt. Nam quantũ ad primum effectum attinet nullius peccati macula, nec originalis, aut actualis, nec mortalis, nec venialis infecta fuit.* Pontifex præfatum Catechiſmum approbauit, firmauit, & per totum orbem diffundi iuſsit, vt fideles eius inſtitutionibus, & pia doctrina vbique gentium imbuerentur: vt reapſe factũ videmus, cum omnes omninò homines hoc velut lacte enutriti Mariam ab omni labe liberam profiteantur, & prædicent.

X Iam tandem Summi Eccleſiæ Põtifices, & vera mundi lumina Paulus V. & Gregorius XV. tam impenſe in illibatam Mariæ Conceptionem affecti fuere, vt cauſſam pro ea dixiſſe quodammodo videantur, cum vterque adeò in piam opinionem ſeſe pronos exhibere voluerint, vt contrariam quodam veluti fulmine etiam ſi non conflagrare, at quaſi terre facere viſi ſint: dum ipſam ab ſcholis à diſputationibus, à concionibus, ab ſcriptis, immò & à colloquijs familiaribus exulem fecerunt. Nec pigebit ſanctiſsimorum Pontificum decreta, etſi omnibus nota hic verbo ad verbum excribere, vt vel hoc ornamento noſter hic liber alijs omnibus deſtitutus maximè ſplendeat: ergo Gregorium XV. pro ſe, & pro Paulo V. ſuo prædeceſſore decernentem audi.

Feria 3. die 24. Maij anno à Natiuitate Domini 1622. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico S. D. N. D. Gregorio Diuina prouidentia Papa XV. ac Illuſtriſsimis, & Reuerendiſsimis S. R. E. Cardinalibus, &c.

Sanctiſsimus D. N. Paulus V. poſt longam, & maturam diſcuſsionem prouide conſiderans, quod quamuis in Conſtitutione Sixti IV. ſuper Conceptione Virginis Mariæ à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Conſtitutione Sanctæ memoriæ Pij V. ſuper eadem re, quas ſimiliter ſanctitas ſua innouauit cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earundem obſeruatione; relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partẽ, quod ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamẽ neutra velut, erronea, aut hæretica damnetur. Nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatiſsima Virgo fuerit cum peccato originali concepta oriuntur in populo Chri-

stiano cū magnâ Dei offensa scādala, iurgia, & dissēsiones. Propterea volēs huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, ac præcepit, ac præsētis decreti virtute mādat, & præcipit omnibus, & singulis cuiuscuis ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, vt in posterum donec articulus eiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, &c.

Hoc suo præsenti decreto ex eiusdē caussis euitandi scādala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit in aliquibus regionibus iā ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supra dictis, nè de cætero donec articulus huiusmodi à Sede Apostolicâ diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, neque de hâc opinione affirmatiua aliquo modo agere seu tractare. Hæc Gregorius XV.

XI Et verò quamuis statim Pōtifex tum ad morem prædecessorum suorum, tum ad Concilij Tridentini mētem declaret, nullum se præiudiciū velle inferre huic opinioni subdēs: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad supradicto felicis recordationis Pauli V. & hoc suo decreto dispositā,* negari quidem minime potest vtrumque Pontificem tum animum in Mariæ immunitatem proniorem ostendisse, tùm etiam piæ opinioni adeò signate fauisse, vt ipsam magis probabilem, magis piā, magis tutam esse voluerint: vt benè probat P. Salazar cap. 43. *de gradu certitudinis, quem habet pia opinio,* §. 1. num. vltimo, cuius verba libenter subijcio, sunt ista: *Quia Summi Pontifices Conceptionis immaculatæ venerationem, & cultum toti Ecclesiæ, aut suaserunt, aut demandarunt. Sed quod eo modo venerandum, colendumque populis exhibent, veluti magis pium, magis probabile, magis tutum proponunt: ergo eo ipso magis probabile, magis tutum, magisque pium declarant, ac diffiniunt:* Pergit bonus Auctor. *Et confirmatur robustâ ratione, quia Summi Pontifices piam sententiam magnis semper fauoribus prosecuti sunt, & oppositæ nō modo nunquam ad fauerunt, sed etiā per imperatum hoc tempore ipsius in publicis actionibus silentium non parum illi derogarunt: Ergo piam sentētiam prætulerunt, ac iudicio suo in praxi, & exercitio præferendam esse definierunt nimirum in dicta probabilitate maiori: hæc enim sola Summos Pontifices adducere potuit, vt ergà piam sententiam ea agerent, quibus maiorem fidem ipsi comparari necessum erat.* Hactenus Salazar.

Sed enim vt Pontificis Gregorij XV. procliuitas in illibatam Mariæ Cōceptionem magis enitèret post præfata verba, nouum hoc beneuolentiæ erga piam opinionem signū edidit: *Insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solenniter, & officium celebret omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam cuiuscuis ordinis, & instituti regularibus mādat, ac præcipit, vt in sacro sancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis tam publice, quam priua-*

XII

tim non alio, quã Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autẽ Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit cẽsuris, & pœnis contentis in supradictis Cõstitutionibus. Hæc Pontifex: Quæ quidem quantum immunitati Virgini, quantumque proximæ diffinibilitati piæ opinionis faueant, quis non videat? quamque opportune à P. Salazario nuper adducto dictum, siue prædictum fuerit (quippè ipse ante hanc Gregorij Pontificis Constitutionem scripserat) *Summos Pontifices suis decretis tantopere piæ doctrinæ semper adfauisse, vt quodammodo ante decisionem, quasi quodam præiudicio decisa sit, & auctoritas Pontificia tot significationibus (vt ita dicã) fæta futuram diffinitionem iamiam parturire videatur.*

Vrbanum VIII. Pontificem Max. pro MARIÆ immunitate manifestè stare.

ADNOTATIO II.

I AM tandem Vrbanus VIII. Pontifex Max. tot, tamque egregia obsequij, & pietatis suę erga puram, & illibatã Deiparæ Conceptionem signa nobis exhibuit, vt merito illum appellare possimus vindicem, & præconem immunitatis Mariæ. Quid enim aliud fuerit? institutam ab ipso fuisse militarem Religionem sub aduocatione Conceptionis Mariæ? Quid verò illustrius præter diffinitionem sperari à Pontifice Romano potuit? quam ea epistola, quam ad Serenissimam Elisabetham. (Heu nostrã.) Hispaniarum Reginam hac de re ipse Pontifex conscripsit; sunt quidẽ, & factũ, & scriptũ Pontificis omnibus manifesta: placet tamen vtrum que ijsdem verbis referre, quæ habemus apud meũ Hippolytũ Marraciũ in Pontificibus Mariams sub Vrbano VIII. sunt ista.

Vrbanus VIII. ad suum in Mariam Deiparam obsequium, affectũque declarandũ Pontificatus sui anno primo Religiosum Christianæ militiæ ordinẽ Conceptionis Deiparæ titulo insignitũ instituit, in Apostolica institutionis Bulla pridie Idus Februarij eiusdem anni apud S. Petrũ expedita, sic inter cætera fatus. Inæstimabili gaudio perfundimur, cùm Principes viri, vel ad veteres ordines amplificandos, vel ad nouos Apostolica auctoritate instituendos animos generosè conuertunt. Verum præcipue in Domino oblectamur, dum institutionem vnius militaris Religionis subinuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis immaculatæ meditantur, quam Christi fideles omnes propitiam apud vnigenitum Filium suum nacti sunt Aduocatam, vtpotè, quæ Mater gratiæ, & pietatis pro humani generis salute sedula oratrix apud Regem, quem genuit, semper intercedat, sperãtes huiusmodi institutionem eiusdẽ Virginis cœlorum Reginæ intercessione Christianæ Reipublicæ vberrimos fructus allaturam, &c. *Huius militiæ habitum Apostolica benedictione munitum Catholicæ Hispaniarum Reginæ Isabellæ cum sequenti diplomate transmisit.*

Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Isabellæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ Vrbanus PP. VIII.

Charissima in Christo nostra salutẽ, & Apostolicam benedictionem. Quà pietate Imperatrici Angelorũ

Maiestas tua regalis imperij faces, submittat, iam diu famæ tibi plaudẽtis vox testatur: nuper autem nobilis viri Ducis de Alcala declarauit oratio. Cum autem cupias tuam erga immaculatam Deiparam illustri aliquo documento Religionem significari, mittimus Maiestati tuę munitum Apostolica benedictione habitũ militiæ Christianæ, quæ ab eiusdem Virginis Conceptione petijt sacrum Equestris familiæ nomen, & auspicium. Sic quod insigne Catholica Regina condis in corde, idem in Regali pectore gestabis: videmus quam felix possit in Austriacis Regnis incremẽtum noua hæc militia, cuius vota, & instituta saluberrimos triumphos quærunt Christianitatis. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem die 20. Septembr. 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Pergit Hyppolitus Marracius: *Cui præterea habitui militiæ Christianæ Conceptionis B. Mariæ Virginis eidem Reginæ transmisso impertitus est indulgentias omnes S. Caroli Borromæi: item indulgentias omnes Canonizationis Sanctorum quinque: item similiter omnes indulgentias Comitis de Monterrey, & insuper (vt ipse Sanctissimus dixit) post longam, & plenam dierum vitam in articulo mortis indulgentiam plenissimam, & remissionem omnium suorum peccatorum.* Hæc modo ex Hyppolito Marracio.

II Quoniam verò contrariæ opinionis Auctores argumentum hoc ab auctoritate Vrbani Pontificis, non modo deludere, sed etiam in nos retorquere satagũt, quod Põtifices siue in Bulla, siue in Epistolâ ad Reginam titulum *immaculatæ* signatè Deiparæ, non verò Conceptioni tribuerit: primum videsis tum quæ nos supra in adnotatione de Decreto Concilij Tridentini Mariam à retiaculo generali, in quo cadunt omnes peccatores excipientis, vt singularis sit donec transeat, copiosè diseruimus, omninò euincentes per in de esse Deiparam dici immaculatã, ac in Conceptione immaculatam: tùm vel maximè illa, quibus idẽ argumentũ pertractauit D. Dominus Antonius Calderon in ibi merito laudatus, qui sanè quidquid à limato ingenio, & felici calamo ad palmam obtinendam dici potuit nobis præcipuit. Sed præterea non possum non in Pontifice Vrbano expendere, & ipsam Religionis sub titulo Cõceptionis institutionem, & scopum epistolæ ad Catholicam Reginam missæ: & de primo quis hominum sibi in animum inducat Religionem de industria sub titulo, & aduocatione Conceptionis institui, cuius tessera non sit Conceptio pura, & immaculata? nam alioqui, cur Conceptio, quę talis non esset, aduocanda siue comminiscenda foret? Sanè is omnium mortalium sensus de Conceptione est: illam aut vt immaculatam colere, & pro tessera habere, aut si Conceptio illis immaculata non est, nec ipsam aduocare, aut colere, nec illius comminisci. Quod planè à simili eiuspem Vrbani Pontificis facto tibi demonstro: ipse nimirum, vt tota Roma testis est, & memoriæ tradidit nuper citatus Hippolytus Marracius *in Pontificibus Marianis*, c. 95. primum lapidẽ templi fratrum Capuccinorũ in Vrbe Immaculatæ Virginis Cõceptioni dicati suis manibus iecit; cuso pro re natâ numismate in vnâ parte Pontificis faciem referente cũ epigraphe *Vrbanus VIII. Pont. Max.* in alterâ tẽplũ cũ inscriptione *Ecclesiæ B. Virginis Conceptionis primo iacto lapide* 1626. vbi, quis possit dubitare Pontificis mentẽ de Cõceptione immaculata fuisse, cũ Cõceptioni immaculatę templũ dedicaretur? Et tamẽ ipse cõtẽtus fuit Cõceptionis tãtũ cõminisci, quod nõ modo conscientiæ suæ, sed totius mundi

sensui

sensui, & intelligentiæ id esset satis.

III Iam verò cum Reginæ Catholicæ habitum Religionis Conceptionis Pontifex misit, vt illustri aliquo documento eximiæ Religioni illius in Deiparam immaculatam satisfaceret, ijs verbis additis. *Sic quod insigne Catholica Regina condis in corde, idem in Regali pectore gestabis*, de quà rogo Conceptione, nisi de ea quæ omnino pura, & immaculata est opportune loqui Pontifex potuit? nam vnam hanc in corde, & animo Regina habebat, vt & illa Pōtifici Gregorio XV. paulò ante peculiari epistola data, cuius suo loco meminimus conscripserat, & ipsemet Vrbanus in litteris ad Reginā insinuat illis verbis. *Quæ pietati Imperatrici Angelorum Maiestas tua Regalis imperij fasces submittat, iam diù famæ tibi plaudentis vox testatur: nuper autem nobilis viri Ducis de Alcala declarauit oratio.* Nouimus enim Ducem de Alcala Reginæ Catholicæ nomine de ipsius erga immaculatam Mariæ Conceptionem affectu, ac deuotione Pontificē certiorem reddidisse: cui quidem ipse morem gerens, & Religionis Conceptionis habitum, & lenissima ea verba dedit.

IV Nec illud pro mente Vrbani Pōtificis omiserim ipsum cū Maphæus Barberinus esset, nec Vrbanus VIII. appellaretur, re ipsa vrbanum erga Deiparam in elegantissimis versibus, quos de diuinis rebus conscripsit: immaculatam Virginis Conceptioni, sic vrbanissime ceciniſſe: Strophe 2.

Fosti ab eterno eletta.
E senza macchia original concetta.

Et verò, vt de nōnullis Auctoribus, nouim⁹ ad Pōtificatū euectos ab opinione min⁹ pia, cui cū priuati essent adhęserāt, ad opinionē piā trāsisse; ita nūquā vidimus, eos qui Deiparę immunitatem semel tutati sunt, ab hac pia opinione in culmine dignitatis positos discessisse.

V Hæc pro mente Vrbani, & prædecessorum eius Pontificum mente, & affectu erga Deiparæ immunitatem dicta sint: Sed enim scire est operæ pretium, nihil horum contrariæ sententiæ auctores constringere: nam cum illis venerabilem hanc siue ineluctabilem Summorum Pontificū auctoritatē pro Maria immaculatè concepta opponimus, eam ipsi expeditam ad manum habent responsionem, Pōtifices in fauorem illibatæ Conceptionis, non *dispositiue*: sed *recitatiue* fuisse locutos, vt disertè habetur in supplici libello pro titulo *immaculatæ* Eminentiſ. Cardin. dato. Quo in loco placet primū expendere eum dicendi modum *nō dispositiue, sed recitatiue*, & quidem si horum Auctorum mens esset, Pontifices *non dispositiue*: ideſt non diffinitiuè fuisse locutos, nulla nobis cum illis disputatio, nulla de ipsis querimonia esset; cum nobis solenne sit fateri, nihil hactenus à Pontificibus ea de re fuisse diffinitum; verum alium ipsis subesse sensum, tūm oppositū aduerbiū *recitatiuè*, tū ea, quam subiungunt sententia, suadet, dū affirmant Pontifices interdum admiscuisse suis Bullis titulū *immaculatæ Conceptionis*, nō quod ita sentirent, nā recitatiuè tantū loquebātur, sed quod vel ad pietatē, vel ad opinionē aliorū loquerentur: iā verò id, qnā sit absurdum, & à veritate alienū quis non videat? cū perinde id fuerit, ac dixisse Pontifices vsurpasse verba destituta sensu, qui eorū cortici subest, siue eas voces de Virginis immunitate protulisse ad modum personarum nullo sensu informantium verba, quę proferūt, quod à sapientium stylo, & more est alienissimum.

VI Ad hæc, si benè æstimas: cum *recitatiuè* dicere, sit alterius nomine, siue alterius sensu recitare, hoc effugiū ab ipsismet Pōtificibus apertè

quidé præcluditur: cũ Apoſtolicæ litteræ nõ modo Pontificis nomine publicẽtur, ſed ab ipſo etiã, vel dictẽtur, vel recognoſcãtur: vt quæcũq; in illis cõtinentur eorũ ſenſa eſſe manifeſtũ omnib⁹ fuerit. Quod planè non eſt *recitatiuè*, ſed enũciatiue loqui, & procedere, præſertim in ijs litteris in, quibus nõ inſeritur propoſitio, & relatio ſupplicantium (vt in extrauagantibus Xiſti IV, & Alexãdri VI. manifeſtè apparet) imò verò in ijs etiam, cum ſupra relationẽ, & ſupplicationẽ cadat cauſſæ cognitio, & Pontificia approbatio. Nec omiſerim dicere: mirũ quidé videri Auctores iſtos in verbis apertis, planis & in manifeſtũ ſenſum euntibus diuinare, an cum intentione, an verò præter intentionẽ à Pontifice dicantur. Etenim ſi hominẽ liberè ambulantẽ, comedentẽ, loquentẽ ſemper credimus ex intẽtione, ſcientiã, & approbatione volũtatis ambulare, comedere, & loqui; adeò vt Seneca de aulicis, qui tanquam ſerua pecora Principũ ſuorũ nutui velut neceſſariò adacti ſeſe addicunt cũ emphaſi, & morſu dixerit *ad aliorũ ambulant gradũ, ad aliorũ comedunt appetitũ*: quâ ratione tot Summos Eccleſiæ Pontifices, qui non niſi ordinatiſsimè, & ex rationis præſcripto agere, & loqui cenſendi ſunt, in re adeo graui arbitramur ſine intentione, ſcientia, & volũtatis approbatione fuiſſe locutos? vt non tam veritati, quã gratiæ darẽt, quod voce tenus ſine ſenſu enũciabant: obſiſtẽte VVerrico Abbate cũ ait. *Maledictus ſit, qui gratiam cum gratia Dei male cohærentem captat.*

DISSERTATIO VII.

DE DIVINIS REVELATIONIBVS IMMVnitatem Deiparæ confirmantibus.

OPINIONI PIÆ INGENS AVCTORITATIS pondus à Reuelationibus à Deo puris animis factis accedit.

ADNOTATIO I.

I INTER multiplices modos quibus piæ opinioni de illibatâ Deiparæ Conceptione Eccleſia aſsiſtit (vt aiebat Doctor Segouienſis) ille minimè fuerit contemnendus, qui reuelationibus animis ſanctis de eâ diuinitus factis innititur. Et verò, etſi hoc argumẽtũ eiuſmodi alicui eſſe videatur, vt propriè argumentum ſit iuxta diffinitionẽ argumenti à M. Tullio paradoxa 2. ſic traditã: *Argumentũ eſt probabile inuentum ad faciendum fidem*: at enim ſi attẽtius inſpiciatur, non modo probabile, ſed firmum quidem, atque certum eſſe videbitur. Non quidem, quod velimus quaſcumque Reuelationes, quæ diuinitus factæ creduntur, rem eſſe explorati iuris (vt aiunt) ad faciendam fidem, monente Ioanne epiſtol. 1. cap. 4. verſic. 1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, & præcauente Paulo 2. ad Corint. 11. v. 14. *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelũ Lucis*, 1. *Ioan.* 4. v. 1. 2. *Cor.* 11 v. 14.

&

Eccl. 19 verſ. 4. & affirmante Eccleſiaſtico, cap. 19. verſ. 4. *Qui cito credit, leuis eſt corde*: ſed quod in hanc rem firmum ſit Apoſtoli documentum, *Spiritum nolite extinguere prophetias nolite ſpernere*, 1. ad Theſſalon. 5. verſ. 19. cui ille ſubeſt ſenſus, vt Guillielmus Eſtius inquit. *Nolite probibere, quominus quiſque proferat in medium id quod ab Spiritu Sancto accepit*: Vndè verba, quæ ſequuntur ſic explicat. *Prophetias in genere vocat ſermones, quibus ex inſpiratione diuina proferebantur occulta quædam, ſiue ea eſſent res futuræ, ſiue Scripturarum ſenſus, ſiue alia quæcumque latentia myſteria*, ſubdens poſt nonnulla. *Aduerſus hoc præceptum peccant, & illi, qui reuelationes priuatas quibuſcumque hominibus factæ leguntur, toto genere ſpernunt, atque reijciunt: Et enim hæc omnia prudenter examinanda ſunt, vt ſciatur quid tenendum, quod eijciendum.* Sic Eſtius. Vel vide non leui ſupplicio ſanctũ Prophetam Zachariam à Domino affectum, quod Angelo non crediderit: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui* (inquit ei Gabriel) *vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo*, Lucæ 1. verſ. 20. *Luc. 1. verſ. 20.* Ad quæ verba dum PP. & peccaſſe incredulitatis culpa Zachariam cõſtanter affirmant, & quænam incredulitatis ſpecies fuerit, ambigunt, *Maldonatus.* Maldonatus pie, & ſapienter, vt minorem Zachariæ culpam faciat, reſpondet: *Potius credo de Angelo, an verus eſſet, & an à Deo miſſus dubitaſſe, vt verba ipſa reſpondentis Angeli ſignificant.* Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & ecce eris, tacens pro eo quod nõ credidiſti verbis meis. *Nõ dixit verbis Dei, quod dicere debebat, ſi Deo Zacharias non credidiſſet, cũ eum Angelus accuſaret, velletque quam maxime eius peccatũ exaggerare, ſed dixit: pro eo quod non credidiſti verbis meis.* Hęc Maldonatus. Nec fuerit noſtro inſtituto minus opportunum, quod ſtatim addit occaſione argumentationis, quã contra ea quæ dixerat ſic format. *Non ergo peccauit (obijciet mihi aliquis) cum non deberet temere credere verum eſſe Angelũ. Neque enim, quod poſtea D. Paulus dixit ignorabat, ſolere ſe Satanam in Angelum lucis transfigurare, & quod Ioannes, prima epiſt. c. 4. verſ. 1. non omni ſpiritui credendum eſſe, ſed probandos ſpiritus, vtrũ ex Deo ſint,* nimirum ita huic dubitationi diluci dè ſatisfacit: *Reſpondeo, in hoc ipſo aliquam fuiſſe culpam, quod Angelo tam apertè ſeſe oſtendenti, & tot ſigna præferenti legationis ſuæ, non facile crediderit, ſed longè tamen leuiorẽ fuiſſe culpam, quam ſi aut Deo, aut Angelo, quem bonũ eſſe, & Dei nomine loqui ſciret, nõ credidiſſet.* Sic ille omninò ad Eſtij ſententiã accedens, qui dicebat, peccare illos aduerſus Pauli monitum, qui reuelationes priuatas toto genere ſpernunt, atque reijciũt. Pro quâ doctrinâ opportunè fideiubet Seneca monens, tam eſſe in vitio, omnibus credere, ac nulli. *Seneca.*

Ergo *inter vtroſque ſcopulos, & ſinus* (ſic eleganter, & verè Tertull. lib. *de Idolatria* c. 24.) *inter hæc vada, & freta velificata ſpiritu Dei fides nauigat: tuta, ſicuta: ſecura, ſi attonita*: nè videlicet, vel in hunc, vel in illũ ſcopulũ impingat, aut Satanę in Angelum lucis ſe transfiguranti fidem dando, aut vero Angelo legationis ſuæ ſigna præferenti nõ credẽdo. Sed expẽde in imagine nauis pleniſsimis velis ſecundũ curſum cõficientis, cũ *velificata Spiritu Dei fides nauiget*, omninò à Tertulliano innui, nõ ſatis eſſe nauigio latera, carinæ, prora, puppis, antennæ, vela, mali, niſi bonus ei gubernator, & ſtrenuus aſsiſtat, vt hic maximè locum habeat M. Tullij libr. *de inuentione*, ſententia: *Nam nauis optimè* *Tertull.* II *M. Tullius.*

me cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore vtitur: Qui quidem omnium consensu non alius, quam Romanus Pontifex censetur. Vndè in prædicta Ioannis verba *probate spiritus, si ex Deo sint*: optimè inquit Ioannes Lorinus: *De reuelationibus, somnijs, visionibus, inspirationibus, vocationibus, & electionibus, miraculis, vario supertitionis genere supremaquoque potestas diiudicandi Pontificis est*: ita ille, quasi Pontifex ille omnino sit, qui eum saporem, siue gustum habeat: quo discernitur inter Deum reuelantē, & animā somniantem, ad eum modum, quo Augustinus lib. 6. *Confessionum*, cap. 13. de Sanctissima matre sua Monica dicebat: *Se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, discernere, quid interesset inter Deum reuelātem, & animam suam somniantem.* Nec tamē ideò negandū est, Spirirituum discretionem priuatis etiam personis à Deo tanquam peculiare donum communicari, dicente Paulo 1. ad Corinth. 12. vers. 12. *Alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum*: eaque de re multas à bonis auctoribus regulas tradi, de quo vide prędicto loco Lorinum, sed tunc omnino nauis velificata Spiritui Dei nauigat, cum sciētissimo gubernatore hoc est Romano Pontifice vtitur.

Augus. — 1. *Corin.* 12. v. 10. — *Lorinū.*

III Ex ijs iam non solum probabile, sed legitimum, & quasi necessarium pro illibata Deiparæ Conceptione argumentum cōficitur pluribus cœlestibus Reuelationibus, non ab animis somniantibus editis, sed puris mentibus a Deo reuelante factis, & sacris Pontificum diplomatibus in eius confirmationem concurrentibus, quibus fidem nō adhibere, nec pium, siue religiosum, nè dicam non tutum videatur. Nempè vt ex toto libro præcedente apparet, sæpius ipsa beatissima Virgo, itidemque Gabriel Angelus Beatæ Birgittæ lucu-

A

B

C

D

E

lentissima dedere testimonia, & nè omnia repetam, illud in primis est peropportunum lib. 6. *Reuelationū* cap. 55. vbi Deipara, sic loquens inducitur. *Hora in quâ ego cōcepta fui, benè potest vocari aurea hora, & pretiosa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes conuenerunt ex obediētia, & præcepto Dei, benè ergo aurea hora fuit Conceptio mea: nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebræ quasi festinabant in lucem; Deus nāque singulare quoddam, & à sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virga arida florescente*: & eodē capite dissertissimè B. Birgittæ Deipara sic loquitur: *Scito quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali: & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, sic placuit Deo, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione meâ, vt quislibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret in tempore præordinato.* Nè verò vllus ambigendi locus hâc de re in Reuelationibus hisce sit: audi eandem Sanctissimam Virginem eodē lib. 6. cap. 49. tam clare, & manifestè loquentem: *Veritas est, quod ego concepta fui, sine peccato originali, quia sicut Filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quam illud, de quo processi*: Et eodem lib. 1. cap. 9. cum sanctissimi corporis sui structuram ex purissima, & limpidissima elementorum parte factā asseruisset, vt in superioribus vidimus subijcit. *Facto autem corpore meo Deus à Diuinitate suâ animam creatam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est, quā Angeli custodiebant die, ac nocte.* Hæc ibi, & plura alijs in locis.

Iam verò has Beatæ Birgittæ Re- IV

uela-

uelationes frustra commendem ab auctoritate doctissimorum virorum Ludouici Blosij *in monili aureo*, Turrecrematæ in prologo eius libri *Reuelationum*, Nicolai Sanderi lib. 6. *de visibili Monarchia*, Michaelis de Medina lib. 2. *de recta in Deum fide*, Petri Canisij lib. 1. *de Beata Virgine*, cap. 7. Antonij de Corduba lib. 10. *quæstionarij*, quæstion. 44. Iustiniani Antist. tractatu *pro immaculata Virginis Conceptione*, §. 9. Vvadingi sectione 3. *Legationis oratione ad Paulum V. tractatu* 11. §. 10. Melchioris Zetinæ *in exhortatione ad Mariæ sanctissimæ deuotionem*, capit, 5. vers. *confirmamus*, & plurium quos nè otio abuti videar, silentio prætereo: cum habeant maius suffragium (cui impunè obniti nõ possis) Summorum Pontificum Bonifacij IX. Martini V. Vrbani VI. & Conciliorum Basiliensis, & Constantiensis, & illud quidem quod omninò irreftagabile est, Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ in oratione Missæ de B. Birgitta Deum sic orantis: *Dominus Deus noster, qui Beatæ Birgittæ per Filium tuum vnigenitum secreta cœlestia reuelasti, ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis in reuelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes*: Vbi placet obseruare pro summa prudentia, & cunctatione, qua Romani Pontifices vti consueuerunt, hasce Reuelationes B. Birgittæ tum in eius vitâ à Prælatis, virisque sanctissimis, & sapientissimis accurate primum examini commissas, probatas fuisse, tum etiam post fœlicem eius transitum à prædictis Summis Pontificibus nouo, eoque diligentissimo examine, per Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & doctissimos Theologos pręmisso receptas, & confirmatas esse. Nec pigebit singulorum Pontificum approbationes affixis earum temporibus hic inserere. Et primùm quidem Gregorius XI. anno Domini 1377. cũ has

Ludou. Blos. Turrecr. Sander. Medin. Canisius Cordub. Iustin. Vvand. Zetina.

A

B

C

D

E

reuelationes tribus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & quatuor sapientissimis Theologis examinãdas expẽdẽdasque tradidisset, non nisi ex eorum iudicio eas probauit: ipsorũ verò iudicium id fuit. *Totum quod in eis continetur, & veritate conspicuũ esse, & sanctitate plenũ, perlucidũ, atque perfectum*. Deinde verò Vrbanus VI. Gregorij successor anno sequenti 1478. post nouum; idque exactissimum per quinque Cardinales, septem Theologos, & Iurisperitos, earumdem Reuelationum factum examen, ipsas his verbis probauit: *Authẽticas, & veritate plenas, & à Dei Spiritu veraciter traditas, & ad vtilitatem legentium, & audientium; pro saluberrimo fidelium dogmate in Dei Ecclesia in perpetuum cum deuotione, & reuerentiâ studiosius obseruandas esse*. Postremo autẽ Bonifacius IX. prædecessorum suorum vestigijs insistens, itidem illas examinandas sapientissimis illius temporis viris commisit; & ab illis recognitas, & probatas; ijsdem ipse verbis approbauit, & firmauit quibus, & Pontifex Ozias Sanctam Iudith laudauit inquiens: *Omnia quæ locuta es, vera sunt*, Iudith 8. versic. 28. & quibus vidua Eliam: *Verbum Dei in ore tuo verum est*. Vndè quidem P. Gabriel Vazquez magni iudicij vir tom. 2. in 3. part. disputat. 117. cap. 6. num. 77. has reuelationes vt à Concilio Basiliensi, & ab his Pontificibus examinatas, & approbatas maximi facit, & eodem modo PP. Francisc. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 3. §. *Tertio augetur*, Petrus Canis. lib. *de Deipara*, cap. 10. Salmeron tom. 13. disputat. 52. in epist. ad Roman. Salazar cap. 42. ad fin. sæculi 14. Iacobus Granado disp. 3. Ioan. Perlin. disp. 10. cap. 8. Ambrosius Catharinus opusc. 2. *de Conceptione*, Vincentius Iustinia. §. 9, fol. 12. Ægidius à Præsentat. lib, 3. quæst. 6. art. 4. §. 2. Nouatus

Iudith. 8. v. 28. Vazq.

Suarez.

Canisius Salmer. Salazar Granad. Perlin. Cathar. A Egid Nouat.

tom. 2. cap. 3. & alij quam plures apud Armamentarium Seraphicum in Regesto fol. 40.

V Verum enimverò Caietanus tomo 2. *opusculorum*, tractat. 1. *de Virginis Conceptione*, cap. 5. adeo his reuelationibus fidem dare recusat, vt potius velit, vel factas fuisse per Angelum Sathanæ transformatum in Angelum Lucis, vel phantasias, siue figmenta esse, mulierculis, non viris sapientibus adducenda, nec digna esse de quibus verba fiãt: sic enim ipse omninò inquit: *Nouellæ autem reuelationes contra tot Sanctos, & antiquos Doctores Angelum Sathanæ in Angelum lucis transformatũ, aut phantasias, vel etiam figmẽta sapientibus ingerere videntur. Hæ siquidem cum vocatis miraculis, quæ in hac causa afferuntur, pro mulierculis, non pro sacra sunt Synodo: vndè hæc censeo digna, de quibus verba non fiant.* Hæc Caietanus. Qui sanè non contentus hoc modo reuelationibus detraxisse, vlterius progrediens, nec omninò draconi illi absimilis, qui stellas de cœlo in terram trahere nitebatur Apocalyps. 12. vers. 4. ipsam Beatam Birgittam de loco dimouere contendit, sic de ipsius canonizatione subdubitãs: *Maiori fide videtur Sãcta Catharina* (cui reuelatum dicit Mariam in peccato originali fuisse conceptam, de quo statim redibit sermo) *quia canonizata est, sicut cæteri Sancti, Sancta vero Birgitta canonizata est tempore schismatis, quo nullus habebatur certus, & indubitatus Papa.* Hactenus ille. A quo non longius iuit Medina 3. part. quæst. 17. art. 2. ad 5. nihili faciendas reuelationes has absolutè affirmans: & quod plus mirandũ est, hodierna tempestate post castigatum iustissima animaduersione à sapientissimis Auctoribus Caietanum, eius assecias in libello supplici eminentissimis, & Reuerendissimis Cardinalibus oblato, Caietani sensu imbutos dixisse: *Nec nos ad apocryphas Apostolorum diffinitiones, confictas reuelationes, ac somnia ta, aut Bullas adulteratas recurrimus.*

Caietan. Apoc. 12. v. 4. Medin.

A B C D E

Quam vehementer verò præfatus Caietani sensus magnis Auctoribus displicuerit, facile videris apud Antonium de Corduba præfatâ q. 44. §. *Sed certè hæc euasio*, Ægidiũ a Præsentatione lib. 3. quæst. 6. art. 4. §. 1. num. 2. P. Ferdinandum Salazar *in defensione pro immunitate Virginis*, cap. 42. auctores sæculi 14. recensentem. P. Iacobum Granado tractatu 1. disp. 3. sect. 13. num. 169. & latius apud P. Ioannem Perlim *in Apologia Scholastica pro Magnæ Matris immunitate*, distin. 8. cap. 1. toto. Quippè Corduba, & Ægidius assertum Caietani temerarium & impium: nec multo mitius loquitur P. Perlim affirmans, proiectæ reverâ cuiusdam temeritatis esse, Reuelationes figmenta, & somnia dicere, nec longius abire à modo loquendi Kemnitij, & assectarum eius reuelationes vt insulsa quædam deridentium. Ego verò contentus fuero si dixerim, quod Hieronym. lib. contra Luciferianos cap. 4. aiebat. *Solent oculis clausis denegare, qui nõ credunt factum esse, quod nolunt*: cũ Caietanus nisi oculos clausos habere voluisset, omninò vidisset Bullã Canonizationis B. Birgitæ, quæ libro Reuelationum eius præfixa est, non solum editam à Bonifacio IX. sed etiam confirmatam à Martino V. qui ex totius Ecclesiæ sensu verus, & indubitatus Põtifex fuit, quæ sanè confirmatio quemcumque scrupulum, quem dubius (nec tamen dubius) Bonifacij Pontificatus poterat Caietano injcere, omninò aufert, quod non tantum obseruauit Cardin. Baronius in adnotationibus ad Martyrologium Romanum die 23. Iulij, sed etiam Cardinalis Turrecremata Dominicanus, & Caietano

VI

Ægidius. Salazar

Perlim.

anti-

antiquior, qui in prologo Reuelationum B. Birgittæ ipſammet Martini V. Bullam affert. Vt non immerito dixerit præfato loco Ægidius Caietanum noluiſſe videre eam Bullam, atque idcirco ignorantia deceptum, non ea quidem, quæ veniâ digna ſit, ſed quæ craſſa dicitur, ac proinde cui facilis excuſatio non adſit: & quæ eiuſmodi ignorantem nec ſecurum, nec ſine morſu conſciẽtiæ ſatis pacatum reddat, qui quidem libidinis contẽdẽdi malus fructus eſſe ſolet: quippè Apoſtolus cũ Timotheum epiſt. 2. cap. 2. verſ. 15. monuit, *vt probabilem ſe exhiberet Deo, operarium inconfuſibilem*, Ambroſio expoſitore dicere voluit, vt vel eâ ratione ab altercationibus abſtineret: quod eæ non parum cõſcientiæ obeſſe ſoleant: nimirum cũ ibi præmiſiſſet Ambroſius. *Quoniâ autem ſunt aliqui, qui dicunt contentionem audientibus prodeſſe, Apoſtolus autem magis ſciens obeſſe, hoc mãdat, vt vnuſquiſque hoc curet, nempe, vt ſpreta altercatione ſemet ipſum probabilem faciat*: ſubijcit opportunè inſtituto, quod perſequimur. *Neceſſe eſt enim vt contentio extorqueat aliquid, immò multa quæ dicuntur contra conſcientiam, vt intus in animo perdat, foris victor abſcedat. Nemo enim patitur ſe vinci, licet ſciat vera, quæ audit.* Hæc Ambr. Vndè quidem tam pro Caietani, quam pro eorum ſenſu, qui Reuelationes has confictas dicunt, maximè probo illius Galeni votum lib. contra Iulianum. *Conſultum quidem eſſet, ſi quẽadmodum ſtatutum legibus eſt, vt eâdem, quâ reus pœnâ, ſi damnandus fuiſſet, puniatur is, qui falsò accuſat, ita in eos dignâ erratorum pœnâ animaduerteretur, qui ijs, quæ ignorant falſo cõtradicũt.* Sèd pergit dolẽter, *ſed quoniam neſcio, quopacto iniurias perſequi iudicio licet, lex autem falsò contradicentibus ſtatuta nulla eſt, arbitror, non immerito in optimos viros quemquam inuehi audere.* Sic Galenus.

A

B

2. Timo. 2. ve. 15.

Ambr.

C

Galenus

Iam verò præter haſce B. Birgittæ de Mariæ immunitate Reuelationes, plures ſunt aliæ tam veteres, quam recentiores illis adſimiles: nã & Bernardus epiſtola illâ 174. & Bonauentura nonnullarum meminere & Marſilius in 2. quæſt. 20. tres itidem reuelationes miraculis confirmatas affert, illam verò ſignatè ego aſsignauerim, quæ valde illuſtris, & minime vulgaris certa tamen eſſe videtur, & habetur in Actis B. Oringæ, quæ alias Chriſtiana nominatur & in Hetruria anno 1310. virtutib⁹, & miraculis illuſtriſsima è viuis exceſsit: Etenim Sancta hæc Virgo aliquando per extaſim in cœlum abducta vidiſſe dicitur Deiparam in fulgentiſsimo throno aſsidentem Filio alba veſte pretioſiſsimâ amictam exultantibus circum eam Sãctis omnibus, & feſtum ſolemne agitantibus (ſunt quippe etiam in cœlo feſta, & celebritates quotannis recurrentes, vt S. Chryſoſtomus in homilia de S. Philogonio ex Paulo monet) Miranti autem Oringæ, tantæ celebritatis cauſſam, & ſuſpicienti maximè candorem veſtis, quo Deipara prænitebat, Chriſtus ipſe his verbis eam allocutus refertur. *Miraris, Chriſtiana, honorem, qui ab Angelis hodie Matri meæ glorioſæ exhibetur, & quâ induta eſt veſtem, ſed ſcito hodie agi in cœlo celebritatem immaculatæ Conceptionis eius, quæ mox deinde concepit, ac peperit verũ Deũ, ac hominem illibatâ ſemper Virginitate. Veſtimenti eius candor, prærogatiua eſt ſingularis innocentiæ.* Nimirum, quia nemo filiorum Adam præter Deiparam eâ prærogatiuâ potitus eſt in animatione primâ, cũ omnibus adhæreat maculata illa tunica pellicea, cuius in hanc rem ſæpius meminimus: Pergunt Chriſtianæ Acta. *Propter hanc viſionem voluit Chriſtiana Monaſterio, quod*

VII

deinde erexit, nomen esse, S. Mariæ nouellę, *statuitque vt in eodem saluâ Sanctæ Sedis Apostolicæ Summique Pontificis auctoritate, & reuerētia quot annis sacræ Conceptionis solemnitas celebraretur.* Sic ibi. Edidit ea Acta Siluanus Pazzi, quæ Bollandus mēse Ianuario repræsentauit.

VIII Præter has reuelationes Armamentarium Seraphicum alias triginta & duas probatis auctoribus collectas affert, optimè obseruans, illas eiusmodi esse, vt non possint iure verti in dubium, quod habeant omnes conditiones, & regulas a Theologis statutas, vt tanquam veræ à Catholicis suscipiantur, & auctores, qui eas recensent, tum pietate, tum eruditione spectabiles incōcussum eis fidei testimonium præbere. Quid his Auctores contrariæ opinionis valeant obijcere non video. Nec enim credo dicturos nobis omnes hos Auctores apocryphos, aut mendaces, aut deceptores esse: dixit quippe sapienter Canus Dominicanus ipse lib. 11. de locis cap. 4. concluſ. 2. de ijs, qui omnibus historijs ab Auctoribus bona fide traditis, & à cæteris bona fide acceptis fidem derogant. *Canus.* *Pleruque nostrâ hâc ætate peruersę, nè dicam impudenter res, quas esse gestas grauissimi Auctores testati sunt, in dubium vocant: qui si idoneas causas, probabilesque redderent, audiendi quidem essent: cum verò reddant nullas, contemnendi sunt, vt qui communem hominum sensum exuerint: iudiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est testimonia reiecerint: vitæ magistram: prudentiæ subsidium, lucem veritatis historiam neglexerint.* Hæc Canus,

A

B

C

D

E

Nullam omninò Reuelationem diuinam subsistere, quæ Deiparæ immunitati consentanea non sit.

ADNOTATIO II.

NON fuerit quidem illud hoc loco prætereundum: Voluisse videlicet Caietanum, & eius assecias eadem, ac nos argumentandi ratione pro sua sententia vti, & Reuelationes Reuelationibus opponere. I

Signa pares Aquilas, & pila minãtia pilis.

Dixit siquidem præfato loco Caietanus. *Sanctæ autem Birgittæ è regione opponitur Sancta Catharina Senensis, quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum, vt refert Archiepiscopus Florentinus in prima parte Summæ tit. 7. cap. 2. circa finem.* Sed illud in primis mirabile videtur, Caietanū, & S. Antoninum (quamuis hic quidem S. Catharinæ signatè non meminerit, sed generaliter dixerit. *Si quis obijciat hanc reuelationem S. Birgittæ, sciendum alias sanctas miraculis claras contrariam reuelationem habuisse,*) hāc S. Catharinæ reuelationem nullo fideiussore dato, nullis testibus productis nobis obtrudere voluisse: cum nec in huius sanctæ scriptis, nec apud illius vitæ Scriptores, nec apud Fratrem Raymundum, aut vllum è suis confessarijs, & familiaribus, qui diligentissimè cunctas eius reuelationes collegerunt, & posteritati collectas emisere inueniatur. Enim verò, vt istæ reuelationes è regione ponerentur, *S. Ant.* *Caietan.*

(vt

(vt inquit Caietanus) reuelationibus S. Birgittæ, quæ pro se tot locupletissimos testes, tot firmissima Doctorum testimonia, tot Pontificum diplomata habent, & cum illis pari Marte cõfligerent, omninò necessarium erat, vt & paribus Doctorum, & Pontificum fulcimentis innitrerentur: itidemque Theologorum examina sustinuissent, & ab ipsis probatæ nobis traderentur: nec nõ vt eiusmodi essent, quæ ad spiritualem aliquam ædificationem, deuotionemque vtiles forent: Quæ tanquam regulæ à Theologis, & Magistris spiritualibus præscribuntur, ad discernendas germanas reuelationes ab spurijs: iam verò quis ei reuelationi fidat: cui hæc omnia omninò desint? quæ nec testes, nec testimonia, nec Theologos, nec Pontifices fideiussores habet, nec vllã omninò Ecclesiæ vtilitatem, aut fidelibus deuotionem affert: Cui enim bono fuerit nobis nosse Mariã peccato originali subditam fuisse: deuotione nostra huic notitiæ omnimodis reluctante? Quid? quod non esse moris Dei occulta peccata alijs reuelare, nisi raro, ad maiorem peccantis profectum, certo certius scimus: Vndè frequentius affirmamus, ea de causa in Scriptura, & peccatum Angelorum silentio premi, & diuitis auari nomen reticeri, quod cum hi ad meliorem frugem se iam recipere non possent, non erat, cur ingratijs traducerentur.

II Vt iam hinc minime fuerit mirãdum, Ambrosium Catharinum, qui & de Schola Dominicana fuit lib. 3. *pro immaculatâ Conceptione* circa principium, propendentibus in eius sensum P. Francisco Suarez in 3. p. quæst. 27. disput. 3. sect. 5. & alijs, de hac S. Catherinæ prætensa reuelatione dixisse, post obitũ sanctæ præpostero, & pertinaci quodam zelo confictam a defensoribus illius sententiæ ad infirmandam reuelationũ contrariarum fidem: vt vt hoc fuerit: mihi maximè placet iudicium P. Martini del Rio mei olim in sacris litteris præceptoris, per quem me profecisse semper gloriabor, qui copiosiùs, & mira eruditione agens de veris reuelationibus dignoscendis, & à falsis discriminandis lib. 4. disquisitionum Magicarum c. 1. quæst. 3. sect. 5. cum præmisisset in sexta cõsideratione de hac re: *Si pugnantes sint diuersæ de eadẽ re reuelationes, vt plurimum ambæ suspectæ sunt habendæ: interdum tamen sic veras conatur diabolus contrarijs oblatis infirmare: ideò non statim reijciẽdæ omnes, sed illis, re maturè deliberata credendum, non quæ priores sunt (fieri enim solet, vt cum dæmõ conatus fuerit illudere per falsam, Deus alia verâ immissa nebulam illam lucis superuentu disijciat) sed quas plures, ac probatiores sanctitate, prudentia, & sacra doctrina confirmant, & quarũ auctoribus minus causæ fuit, talia confingendi:* subijcit pro re, quam in manibus habemus: *Verbi gratia in reuelationibus de immaculatâ Conceptione Deiparæ Virginis Mariæ, quando paria sunt reliqua momenta circumstantiarum, plus tribuendum reuelationibus habitis (si quæ sunt) ante controuersiam eadem de re natam, & post natam controuersiã ijs, quas habuerunt, qui nec instituti, cuius S. Thomas, nec alterius, cuius Doctor subtilis, fuere: hi enim ab affectu liberiores: & hâc sanè ex parte reuelatio S. Birgittæ præponderat alteri, quæ tribuitur S. Catherinæ Senensi.* Hæc doctissimus Pater tam pro dictis, quam pro dicendis valde opportuna.

III Equidem cum hęc conscriberem, peruenit ad manus meas liber P. Nicolai Lancicij, tom. 2. opusc. 11. *de praxi Diuinæ præsentiæ*, cap. 13. de his copiose agentis: Et quia vt credo, modo liber iste paucorum manibus teritur, non grauabor nonnulla

in

in hanc rem ex eo appingere. Ergo cum de præfata reuelatione B. Catharinæ adscripta dixisset, à cunctis bonæ notæ Auctoribus non modo sub luce maligna poni, sed apertè, veram esse negari, subijcit. *Addo me Romæ inuenisse ante annos circiter quindecim impressas reuelationes S. Catharinæ anno* 1504. *Venetijs per Lazarum de Soardi (hoc est ante annos* 139. *quia hæc addo anno* 1645.) *& quidem impressas antiqua illa lingua Italica in multis discrepãte (quo ad dialectos, vt ita dicam) non in sensu ipso à moderna: & bis me legisse continuatò illas Reuelationes, cum accurata attentione, & excerpsisse ex illis multa pro confirmandis, & illustrandis meis monitis spiritualibus, quæ tradidi, & trado in meis opusculis: nullam tamen prorsus inuenisse talem Reuelationem, quæ etiam in speciem, & indirectè indicet Sanctissimam Dei Matrem esse in originali peccato conceptam, aut vlla macula in sua Conceptione coinquinatã. Additamentum ergo est aliquorum, qui vt fidem conciliarent suæ sententiæ, hoc S. Catharinæ Senensi adscripserunt. Fieri quidem potest, vt illa sicut filia spiritualis Patrum Dominicanorum ab aliquo confessario edocta fuerit, id vt de B. Virgine sentiret, sed vt hac de re habuerit reuelationem Diuinam, nullus id verè ostendere potest.*

IV Et paulo post, vt omnem omninò rimam contrarium sentientibus præcludat, hæc subijcit. *Si quis dixerit S. Catharinam Senensem in oratione* 16. *facta Romæ anno* 1377. *dum esset in abstractione à sensibus coram Deo Patre dixisse* B. Mariam Virginem fuisse cõceptam in peccato originali, sed statim ab eo liberatam. *Respondeo. Si verè oratio illa facta à S. Catharina, & non illi ficta: id illa oratione, non Deo reuelante, sed ex proprio spiritu, & sensu tanquam ab ea, quæ fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, à quibus hanc sententiam edocta fuerat. Sciendum autem est, quando personæ aliquæ piæ abstractæ à sensibus aliquid loquuntur, sæpè eas loqui ex proprio sensu, & aliquando hallucinari. Hoc nimis certum est, & sciunt rerum talium periti, & cõstat ex historijs Ecclesiasticis authenticis, & ego possem nominare quasdam Sanctas ex Sedis Apostolicæ decretis relatas in numerũ Sanctorum, quarum dicta, & scripta in raptibus deriuata legi magnis hallucinationibus respersa, ideòque nõ permissa imprimi.*

Pergit. *Ita & S. Catharinæ contigit non semel. Nam in alijs orationibus, quas diligenter legi, non semel hoc aduerti. Siquidem oratione* 9. *dixit:* sanguinem Christi fuisse æternum, *& oratione* 17. *vocat B. Virginẽ Mariam* Redemptricem generis humani: illudque à Christo redemptum Passione (*quod verum est*) à B. vero Virgine mentis, & corporis dolore, *quod omninò falsum est. Totalis enim causa, & sola nostræ Redemptionis, Christus Dominus fuit.* Et oratione 12. adhuc in hac vita perfectè cognosci posse effectum charitatis diuinæ: *Sed eo modo non posse in carne mortali,* videri Diuinam essentiam: *Scilicet clarè, & intuitiuè. At quinec affectus charitatis Diuinæ hoc modo in hac vita potest cognosci: & orat.* 15. A Beatis Deum videri non per visionem creatam mediam inter Deum, & videntem animam, sed per visionem increatam Dei, & Deum ipsum: *& oratione* 18. *in fine ait:* peccãtes grauiter peccare, quia perdiderunt lumen veritatis, quod acquiritur per fidem Dei: *At qui non omni peccato mortali fides amittitur, vt contra hæreticos diffiniuit Concilium Tridentinum Session.* 6. *cap.* 15. *& canone* 28. *Simili ergo modo ex sensu proprio edocta à suis Confessarijs id dixit S. Catharina Senensis de Conceptione Virginis Sanctissi-*

V

mæ,

mæ, & non ex inſpiratione, multo minus reuelatione diuinâ, nec plus hoc dictum eius habet auctoritatis, quã dictum alicuius alterius ex ordine S. Dominici magiſtri, & inſtructoris S. Catharinæ. Hæc omnia Nicolaus Lancicius.

VI Ex quibus duo vides Alterum quam ingens intercedat diſcrimen inter vtriuſque ſanctæ Reuelationes, & quam impares in hoc ſenſu de Deiparæ immunitate hæ aquilæ fuerint; quamuis de vitæ ſanctitate S. Catherinæ nihil vllo modo dici poſsit, quod non eximiæ laudis fuit, cum ipſa puritatis, & perfectionis ſpeculum fuerit: Alterum, quam opportunè monuerit P. Martinus Del-Rio: *In reuelationibus de Immaculatâ Cõceptione Deiparæ Virginis Mariæ, quandò parua ſunt momenta circumſtantiarum plus tribuendum reuelationibus habitis (ſi quæ ſunt) ante controuerſiam eadem de re natam: & poſt natam controuerſiã iis, quas habuerunt, qui nec inſtituti, cuius S. Thomas, nec alterius, cuius Doctor ſubtilis fuere: hi enim ab affectu liberiores:* Vndè appoſitè inferebat ex hàc parte Reuelationẽ S. Birgittæ præponderare illi, quæ tribuitur S. Catharinæ Senẽſi. Sed de his ſatis.

SHI

DISSERTATIO VIII.

DE CVNCTIS ORBIS CHRIſtiani Academijs piam de MARIAE immunitate opinionem tenentibus.

OMNES HISPANIÆ VNIVERSITATES iure iurando profitentur ſemper propugnaturas Mariam immaculatè fuiſſe conceptam.

ADNOTATIO I.

I *Ambr. Cathar.* QVID præter Romanæ Eccleſiæ dignitatem, & cæterarum mundi Eccleſiarum auctoritatem pro Deiparæ immunitate illuſtrius afferri poteſt, quam omnium omninò Academiarum, ſiue Vniuerſitatum totius Orbis terrarum ſententia, & ſenſus nõ tantum nudis verbis, ſed etiam iure iurando expreſſus, cõteſtatus, atque firmatus? Nam quid ad pondus doctrinæ grauius? quid maius ad cõ ſummatæ ſapientiæ commendationem, quã conſpirans, omnium ſapientium in vnam, eamdemque opinionem conſenſio? Equidem lita quidem plurimi fecit argu-

mentationem ab Vniuersitatum auctoritate petitam Ambrosius Catharinus lib. 3. disputationis pro immaculata Virginis Conceptione initio, hunc in modum: *Est igitur secũdo loco pro testimonio veritatis huius, determinatio Vniuersitatũ, quod certè tanto est grauius, quanto collectus animorum consensus multo validior est, quam dispersus; & quantò præstat, aliquid determinatè asserere iudicando, quam simpliciter de suo sensu testari enunciando: Adde & temporis diuturnitatem, quâ perdurauit semper statutũ hoc, vt in Gallijs iam non sit memoria in contrarium.* Hæc & alia ibi Catharinus suo loco appingenda.

III Sed & id penitius inspicere, & ipsasmet Vniuersitates recensere fuerit operæ pretium, quid enim iucundius, quam in Mariæ immunitatem tam egregiam phalangem instituere? Ergo Mariam immaculatè conceptam: omnes quotquot nouimus in toto Orbe Christiano Academiæ non modo profitentur, sed etiam se se in perpetuum propugnaturas iurant: & in Hispania quidem, quæ vt orbis portio signatissima, ita Marianæ immunitatis studiosissima est, sub censum refer primùm Salmanticensem, quæ prima est, & omnium scientiarum Princeps: deinde Complutensem, Vallisoletanam, Toletanam, Hispalensem, Granatensem, Saguntinam, Oxomensem, Ouetensem, Compostellanam, Olutrensem Baezanam, Onatensem: & in Regnis Aragoniæ: Cæsaraugustanam, Valentinam, Gandiensem, Barcinonensem, Tarraconensem, Illerdensem, Oscensem: itidemque in Indijs Occidentalibus Hispanæ ditioni subiectis Mexicanam, atque Limẽsem, in Regno Lusitaniæ Conimbricensem, & Eborensem. Subinde vero in Germania, Gallia atque Italia & Belgio, Parisiensem, Moguntinã Colonien sem, Viennensem, Tolosanam, Louanien sem, Bononiensẽ, Neapolitanam, & (olim cum Fides Catholica florebat in Angha) Oxomien sem, Cantabrigien sem. Vt videris quam certo sperari possit, & debeat sanitas doctrinæ à tam ingẽti multitudine Sapientium, de quibus aiebat Salomon: *Multitudo Sapientium est sanitas orbis terrarum,* Sapient. 6. vers. 26. præsertim cum ipsi ad Mariæ immunitatem asserendam, & iuramento firmandam congregati fuerint in nomine Domini, vt ipse dicebat Matth. 18. vers. 19. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo: ibi sum:* Vbi non possũ, non aptare his verbis eam explicationem, quam in epist. ad Philipp. c. 1. vers. 1. adnot. 1. num. 8. adhibui huic phrasi *in nomine meo*, quæ subest illis verbis Domini apud Ioan. 15. vers. 23. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, vt *in nomine Christi* petere, ac *ex parte Christi*: phrasi in scripturis vsitatâ, vt adhibitis exemplis ibi ostendimus: vt hoc in loco Sapientes in nomine Christi congregari, vt pro Deiparæ immunitate spondeant, perinde sit atque ex parte Domini, cui vt vidimus lib. 2. dissertatione 3. tota paterna hæreditas à MARIA, vt immaculatè concepta competit, Deiparæ illibatam Conceptionem tueri, ac propugnare, vt ipse iure dixerit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Psalmo 15. versiculo 6.

Sapien. 6. v. 26.

Matt. 18. v. 19 Ioan. 15 vers. 23.

Psal. 15. vers. 6.

Et verò quamuis tùm ea, quæ de hoc Academiarum iure iurando testatissima, & manifestissima sint: tùm etiam diuersæ eiusmodi iuramenti formulæ in eundem sensum concurrant, iuuat tamen nonnullas ipsarum singillatim excribere, ex ipsismet Archiuis Vniuersitatum bonâ fide depromptas, quod miram in Deiparam pietatem, & vehementem ar- IV

dorem

dorem tuendæ ipsius immunitatem certatim spirent: & vt à Salmanticẽ si Academiâ, vt æquum est, incipiã: hâc de re decretum statutum, & præstitutum iuramentum eiusmodi fuit.

A *Nos N.N.N.N. totius nostræ almæ Vniuersitatis nomine, ac vice, Deo Opt. Max. tibique sanctissimæ gloriosissimæque Virgini Mariæ Matri eius, votum facimus, & Sanctè promittimus, ac iuramus te, quã semper Beatam semperque benedictam,*

B *& immaculatam vno omnes ore prædicamus; sanctam quoque à primo tuæ Conceptionis instanti: ac per Iesu Christi tui, Deique Filij Vnigeniti merita ab æternitate præuisa, diuina te sic gratia præseruante ab originali peccato immunem fuisse, constanter, cum priuatim, tùm publicè asserturos, defensuros, prædicaturos: & nul*

C *lo vnquam tempore, vel latum vnquem ab ea sententia recessuros. Quo verò certiore, ac diuturniore hæc nostra voluntas successu confirmetur æterno valituram edicto statutum volumus, vt nullus vnquam, siue Doctoratus, & Magisterij, siue Licentiæ, aut Bachalaureatus gradum, vel titulum in eximia hac nostra Academia promoueatur, vel admittatur, ni*

D *si qui huic nostro voto eadem mentis sententia, factoque suffragabitur, & semper tam publicè, quam priuatim suffragaturum sese iuramento adstrinxerit. Hoc pariter omnes vouemus, spondemus, iuramus: sic nos Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

Deinde verò hæc fuit in posterum iurandi formula pro ijs, qui ad huiusce modi gradus forent promouendi præscripta, quæ que ab omnibus, & singulis obseruatur.

E *Ego N. Deo Opt. Max. Tibique sanctissimæ, gloriosissimæ Virgini Mariæ Matri eius votũ facio, sanctè promitto, ac iuro, te quam beatã, semper benedictam, immaculatã cor-*

de, & ore profitemur, sanctam à primo tuæ Conceptionis instanti, ac per Iesu Christi tui, Deique Filij Vnigeniti merita ab originali peccato præseruatam fuisse, publicè, & priuatim asserturum, defensurum, prædicaturũ, nec vllo vnquam tempore ab ea sententia recessurũ. Sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euangelia. Amen.

Persimilem pietatem, & studium in Deiparæ immunitatem, egregiãque doctrinam Complutensis Academiæ iuramentum redolet, hisce verbis expressum.

Quoniam gloriosissima Virgo Maria Mater Dei Augustissima, teste sacrosancta Ecclesia, his qui elucidãt ipsam (hoc est ipsius sanctitatem eximiam, & gratias prope diuinas in lucem proferunt (vitam æternã pollicetur, florentissima Complutensis Academia, & eiusdem loci Ecclesia sancta ad grauissimam illam quæstionem, quæ de illius Conceptione, sanctificationisque exordio est, Patrum monumentis diligenter inspectis, perspectisque matura consideratione Theologiæ monumentis, amplam admodum occasionem nacta elucidandi eius gloriam, doctrinam, quæ disserit, gloriosissimam Virginem Mariam Dei Matrem præueniente, & operante Diuini muneris gratia singulari, nunquã actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunẽ semper fuisse ab omni originali culpa, sanctã, & immaculatã, tanquã piã, & consonã cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ hactenus semper summa consensione defendit, & propugnauit. Sed quò felicius tandem eiusdem Sanctissimæ Mariæ gloriam in lucem proferat, resque sit illustrius omnium oculis testata, eandem veram sententiam tenendam, & amplectendam post hac sub sacrosancta iuramenti religione, tactis Euangelijs promittit, recipit, spondet. V

Nec minori pietatis, prudentiæ,

& doctrinæ præstantia Regiæ Vniuersitatis Vallisoletanæ iuramentũ cenituit, cuius hæc formula fuit.

Regia Vallisoletana Academia, Rector, Chãcellarius, Doctores, Magistri, ac Licentiati: omnes simul & per se quisque publicè, ac solenniter iuramus Deum, & Crucem, ac sacro sancta Dei Euangelia per nos corporaliter tacta, doctrinam differentẽ, gloriosam Virginem Deigenitricem Mariam præueniente, & operante Diuini muneris gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab originali culpa, sanctamque, ac Immaculatam, tanquam A *piam, & consonam cultui Ecclesiastico, rectæ rationi ab omnibus, & singulis præfatis fore tenendam, amplectendam, ac tuendam siue prædicando, siue docendo; siue inconcertationibus tam publicis, quam priuatis, donec per Romanam Ecclesiam, quæ vna Sancta, Catholica, & Apostolica est, oppositum non decernatur: simulque statuimus, & ordinamus, de cætero idem ab omnibus, qui prædictis gradibus in hâc nostrâ Academiâ fuerint decorandi, vouendum, & iurandum.*

VII Academiæ etiam Cæsar Augustanæ iuramentum, quod in obtinendis cunctis gradibus cuiusque facultatis omnes omninò præstant tale est; iuro B. Virginem Mariam Conceptam esse sine peccato originali defendere, & tueri. Amen. Sed formam, quâ primum ipsa fuit vsa, iuuat etiam transcribere, quæ optima, sancta, & religiosa est.

Nos D. Iacobus de Ayerre Rector Vniuersitatis Cæsaraugustanæ, &c. ac omnes huius Vniuersitatis Doctores licet indigni æterni illius, ac sancti prorsus, ac supremi Magistri Christi Iesu ministri, pro eo, quem erga sanctissimam Virginem Deiparam, supremam cœli, terræque Reginam omnis reuerentiæ, atque deuotissimæ pietatis honorem, ac cultum debemus (quippe ipsa est, quæ cœlestem vitæ panem Doctorem, Ducem, ac protectorem ex vtero suo nouem decursis mensibus ad docendum nos tãquam Magistrum tradidit) Nos, inquam, quo tantum Doctoratus munus dignè exsequi possimus: in primis totocorde (qua nobis ratione iuxta præscriptam Ecclesiæ normã, & sanctissimorum Pontificum decreta licet) credimus, ac profitemur, sanctissimæ Virginis Mariæ veram illam, ac naturalem Conceptionem in ipso primo temporis instanti, quo illius anima corpori sacro à summo Cõditore Deo infusa fuit, omni prorsus originali caruisse labe, quæ cæteris Adami filijs, dum concipiuntur fœdissimè inuritur: quippè semper immaculata, semper sancta, semper Deo extitit Virgo gratissima: Deinde etiam ipsi præexcelsæ Virgini Deo Opt. Max. Filio eius, atque illius in terris Vicario Sãctissimo D. N. Paulo V. promittimus, & sanctè iuramus per hæc ipsa Sancta quatuor Euangelia semper, & vbique sanctissimæ Mariæ prædictam veram, ac naturalem Conceptionem, vtpotè Sãctam ab omni originalis peccati macula immunem extitisse, nos semper amplexuros, professuros, ac defensuros, neque vnquam verbo, aut scripto B C *aliâve quacumque ratione aliter dicturos: immò potius curaturos, vt tã sancta, tam pia, & laudabili de immaculatæ Virginis Conceptione vtriusque sexus fideles doctrina informentur, atque ad eiusdem professionem, & festi celebritatem pijs adhortationibus excitentur. Quod ad Dei, & Virginis MATRIS gloriam, Ecclesiæ bonum, & animarum nostrarum salutem cedat. Cæsaraugustæ die 12. Octobris anno 1617.*

D E

Succedit ius iurandum Academiæ Granatensis, quo ipsa tam ardenter ad docendam, & defenden- VIII

dam

gam Mariæ immunitatem se adstrin dit, vt simul affirmauerit se pro pia opinione mortem subire minimè dubitare: Audi.

Nos N.N.N. iuramus Deum, & Crucem per nos corporaliter tactam, A *& hæc sancta Dei Euangelia, quod immaculatam Virginis Mariæ Dominæ Nostræ Conceptionem ab omni labe peccati originalis immunem semper vbique pro viribus, & rationibus defendamus: & pro hâc veritate, & opinione, quam sentimus, & habemus pro certiori, veriori, securiori, magis piâ, & meritoriâ, vitam ipsam effundere, si oportuerit, & mortem subire minimè dubitabimus, quod insuper nos facturos, & obseruaturos solenniter vouemus, & promittimus in manibus Illustrissim. ac Reuerendissim. D. Domini Philippi de Tassis diuinâ miseratione Archiepiscopi Granatensis, huius nostræ Academiæ dignissimi Protectoris, & Iudicis Conseruatoris, cum animo re vera id ipsum totum opere exsequendi iuxta formam, & tenorem Decreti Sanctissimi Concilij Tridentini, & nuper editi â Beatissimo Papa nostro Paulo V. erga eandem sententiam, ac denique Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuram, cui nos, & omnia nostra submittimus. Sic nos Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

IX Accedit forma iuramenti Academiæ Compostellanæ grauiter affirmantis sese præ alijs orbis Academijs erga immunitatem Deiparæ esse deuotam, quod sub auspicijs, & sacri corporis B. Iacobi Maioris præsentiâ, & protectione constituta, eius spiritum ebibere, & gloriosa vestigia premere omninò debeat; ergo eius argumentum tale est.

X *Florentissima, grauissimaque Compostellana Academia sub auspicijs, & protectione sanctissimi Apostoli Zebedæi fœliciter constituta solicitâ considerationè perpendès, se præ alijs Hispaniarum Academijs ad obsequium, affectum, & cultum almæ Virginis Mariæ Matris Dei Augustissimæ singulariter esse adstrictam, eo quod eiusdem D. Iacobi Hispaniarum patroni venerabiles reliquias, & sacros cineres, inæstimabiles Hispaniæ thesauros, & diuitias iuxta se fœlix, & læta habeat, quem Diuum, eiusque discipulos firmiter, & rationabiliter credit, primitias deuotionis, & cultus* B *eiusdem Diuæ Virginis adhuc viuæ totam Hispaniam initiasse, quemadmodum grauissima eiusdem almæ Dominæ imaginis (quæ vulgò del Pilar de Zaragoza dicitur) aliaque certissima huius veritatis monumenta testantur, exoptans, & vehementer affectans, tãto vinculo, quo se nosc it, & gaudet adstrictam, aliquâ ex parte satisfacere, suumque erga Beatam Virginem affectum, & animum aliquâ publicâ demonstratione ostendere,* C *ac alios Christi fideles tam vernaculos, quam exteros ad eundè Dominæ deuotionis affectum suo ignito exemplo accendere, & excitare. Purissimam, immaculatam, ac limpidissimam Conceptionem glorioſissimæ Virginis Mariæ Matris Dei dignissimæ, singulari Dei priuilegio, & gratia immunem, ac liberam* D *ab omni nota, & macula originalis piaculi, sicut semper sensit, sic modo, & in posterum se tenere, & sentire, ac publicè, & priuatim confiteri, defendere, & docere hodierna die perpetuo se Sacramento adstringit, spõdet, vouet, ac iurat contactis Euangeliorum voluminibus coram Deo, & Sancto Apostolo eius Iacobo, ac venerabili sanctæ Ecclesiæ clero, &* E *populo Compostellano.*

De Vniuersitate Hispalensi à die XI bus antiquis, immò ab immemoriali tempore hoc ipsum iuramentum præstitisse, & modo quotquot in ea, aut gradũ aliquem adipiscuntur, aut

ſeſe vtcumque litterarum ſtudijs addicunt: omninò præſtare, manifeſte conſtat: & iuramenti formula hæc eſt.

Similiter iuro, & promitto, me perpetuo dicturum, & defenſurum Sacratiſsimam Genitricem Dei Mariam nunquam originale peccatum habuiſſe, ſed ab inſtanti ſuæ Conceptionis fuiſſe ab illo immunem, ac proinde ſemper immaculatam, ac puriſsimam extitiſſe.

XII Academia itidem Oſſunenſis a prima ſui inſtitutione eodem iuramento ſe adſtringit ex Conſtitutione, & Diplomate Pauli III. Pont. Max. cuius hæc eſt forma.

Ego Bachalaureus N. nunc Licentiandus in iure Pontificio, vel in ſacrâ Theologia, vel in Artibus, & Philoſophia, iuro Deum, ſanctaque eius Euangelia ex nunc me obedientem futurum ſanctiſsimo Domino noſtro Papæ, & Domino Rectori in omnibus licitis, & honeſtis: ſanctioneſque & ſtatuta per Illuſtriſs. Dominum meum Ioannem Tellez Giron Comitẽ de Vreña huius inſignis Collegij, & almæ Vniuerſitatis fundatorem, atque patronum ſeruaturum, nec dicto, aut nutu, aut facto contra immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem iturum, quoad mihi vita comes fuerit, ſic iuro: ita me Deus adiuuet. Amen, & præſentes rogo, & peto, adſint mihi teſtes.

Eſt & hæc formula iuramenti Vniuerſitatis Baezanæ.

Ego N. ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & immaculata Virgo Maria, hæcque Sancta Dei Euangelia mea manu contacta: me foreputitati Conceptionis ita addictũ, vt nullum actum Theologiæ publicũ defendam, nec illi præſim, quin prior illius concluſio naturalem Conceptionem Beatiſsimæ Virginis nunquam originali culpa maculatam, ſed omninò impollutam, ac puram fuiſſe, manifeſtè, & apertè aſſerat: necnon donec viuere licebit, non ſolùm in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publicis, verum in priuatis, immò & in internis hanc ſacratiſsimam munditiem Conceptionis creditarum, ac profeſſurum, curaturumque omni ſtudio, vt pia, iſta, firma, ac laudabilis immaculatæ Conceptionis doctrina indies propagetur, & in animis fidelium altiores radices agat: ſi præſtitero, Dei Filium, ac eius parẽtes propitios ſentiam, ſin, iratos.

Eſt vero multo antiquior Academiæ Valentinæ in hoc iureiurando præſtando cõſuetudo ab anno Chriſti 1530. cui mala res bonam dedit occaſionem: Nimirum quidam Doctor Theologus in templo maiori Vrbis Valentiæ in publica concione ad populum inconſiderate auſus fuit affirmare Sanctiſsimam Virginem peccato originali fuiſſe obnoxiam. Sed cui bono? magno videlicet adſtantium ſcandalo: ingenti nobilium, & procerum indignatione. Vndè omnes non ſecus, ac ſi ſingulis grauiſsima fuiſſet illata iniuria ad Prouiſorem, ſeu Vicarium generalem queribundi conuenerunt, vt communi offenſioni, ac ſcãdalo opportunũ adhiberet remediũ. Quod ipſe maturè præſtitit: nam & Concionatorem illum à toto Valentiæ Regno exulare coegit. & tam cuncto Clero, quam Academicis Magiſtris in templum maius conuocatis, aliam pro immunitate Virginis concionem, quæ ſanior, opportunior, & gratior eſſet vniuerſo populo adſtãte haberi præſcripſit: cui egregiam operam nauauit Epiſcopus Gracenſis nomine Carbonel, familiâ Dominicanus, in cuius ſtatim manibus Academici omnes iuramentũ emiſerunt de tuenda, & propugnandâ Beatiſsimę Virginis immunitate, & iuramenti quidem formula hæc eſt.

Ego N. iuro, quod quatenus per Sanctam Sedem Apoſtolicam licebit,

bit, tenebo, defendam, prædicabo, atque docedo Beatissimam Virginem Deigenitricem Mariam præuenientе Spiritus Sancti gratiâ absque vllâ peccati originalis labe fuisse conceptã. Ego idem N. spondeo vouео, & iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Euangelia.

Iam verò quoniam, & in ijs immorari placet, & eiusmodi plura sunt: en in aliam adnotationem trãsmittere, fuerit operæpretium.

EIVSDEM ARGVMENTI.

Germaniæ, Angliæ, & Galliæ Vniuersitates Mariam immaculatè cõceptam iure iurando propugnaturas fore testantur.

ADNOTATIO II.

I SVNT quidem grauissima itidemque gratissima, nec in vanum emissa Vniuersitatum de docenda tuenda, & pro viribus defendenda Mariæ immunitate iuramenta: subest quippè singulis peculiaris epitasis, quæ tum ardens in Deiparam studium, tùm etiam eximiam, & præclaram doctrinam manifestat: & verò cum nulla sit satietas defensionis Mariæ, iucundũ quidem Lectori fuerit, non pauca modo superioribus addere: & in primis recentissimum statutum Viennensis, itidemque iuramentum de immaculatâ B. Virginis Conceptione asserenda ad gustum Cæsareæ Maiestatis Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris semper Augusti factũ, quod ad nostras manus peruenisse gaudemus: & titulus quidẽ hic est.

Statutum de Immaculatâ Beatæ Virginis Conceptione ab Vniuersitate imposterum asserendâ ex mandato sacræ Cæsareæ Maiestatis, factum in pleno Consistorialium, & è quatuor Facultatibus delegatorum Congregatione, vnanimi omnium consensu cõclusum II. Maij anno Domini M.DC.XLIX. â sacrâ Cæsareâ Maiestate Posonij confirmatum 17. Maij.

Festum Beatissimæ Virginis Mariæ absque peccati originalis maculâ conceptæ tanquam singularis Patronæ, vt alia Vniuersitatis testa maiora post præcedentis diei ieiuniũ, deinceps quotannis publicâ chori, & fori solennitate ab omnibus mẽbris Academicis in templo S. Stephani celebretur, & finito sacro à Facultate Theologicâ in honorem huius tituli latina Oratio habeatur.

Eodem die absolutis Vesperis, Rector, & Decani consueto habitu ornati subsequentibus Academicis ad B. Virginis columnam, à Sacra Cæsareâ Maiestate ante templum Domus Professæ Societatis IESV in foro erectam procedant: ibique flexis genibus Litanijs Lauretanis intersint.

Nemo in posterum ad gradum Baccalaureatus, Magisterij, vel Doctoratus, aut alibi promotus in aliquam facultatem recipiatur, nec ad Professuram, vel consessum Consistorij admittatur, nisi prius ad manus Reuerendissimi Domini Cancellarij Academici præstiterit sequẽtis formulæ iuramentum.

Ego N. spondeo, vouео, ac iuro, me iuxta Summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. Constitutiones publicè, ac priuatim velle piè tenere, & asserere, Beatissimam Virginem Mariam Deigenitricem absque originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter à Sede Apostolicâ definitum fuerit. Sic me Deus adiuuet,

&

& hæc ſancta Dei Euangelia.

In præſentatione Doctorandorum poſt emiſſam Fidei profeſsionẽ idem iuramentum iuxta formulam hic præſcriptam ſubnectatur.

Hoc ipſum iuramentum Dominicâ infra Octauam Corporis Chriſti Reuerendiſsimus Dominus Cãcellarius Academicus in templo domus Profeſſæ Societatis IESV præſente Sacra Cæſarea Maieſtate inter cantati ſacri ſolennia poſt dictum à ſe ſymbolum ipſe primus flexis genibus ante altare Deo præſtet. Poſt modum ad eiuſdem conſidentis manus Rector ſuo, ac totius Vniuerſitatis, ſimiliter Decani facultatum Academica toga, & epomide ornati, ſuo, & ſuorum collegiatorum nomine id ipſum ritè præſtent. Tandem die, ac loco deſignandis, reliqui Doctores omnes, ac ſinguli, ſiue Facultati, quam profitentur incorporati ſint, ſiue extra Facultatũ Collegia Vniuerſitatis matricula comprehendantur, coram ipſo Domino Cancellario emittant. Hæc & plura in prædicta charta, quæ longũ eſſet recenſere.

II Nec recens quidem hoc in Deiparæ immunitatem Academiarum Germaniæ ſtudium, quando ex Abbate Ioanne Trithemio nouimus ante centum quinquaginra annos, tam Colonienſẽm, quam Mogunti nam Vniuerſitatem perſimile Decretum de ipſa tuenda, prædicanda, & docenda edidiſſe. Sic enim ipſe in Chronicon ad annum 1499. *Hoc anno facultas Theologiæ almæ Vniuerſitatis Colonienſis ſtatuit, & decreuit conſtitutione firmiſsimâ tenendum ſentiendum, credendum, docendum, prædicandum, & conſtantiſsimè defendendum ab omnibus ſuppoſitis ſuis.* Quod Beata Deigenitrix Virgo Maria ab omni labe Originalis peccati ex ſingulari prærogatiua Diuinæ potentiæ ſemper fuerit præſeruata, exempta, & priuilegiata, *& qui contrarium fecerit, ab ipſa Vniuerſitate reſecatus honoribus, & emolumentis Theologicæ facultatis omninò, & omni tempore ſit priuatus, & quod nullus in eâ facultate promoueatur, niſi iurauerit, ſe hoc ſtatutum ſemper obſeruaturum.* Simile Decretum Vniuerſitatis Mogutinæ habetur apud eundem Ioannem Trithemium anno 1501. vt ipſe hũc in modum refert. *Anno 1501 facultas Theologica Vniuerſitatis Mogũtinæ exemplo Pariſienſium, Colonienſiumque prouocata ſtatutum fecit 13 die menſis Octobris pro Fidei veritate, at defenſione puriſsimæ Conceptionis Beatiſsimæ Mariæ ſemper Virginis determinans eam ab omni originali macula ſemper præſeruatam, exemptam, & immunem, contrariamque Aſſertionem impiam, & erroneam iudicauit. Et nihilominus decreuit, neminem in Theologia promouendum deinceps, niſi iuret, quod nunquam velit fauere opinioni contrariæ in aliquo.* Hæc Trimethius, quæ itidem ſcripſit Fr. Laurentius Surius in appendice ad Nauclerum ad annum 1501.

III De Academijs Oxonienſi, Toloſſana, Bononienſi, & Cantabrigẽſi, idem refert Illuſtriſs. Anton. Cucarus Epiſcopus Acernenſis *in elucidario Deiparæ* 2. part. quippè de Bononienſi, ſic inquit: *Beatiſsimam Virginem Mariam nunquam peccato originali ſubiacuiſſe, ſed ab illo diuinitus præſeruatam Studium Bononienſium ab antiquo gloriatur ſenſiſſe, ipſoque die Conceptionis feſto Domini Rectores, Doctores, & Scholares, cum inſtrumentis muſicis, apparatuque ſingulari ad Conuentum S. Frãciſci proceſsionaliter incedunt, & in Capella ſub inuocatione immaculatæ Conceptionis hoc myſterium deuotiſsima commemoratione percelebrant.* De Academia verò Toloſſanà hæc indidem ait. *Aſſertioni piiſsimæ de immaculata Virginis Conceptione à*

die-

diebus antiquis Scholæ Toloßanæ firmiter adhæserunt: Similiter de Academia Oxonienſi eodem loco his verbis. *A temporibus Scoti Doctoris ſubtilis Virginem Mariam ab omni originali crimine mundiſsimã prædicant, & fatentur Oxonienſes Academici.* Et de Cantabrigenſi eodem modo inquit: *Ab omni originalis peccati ſorde præſeruatã cœli, terræ Reginam piiſsimam Cantabrigenſium Theologorum præclara facultas ſæculis multo retro actis firmauit, ſuſcepitque defendendã.* Hæc omnia Illuſtriſ. Antiſtes.

IV Iam verò quod ad Pariſienſem Academiam ſpectat ſatis ſuperque à nobis in ſuperioribus dictum eſt, tùm de reuocatione Decreti Mauritij Epiſcopi ab eâ ſolenniter facta: itidemque de Decreto ſuperinducto de defendenda ab omnibus Academicis Doctoribus Deiparæ immunitate ab originali peccato: tùm etiam de Ioanne illo Mõteſino trãſgreſsionis huius decreti apud Innocentium VIII. Pontificem ab eadẽ Vniuerſitate redarguto: Sed enim placet adhuc aliud ſimile argumentum ardentis huius ſtudij, & pietatis afferre ex eodem Ioanne Trithemio ad annum 1497. illud his verbis referente: *Hoc anno quidã Doctor Pariſijs fuit Ordinis Fratrum Prædicatorum nomine Ioannes Veri, homo temerarius, & præſumptuoſus, qui in die Cõceptionis puriſsimæ ſemper Virginis Deigenitricis (vt mos eſt illorum hominum) in oppido quodam Deppe Rothomagenſis Diœceſis, publicè in ambone prædicauit Beatiſsimam Virginem Mariam purgatam ab originali maculâ, & nõ præſeruatam. Ex qua prædicatione ſcandalum grande in populo fuit exortũ, quia omnes fermè hodie (præter paucos Prædicatores) credunt, ſentiunt, & prædicant, Deigenitricem omni laude digniſsimam originali nunquã ſubiacuiſſe peccato, ſed præſeruatam ſemper. Vndè citatus ad Vniuerſitatem Pariſienſem propoſitiones ſuas erroneas, & falſas XVI. die menſis Septembris publicè reuocare, & abiurare compulſus fuit, cum iuramento, quod nunquam aliter de Cõceptione B. Mariæ ſemper Virginis ſentire credere, aut prædicare velit, quã præfata Vniuerſitas determinauit, Sequẽti autem die, hoc eſt XVII. menſis Septembris congregati ſunt apud S. Maturinum in Ciuitate Pariſienſi. Octoginta, & duo S. Theologiæ Profeſſores viri doctiſsimi, & omnes in eadem Vniuerſitate de rigore promoti in præſentia totius Vniuerſitatis vno ore, vnaque ſententia ſtatuerunt, & determinauerunt.* Quod nemo deinceps præfatæ Vniuerſitati adſcribatur, niſi ſe huius determinationis (quod videlicet Beatiſsima Deigenitrix, & Virgo Maria ſemper ab originali maculâ fuerit immunis, & præſeruata) Aſſertorem ſtrenuumque pro pugnatorem pro viribus futurum confirmet iuramento. *Ipſi etiam antea iurauerunt, ſicut in Statuto continetur, ſe omni tempore huic veritati puriſsimæ Conceptionis Marianæ firmiter adhæſuros. Mirum nobis videtur, quod tantis viris ſe nonnulli opponere audeant.* Hæc Ioãnes Trithemius, preſſe dicta, de quo etiam vide P. Petrum Caniſium lib. 1. de Deipara cap. 7. Suarez tom. 2. in 3. part. diſput. 3. ſect. 2. Pineda ad uertentia 4. ad priuilegium Regis Aragoniæ, Ioann. Bapt. Nouatum de Eminentia Deiparæ tom. 1. cap. 3. Corduba lib. 1. quæſt. 44. Cucarum in Elucidiario part. 2. Ægidiũ lib. 3. quæſt. 6. art. 4. §. 2.

V Luculentius verò hac ipſa de re egit noſter Ferdinandus de Salazar in defenſione pro immaculatâ Virginis Conceptione, cap. 42. ad finẽ ſæculi XV. vbi cum dixiſſet. Denique circa finem huius ſæculi anno 1497. facultas Academiæ Pariſienſis in Magiſtrum fratrem Ioannem

à Veri propterea, quod in concione de Conceptione seuerius statuerat Bonauento comprehensum Lutetiamque adductum sententiam tulit: subijcit, sed vt constet, quid illa toto orbe celeberrima Academia de pura Virginis Conceptione tunc temporis sentiret, ex dicta sententia prout in processu authentico legitur, qui seruatur Murciæ in Carthophylacio Cœnobij fratrum Minorum, aliquid hic subscribere libuit. Subscribit verò formam retractationis, quæ illi ab Academicis præscripta fuit: & sic se habet.

Ego Ioannes Veri Religiosus ordinis Fratrum Prædicatorum Presbyter in Theologia Magister accusatus fui, seù delatus apud matrem meam Vniuersitatem Parisiensem, & facultatem Theologiæ, prædicasse apud oppidum Deppe Diœcesis Rothomagensis in festo Cõceptionis purissimæ, & gloriosissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Iesu Christi nouissimè fluxo tres propositiones sequentes. Prima. Beata Maria Virgo fuit purgata ab originali culpâ. Secunda, per modum quæstionis: Quomodo Beata Virgo dicere poterat orationem Dominicam, & maximè quantum ad illam partem: Dimitte nobis debita nostra? non terminando quæstionem. Tertia: asserentes Virginem Mariam esse in peccato Originali conceptam, non peccant mortaliter, neque sunt hæretici: immo omnes qui dicunt, ipsos sic dicendo mortaliter peccare, verè esse hæreticos excommunicatos à Sixto per quandam Bullam. Ex quâ prædicatione meâ prout intellexi, tam à præfata matre meâ Vniuersitate, & facultate Theologiæ, quàm ab alijs ortum fuit, & adhuc viget scandalum, tanquam intellexerint auditores, quod in illâ meâ prædicatione voluerim detrahere puritati Conceptionis beatissimæ, & gloriosissimæ Virginis Mariæ genitricis Domini nostri, & Redemptoris Iesu Christi. Quas quidem tres propositiones sacra Theologorum facultas, cuius ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi, & submitto, qualificauit in hunc modum. Prima propositio est falsa, impia, & piarum aurium offensiua à deuotione fidelium de immaculatâ Conceptione gloriosissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Iesu Christi retractatiua, cultui Ecclesiastico, rectæ rationi, sacræ Scripturæ, & fidei dissona reuocanda publicè, & reparanda. Secunda pars est temerariè prædicata, & scandalosa. Quantum ad tertiam partem non est verisimiliter credendum sanctissimum Dominum nostrum Papã Sixtum taliter dicentes excommunicasse præsertim ad sensum, quẽ prætendebam. Ego igitur, quantum in me est, volens tollere omne scãdalum, & esse filius obedientiæ, & pacis, & assertor veritatis, veram sanamque doctrinam prædicare Deum, & Virginem eius Matrem omni laude dignissimam honorare: matri meæ Vniuersitati Parisiensi, & facultati Theologiæ obedire sẽper, retracto prædictas tres propositiones cum earum qualificationibus, vt sunt à matre meâ Sacra facultate Theologiæ declarata, firmiter adhærendo, & consentiendo, & in contrarium determinationis prædictæ nunquam veniendo. Quod eisdem Vniuersitati, & facultati per sacros ordines modo promitto, & iuro: & ita Deus me adiuuet, & Mater eius gloriosissima perpetua Virgo, & immaculata. Datum Parisijs in nostrâ Congregatione generali apud Sanctum Martinum per iuramentum solenniter celebrata. Anno Domini 1499. die 16. mensis Septembris.

Vbi planè vides accuratissimũ, & vehementissimum studium Academiæ Parisiensis erga Deigenitricis immunitatem, quæ tam seuere statuit in opinionem minus piam, sed enim dum censuit eam fidei esse VI

dissonam,

dissonam, nimio cœli ardore correpta fuisse videtur, cum iuxta Pontificia decreta, quæ iam tunc à Sixto IV. cæperant dimanare, vt nostræ deuotioni, & studio consentanea non sit, à fide tamen non dissonat; Ego vero deuotionem, pietatem, humilitatem, & obedientiam prædicti Magistri propositiones suas retractantis iterum, & iterum laudo, & miror: affirmans cum Seneca: *Vt plus esset, quod laudares in pœnitentia, quam quod accusares in crimine.*

A

IHS

DISSERTATIO IX.

DE CVNCTIS SACRIS ORdinibus, & Religiosis familijs Mariam immaculatè conceptam profitentibus, & docentibus.

OMNES SACROS ORDINES TAM VETERES quam recentiores opinioni piæ de MARIÆ immunitate firmiter adhærere.

ADNOTATIO I.

I SACROS Ordines & Religiosas familias à Sede Apostolica approbatas, & fidelibus tanquam certas, & securas semitas ad Christianam perfectionem assequendam propositas, illustrem Ecclesiæ Catholicæ portionem esse nemo, qui hæreticus non sit, vnquam dubitauit: in hunc sensum inflectentibus Philone Carpatiorum Episcopo, & Iusto Orgelitano, Cantic. 7. vers. 1. siue sponsi sodales. Qui cum sponsam de facie videndam, & cognoscendam alijs exhibere volens, ipsi dixisset. *Reuertere Sunamitis: reuertere, vt intueamur te*, hoc est: conuerte ad nos faciem teque nobis aspiciendam præbe: statim vt ipsa conuersa vultu se videndam exhibuit, ipse admirabundus, subdidit: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Vt hoc accurato dicendi modo ostendat sponsæ & eximiam venustatem, & quod in fœminâ rarum est, fortitudinem singularem cum illâ coniunctam, quia videlicet, vt sapienter ibi monet P. Gaspar Sanctius. *Amat Deus, & laudat non virtutem ignauam, & inertem: si tamen ignaua potest esse virtus, sed constantem, & strenuam, quæ ad venustatem virtuti propriam,*

B

C

Iustus Orig.

Sanctius.

Cant. 7. vers. 1. Philo.

robur

robur etiam adhibet ita virtuti proprium, vt commune cum illa nomen habeat: Vndè opportunè indidem
Guilliel. Venerab. Guillielmus. *Suauis quidem, & nihilominus terribilis virtutum concentus: suauis Angelis, terribilis dæmonibus: quantum enim sanctos oblectat Angelos, tantum diros exterret spiritus*: Quæ sanè omnia prædicti PP. *ad varios, qui in Ecclesiâ sunt, Sanctorum ordines cœlestibus Sanctorum Angelorum castris similes* omninò referunt: addit Iustus Or
Iust. Orgelit. gelitanus, *qui in certamine cõstituti, & Deo muniẽte semper inuicti sunt*:
Delrius Cui sensui sic adstipulari videtur P. Del Rius. *Videbis tanquam turmas militares, & binas acies virorum, fœminarumque sub vexillis, ordinibusque suis ad prælium incedentes, nihil in ea spectabis, nisi terrificam quandam, & admirandam Maiestatem, qualis in castris conspicitur ad pugnã expeditis: nihil in motu cernes languidum, molle, vel inconcinnum: cuncta expedita, robusta, conferta, & animi viriumque plena agmina in procinctu. Deus eius manus docuit ad prælium, & digitos ad bellum.* Hæc omnia Del Rius: quibus velut vinaci penicillo Religiosas familias, & earũ instituta, & mores delineauit.

II Vt verò in ijs Religionis ordinibus, tùm venustas virtuti propria cũ inuicto robore coniuncta, tùm mutua charitas, & idem in tam diuersis institutis concentus, maximè laudãtur; ita quidem illos omnes ad Deiparę immunitatem diuinis laudibus celebrandam: itidemque ad tutandam, & propugnandam *choros castrorum* esse omninò videris: nihil enim ipsis antiquius, nihil charius, atque frequentius est, quam toto animi studio, & industria ad constabiliendam doctrinam de Immaculatâ Conceptione verbo, & scriptis omnem opem ferre: vt non possit non omninò vera, & certa ea opinio videri, in quam tot pulcherrimi castrorum chori sub vexillis ordinibusque suis tantâ conspiratione cõcurrunt. Obseruauit nimirum sapienter, & subtiliter Chrysostomus in ea verba Psalm. 2. vers. 1. *Populi meditati sunt inania*, Deum in elementorum creatione de industria prouidisse, vt siquidem causſæ secundariæ rerum erant futura: inuicem interse pugnarent, nè pro dijs à cæcâ gentilitate haberentur: cum ex hâc mutuâ discordia facile possent homines conijcere nullam illis Diuinitatis particulam subesse. Audi: *Græci scilicet, qui elementa deos appellauerunt: terram quidem Cererem: aquam verò Neptunum: aërem autem Iunonem: ignem autem Vulcanum: pluuiam vero Iouem: Si enim sunt elemẽta dij, quomodo pugnãt inter se? Quomodo armantur ad bellum inter se gerendum? Aqua enim est igni inimica: ignis autem aquam perimit, & consumit, & quemadmodũ in acie, conflictuque bellico vbi sunt vires superiores, illic exsultat victoria, ita etiam in pugna ignis, & aquæ, vbi sunt maiores copiæ, illic canuntur epinicia. Terra verò ab aëre frigido flagellatur, aer autem à terræ vaporibus pestilentem affectionem suscipit. Si dij sunt elementa: quis nouit deos cũ se ipsis bellum gerere?* Hæc ille, & alia: A quibus à contrario sumimus argumentationem, non nisi Diuino afflante Spiritu tantam Sacrorum ordinum conspirationem in piâ opinione amplectenda, atque tutandâ factam esse, atque in hac concordia & animorum, ac sententiarum vnitate diuinum Numen splendescere signatèque hos castrorum choros Angelicos exercitus, & cœlestia castra referre: pulchrè Nazianzeno
Nazian. orat. 1. *de pace* affirmante. *Angelicis, ac cœlestibus copijs nihil tam proprium est, quam pax, & concordia, nam, nec dissidijs obnoxia est Diuinitas, quemadmodum nec dissolutioni, quin potius, & se cum ipsa, & cum*

Psal. 2. vers. 1. Chrysost.

ſecundis rebus adeò concors, & pacata eſt, vt præ aliis nominibus appellari gaudeat gaudium, pax, & charitas, nos videlicet admonens, vt has virtutes ſedulo amplectamur perinde ac Deum ſimul habituri: ac proinde qui pacis bonum amplexantur, diſſenſionemque oderũt, ad Deũ, diuinaſque mentes accedunt: Hæc Gregorius Nazianzenus quibus ſecuros nos reddit, hac concordia, & cõſpiratione, qua in Deiparæ immunitatẽ ſacræ familiæ ferũtur, *Deũ ſimul habere*. Diuiniq; ſpiritus inſpiratione agitari, vt cũ ipſas vides tanta animi cõſenſione Mariã immaculate conceptã prædicare iure dixeris.

Spiritus intus alit, totamque infuſa
per artus. (*pore miſcet.*
Mens agitat molẽ, & magno ſe cor-

III Aſpice ergo iam omnes omninò Religioſos Ordines MARIÆ immaculatè Conceptæ animo, affectu, voce, concionibus, & ſcriptis maximè obſequentes, atque deuotos. Eorum enim nullus eſt, qui cum cæteris de huius pietatis ſtudio, & ardore gloriosè non certet: ſiue ipſos generaliter prout ordo profitetur, ſiue ſingillatim ſingulos viros Religioſos conſideraueris: dicam vulgari locutione, ſiue propoſitam a nobis theſim acceperis pro ſingulis generum, ſiue pro generibus ſingulorum. Quo nihil validius, nihil glorioſius pro confirmatione opinionis piæ immunitatem Deiparæ propugnantis afferri vix poteſt. Dixi quidem accurata locutione ſacros Ordines de præſtantia in ardore tuendæ immunitatis Deiparæ inter ſe contendere, atque certare, quod in ſingulis ea peculiaris nota ſiue character huius obſequij in VIRGINEM appareat, vt quivis eorum palmam referre videatur. Quis enim non dixerit ſacrum Sanct. Patriarchæ Benedicti ordinem, vt tempore, ita affectu, & effectu in

A

B

C

D

E

ſouenda Deiparæ immunitate eminere? Quippè Sanct. Anſelmus germana familiæ proles, & inſignis Theologorum gemma accepta lampade ab Abbate Helſino (cui prima reuelatio de feſtiuitate Concetionis MARIÆ facta noſcitur, quamque ipſe in ſuo Becenſi Cœnobio *quamdiù vixit deuotis obſequijs celebrauit*, vt idem Sanct. Anſelmus inquit) omnibus in aſſerenda, & celebranda MARIÆ immaculatè Conceptæ ſolennitate doctrina, & exemplo præluxit, quod poſt modum tota Eccleſia imitata fuit: de quo grandis eius epiſtola extat ad Epiſcopos Angliæ, quam è Scriptoribus nemo, non tranſcribit, & laudat. Vt ex his facile videris florentiſsimum ſtatum in quo hodierna die opinio pia de MARIÆ immunitate ſubſiſtit huic origini adſcribi, ſiue in eum refundi debere: præſertim cum ſubinde hæc Religio ipſum per ſuos alumnos indefinenter promouerit: nam vt viri ſapientiſsimi verbo, & ſcriptis: ita Sanctiſsimæ Sanct. Benedicti filiæ Gertrudes, Ildegardes, atque Melchthildis illuſtribus Reuelationibus à Deo acceptis egregium puræ Deiparæ Conceptioni reddidere teſtimonium: videſis Fratrem Antonium de Yepes miræ eruditionis Scriptorem tomo 7. Annalium Sanct. Benedicti anno 1009. folio 104. vbi & illud ipſe ait, quod è re hac maximè eſt, Illuſtriſsim. ſcilicet Dominum Fratrem Placidum à Toſantos Generalem Ordinis Magiſtrũ, & poſtea Accitanũ Epiſcopum à Rege Catholico Philippo III. ad SS. Põtif. Paulũ V. miſſum fuiſſe, vt de diffinitione opinionis piæ corã ipſo ageret, vt ipsã maturaret: Nec vanã quidẽ ſpem, ac votũ fuiſſe, cũ ad pias, & ſapientes eius preces expeditum fuerit illud Sanctæ Romanæ Generalis Inquiſitionis Decre-

S. Anſelmus.

Fr. Anton. Yepes.

tum ipso Pontifice confirmante, in quo contrariæ opinionis auctoribus præscribitur: *Vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolicâ fuerit aliter ordinatus, non audeant in publicis Concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali, &c.*

IV Sed & Carthusiensium, & Cistercienſium, & Cœlestinorum Sacri Ordines in festo Immaculatæ Conceptionis mirè excellunt. Cistercienses certè Monachos ipsamet Sanctissima Virgo: quod plurimi faciendum est, tanquam dilectissimos Filios, qui in honore Matri charissimæ deferendo nihil prætermittere deberent, de hâc festiuitate signatè admonuit: Cui quidem tantæ Matris monito ipsi deuotissimè statim obtemperarunt, & modo obtemperant, non solum festum celebrantes, sed etiam omnibus modis immunitatem Deiparæ defendentes. Inter plures verò huius Religionis in MARIANA palæstrâ strenuos pugiles quos singillatim referre non vacat, non possum, non honoris causſa illum afferre, qui vnus pro multis, & nostri Sæculi Decus, & Salmanticensis Academiæ ornamentum fuit, Illustrissimum Dominum dico Fr. Angelum Manrique (Heu quondam meum!) rarà virum scientia, eloquentia, eruditione, pietate, eaque morum suauitate, vt mirabiles vbique sui amores excitarit: propter quas egregias animi dotes à Rege nostro Philippo IV. eius in primis Ecclesiastes deinde Episcopus Pacensis electus: eaque ipsi cura de mandata, vt pro Deiparæ immunitate Apologiam SS. Innocentio Pont. Max. offerendam scriberet, quod ipse eximio ingenio acri iudicio, & mirâ eruditione præstitit.

Carthusiensium autem animis tam altè insederit pia de MARIA immaculatè concepta opinio, vt etiam ante Xisti IV. diploma de festiuitate Conceptionis, iam ipsi sanctificationis locutione explosa Conceptionem puram pure celebrare consueuerint: ita id affirmante Dionysio Carthusiano in 3. dist. 3. quæstion. 1. §. verumtamen: *Festum ipsius non sub nomine sanctificationis, sed Conceptionis celebrandum est, sicut & hodie celebrat Ecclesia: ita etiam ordo noster Carthusiensis celebrare videtur*, ita ille. Constat vero ex Ioanne Tritemio *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & ex Card. Bellarm. libro eiusmodi *de Scriptoribus*, ad annum 1450. Dionysium ante extrauagantes Xisti IV. scripsisse.

V

Habet verò Cœlestinorum Ordo in pietate erga immunitatem Deiparæ, & festi ipsius celebritatem pulchram à miraculo excellētiam: nam cum in Generali Capitulo flagitante quodam Nicolao eximiæ sanctitatis viro constitutum fuisset, vt Conceptionis festiuitas, cum octaua celebraretur, *frater hic* (verba sunt Antonij Solerij in opusculo *de Veneratione, & inuocatione SS.* apud Armamentariū Seraphicū: in Regesto fol. 473. per quod non modo in hac adnotat. Sed toto in libro nos multum profeciſſe, & fatemur, & gloriamur,) *Animaduertens, se id tandem obtinuisse, quod iam dudū præoptauerat, magno fuit delibutus gaudio, & ingreßus viridarium, inde rubicundam rosam cæteris pulchriorem excerpsit; quam ante Deigenitricis imaginem (nonnullis ex suis Religiosis cernentibus) reuerenter apposuit dicens*: Benigna Mater, si hoc quod hodie in nostro Generali Capitulo pro honore tuo fuit statutum, est tibi gratum, hunc florem anno reuoluto ad hanc vſ

VI

Anton. Solarij.

que

que diem in hoc conſpicuo vigore, ac fragranti odore, in quo nunc conſpicitur, tua benignitas (humiliter quæſumus) conſeruare dignetur. *Multi ex Religioſis florem illum in ſequenti anno, & tali die, quo ibi fuerat affixus, viderunt æquè virentem, ac redolentem, atque ſi tunc fuiſſet ſelectus ab horto: vt illi Religioſi, de quibus ſupra mentionem fecimus, mihi retulerunt, aſſerentes etiam ſemet hoc vidiſſe miraculum,* Hæc ibi. Quid ſuauius? quid opportunius?

VII Nec minus æquo iure Religio Sanct. Notberti, ſiue Præmonſtratenſium de gloriâ hâc, cum cæteris contenderit, quæ à ſancto ſuo Fundatore edocta a primâ ſui inſtitutione feſtum Beatæ Virginis ſub titulo puræ, & mundæ Conceptionis celebrauit, vt conſtat ex libris Eccleſiaſticis Miſſalibus, Proceſſionarijs, Breuiarijs, & Diurnalibus quibus modo vtitur, & ſemper vſa eſt. Sed quid aliud faceret? Cum hæc eius inſtitutio, hic omninò habitus, & character eſſet: teſtatur enim Pat. Mag. Bernardus de Leon Abbas inſignis Monaſterij de la Vid in prologo primæ parti opuſculorum præfixo ex hiſtorijs M.S. prædictæ Religionis ab Hugone Sanct. Notberti diſcipulo editis, & ex totius familiæ vniuerſali traditione, Sanctiſsimo Notberto Religionis Patriarchæ habitu Canonici Regularis nigri coloris induto Beatiſsimam Virginem plurimo cœleſtium ſpirituum comitatu ſtipata apparuiſſe, eique præcepiſſe, vt Religionem in honorem puræ Conceptionis eius inſtitueret, quæ ipſam perpetuò patronam, & aduocatam haberet: & inſuper veſtibus eum albis ſuperinduiſſe, vt vel in habitus nitore candorem Conceptionis præferrent: Addit idem Auctor tum Notbertum iuſſa ex ſecutum fuiſſe, & officium Immaculatæ Conceptionis à ſuis Religioſis recitandũ pro-

Bernar. de Leon.

S. Noth.

A

B

C

D

E

priâ approbatione firmaſſe, in quo præter alia ſic Beata Virgo ſalutatur: *Aue Virgo Spiritu Sancto præſeruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphaſti innoxia:* tum etiam Religionem à Notberto inſtitutam à Calixto II. fuiſſe confirmatam ſub nomine Ordinis Conceptionis Virginis de Præmonſtre propter habitum cœlitus præmonſtratum. Hæc omnia ibi: quibus nihil illuſtrius: nihil magnificentius afferri poteſt: præſertim cum ea tam Ludouicus XI. quam Carolus VIII. Francorum Reges, ſuis diplomatibus quibus Religioni huic mirè fauent, omninò confirment, ſic namque Carolus priuilegio anno 1475. dato de Notberto loquens inquit. *Habitum tamen album iam deliberauerat aſſumere, de quo à B. Virgine admonitus fuerat: aſpiciebat enim in honorem ſuum, & ſuæ puriſsimæ Conceptionis candidum ordinem præparari, ideòque aliquando dictum eſt ab eâ,* Notberte accipe candidam veſtem: *quòd factum eſt, vt locum, & habitũ ſancto viro mirabiliter præmonſtraret.* Sic Carolus: Ludouici diploma inferius appingemus.

VIII De ſacra Auguſtiniana familia omni laude, & plauſu digniſsimum videtur, quod P. Ægidius à Præſentatione lib. 3. de immaculatâ Virginis Conceptione quæſtion. 6. artic. 4 §. 3. num. 18. affirmat, nempè omnes tanti Ordinis Theologos abhinc trecentis annis ſapientiæ, & pietatis impetu abreptos ab Ægidio Romano, & Gregorio Arimenſi immunitati Deiparæ malo fato infenſis, omninò receſsiſſe, & in piam opinionem pedibus, & manibus, (vt dicitur) conſtanter iuiſſe: ſic enim ait; *Etenim noſter Thomas de Argentina eiuſdem AEgidij accerrimus defenſor, duce ſuo relicto Conceptionis puritatẽ cõſtanter defendit, qui poſt AEgidium (qui obijt anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo)*

AEgidius à Præſ.

annis fere septuaginta scripsit anno 1350. *& post cum Paulus Venetus, qui floruit anno* 1400. *annis quinquaginta post Argentinam, eandem probauit sententiam, post quos eandem opinionem secuti sunt omnes eiusdem Ordinis innumeri Theologi, quorum opera temporum in iuriâ sepulta fuerunt: nec aliquis ex nostris post Aegidium, & Gregorium Ariminensem reperitur, qui hanc B. Virginis puritatem impugnauerint: immò à pluribus annis in omnibus Vniuersitatibus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ nostri Theologi semper approbauerunt hanc piam sententiam.* Hæc Ægidius à Præsentatione, quæ Augustinianis maximæ gloriæ sunt.

IX

Parem quidem pietatis palmam retulisse videntur sacri Ordines Carmelitarum, & Sanctissimæ Trinitatis & B. MARIÆ de Mercede, cum siue ab ipsorum institutione, siue paulo post ex Generalium Capitulorum Decretis, non modo festum Conceptionis solenniter celebrauerint, sed etiam singulis diebus immaculatæ Conceptionis commemorationem faciant: & quidem Conuentum Romanum Carmelitarum, iam vidimus à tempore immemoriali ante Ioannem Bacchonium, qui floruit anno 1340. celebrare solitum quotannis magna cum solennitate festum purissimæ Conceptionis adstantibus S. R. E. Cardinalibus; de tota verò Religione nouimus in Capitulo Generali in Gallia celebrato anno 1306. factum fuisse Statutum *pro celebrandâ Immaculatæ Conceptione Beatæ Virginis MARIAE*, vt affirmat Pat. Petrus de Ojeda in sua informatione, cap. 15. folio 63. & Lezana in tractatu de Conceptione, cap. 22. qui pro Deiparæ immunitate ab hoc Religiosissimo ordine semper propugnata adducit illud sanctitatis specimen,

Bachon.

P. Ojeda

A B C D E

sæculi nostri Decus, & Carmeli gloriam Sanct. Teresam à IESV, quæ in libro de vita sua cap. 5. ait: quemdam a Deo singulare conuersionis suæ beneficium fuisse consecutum intercedente Deipara sanctissima, *quia nimium suæ Conceptionis deuotus erat, ipsoque die magnum celebrabat festum.*

De Ordine Sanctissimæ Trinitatis ex ipsius Chronica, & Breuiarijs liquet à primo sui exordio celebrasse festum Conceptionis sub titulo Præseruationis, vt nullus relinqueretur ambigendi locus, puram, & ab omni labe immunem MARIÆ Conceptionē ab hac Religione coli. Vndè in Breuiario antiquitus in tota Religione recepto; hoc erat in matutinis horis Inuitatorium: *Immaculatā* Conceptionē Virginis MARIÆ celebremus. Christum eius Præseruatorem adoremus Dominum: Deinde verò in secunda lectione primi Nocturni, hæc verba nostræ ratiocinationi de MARIÆ electione, & præseruatione initio libri huius propositæ per opportuna continebantur. *Talis profecto laudanda est, quæ sola super omnes electa, & post ruinam, mei gratiâ sola Immaculata concepta:* Illud deinde summè in hac præclaram Religione laudandum, quod nulla celebrandæ immunitatis Deiparæ satietate, ter in die commemorationem eius agat, post Matutinum nimirum, & Completorium cum Antiphona *Conceptio tua Deigenitrix Virgo, &c.* post meridiem verò cum alia peculiari, quæ incipit: *Gaude Deigenitrix, &c.* plura hac de re vide apud Pat. Reynoso huius insignem Religionis alumnum in lib. cui titulus *probatio Conceptionis.*

Reinoso.

X

Religionem verò sacram B. Mariæ de Mercede erectam fuisse ex Deiparæ ad modum Ordinis S. Norberti ex Deiparæ Reuelatione in

XI

hono-

honorem immaculatæ ipſius Conceptionis candidæ eius veſtes manifeſtant: qui habitus color cum in ipſorum Conſtitutionibus diſtinct. 1. c. 10. his verbis præſcribatur. *Fratres noſtri veſtes laneas, & omninò albas ſemper, & vbique ferant*: id peculiari cultui immaculatæ Conceptionis vetus Conſtitutionum ſcholium ſic attribuit: *In memoriam Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ*. Quam profecto memoriã ſingulis omninò diebus piè refricãt cum finito orationis mentalis tempore Conceptionis commemorationem faciunt cum communi Antiphona *Conceptio tua Deigenitrix Virgo, &c.* & peculiari oratione iſta: *Deus, qui immaculatam Virginem Mariam, vt digna Filij tui Mater exiſteret, ab omni labe peccati in Conceptione ſuâ præſeruaſti: præſta, vt qui eius innocentiæ puritatem veraciter credimus, ipſam pro nobis apud te intercedere ſentiamus.* Quæ ſanè oratio eadem eſt cum illa, quæ in Veteri Breuiario, quod à prima Religionis inſtitutione ei in vſu erat, recitabatur. Quæ planè omnia præclarus hic ordo præſertim vero Aragoniæ Prouincia, quæ omnium primaria eſt, vt ſarta tectaque perpetuò ſint, ſigillo ſuo roborat, atque communit: habet nimirum pro ſigillo imaginem MARIÆ immaculatè conceptæ, vt non ſolum pietatem, & cultum erga illam planum faciat, ſed etiam vt quidquid auſpicatur, bonum omen, & firmitatem hinc habeat.

XII De ſanctiſsima Religione S. Hieronymi, quæ inſigni pietate, & doctrina vbique, præſertim verò in noſtra Hiſpania maximè floruit: ita apud noſtrates Reges maximè chara, & ſummo in pretio ſemper fuit, egregium hoc profert deuotionis in Deiparæ immunitatem teſtimonium Hieronymus Ormachea tom. 1. in Cãtica Prologom. 3. *Hieronymianus Ordo omnis deuotiſsimè ſemper fuit affectus in hanc piam ſententiam*: atque ita quidem nouimus, recitaſſe antiquitus officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit *Gaude Mater Eccleſia*: & in cuius Breuiario iuſſu Reuerend. P. Leonardi de Aguilar Generalis electi anno 1498. leguntur lectiones ex Epiſtola Sanct. Anſelmi: Nec minori pietatis ardore ſacra Religio Minorum Sanct. Franciſci de Paula piam opinionem amplexata eſt, quæ & à ſuæ fundationis incunabulis puriſsimæ Conceptionis feſtum celebrat; & in publicis diſputationibus, quas in ſuis Capitulis inſtituit, piam opinionem tam ardenter propugnat, vt Virginem non à peccato originali tantum, ſed ab ipſius etiam debito immunem faciat. De quo alibi egimus: De ſacra etiam Religione Clericorum Regularium minorum citatus Hieronymus Ormachea eodem loco itidem affirmat pro pia opinione ſemper ſtetiſſe: ſignatè verò de egregio huius ordinis alumno R. P. Hurtado de la Fuente, ſic inquit: *Hic Pater egregiam operam nauauit Romæ in promouẽdâ hâc piâ ſententiâ aſſiſtẽs & conſilio, & calamo Procuratoribus huius myſterij pro Rege Catholico apud Summum Pontificem*: Hæc ille. Quibus ego addo eximium immunitatis Deiparæ propugnatorem extitiſſe P. Laurentium Aponte Virum egregie doctum, ac pium ingenio excellenti, iudicio acri, Sanctorum Patrum lectione, atque obſeruatione mirè inſtructum in commentarijs eruditiſsimis in lib. Sapient. c. 1. verſ. 4.

(?)

Sacram S. P. Dominici Religionem, cum Sanctissima Minorum familia de obsequio erga Deiparæ immunitatem piè contendere.

ADNOTATIO II.

I VENTVM est ad difficiliorem partem honestissimi certaminis; in quo de de pietate erga Mariam immaculatè conceptam gloriosè contenditur: Etenim præter cæteras sacras Religiones immunitati Deiparæ pro viribus fauentibus, quas singillatim recensent PP. Ioannes de Pineda in aduertentijs ad Priuilegiũ Regis Aragonum pag. 8. Ioannes Perlin. in Apologia *pro magnâ Matre*, fol. 306. Petrus de Ojeda in informatione Ecclesiasticâ, cap. 10. & P. Ægidius à Præsentatione Augustinianus lib. 3. de Præseruat. Virginis quæst. 6. art. 4. inquiens: *Hanc piã, veram, & certam opinionem amplexati sunt Ordines Camaldulensis, Cluniacensis, Seruitarum, denique omnes Ordines tam mendicantes, quam non mendicantes*: tandem inclytæ S. Dominici, & S. Franciſci Ordines de hac gloria promerendæ, & promouendæ immunitatis Beatissimæ Virginis tam piè, quam acriter contendunt. Intelligo, quam scopulosо, difficilique loco versor, cum palmam huius palęstræ Religiosissimæ Minorum familiæ, non modo debitã, sed iam dudum ab ipsâ obtentam, vel ad faciem in dubium reuocare, siue potius ab eius manibus extorquere, audeo: Sed argumenta, & rationes quæ præsertim expẽdẽdæ, & diiudicãdę lectori reliquuntur, proponere nemini vnquam fraudi, aut vitio fuit.

Pineda. *Perlin.* *Ojeda.* *Ægidius.*

II Ergo iniquum quodammodo videtur parem concertationem alterius ordinis cum Religione Minorũ facere, quæ ab hinc trecentis annis omnes neruos pieratis, doctrinæ, & industriæ ad laudem, & firmitatem opinionis piæ contendit, vt merito à nonnemine Vexillifera, & Antesignana illius dicta sit: Verissimè quippè assertum est ab Armamentario Seraphico in Regesto pagin. 545. *Constat enim circa annum Domini* 1300. *paucos Scholasticæ Theologiæ Classicos Auctores, eosque priuatim, & subtimidè pro Virginis præseruatione locutos, donec Scotus noster Doctor subtilis piam opinionem non quidem primus inuenit, sed nec renouauit primus; tamen eam in publicis Academiarum, frequentissimisque consessibus è cathedrâ defendit, similiterque ab Antiquioribus acceptam Redemptionem præseruantem ita stabiliuit, vt via regia omnibus ad puritatem Virginis extollendam aperiretur*: ita ibi: Sed modestè nimis: cum iure potuerit hic Auctor affirmare, Scotum tantam huic opinioni de Mariæ immunitate suâ auctoritate, & doctrinâ fidem comparasse, quantam nullus alius, vel ante ipsum, vel post ipsum (quod quidem summæ gloriæ celsiori mortaliũ esse potest) quemadmodum de ipso scripsit P. Ferdinandus de Salazar in suâ Defensione, c. 42. sæculo 14. his verbis: *Ioannes Duns Scotus præcipuus, ac maximus puræ Conceptionis Vindex, qui tantam huic doctrinæ suâ auctoritate fidem comparauit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum*: ita eo in loco: Quod antea cap. 13. num. 1. eodem sensu sic diffuderat: *Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propugnã-*

Armamen. Seraph. *Salazar*

dæ

dæ auctor extitit, ita etiam nihil prætermiſit, quod in hac re ad maiorem Virginis gloriam facere poſsit: Vndè quidem factum eſt, vt Scoti doctrinâ, & fœlix induſtria piam opinionem ita promouerit, ſiue potius in omnium mentes induxerit, & veritatem eius adeò ſuadibilem, ac certam fecerit, vt hinc inde ſiue in ſcholis, ſiue apud fideles cœperit eſſe cõmunis, contrariâ poſtpoſitâ, atque deſpecta.

III Sed illud maius pro Seraphicæ Religionis gloria, quod ab Scoto, & eius in huius pietatis, & veræ doctrinæ cathedra ſucceſſoribus: hæc pia opinio, appellata fuerit *Opinio Minorum*, vt colligitur ex Abbate Panormitano in cap. *conqueſtus*, de *ferijs* & ex Abulenſi paradoxa 1.c. 21. quod ſignatiſsime ab ipſis aſſerta, propugnata, elucidata, & in ſplẽdidiſsimam lucem, qua nũc emicat promota fuerit: vt aperte in primis nos docuit Summus Pontifex Iulius II. in Bulla quæ incipit. *Ad ſtatum proſperum*, in qua Religionem Monialium immaculatæ Conceptionis quamuis ſub Ciſtercienſi (tunc) regula inſtitutâ hac omninò de cauſſa Prælatis Religionis minorum ſubiecit: vt quidquid ad cultum immaculatæ Conceptionis Deiparæ pertineret ſub eorum cura, & patrocinio eſſet: ſic id præſcribente Pontifice. *Volumus etiam, quod ex quo Fratres Minores tam indefeſſo ſtudio; & vigilantiâ puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis defenſores exiſtãt, quod Vicarij Generales in ſuis Vicarijs, & Prouinciales, & Cuſtodes in ſuis prouincijs, & Cuſtodijs ſint Viſitatores huius Sanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire.* Deinde verò cum tempore Xiſti IV. Pontificis inualeſcente poſt relatam ab Scoto victoriam Aduerſariorũ concertatione, & recrudeſcente bello, in diſputatione coram Pontifice habita, cuius in præced. lib. agentes de victorijs opinionis piæ meminimus, ſtrenuus ille pugil Fr. Franciſcus de Brixia ea ingenij dexteritate, & eruditionis vbertate piam propugnauit opinionem, & contrariorum argumenta diſſoluit, vt & ipſe à Pontifice veri Sanſonis cognomen meruerit obtinere, & pia de immunitate Deiparæ opinio egregia illa extrauagante *cum præexcelſa* in qua officium de immaculata Cõceptione laudatur, extra dubitationis aleâ poſita fuerit. Quibus adde Summũ illum, & verè Maximum Pontificẽ Xiſtum IV. qui tot Bullis miris fauoribus, & gratijs pro cultu immaculatæ Conceptionis refertis Deiparæ immunitatem fouit, & toti terrarũ orbi venerabilem, & colendam fecit, fuiſſe Franciſcanæ familiæ alumnum, & germanam prolem, vt pulcherrimus ramus generoſæ ſtirpi reſponderet.

Ad quod ſanè piæ opinionis, & IV
Marianæ immunitatis patrocinium duo omnino ſpectant: Alterũ, quod de Legationibus ad Sedem Apoſtolicam Regio nomine miſsis ſic habetur apud Armamentarium Seraphicum pag. 553. *Legationem ad Romanum Pontificem de Immaculatâ Conceptione Beatiſsimæ Virginis definiẽda Philippus III. Rex Catholicus deſtinaturus nihil antiquius habuit, quam S.P.N. Franciſci rem tantam committere, quare primum Illuſtriſsimum D. Franciſcum de Soſſa quondam noſtri Ordinis Generalem Miniſtrum, tunc verò Oxomenſem Epiſcopum huic Legationi obeundæ deſignauit, illoque poſtquam Segouienſis Epiſcopus renunciatus erat, viuis erepto, ineunte anno 1618. Reuerendiſs. P. Fr. Antonium de Trejo ex eodem Generalatus munere ad Pontificatũ Carthaginenſem euectum cum Legati extraordinarij honore ad fœlicis recordationis Paulum V. miſit, qui quantum in hoc myſterio laborauit R. P. Lucas VVadingus noſtri ordinis chro-*

nogra-

nographus, & dictæ Legationis comes peculiari opere ſæpius à nobis laudatus docuit. Et quamuis tam Pontificis, quam Regis morte breui ſubſecutâ Legatus re infecta Vrbe diſceſſerit, tamen Decretum Gregorij XV. Pauli ſucceſſoris, non ſine Fratrum Minorum ſummis vigilijs, & laboribus impetratum eſſe ex præcitatæ Legationis hiſtoriæ ſect. 4. perſpicuè appareat: ita ibi.

A

Alterum, florentiſsimam (ſi quæ alia in cunctis ſacris Ordinibus) Scriptorum phalangem è Minorum Ordine pro Maria immaculatè concepta militaſſe: nec in gratijs inſtructam hanc ſtrenuorum militũ aciẽ, phalangem appellaui, cum phalanx tum is cuneus militaris ſit, cum pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie conſeritur, quod ad perpetuam diſceptationem, & Scholaſticam concertationem in qua præclara hæc Religio Aduerſariorum impetum per tot annorum ſeriem retudit, ac fregit, opportunè refertur: tũ etiam quod phalanx contineat octo millia armatorum: nec enim minorem dixeris numerum illuſtrium Auctorum huius familiæ, qui pro immunitate Deiparæ decertarunt, decertantque, quos ad vnum recenſere, multi temporis negotium eſſet: ſatis fuerit Duces, ſeu proceres memorare. Hi ſunt S. Bernardinus Senenſis, B. Ioannes Capiſtranus, Bonauentura iam maturus ab opinione minus pia diſcedens, Monaldus Archiepiſcopus Beneuenti, qui Chriſti Martyr apud Sarracenos fuiſſe traditur, Petrus de Candia, qui ad Pontificatum aſſumptus, dictus eſt Alexander X. Xiſtus IV. Põt. Max. Gerard. Patriarch. Antiochenus, Ioan. Vitalis, & Petrus Aureolus Cardinales, Scotus, & eius Magiſter Fr. Guillelmus Varro, & ab eo Alexand. Alenſis, Franciſ. Mairon, OKamus, Anton. Andræas, Lãdulphus Neapolitanus, Hugo de Caſtronouo, Rupertus de Ruſsia, Richard. à Media Villa, Petrus Galatinus, Robertus Linconienſis, Armanus, Ioannes de Baſilea, Baſolis, Pelbartus Themiſuar, Petrus de Aquila dictus Scotellus, Bernardinus de Buſtis, Alexander Nequam, Baptiſta de Ferraria, Henricus Harpius, Guillelmus Borillon, Franciſcus Lychetus, Franciſ. Titelmanus, Nicolaus de Nyſſa, Franciſc. Petri ad Bobes, Oliuerius Mallardus Miniſter Generalis, Thomas Illyricus, Dominicus Pico, Tartaretus, Nicolaus de Orbellis, Franciſ. Feuardentius, Michael Hilaretus, Cornelius Muſſus, Epiſcop. Bitontin. Ludouicus Caraualjalius, Franciſc. de Oſſuna, Ouandus, Antonius Corduua, quos omnes à P. Salazario per ſæcula 14. & 15. & 16. ſparſos proprijs locis ſingulis aſsignatis inuenies.

B

C

Illud verò maximè demonſtrat, ardentiſsimum pietatis, & deuotionis ſtudium, quo erga Deiparam immaculatè conceptam ſacra hæc Religio afficitur, quod eam ſibi ſingillatim in Patronam elegerit in Capitulo Generali Toleti in Cœnobio S. Ioannis Regum celebrato, hac pro totà Religione Conſtitutione facta anno 1645.

VI

D

Quoniam Sanctiſsimus D. Vrbanus VIII. ad liberam deuotionem Vniuerſitatum reliquit eligere inter ſanctos ſpecialem patronum, & noſtra Minorum Religio ab ipſo exordio Religionis immunitatem Sanctiſsimæ Deigenitricis ab originali culpâ, non tam pertinaci, quam fœlici, & inſuperabili labore propugnauerit, & eiuſdem Religionis obſequia apud Sacratiſsimam Virginem frequentiſsimis beneficijs experiatur gratioſa, ideò tota Minorum Religio in Comitijs Generalibus congregata Toleti, Beatam Virginem Deigenitricem Mariam quatenus in ipſa Conceptione ab originali culpâ confitemur, & concelebramus immunem, vnanimi conſen-

E

ſu

ſu, & fœlici auſpicio in ſingularem elegit Patronam totius Ordinis Fratrum Minorum. Quare omnibus Miniſtris Prouincialibus per obediẽtiam præcipitur, quod feſtum ſacratiſſimæ Conceptionis ea ſolennitate, & Eccleſiaſtico ritu iubeant celebrare, quo inſignes Patroni celebrantur in Eccleſia.

VII Huic præclaro deuotionis in Deiparæ immunitatem argumento accedit, quod tota itidem Religio ex præſcripto Ordinis bis in die tenetur facere commemorationem Immaculatæ Conceptionis: vt cõſtat ex ſtatutis generalibus Segouienſibus, cap. 2. titulo de oratione vocali: vbi ſic habetur: *Item in honorem immaculatæ Conceptionis eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis decantabitur ſolenniter ſingulis diebus poſt horas Veſpertinas Antiphona illa*: Tota pulchra es Maria. *Poſt Completorium verò recitabitur alia Antiphona.* Cõceptio tua: *cum ſuis verſibus, & orationibus.*

VIII Nè verò aliquid omninò ad cumulum ſtudij, & pietatis in Mariam immaculatè Conceptam Seraphicæ Religioni deeſſe videatur tota Ciſmontana Familia in congregatione generali Segouiæ celebrata anno 1621. ad tenendam, docendam, & defendendam Deiparæ immunitatem, ſic ſeſe egregio iureiurando obſtrinxit: *Renouantes antiquum deuotionis affectum, quem erga immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ tam pridem à noſtris maioribus adhæc vſque tempora liquido conſtat dimanaſſe, volentes inſuper nouum obligationis debitum adijcere, iuramus, & vouemus Deo Domino noſtro, eius ſanctiſſimæ Matri, Seraphico Patri noſtro Franciſco, & omnibus ſanctis tenere, defendere, & docere publicè, & priuatim, quod Virgo Domina Noſtra fuit, ſine peccato originali concepta, & ab illo præſeruata ex meritis Chriſti Domini, & curabimus, quantum in nobis fuerit, quod hæc ſancta deuotio populo doceatur Chriſtiano: & ita promittimus, & iuramus per Deum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per hoc Crucis ſignum.* Hæc & multo plura in hanc rem venerabiles illi, & ſapientiſsimi PP. totius Ciſmontanæ familiæ.

IX Sunt quidem pro palma Seraphicæ Religioni in hac palæſtra de gloria immunitatis Mariæ promouenda adeò inſuperabilia, & ineluctabilia argumenta hæc: vt illam ſine iniuria ab ipſius manibus extorqueri vix poſsit: Nam vbi rogo æqualis ardor tenendæ, & docendæ opinionis piæ de Maria immaculatè conceptæ? par ſtudium? ſimilis contẽtio? tot in concertationibus litterarijs victoriæ? tot nobiliſsimi Scriptores? tot editæ Apologiæ? tot veriſſimi obſequij, & cultus ſigna? tot pro diffinitione myſterij legationes? At enim ſi alia ex parte præclara ſacræ Religionis Dominicanæ in B. Virginis immunitatem merita cũ ijs in trutina ſuſpendantur: erit forſan non nemo, qui etſi palmam Religioni Minorũ, nec præripere, nec in dubium reuocare audeat, tentet tamen aliquo modo ei obtendere, quod de M. Tullio cum Demoſthene in laude oratoria compoſito dictum fuit; *Demoſthenes tibi præripuit, nè eſſes primus Orator: tu illi, nè ſolus*: Rationes verò quibus ea theſis vtcumque poſsit ſubſiſtere, non infirmæ, nec ignobiles eſſe videntur.

X Nam primum cum omnes nouerimus, Sanctiſsimum Patriarcham Dominicum aduerſus hæreticos Albigenſes Immaculatam Virginis Cõceptionem verbo, & libro ſcripto defendiſſe: in quo egregia illa ab Apoſtolo Andræa deſumpta verba: *Sicut primus Adam fuit ex terrâ Virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adã*

S. Domini cs.

ſieri, ideſt in Chriſto, cuius terra, ideſt Mater nunquam fuit maledicta, omninò continebantur: atquè eum librum in ignem proiectum (ita flagitantibus hæreticis quibus tentare Deum ſemper ſolenne fuit) integrũ, & illæſum è flammis euaſiſſe, cur legitimâ hinc argumentatione facta non ratiocinabimur? Ab hoc S. Dominici libro, & ab hoc ſapiẽte igne, omnia quæ deinceps de immaculatâ Virginis Conceptione dilucidè, atque ſapiẽter dicta, & ſcripta ſunt, lucem, & ſplendorẽ accepiſſe, quod magni Dominici doctrina plena lucis, & vocis, immò & ardoris ad inflammandos mortalium animos in Deiparæ immunitatem colendam, fuerit: iam verò de miraculi huius certitudine plures quidem paginas opplere poſſemus videſis PP. Petrum Caniſium lib. 1. *de Deiparâ*, c. 7. Alphonſum Salmeronem in cap. 5. epiſt. ad Roman. diſput. 52. Petrũ de Ojeda *in informatione Eccleſiaſtica*, de hoc miraculo acutè, & copiosè ſcribentem, & ex antiquioribus Pelbartum lib. 4. Stellarij part. 1. art. vltimo, Tartaretum in 3. diſt. 3. quæſt. 1. in fin. Bernardin. de Buſtis in officio *de Immaculatâ Conception.* ſecunda die octauæ lect. 4. Alanum Pariſienſem in prologo Defenſorij de Conceptione, Coccium lib. 3. Theſauri art. 1. vt alios omiſerim.

Caniſius Salmerõ Ojeda.

Pelbart.

XI Quoniam verò non defuere aliqui, qui miraculum quidem agnoſcentes, hanc tamen miraculi occaſionem negare voluerunt, quaſi liber ille in ignem proiectus, & ab eo incolumis ſeruatus, nihil ad Deiparæ immunitatem pertineret, ſed ſolum de reali præſentiâ corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ ageret, hoc commentum egregiè confutarunt præfati Auctores, præſertim verò P. Ojeda. Sed benè eſt, quod etiam peculiaris Dei prouidentia illi occurrit, dum abilis pœnè temporibus aſſeruatur Barcinone in Archiuis illius vrbis antiquiſsima tabula, in qua tam miraculum, quam cauſſa miraculi hunc in modum conſcripta eſt.

A *Dominicus Sanctus, & glorioſus Pater ſacri Ordinis Prædicatorũ venit de partibus Hiſpaniæ ad Tholoſſanam ciuitatem pro Eccleſiæ defenſione, quam miraculo conſummauit tempore, quo Albigenſes affirmabãt principaliter tres errores. Primus, quod Ieſus Chriſtus non erat ille, qui iam dicitur veniſſe, qui debebat humanum genus redimere. Secundus erat, quod Hoſtia conſecrata, non continebat verum corpus Chriſti. Tertius error erat, quod ſicut Adam formatus fuerat in campo Damaſceno ex luto mundo, & non maculato: ſic ille qui redimere debebat humanum genus debebat naſci de Virgine non maculatâ. Sed Virgo, quæ dicitur Mater Ieſu-Chriſti fuit maculata per culpam originalem, ergo natus ex tali Virgine, non eſt ille, qui debebat mundum redimere. Contra quos hæreticos, & prædictos errores prædictos B. Dominicus fecit quemdam libellum de corpore Chriſti affirmando, quod Chriſtus redemit humanum genus, & firmiſsimâ veritate confitendo Chriſtum natum de Virgine immaculatâ, & prædicti Albigenſes furioſè inſurgẽdo contra ipſum B. Dominicum, dicebant, quod illa Virgo fuit concepta in peccato originali, & B. Dominicus, pro vt in ſuo libello continetur reſpondit, quod non erat verum, quod dicebant, quoniam Virgo Maria eſt illa, de quâ Spiritus Sanctus per Salomonem ait:* Tu pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: *Finaliter exiſtentes hæretici in eorum erroneâ intentione venerunt ad miraculi experientiam, videlicet quod B. Dominicus proijceret libellum ſuum in quodam furno ardente, etſi ibi non combureretur crederent dictis ſuis, & B. Dominicus proiecit ipſum in furno*

B

C

D

E

ardente,

ardente, & libellas inuſtus exiuit. Hæc omnia in prædicta Tabula, quę verè aurea dici debet, habentur: de cuius auctoritate vide Armarium Seraphicum in Regeſto fol. 283.

XII Vides B. Dominici erga Mariæ A immunitatem ardentiorem ignema teriali zelũ? vt merito dixeris ab eo omnes nos in Deiparam immacula te conceptam, & illuminatos, & accenſos fuiſſe. Hinc certè cuncti eius Religionis Proceres, quò ſanctiores, & ſapientiores, eo ipſo in Marię immunitatem procliuiores, & ardentiores, ita obſeruante, & monente P.M. Ioanne de Fenario Generali Magiſtro ordinis Dominicani apud Ambroſium Catharinum in diſput. ad Concil. Trident. part. 1. col. 66. vt ipſe de illo ſic inquit, *Dicere ſolebat, antiquiores Magiſtros, quanto magis docti, & quanto magis ſancti eſſent. tanto magis eam ſententiam vltro amplexaturos, non quidem ſectãtes alios, ſed cunctos ipſi anteuertẽtes animo multo promptiore, ac propenſiore pro gloriâ Matris Dei*: ita quidem piæ opinioni adhæſit loco indubitato S. Thomas (quidquid de alijs locis ſit, de quibus non omnino conſtat, vt alibi videro) in 1. ſentent. diſt. 44. art. 3. ad 3. & in epiſto. ad Galat. cap. 3. lect. 3 & eius Magiſter Albertus Magnus à ſe ipſo diſſentiens apud P. Caniſium lib. 5. de Maria Deipara, cap. 27, apud Salazar ad Sæculũ 13. S. Vincentius Ferrerius, Hugo de S. Caro Cardin. S. Sabinæ, B. Ludouicus Beltran, Ioannes Thaulerus Theologus illuminatus, Ioannes Vignerius, & Heruæus, Natalis vterque totius Ordinis Generales Magiſtri, Ioannes à S. Geminiano, Robertus Holcot, Hugo de Prato Florido, Sanctius Porta, Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſenſis, Guillelmus Pipinus Doctor Pariſienſis, Vincentius Iuſtinianus Antiſtes, Raymundus Paſcelius Bartholomæus Piſanus, Petrus Dozę, Dominicus Soto Primarius Salmanticenſis, Iacobus de Voragine Epiſcopus Ianuenſis, Ioannes Baptiſta Lanuza Epiſcopus Aluaracinenſis, Laurentius Guttierrez Cathedræ Veſpertinæ Complutenſis Anteceſſor, Hieronymus Almonacir, & nouiſsimè illuſtriſs. D. D. Ioſephus Gonçalez Archiepiſc. Compoſtellanus, qui annuam celebritatem in honorem immaculatæ Conceptionis in Eccleſia Compoſtellana in perpetuum dotatam reliquit, B & Ioannes à S. Thoma à Regis Cõfeſsionibus alijſque complures. Nec omittendum, Valentiæ Cœnobium, quod Mariam immaculatè Conceptam non muſſando, ſed ſolenni põpa, & ſonitu profiteri iplummet Cymbalum maius manifeſtat, quod in eius ambitu hanc inſcriptionem habet MARIA Virgo ab omni peccato originali fuit immunis, vt teſtatur P. Vincentius Iuſtinianus a nobis ſæpius adductus.

C Fuerit verò illud tanto illuſtrius XIII ad promerendam hac palæſtra palmam, quanto glorioſius eſt victoriã vincere, quam aduerſarium viciſſe: dixerim explicatius: credidit Dominicana Religio S. Thomam pro opinione immunitati Deiparæ contraria ſtare: quod planè ad Victoriam contra opinionem piam, ſibi ſatis eſſe potuit exiſtimare: D Quid enim tutius, & ad Victoriam opportunius, quam S. Thomæ doctrinæ adhærere? & tamen huius non ignara ſpõte ab hac Victoria diſceſsit; & publico edicto opinionem piam ſibi amplectendam, & profitendam cẽſuit: vt nouimus ex Manuali Prædicatorum, quod in medium pluribus in locis protulimus, Hiſpali impreſſo E anno Domini 1524, cuius hæc ſunt verba: *Quia ordo Prædicatorum ſolitus eſt, ſemper Sanctorum Doctrinæ adhærere, ſuſtinuit hucuſque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali, ſed iam de hoc eſt curan-*

dum,

S. Thom. Alber. Mag. S. Vinc. Hug. Ca. S. Ludo. Beltran. Tauler. Viguer. Heruer. Holcot. Ioann. a S. Gem. Hugo de Prato. Porta. Cathari. Pinin. Vincen. Iuſtian. Raim. Piſan.

Petras Doce. Soto. Iacob. de Vorag. Lanuz. Laurent. Gutierr. Almonacir.

dum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa: præsertim cũ tota ferè Ecclesia (cuius vsus, & auctoritas secundum B. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 12. prævaleat dictis Hieronymi, & caiuscumque Doctoris) iam asserat, quod sit præseruata: Meminere huius statuti quotquot hâc de re agunt præsertim PP. Hispalenses nostræ Societatis Pineda, Granado, & Petrus de Ojeda: nec non D. Ioann. Serranus Episcop. Azernensis, qui addit, sub P. Hieronymo Xauierre totius Ordinis Generali anno 1602. simile statutum pro toto ordine Dominicano ordinatum fuisse, quod est eiusmodi. *Strictè prohibemus, nè quis audeat in publico prædicare, vel docere, quod B. Virgo fuit concepta in originali proter scandalum fidelium:* Vides vt Sacra Religio Victoriam vicerit?

XIV Nec minus è re hâc esse crediderim, quod modo nonnulli contrariæ opinioni adhæreant: cum diligentibus Deiparæ immunitatem, omnia cooperentur in bonum: quippe vt libro sequenti, cum ex professo discutimus: Quid sit in causa? cur opinio pia nõdum diffinita sit? Vt certum statuimus, Aduersariorum contradictionem peropportunam fuisse ad maiorem huius mysterij cognitionem elucidationem, & venerationem: quod vt *marcet sine aduersario virtus*, vt dixit Seneca: ita *virtus in infirmitate perficiatur*, vt docet Apostolus: Vnde quidem opinionis minus piæ auctoribus accommodaueris cotis imaginem, quam sibi aptauit Lyricus in arte poetica inquiens:

Horat. *Ergo fungar vice cotis, acutum*
Reddere, quæ ferrum valet exsors ipsa secandi.

Societatem IESV, vt Scriptorum feracem, ita eos omnes Deiparæ immunitati asserendæ, docendæ, & publicandæ addicere.

ADNOTATIO III.

I SOCIETATEM IESV ea signatè inter alias de causa à Diuino Numine erectam, atque fundatam fuisse, vt Mariæ ab omni labe originali immunitatem siue docendo, siue exhortando, siue scribendo, siue etiam in priuatis colloquijs omni modo, & ratione tueretur, sæpius testatus est diuinitus sibi patefactum fuisse, humilis ille frater Alphonsus Rodriguez vir sanctitate, & miraculis supra omnem admirationem clarissimus, vt pulcherrimus liber inscriptus. *Imago primi sæculi Societatis IESV* lib. 1. *nascentis Societatis*, c. 5. & PP. Ioannes Eusebius Nieremberg in huius Venerabilis fratris vita, §. 13. pag. 659. & Ioan. Burgesius in libro de patrocinio Virginis c. 10. testãtur: & Burgesij quidem verba minime omittenda putaui: sunt ista: *Dicebat, hanc vnam inter cæteras esse caussam institutæ Societatis à Deo per B. Ignatium, vt immaculatam Conceptionem Deiparæ omni, cũ doctrinæ, tùm eloquentiæ copiâ tueretur, & quo diffusa est, orbe toto disseminaretur, atque euulgaretur. Atque hoc tanto animi confirmabat ardore, tantâ spiritus diuini vehementiâ, vt nihil vnquam pari pronunciarit affectu. Negue de suo id se promere & asseuerare, aut esse id à se excogita-*

Imago 1. sæculi

Ioan. Eusseb.

Ioann. Burg.

tum,

tum, sed hauſtum de cœlo à Beatiſſima Matre ſeid accepiſſe, & didiciſſe. Hæc Burgeſius: Cuius quidem, ſi non reuelata (de quo non agimus, nam de hoc Romana tantum, & Apoſtolica Sedes iudex eſto) at inſpiratæ à Deo veritatis tot omninò habemus fideiuſſores, quot fuere, & modò ſunt Societatis noſtræ Doctores, ſiue Scriptores, qui vnanimi cõſenſione, ſine vllius vnquam diſſenſu Mariam immaculatè conceptam fuiſſe ſemper profeſsi ſunt: ſicut & reliquis, qui ſcribendi munus non ſuſceperunt, tam ſuis ad populum concionibus, quã priuatis cũ proximis ſpiritualibus colloquijs eãdẽ Virginis immunitatem aſſerere, & celebrare, ſolenne eſt: noſtris id Decretis firmantibus: ſic enim Congregatio V. Generalis peculiari Decreto ſancimit. *De Conceptione B. MARIAE ſequantur Noſtri ſententiã, quæ magis hoc tempore cõmunis magisque recepta apud Theologos eſt:* Vndè P. Gabriel Vazquez in 3. part. tomo 2. diſputation. 117. inquit: *Noſtra Societas tam verbo, quam ſcripto vbique ſemperque ita ſenſit, & docuit:* Vt hinc videris non tantum fœlicitati horum temporum, in quæ Noſtra Religio incidit (vt is qui nõ æquis oculis Societatem aſpicere conſueuit, affirmat) ſed peculiari Dei beneficio noſtros ad immunitatem MARIAE defendendam, & pro eâ religioſis viribus, & ad pietatis normam compoſitis certandum animantis, & inſtruẽtis, eſſe omninò tribuendum.

Conſt. Societ.

II Iã verò inde manifeſtè apparet, ſub hoc fœlici ſydere conceptã, natam, & à cunabulis enutritam fuiſſe noſtram Societatem, quod Sanctiſſimus Parẽs Ignatius, & illuſtres ſanctitate, & doctrinâ decem illi viri, quorũ auxiliari manu ipſe Societatem erexit, & ſanctiſsimis inſtitutis cõmuniuit, Magiſterij in Theologiâ laurea in Academia Pariſienſi, iure iurando obſtricta ad docendam, & defendendã Deiparæ immunitatẽ adepti ſunt: atque ideò piã opinionẽ perpetuo fore docturos, & propugnaturos cõceptis verbis iurarũt. Et S. quidem Ignatius generali hâc adiuratione non contentus: immaculatæ Virginis Conceptionis ſtudioſiſsimus Aſſertor verbo, & ſcripto fuit, vt conſtat ex codice ſuâ manu conſcripto, qui Romæ aſſeruatur: in quo ſingulares Dei illuſtrationes, quibus frui licuit, dum per quadraginta dies de paupertate in Societatis domibus ſtabilienda deliberauit, ſingillatim adnotauit. Ad hæc in primis Theologicis diſputationibus, quæ publicè in Societatis Collegio Romano ipſomet Sancto Ignatio præſente, fouente, ac fauente habitæ (ſicut refert Imago primi Sæculi) Princeps Aſſertio Mariã ab originali labe fuiſſe immunẽ defendit: vt videlicet ad hanc ſapientiſsimæ in Deiparæ immunitatem pietatis Idæã omnes ſubinde noſtrorũ, ſiue Doctorum, ſiue addiſcentiũ ſenſus formarentur: atque ab hoc limpidiſſimo fonte noſtrorũ de Deipara cõceptuum, aſſertionum, & ſententiarum riuuli dimanarent: opportune in hanc rem dicente Theodorico Rege apud Caſsiodorum loco ſæpius à nobis adducto. *Bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitus pullulare, fertur enim curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit vitiatus, neſciat riuulis abnegari.*

Imago primi Sæculi.

Caſsiod.

III Ad Ignatij verò pietatem erga Deiparæ immunitatẽ omnino ſe cõpoſuere PP. Didacus Laynez, & Alphonſus Salmeron, nam in Concilio Tridentino in ipſa propugnanda.

His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant.

Certè Laynius ad Synodum Tridē tinā à Pōtificibus Paulo III. Iulio itē III. & Pio IV. ter miſſus tanquā Sedis Apoſtolicæ Theologus, ſub Pio IV. cum iam Præpoſitus Generalis eſſet, inter Patres, qui non tantum cō ſulendi ius haberent, ſed etiam diffiniendi, & ſedit, & ſententiam tulit tantà illius ſacri cōſeſſus approbatione, admiratione, acclamatione, vt omnium iudicio, & conſenſu Theologorum Princeps iudicaretur: Eius verò ingens doctrina, & ingenium excellēs in Deiparæ immunitate explicanda, & defendenda maximè enituit: *dū per tres horas in Concilio perorauit* (vtor verbis imaginis primi ſæculi) *tantà vi, tantoque ſucceſſu, vt ſacra Synodus, quæ ab ore dicentis admirabūda pendebat, eo decreto quo totā Adami progeniē nati uæ labis reā pronunciat, puriſsimam Dei Matrē ſe non cōprehendere, auctoritate ſuâ, ſcriptoque conſignatum reliquerit.* Quam grata autem fuerit Deiparæ, Laynij pietas, & oratio, accepta ſubito ab ipſa valetudo cōfirmauit, vt alibi vidimus. Nec fuit ab ſimile Alphōſi Salmeronis in eodē Concilio erga Mariā immaculatè cōceptā ſtudium, quod ſubinde valide confirmauit, tum to. 1. in Euangelia tractat. 12. *de infantiâ Saluatoris*, & multo fuſius tom. 13. in epiſtol. ad Roman. à diſputat. 49. vſque ad diſputation. 52. Ab his quidem pietatis erga Deiparam immaculatè cōceptā incunabulis Societas, tum in magnitudinē iuſtā, & ſuccedentē virtutis, & obſeruantioris diſciplinæ, tum etiā inferacē Scriptorum ſegetē immunitati Mariæ addictorum excreuit, quos iam dudū in cenſum retulere noſtri PP. Ioannes de Pineda, Iacobus Granado, & Ferdinandus de Salazar in ſuis pro immaculatâ Cōceptione apologijs; nec tamen ea propter nos manum à tabula ſubmouemus, quod & ſuccedentium annorum ſeries, & fœlicitas bonæ cauſſæ mirum in modū hodie cenſum auxerit: nā ſi Solon iure dicebat: *Semper mihi ſcientia creſcit cum ætate*: cur Societati nōcreſceret cum ætate, & ſtudiū in Deiparæ immaculatā conceptionem, & numerus Scriptorum de eâ: ergo & eos denuo in cenſum referre eſt animus, & quia grandiorem Auctorum numerum nacti ſumus, ſingillatim ſingulos per claſſes, & facultates commodius diſtribuemus.

IV *Card. Bellar.*

Et illi quidem primo recenſendi ſunt, qui non tantum à ſummâ ingenij vi, & acerrimo ſtudio, ſed maximè à probatiſsimis moribus, & eâ ſanctitatis opinione commendantur, quâ cœlitibus proximi, cum primum à Sede Apoſtolica inter eos referendi fore ſperantur. Eminentiſſimum Cārdinalem Robertum Bellarminum dico primum pari quidē ſanctitatis, & doctrinæ laude, & de Eccleſiâ Catholica ob egregios libros controuerſiarum cum hæreticis, quos multarum palmarum athleta conſcripſit, optimè meritum, qui Deiparam ab omni originali labe immunem aſſeruit tom. 3. lib. 4. *de ſtatu peccati*, cap. 15. 16. & 17. Deinde egregium par virorum virtute excellentium, & miraculorum magnitudine Gregorio Thaumaturgo pœnè ſimilium, Bernardinum Realinum, & Ioſephum Ancheta, quorum prior tam cœli, quam vitæ, ac mortis claues habuiſſe videtur ad cuius nutum ſiue opportuna pluuia, ſiue ſalubris ſerenitas aderat, & infirmorum incolumitas, & mortuorum ad vitam reditus præſto erant, qui quidem præterquam quæ verſibus, & ſoluta oratione piæ opinioni hæſit, cum primum lecto ſurgebat, hanc ad Beatiſsimam VIRGINEM orationem ter dicebat facto CRVCIS ſigno ſuper cor. *Per Sanctam Virginitatem, & immaculatā Conceptionem tuam, puriſsima Virgo*

Bernar. Realin. Ioſeph Antee.

emun-

emunda cor, & carnē meam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ioſephus verò priſcę ſanctitatis exēplar, cui in ſinu impunè luderent viperæ, à cuius capite pluuiā ſuam arcerent tempeſtates ipſæ, cui vt in velabro inambulanti, ſic ad defendendū ſolem inter viam iuſſæ volucres alarum nubem obtēderent. Dignū te ò bone, qui in fortunatis inſulis naſcerere! & illæ ſuo nomine digniores te in ipſis nato. Ergo fœlix hic dum ſacris elogijs per totam Virginem iuit, ipſam immaculatè cōceptā fœliciter cecinit

V *Caniſius*

Nec dixerim ſanctitate impares PP. Petrū Caniſiū, & Ludouicum à Ponte, & Fratr. Ioannem Bermans: Nam de Caniſio verè dixit Card. Baron. to. 1. Annal. ad ann. Chri. 9. *Venerandus vir, cuius laus eſt in Euāgelio per omnes Eccleſias*: & opportunè Stanislaus Reſcius *in vitâ Card. Hoſſij*, lib. 1. cap. 20. *Vir doctiſsimus, & omnibus pietatis artibus inſtructiſsimus: ſtrenuus Eccleſiæ Dei contra inferorum portas propugnator, & vtiliſsimus Ieſu Chriſti ſeruus.* Nec minor eius laus fuerit, quod ab hæreticis *Canis Auſtriacus* perigno miniā appellaretur, quippè ipſe nō canis mutus non valens latrare, ſed qui latratu, & morſu lupos paſsim graſſantes ab ouili Chriſti arceret.

Ludou. à Ponte.

Ludouicus verò à Pōte is fuit, cui cū excellēs ingenium, & doctrinæ magnitudo par eſſet, multo tamen his excellentior fuerit ſanctitas omnibus virtutis calculis abſolutiſsima, vt ideò virtutū omniū illuſtre exēplar vitæ cœleſtis, ac perfectæ Magiſter, & Dux, & Magiſtrorū vitæ ſpiritualis lumen clariſsimū, & ampliſsimū dici meruerit. Ergo ille libr. *de B. Mariâ Virgine*, lib. 1. c. 5. vſq; ad 8. puriſsimā ipſi⁹ Cōceptionē omni argumentorū, & rationum ſuppellectili cōfirmauit; hic verò ſiue in libris ſpiritualibus Meditationū to. 1. p. 2. med. 3. pūct. 4. ſiue in Cōmentarijs in Cātic. ad lib. 7. c. 20. §. 3. & pluribus alijs in locis. De Ioanne autem Bermans, annis adoleſcente, heroicis verò virtutibus gigante, in eius vita lib. 2. c. 13. voto ſe ſe adſtrinxiſſe dicitur, vt quā primū calamum ad ſcriptionem ſumeret à Deiparæ immunitatis defenſione inciperet: & voto emiſſo, & ſæpius repetito: corā Auguſtiſsimo Sacramento Mariæ quotidie dictabat: *Ego Ioannes Bermans indignus Societatis Ieſu filius Maieſtati tuæ corā Sacratiſsimo Filio tuo, in cuius præſentiâ ſto, perpetuū me immunitatis tuæ propugnatorem fore promitto.* Quod cum relatum fuiſſet Cardinali Bellarmino, qui iuuenis ſanctitatem velut de facie nouerat, exclamauit. *O pulchrē factum! ſeſe tam animoſe Reginæ cœli obtuliſſe!* addiditque. *O inuentum plauſu, & admiratione dignum! Ego quidem animum induco, vt credam, eamdemmet cœli Reginam talem ipſi mentem inſpiraſſe, nè ei in cauſſâ adeò bona tantus Aduocatus deeſſet.*

Ioann. Bermās

VI

Fuit verò Fratri Ioanni Bermans in egregia erga Deiparæ immunitatē pietate frater, & quidem germanus Alphōſus Rodriguez Societatis noſtræ coadiutor (cuius initio adnotationis meminimus) qui vt vir pietate multa decorus, cœleſti eruditus ſapientia (ſic de illo P. Hyppolitus Marrachius in ſua Bibliotheca Mariana à nobis ſemper, & nunquam pro dignitate, & ſtudio in Deiparā ſatis laudatus) abſolutiſsima religioſæ vitæ perfectione cumulatus: ita Auguſtiſsimæ cœlorū Reginæ (quā indulgentiſsimo vocabulo, ſuum amorē, Matrēque nominabat) impenſiſsimè addictus: & vero cū eiuſdē Virginis imperio (vt opinio fuit) eas preces ſcripſerit, quibus eā quotidie ſalutare conſueuerat, inter eas ſignatè concripſit *Sāctiſsimū officiū puriſsimæ, & immaculatæ Cōceptionis Deiparæ*, addēs duodecim *Pater noſter*: & duodecim *Aue Maria*,

quæ numerum 24. complebant accõmodata 24. horis diei, ac noctis, in honorem purissimæ Conceptionis, vt Virgo quavis hora dignaretur precari Filium suum, vt eum à peccato liberaret, & præseruaret.

VII

His primi ordine succedunt, qui pro defensione immunitatis Deiparæ integros libros, & iusta volumina ediderunt: Hi sunt P. Ferdinandus de Salazar pietate in Mariam immaculatè conceptam celeberrimus: Vir excellenter doctus, & tam Theologiæ, quam Sacræ Scripturæ professor apprimè ingeniosus, & eruditus in *Defensione pro immaculatâ Virginis Conceptione.*

Salazar

Quam non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorũ series, & fuga temporũ.

P. Iacobus Granado, quem immerito à prima classe virorũ eximiæ virtutis, & cœlestibus proximorũ subduximus, cum nihil ipso candidius, sanctius, & in Deiparam procliuius fuerit, in tract. peculiari *de immaculatâ Conceptione*, & in 1. 2. controu. 6. de peccatis, tract. 8. disp. 4. P. Ioãnes Perlin. egregio, & singulari opere *De Magnæ Matris ab originali debito immunitate.* P. Petrus de Ojeda in informatione Ecclesiastica miræ eruditionis *pro purâ Deiparæ Cõceptione* P. Ambrosius de Peñalosa in eximijs, & accuratissimis *Vindicijs Deiparæ Virginis de peccato originali, & debito illius contrahendi.* P. Andreas Pinto pulchro volumine *Deiparæ ab originis peccato præseruatæ.* P. Hieronymus à Gueuara to. 2. in Matth. quẽ inscripsit *De augustissimo immaculatæ Marianæ Cõceptionis mysterio.* Quibus merito adiũxeris Andræ ã Peuernage in libello *de immaculatâ Virginis Conceptione*, quẽ ipse ad promouendũ in Deiparæ immunitatẽ studiũ obuijs quibusque distribuebat: necnon Leonardũ Bagni *in Manuali Sodalitatis immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ Viennæ Austriæ erectæ.* Sed his vltimis prior nominãdus fuerat P. Didacus à Celada vir præstantissimi ingenij, qui etsi peculiare opus de Deiparæ immunitate, non conscripserit, in selectissimis tamen commentarijs in libros Iudith, Tobiam, Ruth, & alios nemo, opinor, in laudibus Deiparæ, & defensione, & elucidatione immaculatæ Conceptionis, altiorem impressit sulcum, dum ad singulos libros noua huius mysterij argumenta, & rationes varia, & opportuna eruditione plenas meditatus est, quotidieque meditatur, & elegantissimè scribit. Quibus adde Petrũ Possinũ in lib. pro immmaculata Conceptione, quem inscripsit *Vincentia victus.*

Granad Perlin. Ojeda. Peñalos. Pinto. Gueuar. Peuern. Bagn. Celada. Possin.

VIII

Theologorum Scholasticorũ agmen ducit strenuus Dux Eminẽtiss. Cardinalis de Lugo, qui vt purpurata ingenij, & doctrinæ laude cæteros antecellit de Sacramentis disp. 2. n. 37. deinde verò PP. Franciscus Suar. Gabriel Vazq. Gregor. de Valent. qui S. Thom. & Theologiam Scholasticã suis cõmentarijs indeficienti lumine exornarunt: & in re Scholastica (vt sapiẽtiũ opinio fert) omniũ ætatũ fere maximi habẽtur, in 3. p. locis à nobis non semel indicatis. Francis. Turrianus hæreticorũ malleus in epist. ad Iacobũ Amiotũ Episcop. Antisiodorensem *de natura peccato originalis*, Theodor. Peltanus *de peccato originali*, tract. 6. Iosephus Acosta *de Christo reuelato*, c. 1. nu. 28. Theophylus Raynaudus præstantissimus Theologus, omni scientiarũ genere excellens, & nitore eloquij, & cõsummatæ eruditionis plenus *in Dyptychis Marianis* copiosissimè, necnõ in aureo, & nũquã satis laudato Nomẽclatore Virginis, & alibi sæpius Dionysius Petauius lib. 14. Theologicorum dogmatum *de Incarnatione*, c. 2. n. 10. Petr Hurtado to. 1. in 3. p. disp. 13. sect.

Card. Lugo. Suarez. Vazque Valent. Fr. Turrian. Acosta. Theophylus. Peltan.

Petrus Hurtado.

Gaſpar Hurtad. Bernal. Becan. Tanner. Merat. Amic. VVadin gus. Herice. Martinon. Henriq. Ripalda Moncæus. AEgidius. Turrian. Salas. Anton. Quint. Dueñas Alderete. Henao. Biuero. Caſtro. Palao.

ſect.5. Gaſpar Hurtado Complutenſis *De Incarnatione*, diſput.1.difficultat.3. Auguſtinus Bernal. *de Inc* diſp.10.ſect.3.n.30. Becanus in ſumma Theologicâ de *Incarnatione*, c. 27.q.1.n.6. Tannerus tom.2.diſp.4 q.7.dub.2.n.35.& to.4.diſp.2. dubio 2. Meratius de *Incarnatione* diſput.9.ſect.3.n.7. Franciſc. Amicus tom.3. *curſus Theolog.* diſp.25.ſect. 4. VVadingus *de Incarnatione*, diſp. 10.dub.8.num.76. Valentinus de Herice in 1.p. diſp.35.cap.2. Martinon to.4. Theolog. diſput.4.ſect.1. Henricus Henriquez lib.2, de Miſſa cap.7. littera S. in gloſ. & de fine hominis, c.10. littera B. Ioan. Martinez de Ripalda tom.2. de ente ſupern. diſp.29.ſect.4.& 9. Moncæus diſp. Theologic.7.part.4 c.3. Petrus Ægidius, qui Theologiam Scholaſticam totos viginti annos profeſſus eſt, de quo Philippus Alegambe inquit: *Eius pietati, & diligentiæ debet Academia Barcinonenſis votum illud, quo ſe obſtrinxit propugnandi ſemper immaculati eius cõceptus prærogatiuam*, Luſius Turrianus ſelectarum p.1.diſp.14.dub.4. Ioan. de Salas to.2. in 1.2.q.82.tract.3.diſput. 11.ſect.5.n.68. Petrus de Biuero Regius Concionator, egregiuſq; Theologus lib. de Priuilegijs filiæ Dei Mariæ diſſert.1.per tot. Caſtro Palao in quo virtus cum doctrina pariter ſplenduit in Manuali Chriſtiano p. 2.conſid.5.puncto 3. Antonius de Quintana dueñas tom.1. ſingulariũ Theologiæ Moralis tract.3. Appendicis dub.1.& 2.& tract.9.dub.1.& 6.& to.2.ſing.ad 5.præcepta Eccl tract.1.ad 1.præcept.ſingular. 5.& 6. Bernard. Alderete to.1. *de Incarnatione*, diſp.19.ſect.6. Gabriel de Henao in Empyrologia lib.6.exercit.18.ſect.15.nu.178. & denique quotquot à primâ Societatis inſtitutione vſque in hanc diem de re Theologica egerunt, ſiue eam in ſcriptis dictando, ſiue in publicam lucem emittendo.

A

B

C

D

E

IX

Iam verò claſsis expoſitorum Sacræ Scripturæ validos, & egregios Immaculatæ Conceptionis propugnatores habet: Eſt primùm Eminentiſsimus Cardin. Franciſcus Toletus Deiparæ ſtudioſiſsimus, quem eximius ille Doctor Martinus Nauarrus appellat *excellentem ſacræ paginæ Doctorem, & acerrimum Gymnaſtam, Eccleſiaſtem eſt primis Vrbis, & Orbis ſuſcipiẽdum, Societatis IESV inſigne ornamentum*, in commentarijs in Ioan. cap. 3. adnotat.9. & in Lucam cap.1. adnotat.119. & in cap.5. epiſt. ad Roman. P. Ioan. Maldonatus vir omnibus numeris abſolutiſsimus, & cum magnis illis, & antiquis numerandus, & colendus in cap.9. Matthæi ad illa Domini verba: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, Ioannes Lorinus (*qui alter Longinus Caſsius legendi aſsiduitate ſpirans quandam Bibliothecam* dictus eſt, de quo inquit Philippus à Legambe. *Colendæ Deiparæ ſtudium ingens, eiuſque in alios excitandi cupido. Nihil omiſit operæ, vt immaculatam eius Conceptionem, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæque vniuerſæ perſuaderet? eoque adnitente Dolana Academia ſanciuit, nè quis apud ſe Laureâ Doctorali ornaretur, qui eam de Conceptione ſententiam propugnaturum ſe, iuratus non promitteret*) in Pſalm.95. ad illud: *Honor Regis iudicium diligit*: Gaſpar Sanctius: in quo eximiam vitæ rectitudinem, cum ſumma ſapientia, & eruditione coniunctam vidimus in Cantica ad cap.4. verſic.7. Martinus del Rio, quo præceptore in ſacrorum librorum expoſitione ſemper gloriabor *in Cantica*, cap.2. ſection.4.& lib.4. *magic. diſquiſ.* cap. 1 quæſt.3. ſection.4. & in Floridis Marianis *in feſto Conceptionis*, Ioannes de Pineda acerrimus Mariæ immaculatè cõceptæ defenſor, de quo Philippus à Legambe: *in Beatiſſi-*

Caſd. Toletus.

Maldonat.

Lorinus

Gaſpar Sanctius.

Martin del Rio.

Pineda. Pereira.

mam Virginem tenerrimo fuit, ac filiali prorsus affectu, cuius honori, quã tum studuerit, vel Hispalis ipsa testis est in ea celebratione, quâ conceptus eius immaculatus publicè ibi assertus est, tom. 1. in Iob in id cap. 14. *Quis potest facere mundum? &c.* & in tractatu, quem inscripsit. *Aduertentia ad priuilegium Ioann. I. Aragonum Regis:* & peculiari eaque pereleganti concione de Deiparæ Cõceptione; Benedictus Pererius in c. 4. Danielis ad ea verba: *Germen radicum in terrâ finitè*, Benedict. Iustinianus vir magnæ in Ecclesiâ auctoritatis, & à concionibus Pontificum Pauli V, Gregorij XV. in cap. 2. epistol. 1. ad Timoth. ad ea verba. *Qui dedit seipsum redemptionem pro multis, &c.* latissimè in 1. epist. Ioan. 1. à num. 39. Cornelius à Lapide in c. 5. epist. ad Romanos in illud. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, Sebastianus Barradas tomo 1. *concordant. Euang.* lib. 6. cap. 3. Ioann. Ferdinandus homo pristini candoris, & eximiæ sanctitatis sacræ Scripturæ in Collegio Romano interpres in thesauro Scripturæ verbo, *Calcaneus*, num. 1. Christophorus de Castro *in vitâ Deiparæ*, cap. 2. num, 5. Paulus Serlogus in cap. 4. Cant. ad id *Tota pulchra es:* Petrus Morales in cap. 1. Matth. lib. 3. tractat. 1. de Præseruatione Virginis, Cosmas Magallanes in epist. 1. ad Timoth. cap. 2. sect. 4. adnotat. 6. Didacus de Baeza Scriptor magni ingenij, & eximiæ eruditionis tom. 1. comm. in Euangelia, Anton. Balingen. in lib. de *Sacrâ Scripturâ in locos communes digesta*, verbo, *Maria*, & in *Parnaso Mariano*, fol. 33. vbi hymnos, & officia de immaculatâ Conceptione affert, Ioann. Baptista Poza in elucidario lib. 4. tractat. 1. Benedict. Fernandez in cap. 4. Genes. sect. 2. num. 2. Anton. Fernand. de Visionibus visione 13. c. 1. sect. 8. n. 2. Mẽdoza to. 2. in lib. Reg. c. 4. n. 8. adnot. 11. Najara in Ioiuct. tract. append. à n. 2. & in concion.

Pereira. Iustinia. Cornel. Barrad. Ioan. Fern, Castro. Serlogus Moral. Magall Baeza. B ling. Poza. Ben. Fer Anton. Fern. Mend. Najara.

Tandem Magistri spirituales, & qui in Conciones sacras diligẽtem operam nauarunt mirifici sunt in Deiparæ immunitate commendanda, in quo argumento omnium maximè excelluisse videtur P. Ioannes Eusebius Nieremberg, qui iure etiã cum Scholasticis, & cum Sacræ Scripturæ interpretibus connumerari debuit, cum excellentem Theologum, & egregium sacrorum voluminum interpretem passim in tot libris quos vix enumerare valeas, se se exhibeat. His enim ingenij, & doctrinæ ornamentis studium Virginis, & signatè opinionis piæ de eius immunitate addidit in lib. *de Amore erga B. Virginem*, cap. 5. & cap. 18 & *in Stromatibus*, Strom. 14. lib. 3. cap. 13. *& in vita S. P. Ignatij*, cap. 3. & in praxi Catheciſmi Romani part. 2. lect. 31. & pluribus alijs in locis, Hieronymus Nadal in Meditationibus medit. de Maria sine macula, & seqq. Spinellus *de Maria Deipara throno Dei*, cap. 4. Maximilianus Sandæus *in Auiario Mariano*, & in libris: quibus titulus: *Maria flos mysticus: Maria gemma mystica, Maria Luna mystica*, & alijs, Simon Vvangnerechius in *pietate Mariana Græcorum* passim: Nicolaus Lancicius tom. 2. opusc. 11. *de praxi diuinæ præsentiæ*, cap. 13. Gregorius Ferrarius *lib. de heroicis Virginis virtutibus, immaculataque sanctitate:* Laurentius Massellus *de Vita B. Virgin. Matris Dei*, Ioan. Baptista Posarel *in coronâ stellarum duodecim*, lib. 3. cap. 3. *de sanctitate B. Mariæ*, Ioan. Ludouicus de la Cerda, in quo virtus cum doctrina, & ingeniũ cum summa eruditione certauit *in Aduersarijs*, cap. 7. Nec grauabor indicare occasionem, quà ille Deiparæ immunitatem asserit, est ista: afferebat hæc verba Anastasij Bibliothecarij de S. Martini Papæ se-

Ioan. Eusseb. Spinell. Maxi. VVang. Lancic. Ferrar. Massel. Posarel. Cerda.

X

pulchro.

pulchro. *Positus est in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum Ciuitatis in pretiosissimo, & reuerētissimo templo sanctissimæ, & præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ, & immaculatæ, perbenedictæque glorioſissimæ, & excellentissimæ omnium creaturarum, gratiæ plenissimæ, gaudium facientis, & tribuentis Dominæ nostræ propriè naturâ, & veritate solius Deigenitricis semper Virginis Mariæ, &c.* Quæ ille opportunè nactus ex ijs sic intulit. *Videant eum hoc elogio stare non posse peccatum originis.* Vincentius Brunus tom.4. meditat.1. Franciſc. Costerus meditat:1. de Concept. Virgin. Arnoldus Cathius in officio à se conscripto immaculatæ Conceptionis, Laurentius Chrysogonus *in Mundo Mariano*, part.1. discursu 3. toto, & discursu 4. à num.38. & discursu 8. vsque ad num.16. & sæpius Didacus Aluarez de Paz tom. 3. part.2. cap.5. medit,3. Ioan. Bonifacius lib. *de Deiparâ*, Petrus de Ribadeneyra *in festo Conceptionis*, Carolus Mangotius in monit.mor.monito 2. Ioan. Henricus Aubenius in suis de candore Virginis epigrammatibus, epigram.3. Ioan. Busæus in Enchirid.piarum medit.in meditat. ad festum de Conceptione puncto 3.

Brunus. *Costerus.* *Cathius.* *Chrysog.* *Aluar.* *Bonifac.* *Ribade.* *Mango.* *Auben.* *Busæus.*

XI Inter Concionatores autem Societatis, qui quotquot sunt, Mariæ immunitati linguam, latera, manus, & calamum consecrarunt, illustres sunt P. Hieronymus de Florentia, qui Concionator Regis, & Rex Cōcionatorum optimo merito dictus est *in Marialí*, concionibus Mariæ immaculatè conceptæ pleno, Ioan. Osorius, & Francisc. Labata ille tomo 1. in concione de Cōceptione, hic in apparatu verbo *Maria* propos.3. Antonius de Escobar, vt strenuus concionator, ita scriptor excellenter copiosus, & eruditus tom. 3. in Euangelia Sanctorum lib.4. toto, Antonius de Herrera Concionator Regius in concione celebri de immaculatâ Concept. Panormi edita: Messa in Mensa spirituali verbo, *Maria*, num.2. & 4. Iulius Mazarinus in Psalm.50. disp. 96. Ignatius Quintanadueñas in lib. *Christus Crucifixus*, lib.4. cap.4. Nicolaus Arnaya in Meditationibus de virtutibus B.V. medit.2. Alphonsus Ezquerra in lib. *Greßus Virginit.* gressu 1. cap. 1. Quid plura? rem longissimi temporis vno verbo absoluo: Dato mihi Societatis Filium, siue Theologū Scholasticum, siue Sacræ Scripturæ interpretem, siue Concionatorem, siue Magistrum vitæ spiritualis, & ego dabo tibi ipsum, vel Theologicè docentem, vel ex sacrâ paginâ edicientem, vel è suggesto ad populū concionantem, vel in monitis spiritualibus suadentem, *Mariam immaculatè Conceptam.* Sic docet Societas, sic interpretatur, sic concionatur, sic monet: & monebit, & docebit in perpetuum.

Florent. *Osorius.* *Labata.* *Escobar.* *Herrera.* *Messa.* *Mazarius.* *Quintana Dueñas.* *Arnaya.* *Ezquerra.*

IHS

DISSERTATIO X.

DE SPLENDORE, QVI OPINIONI piæ ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus eam amplectentibus, & propugnantibus accedit.

DEIPARÆ IMMVNITATEM A PRISCIS Hiſpaniæ Regibus, & ab Imperatoribus cultam, & celebratam perpetuo fuiſſe.

ADNOTATIO I.

I LIBENTIVS quidē hāc theſim de magnâ auctoritate, & ſplendore, qui piæ opinioni à Regibus, & Imperatoribus, eā defendentibus accedit, cūctis nimirum Principibus, ac Dynaſtis toto terrarum orbe in eam cōſpirantibus: tum quod id peculiare veritatis argumentum ſit inſpirante, & illuminante frequentius Numine Regū mentes, & animos, tum etiam quod contrariæ ſententiæ auctoribus ſolenne fuerit dictitare, opinionem piam non niſi *hominum è media plebe, lanariorum, talarium, ſutorum, & artificum* (ita Bandellus) ſiue etiam *mulierc*ularum (vt inquit Caietan. in comment. quæſt. 27. 3. p.) eſſe: Adeò ſcilicet illis in mero meridie cæcutire libuit: cum veriſsime dixerit P. Pineda. *Quod à primis Eccleſiæ ſæculis nullus fuit Imperator, nullus Rex, nullus Princeps, nullus vir ſanguine, & ſtatu illuſtris, qui hanc piam, hanc ſanctam de Immaculata Conceptione opinionem non ſit profeſſus.*

A

Ignorauerunt videlicet Caietanus, & Bandellus Dei ingenium, & vetuſtiſsimum morem, & quis ipſi ex Principibus vſus eſſe ſoleat: eſt quidem verum, Deum à Chriſtianâ Religione diſſeminanda promulgâdâ, & ſuadendâ Principes viros de induſtriâ amouiſſe, zelo nimirū gloriæ ſuæ ſignatè ductum, nè de gentium conuerſione, & fide parta victoria potentiæ, aut ſapientiæ mundi, & non ipſi tribueretur: dicente Paulo: *Videte vocationem veſtrā fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mūdi,*

B

Bandell. Caietan.

P. Pine.

1. Cor. 1. verſ. 26.

&

& contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret eamque rationem reddente, *vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius*, quam sic diffundit Ambrosius lib. 5. in Lucam. *Nè traduxisse prudentiâ, nè redemisse diuitijs, nè potentiâ, nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret:* de quo etiam vide Augustin. tom. 1. serm. 59. At enim vero simul obseruare est operæ pretium: ipsummet Deũ, qui gloriam suam alteri non dat, & cui ex potentibus, & nobilibus ad fidem disseminandam nullus vsus esse solet: illis tamen non semel signatè vti, cum videlicet caussa virtutis, ac proinde ipsemet Deus, veluti humanis auxilijs destitutus probro, & ignominiæ expositus videtur. Quid enim aliud fuerit: cum primum Dei Filius in hunc mundum pauper, & humilis ingressus est, ad eius cultũ, & adorationem Reges ab Oriente fuisse aduocatos? nisi vt Regiâ maiestate præsepij ignominiã cũ gloriâ commutarent? Et quem *sui non receperunt, Reges ostendi sibi postularent* (inquit Leo serm. 3. de Epiphania) *quem ad regnandum sibi didicerant procreatum*: Ecce tibi quis Deo ex Principibus vsus sit, vt virtutem algentem, & ignominiæ expositam foueant, honorent, venerentur, & a dedecore tueantur & vindicent.

Ambr.

Ioan. 2. vers. 11.

S. Leo.

III Id quod tam in Iosepho ab Arimathia, quam in Nicomedo opportunè obserues, prior quippè *erat nobilis decurio*, Marci 15. vers. 43. sed tamẽ *occultus discipulus IESV propter metum Iudæorum*, Ioann. 19. vers. 38. Nicodemus verò itidem Princeps erat Iudæorum, & cũ Christo credidisset ad eũ venit: Sed quãdo? Non nisi nocte, & clanculũ: Sic enim Ioannes cap. 3. vers. 1. *Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine Princeps Iudæorum. Hic venit ad IESVM nocte*: in quæ verba S. Cyrillus Alexan. lib. 2. *in Ioann.* cap. 38. inquit: *Propensus ad fidem Nicodemus fuisse videtur, sed pudore improbo victus, & gloria hominum superatus palam accedere non audet: ita ambiguâ quâdam sententia, & claudicante iudicio, vtrisque (vt dicitur) poplitibus laborat. Nam consciẽtia quidem stimulis suis miraculorũ magnitudine ad fidem eũ impellebat. Principatus autem gentis suæ (Princeps enim Iudæorum erat) nè palam Christo adhæreret, facile illi persuadebat, qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam existimabat: vtrumque igitur, & fidem scilicet, & gloriam hominum retinere cupiens tenebris se commisit, quæ duplicitatem animi eius aperte accusant.* Hæc eleganter Cyrillus. Quod si eomet tempore, quo Dominus tam mira, & illustria patrabat miracula, vt ipsemet Nicodemus mihi statim ait: *Rabbi scimus, quia a Deo venisti: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*: non nisi nocte, ambiguâ sententia, & claudicante iudicio, & vtrisque poplitibus laborãtibus Nicodemus & Ioseph ad Christum veniebant: quid quæso ab ipsis speraueris, cum Dominum summâ cũ ignominia inter latrones morti addictum, & Cruci affixum a suisque destitutum viderint? Audi Ioan. cap. 16. versic. 38. *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum* (Nec differendũ dicere quomodo Pilatum rogauerit: inquit ergo Marcus: *& audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*) pergit Ioannes: *Venit autẽ & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum*: Ecce tibi illos discipulos olim occultos, qui tenebras noctis, tanquam lucifugæ ad mysteria Christi audien-

Marc. 15. v. 43

Ioann. 3. vers. 1.

S. Cyril. Alex.

A B C D E

da,

da, quærebant, modo in meridiana, claritate sese Christi seruos palam, & *audacter* profitentes, ac omnia seruitutis, & pietatis officia ei persoluere minimè recusantes, sed quæ hæc animorũ cõuersio fuerit, vt pro tãta timiditate, tanta illis cõstãtia, & audacia obuenerit? Sanè *hæc mutatio dexteræ excelsi* fuit, qui vt Crucis ignominiã curaret, & virtuti tũc summo dedecore laboranti manũ, & opem ferret, non tam Apostolos, qui homines è plebe erant, quã Principes viros, quamuis olim timidos, & quasi dubiæ fidei in opus ministerij huius excitare, & audaces facere voluit, tanquam maximè opportunos ad virtutis causam in tanto discrimine agendam, atque tutandam: Ita id Beda in Catena S. Thomę obseruante his verbis: *Talem autem esse decebat, qui corpus Domini sepeliret, qui etiam per iustitiam meritorã tali ministerio dignus esset, & per nobilitatem potentiæ sæcularis facultatem posset obtinere ministrandi, & ideò dicitur: nobilis decurio expectãs Regnum Dei. Non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Præsidem accedere, & Crucifixi corpus poterat impetrare.* Hæc Beda.

Beda.

IV

Tanta scilicet Principum virorũ auctoritas, tanta quidem ipsorum fortuna, & fœlicitas est, vt virtuti, & veritati, quæ filia Dei, & Deus est, maxime laboranti valeant succurrere, & auxiliarem manum præbere, cum Deo Patri ad Filium suum ab ignominia, & dedecore vindicãdũ opportuno vsui esse videamus. Qua sanè de causa S. Epiphanius senior in oratione *in Diuini corporis sepulturam Domini, & seruatoris nostri* (quæ habetur in nouâ editione ad calcem operum) minime dubitauit, Ioseph um, & Nicodemum Christi corpus consepelientes Cherubinis, & Seraphinis excelso Dei solio assidentibus, & faciem eius velantibus suppares facere, immò verò in functione, & munere illis anteferre, quippè qui Dei Filio ludibrio exposito succurrerint, & à dedecore vindicauerint. Sic nãque Epiphanius. *Beatum iudico Ioseph um, & Nicodemum: Nam ante Cherubim, Deum in suos armos sustulerunt, & extulerunt: ante Angelos sens alis praditos Dei ministri facti sunt, non alis, sed syndonibus Dominum contexerũt, & honorarunt:* vt iam merito beatis istis viris prædixisse videatur idẽ Dominus: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum*, Psalm. 100. vers. 8. vbi Chrysostomus. *O ingens miraculum! Luteisedent, & corporis expertes adstant.* Sed bene quidem est. Quid ni enim in honore isto prę ferantur, qui Dei Filio extremè laboranti audacter opitulari, & pro eius causa fideiubere non dubitarunt?

Epipha.

V

Ergo hunc ipsissimum morem erga Mariam immaculatè conceptã Deum retinuisse obserua: vt videlicet cum ipsius immunitas à labe peccati, & omnimoda innocentia, in hominum opinione discrimini videbatur obnoxia, ipse ad eam asserendã propugnandam, & vindicandam validissimam, & Augustam maximorum Regũ, Imperatorũ, & Principũ cum totâ potentiæ, & regnorum suorum fortuna manum auxiliarem armauerit, totius terrarum orbis Principibus, aliàs interse dissidentibus in Mariæ immunitate tutanda conspirantibus, vt quemadmodum superius dicebamus, nullus sit Imperator nullus Rex, nullus vir sanguine, & statu illustris, siue in Hispania, siue in Germania, siue in Gallia, siue in Polonia, qui Mariam immaculatè conceptam non asserat: Planè non secus Deus ad opem Mariæ in Conceptione laboranti ferendam potẽtia sæculari (vt dicebat Beda) vsus, ac ad expellendam à Christi Cruce ignominiam, & debitum pietatis officium Filio suo persoluendum Principes

cipes viros Ioſephum,&Nicodemũ adminiſtros aſſumpſit. Quod quidẽ argumentum erudite pertractarunt PP. Ioannes de Pineda in aduertentijs ad priuilegium Ioan. I. Regis Aragoniæ aduertentiâ 18. Petrus de Ojeda in informatione Eccleſiaſtica cap. 8. Laurentius de Aponte in cap. 1. lib. Sapientiæ verſ. 4. digreſſione 2. & Armamentarium Seraphicũ varijs in locis: ex quibus PP. vt nos aliqua excerpere neceſſe eſt: ita illis nonnulla recentiora, addere erit operæ pretium.

Pineda. Ojeda. Apõte. Armament.

VI

Quo in loco præter Auguſtos Græciæ Imperatores Leonem, & Emanuelem Comnenũ, quos in ſuperioribus memorauimus, quorum prior elegantiſsimam de Deiparæ laudibus,& ipſius immunitate orationem compoſuit: cuius meminere Card. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 8. Decembris, Thomas Botius lib. 9. *de ſignis Eccleſiæ*, & Gerardus Boſsius in Scholijs ad orationem S. Ephrẽ de Sanctiſsima Deipara, in puram ipſius Conceptionem inflectens verba Dauidis Pſalm. 44. verſ. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, &c.* poſterior verò Conceptionis Mariæ diẽ lege lata inter faſtos retulit: quibus adiunge Imper. Ioannem Cantacuzenum Apologia 3. profitẽtẽ. Credimus,& confitemur, quod Mariæ ſimilis homo nec natus ſit, nec poſt hac ex viro, & muliere naſciturus, quæ verba ad originalem Mariæ iuſtitiam ſpectare, quis non videt? potiſsimum aduoco cunctos noſtrates Hiſpaniæ Reges, Regumque parentes, quibus hic ardor aſſerendæ, & tuendæ Deiparæ immunitatis ſemper adfuit: vt tam noſter Magnus Philippus IV. quam Ioannes I. Aragoniæ ſuis in diplomatibus apertè teſtantur. Etenim noſter Philippus epiſtolam ad Gregorium XV. Ponr. Max. pro diffinitione illibatæ Conceptionis ſic exorditur. *Horum Hiſpaniæ Regnorum Reges prædeceſſores mei magno colebant affectu puriſsimam Conceptionem Dominæ noſtræ Virginis Mariæ, ſed præ cæteris Rex Pater Dominus meus magno feruore veneratus eſt*: Ioannes verò Aragoniæ in diplomate inferius à nobis elucidando, ſic inquit: *Huius itaque beatæ Conceptionis beatiſsimæ Virginis Mariæ colimus puro corde myſterium, & eius feſtiuitatem ſolennem, quam Regia domus noſtra quolibet anno deuota exultatione concelebrat: & perinde perpetuam noſtri prædeceſſores illuſtres memoriæ recolendæ, & nos vtique dedicauimus confratriam.* Hæc Reges tam pro inclytorum auorum,& prædeceſſorum ſuorum gloria, quam pro ſui ipſorũ imitatione.

Philipp. IV. Rex. *Ioan. I. Rex.*

VII

Quod ſi noſtrorum Regum prædeceſſores immunitatem Deiparæ colentes,& propugnantes ſingillatim noſſe velis, adi Petrum de Ojeda loco citato, qui è priſcis illis Gothis Regibus primum aſsignat Siſenandum, cuius egregia in Deum, & Deiparam pietas accendit Concilium Toletanum IV. vt Diuinum officium in ordinem redigeret eaque tanti momenti res Sanctiſsidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo committeretur, à quo tunc immaculatæ Conceptionis Officium inter alia ſacrarũ feſtiuitatem officia repoſitum fuit: Deinde annumerat Cyndaſuyndũ, de quo præclaris dotibus,& munere Illuſtriſsimus Domin. D. Rodericus Ximenez Archiepiſcopus Toletanus lib. 2. cap. 21. inquit *inſtituta B. Iſidori* (in quibus proculdubio feſtum immaculatæ Conceptionis continebatur) *firmiter obſeruari fecit.* Præterea in cenſum refert Regem glorioſæ memoriæ Bambã, ſiue Vvambam tempore Concilij XI. Toletani florentem, qui quidquid S. Iſidorus à Concilio IV. edo

P. Ojeda

ctus de Ecclesiasticis officijs, signatè verò de solennitate puræ Conceptionis tam in Missali, quàm in Breuiario dispoſuerat: ſerio & constanter constabiliuit, testante de eo ipſomet Concilio cap. 6. *Cuius ordine collecti, cuius etiã* studio aggregati sumus, qui Ecclesiasticæ disciplinæ his nostris sæculis nouus reparator occurrit: His fusius dictis subijcit P. Ojeda hunc planè in modum in Hispania immaculatę Cõceptionis sententiã inoffenso pede, & inconcussâ constantia apud Reges, & Regnum decurrisse, quin eorum pietati opinio minus pia post annum millesimũ nescio è quibus latebris in oras nostras sese præcipitans quidquam obesse potuerit.

VIII Sed enim, nè ea serperet, suscitauit subinde Deus inclytum illum Aragoniæ Regem Iacobum (vulgo dictũ *don Iayme el Conquistador*) qui vt Deiparæ immunitatem firmissimis fulciret columnis, & in suis Regnis in perpetuum stabiliret, sacram Religionem de B. Maria de Mercede regia magnanimitate fundauit, vndè hac de causſa à primo sui exordio illa festum immaculatæ Conceptionis cum octaua solenniter celebrat, vt huius Religionis historiographi tradunt, & nos suo loco vidimus: Post numeratum verò Iacobũ, memorat subinde Ojeda primum illum Ioannem Regem cuius modo meminimus, & de quo nobis posteà grandis sermo futurus est, & ab eo signatè Ioannem secundum, qui tũ Alphonsi fratris maioris natu Aragonis, & Neapolis Regis, cuius loco Regnum administrabat, vices gerẽs in comitijs Cataloniæ anno 1451. tum etiam post modum in Regno succedens proprio nomine anno 1461. publico edicto cauit, nè quis siue in concionibus ad populum habitis, siue in disputationibus publicis opinionem immunitati Deiparę contrariam tutaretur, vt constat ex lib. cui titulus. *Trophæa Regni Aragonum*, lib. 3. & ex Marinæo Siculo lib. 12. de *rebus Hispaniæ*, de Ioanne Rege dicente: *Festum quoque de B. Virginis Mariæ Conceptione, sicut, & alia eius festa celebrari summa cũ veneratione præcepit, & nè quis Virginem in peccato originali fuisse conceptam, neque publicè, neque priuatim dicere auderet.* Nec fuerit omittendum glorioſum hunc Regem eo in diplomate, quod habetur in compilatione Constitutionum, & iuriũ Catalauniæ typis excusa Barcinone anno 1588. signatè asserere se hac in re prædecessorum suorum serenissimorum Principum Martini, Alphõſi, & Mariæ Regum vestigia premere.

Trophæa Arago. *Marin. Siculus.* *Constit. Catal.*

IX Pergit vero idem Auctor, & ab eo quotquot de hac re scripsere, vt validissimos immaculatæ Conceptionis propugnatores faciant egregium illud Regum par: quibus cuncti retro Reges impares fuerunt, Ferdinandum, & Elizabetham, quorum eximia merita gemino mundo coronasse, non contentus Deus, Catholicorum etiam nominis prærogatiua per Pontificem Maximum cumulauit, cœlesti hoc munere veluti hæreditario titulo iam inde Hispanos Reges adoptante sibi Numine, futuræque fœlicitatis pignora à pietate, & studio in Deiparæ immunitatem catholicis auspicijs sanciente. Nimirum cum vtraque hæc Regum gemma, siue duplicatus Hispaniæ Sol firmiter statuissent, tum offusas Iberis oris tenebras, quas è Mahometanis paludibus Africanæ Lunæ in eas euaporauerant, suis pœnè cœlestibus radijs funditus dissipare: tum etiam Americę vastissimę totius orbis portioni, incertæ Numinis cæca sub nocte per auia exerranti tutam in sydera viam ostendere, eam sibi tutissimam viam inuenere, vt Immaculatæ Mariæ Conceptioni fidos asseclas, & cultores sese deuo-

verent:

uerent: Vndè illud in primis votum ſolenniter emiſerũt, ſe ſi vrbem Granatam, quàm vt cultiſsimo Regnorum ſuorum ruri tandem adiungerent, arcta obſidione cinxerant, in ſuam ditionem reciperent, ampliſsimum in ea vrbe templum in puriſsimæ Conceptionis Deiparæ honorẽ fore erecturos. Et verò, vt optimi Reges voti cõpotes fœliciter facti ſunt, ita pia ab ipſis facta promiſsio quam citiſsime fuit executioni mãdata, ſed & inſuper ſecundis his auſpicijs Chriſtophorus Columbus Oceani clauſtris reſeratis nouum orbem Catholicorum Regum ditioni adijciens, duas quas primum eorum armis, & auctoritate occupauit inſulas, ſignatè de Saluatoris, & de Immaculatæ Cõceptionis nomine appellauit, vt omnibus planum faceret, Mariam Bellipotentem Regibus ſuis pro ipſius immunitate puguantibus militaſſe, & alterum orbem diuitijs plenum in eorum ſinũ recondiſſe.

X Quam altè verò hæc Catholicorum Regum erga Deiparæ immunitatem pietas ipſorum nepoti Carolo Regi noſtro Imperatori Maximo ſemper Auguſto, ſemper victori, ac Triumphatori inſederit, ſatis oſtendit imperiale ipſius reſcriptum, quo denuo firmauit, & ſtabiliuit Regiam confraternitatem ſub Aduocatione Immaculatæ Conceptionis, quam ijdemmet Catholici Reges iam dudum erexerant: de quo vide Patrem Ojeda, cap. 5. reſcriptum id ſingillatim, & pœnè ad verbum referentẽ, & elucidantem: nos enim contenti erimus ſi priora tantum illius verba delibauerimus, vt ex illis appareat pietatem illius Auguſti, cum rebus in bello ab eo præclarè geſtis de gloriæ magnitudine certare, immò & palmam ferre, quippè quæ intra Regium animum non contenta conſiſtere ſuis ſe populis inſtillabat, vt illi ad Regis exemplum ſeſe componerent. Hoc ergo imperialis diplomatis procemium eſt.

Don Carlos por la gracia de Dios, Rey de Romanos, Emperador ſiẽpre Auguſto, Doña Iuana ſu Madre, y el meſmo don Carlos por la meſma gracia, Reyes de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias. A todos los Corregidores, Aſsiſtentes, Gouernadores, &c. Salud è gracia ſepades, q̃ en la nueſtra Corte, eſta fecha è ordenada vna cofradia, è vocacion de la Santa Concepcion de la Virgen Maria nueſtra Señora Madre de Dios, que ſe inſtituyò, è fundo en tiempo de los Catholicos Reyes nueſtros ſeñores Padres, è Abuelos, que ſanta gloria ayã, è nueſtro muy Santo Padre Adriano Sexto de felice recordacion por la noticia que tuuo en el tiempo que en eſtos Reynos reſidiò de la dicha cofradia, è hoſpital della, è los bienes, è obras pias, que en ella ſe hazian continuamẽte concedio vna ſu Bulla generalmente para todos los cofrades, y cofradas, que ſon, è fueren. Et cætera, quibus inuictiſsimus Imperator, rerum fortiter geſtarum magnitudine toto orbe celeberrimus, quaſi huic vni curæ colendæ immunitatis Deiparæ vacaret pro regiâ hâc Confratria leges, & ſanctiones peculiari pietate diſponit, quas vide ibi: vt ego addiderim: omnes iam à Carolo Hiſpaniæ Reges, non minus ardentis huius in MARIAM immaculatè cõceptæ ſtudij, quam florentiſsimæ Regnorum ſuorum fortunæ legitimos hæredes exiſtere, vt in ſeqq. adnotat. planum fiet. Sed prius ad Ioannem I. Aragoniæ Regem, qui vnus ex eorum proauis fuit: ſtylum conuertere fuerit operæpretium, vt ſuo ordine Regum ſeries decurrat.

* *
*

Ioannis I. Aragoniæ Regis pro immunitate Deiparæ sapiens, & pia constitutio.

ADNOTATIO II.

I QVamuis hodierna tempestate omnium fere manibus teratur Regium inclyti Ioannis primi Aragoniæ Regis de Immaculatâ Conceptione B. MARIÆ animo verbo, & scriptis tenendâ priuilegium, præsertim postquam illud pulcherrimis obseruationibus elucidauit P. Ioannes de Pineda summæ eruditionis auctor, & egregius sacrorum librorum interpres; at enim vero tũ quod regium hoc diploma intra nostros tantum fines conclusum exteras forsan terrarum oras non peruaserit, tùm etiam nè quidquam de MARIÆ immunitate illustre prætermittamus, minimè grauabimur, elegantissimam Regis orationẽ pietatem, sapientiam, & miram eruditionem spirantem omnibus omninò nationibus legendam, & laudandam dare: sic ergo Rex statuit.

Nos Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, &c. Quid mirantur religiosi quidam (nè dicamus, quamquam verius, curiosi, superstitiosique homines) singularem Virginem Matrem Dei benedictã MARIAM fuisse conceptam, sine originali peccato: Dum Ioannem Baptistam materno in vtero sanctificatum ab illo Sancto Sanctorum (qui à summo cœlo, & throno æternæ, ac individuæ Trinitatis egrediens sese in eiusdem Virginis alma viscera clausit, ineffabili mysterio factus homo) non dubitant? Quid quasumus Pater omnium, & Creator cœli, & terræ dignum honore diuino in principio sui operis, cum naturæ humanæ secreta conderet, reseruauerit in Matre? Quæ ante partum, & in partu, & post partum Virgo inuiolata permansit. Nonnè igitur, qui de nihilo cuncta fecit, propriæ Genitrici, & Virgini semper in Conceptione, in Natiuitate, in vita, in moribus, & demum in omnibus custodiuit singularia, & perfecta priuilegia sanctitatis? Quid rursum de tantæ Virginis gloriosa Conceptione ambigitur, de quâ nisi magnalia, & mirabilia magna Fides Catholica certitudo miranda non recipit? Nonne singulis in Christo credentibus longè præstantior admirandi materia quoque fuit Creatura Creatorem producere? Et Virgo sine tactu pudoris effici MATER DEI? Quid inquam humanæ mentes ad laudes ipsius Virginis gloriosæ sufficiunt, quam Diuina Maiestas disposuit illibata gaudia MATRIS habentem cum Virginitatis honore ab inferis, & supernis Sanctorum exercitibus in æternum velut eorum Dominam, & Reginam attolli? Defuit ergo tam excellentissimæ VIRGINI in Conceptu almifici sui corporis aliquid puritatis, vel gratiæ ob prætensum originale peccatum? Quam missus ad eam cœlestis nuncius, pacis Angelus salutando, Aue MARIA gratia plena DOMINVS tecum benedicta tu in mulieribus, prædicauit? Quippe taceant vociferatores inutiles, disputatores stolidi erubescant de tam præclarâ immaculatâ, & pura CONCEPTIONE VIRGINIS violenta producere argumenta. Decuit enim, vt eâ puritate niteret, quâ sub Deo nequit

maior intelligi. Decuit, & profectò perfectam, & perfectissimam, purissimam, & decoram semper extitisse, & esse in omnibus, quæ omnium genuit Conditorem, & Patrem. Quæque abinitio, & ante sæcula decreto æterno in consilio diuinæ Maiestatis electa fuit, & præelecta gestare, quem totus, nec ipsa immensa magnitudo cœlorum capere non sufficit. Et nos qui licet immeriti, dona tanta, & beneficia gratiarum ab ipsâ Matre misericordiæ inter cæteros mundi Catholicos Reges suscepimus, firmiter credimus, & tenemus, quod præfatæ huius sanctissimæ Virginis sancta fuit penitus, & electa Conceptio: in cuius tabernaculo Vnigenitus Dei Filius habitare dignatus est, & benignus sumere quoque corporis nostri formam. Huius itaque Beatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis colimus puro corde mysterium, & eius festiuitatem solennem, quam Regia domus nostra quolibet anno deuotâ exultatione concelebrat, & perinde perpetuam nostri prædecessores illustres memoriæ recolendæ, & nos vtique dedicauimus confratriâ. Disponimus, & iubemus per omnia regna nostra, & terras annuatim, cum reuerentia maxima celebrari perpetuò ab vniuersis, & singulis fidelibus orthodoxis, tam Religiosis, ac Clericis, quam laicis, infimis, atque medijs, & supremis. Nec à modo liceat, immò fortiter prohibemus quibuslibet Euangelizantibus, siue prædicantibus Verbum Dei quidquam exponere, vel proferre in aliquam puritatis ipsius benedictæ Conceptionis iacturam. Sed potius dicti prædicatores, & qui aliud voluerunt sentire, aut voluerint, strictè digitum ori suo apponant. Cum nulla id exigat fidei orthodoxæ necessitas confiteri. Cæteri verò sanctâ huiusmodi, & salubrem nostram opinionem habentes illam in corde, in ore, & sermonibus suis magnopere vereantur, & publicent, colant, & celebrent, magnificent, & extollant ad laudem Altissimi, & honorem, & gloriam Matris eius, Reginæ cœlestis, portæ paradisi, animarum custodiæ, salutis portus, & anchoræ firmæ spei omnium in se sperantium peccatorum. Perenniter huius serie statuentes expressè, quod si fortè de cætero aliqui Prædicatores, vel cæteri cuiusque fuerint conditionis, vel sexus in nostro Dominio, non seruauerint ordinationem huiusmodi, nullo alio præcedente edicto nostro clausira, domosque suas prorsus deserant, & quamdiù in contraria opinione in confessione permanserint, fiant tãquam inimici nostri extra omnes terminos Regiæ nostræ ditionis. Mandantes insuper, & certa scientia, & consultè sub iræ nostræ, & indignationis incursu vniuersis, & singulis officialibus nostris tam citra, quã vltra mare constitutis præsentibus, & futuris, quatenus huiusmodi nostræ ordinationis edictum seruantes perpetuò, & facientes cum magnâ diligentiâ, & reuerentiâ custodiri, mox illud cum ad aures eorum peruenerit, faciat vnusquisque ipsorum in districtibus suis per omnia loca solita valde solenniter tubis clangentibus publicari, nè quis inde queat ignorantiam vllo modo prætendere: atque deuotius Christiani deuoti deuotionem iam dudum conceptam in cordibus suis de tam sacratissimæ VIRGINIS gloriosâ Conceptione adaugeant. Et à modo nostris in populis semper huiusmodi os iniqua loquentium obstruatur. In cuius rei testimonium præsentem fieri iussimus nostro pendenti sigillo munitam. Datum Valentiæ secunda die Februarij, in qua festum Purificationis huius sanctissimæ VIRGINIS celebramus, Anno à Natiuitate Domini M. CCC. XCIV. Regnique nostri VIII.

II Elucidauit quidem regium hoc edictum P. Ioannes de Pineda, adeò accuratè, & erudite viginti, & vnâ aduertentijs, siue obseruationibus in illud excogitatis, vt sicut illis nihil omninò demi, ita vix aliquid addi possit: sed tamen non nihil, vel ab ipso Auctore mutuo acceptum placet adiungere, quod cum vsuris, & cuncto censu persoluamus: & quidem opportunè in primis obuiam ibimus sparso, nescio à quibus, rumori, inclyti, & pientissimi Regis nitorem obscuranti, dum ipsum schismatis, & irreligionis arguunt, atquè huic culpæ immaturam, & infœlicem huius Principis mortem tribuunt, quippe ille venationi intentus, & lupam enormis magnitudinis insecutus, malo fato equo excidens excessit è vitâ. Quâ quidẽ de re copiosè, & eleganter disserit Pineda Aduertentia 2. grauiter primum euincens atrociter iri deceptum, qui historiarum ignarus personas, & successus interuertẽs Regẽ Ioannem schismatis, à quo ipse fuit alienissimus criminaretur; in quam ego rem non dubitauerim vsurpare illum Bernardi sensum epist. 170. *Si totus orbis aduersum me coniuraret, vt quidpiam molirer aduersus regiam maiestatem: ego tamen Deum timerẽ & ordinatum ab eo Regem temere offendere non auderem.* Nullus quippè Scriptor, siue Aragoniæ gentis, siue nostræ, aut exterorum hanc ei notã inusit, immò nec vllum de eà re verbum aliquis eorũ scripsit, vt nec diuinando assequi possimus, è quo foco fumus is fuerit sparsus: nisi fortè, quod ante centũ annos Petrus III. cognomento magnus a Põtificibus, Galliæ Regibus tunc fauentibus ob Siciliæ Regnũ, quod iuri ipse suo obnixus alijs regnis adiungere, intendebat, fuerit excommunicatus, aut quod Petrus IV. nostri Regis Ioannis pater ob adẽpta Ecclesiæ Tarraconẽsi bona, ab eius procuratoribus ad diuinum Tribunal vocatus intra præscriptos citationis dies mortuus fuerit: Sed quid inde Ioanni crimini, aut vitio fuerit? reclamante oraculo. *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezech. 18. vers. 20. Ezec. 18 vers. 20.

Bernar.

A

Sed & deinde optimè adstruit Pineda immaniter erraturos, qui immaturã Regis mortẽ diuinæ vindictæ ob crimina vellet tribuere: nam cum *iudicia Domini* inscrutabilia, *& abyssus multa sint*, Psal. 35. vers. 7. monente Paulo: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* ad Roman. 11. versic. 34. pluribus quidẽ Regibus Deo dilectis non absimilis vitæ exitus fuit: ipsos ibi bonis fideiussoribus datis ipse enumerat, inter quos ille quidem eiusdem temporis, & nominis Rex noster Ioannes I. Castellæ eminet.

B

Iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui,
Deo aliter visum.

C

Compluti siquidem à lapsu equi inter suorum manus expirauit: Quibus addideris illum Regum florem (licet immaturum) Iosiam Regẽ Iuda, quo nullus inter Reges melior, & Deo charior fuit: *cuius memoria in compositione odoris facta opus pigmentarij*, Ecclesiastici 49. vers. 1. & tamen in ipsomet ætatis flore à sagittario in bello confixus nunquam satis cõploratâ morte cecidit, quod si aliquis dolenter siue inscius, de eo illud vsurparet.

D

Nec te tua plurima Panthe
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Occurrit Sapiens signatissimis illis verbis, quæ de Rege Iosiâ prophetice dicta fuisse affirmant nonnulli. *Rapus est, nè malitia mutaret intellectum eius, aut nè fictio deciperet animam illius*, Sapientiæ 4. versic. 11. quibus immaturum è vita discessum peculiari Numinis beneficio assignat,

E

III

signat, quod planè Ioanni Regi ob eximiam in Deiparam pietatem, & ardens honoris eius studium euenisse credendum est. Quis enim ambigat MARIAM Regi de ipsa optimè merito in summo illo vitæ æternæ discrimine auxiliarem manum præbuisse: Nimirum, quæ mortalium omnium Aduocata est, eos quidem, qui sibi impensius sunt addicti, benignioribus respicit oculis, & hora mortis suscipit. Certè inclytum Principem Ioannem characterem MARIÆ fuisse infignitum nemo ambiget, cum ipse immunitatis eius causam tanto ardore susceperit: Et verò de ijs qui MARIÆ characterem habent, sic absolutè pronunciat Bonauentura in Psalterio. *Qui habuerit characterem MARIAE, annumerabitur in libro vitæ*, de quo nos fusius agimus in libro *de MARIA forma Dei*: Vndè non immerito de eius salute benè sperandum est: quemadmodum Opus aureum Regiorum Priuilegiorum Aragoniæ de ipso adeò benè sperat, vt appellet Regem Christianissimum, eiusque mortem fœlicissimum in vitam æternam transitum fuisse dicat.

Opus aureum.

IV Et quoniam huc euasimus, non omittemus obseruare cum eodem P. Pineda commune cum Rege Aragoniæ discrimen subijsse venerabilem M. F. Vincentium Iustinianum Antist, Dominicanum eiusdem Regis è Valentina vrbe subditum, & parem immunitatis Deiparæ zelatorem, quem etsi illustres sui ordinis Scriptores, vt virum eximiæ sanctitatis egregiæque doctrinæ laudant, vt apud Antonũ de Sena in Bibliotheca Dominicana pag. 267. & Franciſc. Diago lib. 2. cap. 85. videre est, apud nonnullos tamen non tam benè audit, qui eius doctrinam, aut denigrant, aut in dubium vocant, sed quid ipse admisit? Cuius ve culpę argui possit? Nullam quidem nobis, aut scire, aut suspicari licuit, nisi vehemens ardor tuẽdæ opinionis, quę Mariam immaculatè conceptam affirmat, vitio aut fraudi (quod nos omnino negamus) alicui esse possit. Vt hinc tam ea, quæ hoc de veneranda viro, quam quæ de pientissimo Aragoniæ Rege dicuntur, non longius ne videantur abijs, quæ Tertullianus *Apologetico aduersus gentes*, cap. 3. Æthnicos de Christianæ disciplinæ sectatoribus solitos fuisse dicere affirmat: quippe illi eosmet quos moribus probatissimis præditos nouerant, a Christiana tamẽ disciplina non bonos iudicabant, hãc querimoniam ita adornante Tertulliano: *Quid? quod ita plerũque clausis oculis in odium eius* (Christianæ Religionis) *impingunt, vt bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem: Bonus vir Caius Seius, sed malus tantum, quod Christianus. Item alius. Ego miror Lucium, sapientem virum, repentè factũ Christianum. Nemo retractat: nè ideò bonus Caius, & prudens Lucius, quia Christianus, aut ideò Christianus, quia prudens, & bonus. Laudat, quæ sciunt, vituperat quæ ignorant, & id quod sciunt eo, quod ignorant, corrũpunt*: Ita ille pulchrè, vt nos retractare moneamur: ideò Ioannem bonum Regem, & P. Vincentium Iustinianum dicendos, quod purissimæ Conceptionis Deiparæ studiosi fuerint, atque ideò purissimæ Conceptionis studiosos fuisse, quod boni, & sapienter fuerint.

Tertull.

V Iam verò vt ad Regiũ edictũ accedamus: laudãdus quidẽ in primis & merito in cælũ efferẽdus videtur Regis zelus in Deiparæ immunitarẽ effusissimus, vt propter ipsũ omnes in Regẽ Ioannẽ laudes meritò cõgerẽdæ fuerint, & ipse æterna prędicatione, & gloria celebrandus: at enim vero cum sapienter dictum sit ab Ambrosio octonario 17. in Psalmo 118. *Aduertimus, quod*

Ambr.

mensura quædam, & disciplina sit zeli, sicut disciplina virtutis: & ideò beatus, qui zeli nouerit disciplinam: nollem quidem bonum, & sapientẽ Principem pio isto zelo adeò vehementer commotum, siue abreptum fuisse, vt quos edicto suo corrigere curabat, ardentioribus verbis incenderet, appellans illos, *curiosos, superstitiosos, vociferatores inutiles, argumentatores stolidos*: subijciens *eorum os loquentium iniqua*, & argumenta ipsorum *violenta*. Alia enim Principem, ac priuatos, etiam in reprehendendo verba decent. Benè Seneca lib. 1. *de clementia*, cap. 7. *Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morẽ iræ suæ nõ gerere, liberius est, leues inter pariet us sunt. Regi vociferatio quoque verborumque intemperantia non ex maiestate est*. Pulchrè etiam Claudianus in Manl. de suo Principe dixit:

Seruat inoffensam diuina modestia vocem.

Itidemque.

Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam.
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

Nimirũ Princeps, qui studiosus Dei imitator esse debet, à blando & suaui sermone dignoscendus est: vti Christum Dei Filium inde signatè deprehendebat Tertullianus, quod suis concionibus à benedictionibus initium fecerit: ita enim ille libr. 2. *contr. Marcionem*, cap. 13. *Hoc ipsum, quòd à benedictionibus cœpit, creatoris est, qui vniuersa prout edidit nullã aliâ voce, quam benedictionibus dedicauit*. Eructauit *enim inquit* cor meum sermonem optimũ. *Hic erit sermo optimus: benedictionibus scilicet: qui & noui quoque testamenti initiator agnoscitur de veteri exemplo*. Qua planè ratione scitè irrisit S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 6. Æthnicos Iouem Deũ suum importunè in taurum transformantes, quod vt id animal alias humanis vsibus aptum videretur, mugitus tamen eius regio, ac diuino ori minime conuenirent: *Pudet dicere* (inquit Cyrillus) *illius in bouem transformationes: sunt enim mugitus indigni Deo*. Nec mihi quidẽ, ò Rex, obieceris eos, in quos edictum fulminabas, mugitibus dignos fuisse: occurram enim tibi exemplo Michaelis apud Thaddæum vers. 9. *Qui cũ Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ. Sed dixit, imperet tibi Deus*: Sapienter ad ea verba adnotante Hieronymo in cap. 3. epistol. ad Titum vt in superioribus vidimus. *Merebatur diabolus maledictum, sed per Archangeli os maledictum exire non debuit*: vt enim ij aduersus piam opinionem *vociferatores* mererentur mugitus, siue male dicta, sed per os Regis mugitus, aut maledictum exire non debuit.

Seneca.

Tertull.

S. Cyrill. Hyeroso.

Hieron.

EIVSDEM ARGVMENTI.

Regis Ioannis edictum aduersus importunos illos litigatores plusplus expenditur.

ADNOTATIO III.

ILLVD quidem accuratiori disquisitione in hoc Regio edicto dignum videtur: Iure nè? an iniuria Rex Aragoniæ de ijs, quę ad Dei cultum, & Ecclesiastica instituta pertinent, legem tulerit; itidemque pœnas in trãsgressores statuerit: cum vtrumque perinde esse videatur, ac in alienam messem falcem mittere? Porrò Ambrosius (vt

I

ipse-

ipſemet affirmat lib.2. epiſt. 24. ad Marcellinam ſororem) Valentinianum Imperatorem ſic ſeriò monebat. *Noli te grauare Imperator, vt putes, te in eâ, quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare: eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt.* Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* Quod planè nec ipſummet Gallionem Achaiæ Præſidem latuit, cuius tribunali, cum Paulus, & Soſthenes à Iudęis comprehenſi ſiſterẽtur, vt de Chriſtianâ religione redderent rationem, Gentilis Præſes accuſatoribus ſic abſolutè reſpondit. *Siquidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſsimum: O viri Iudæi! Rectè vos ſuſtinerem: ſi vero quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtrâ: vos ipſi videritis: iudex ego horum eſſe nolo:* Actuum 18. verſic. 14. Enim verò ſcitè dictum eſt à Petro Cellenſi lib. *de panibus*, cap. 13. *De caſtris virtutum eijcitur virtus, quæ præter ordinẽ euagatur: perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem.* Quî ergo ſæcularis Princeps ordinem ſuum egreſſus, in ea, quæ diuina ſunt, regium aliquod ius ſe habere præſumpſit? vt & circa cultum Eccleſiaſticum de Deiparæ immunitate leges tulerit, & in eos, qui ab eo deſciuerint pœnas ſtatuerit.

II Occurrit tamen his ſolidè, & ſapienter P. Pineda *aduertentia vigeſima prima*, monens Regem in eo edicto minimè præter ordinem euagaſſe circa quæſtiones de verbo, & nominibus, & lege, quaſi ad ipſum Eccleſiæ, ſicut palatia, & mœnia pertinerent, ſed potius regiam auctoritatem ordinationi Eccleſiæ, quæ Feſtum Conceptionis ſolenniter celebrabat, famulam feciſſe, eo modo, quo de Chriſtianis Principibus dicebat Auguſtinus lib. 5. *de Ciuitate Dei*, cap. 24. *Fœlices eos dicimus, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt*, vt videlicet, quod de cultu immunitatis Deiparæ Eccleſia faciendum volebat: Rex ſtrenuè executioni mandandum curaret: quemadmodum Eccleſiæ viribus ſuis aliquando deſtitutæ, ſolenne eſt, ſæculare brachium, ſiue Regium auxilium implorare etiam in ijs, quæ ad Catholicam fidem cõſtabiliendam ſpectant. Equidem cum in Concilio Epheſino impius ille Neſtorius fuiſſet damnatus, ſancta illa Synodus ad Chriſtianiſsimum Imperatorem Theodoſium eas litteras miſit, in quibus non modo de rebus in Concilio geſtis certiorem reddit ſed etiam eum deprecatur, vt Imperiali Conſtitutione Neſtorij doctrinam ſubmoueri, & eius ſcripta concremari ſtatuat. Audi Concilium. *Veſtram autem maieſtatem iterum, atque iterum rogatam cupimus, vt vniuerſam illam doctrinam à ſanctis Eccleſijs ſubmoueri, eiuſdęque libros vbique locorum repertos iubeat flammis abſumi. Quod ſi quis veſtras ſanctiones ſpreuiſſe compertus fuerit, ille veſtræ dominationis indignationem non abſque formidine ſentiat. Hâc enim ratione fiet, vt Catholica fides per veſtram pietatem munita perſiſtat illæſa:* Ita Concil. Epheſinum: Hac ergo mente Ioannes Rex, inſtitutum ab Eccleſia, ſeruatumque Conceptionis feſtum minime violandum fore, nec ſubditorum ſuorum pietatem in Deiparæ immunitatem minuendam fore ex Pinedæ opinione videtur decreuiſſe.

Subdit aliam rationem idem P. III Pineda, nè videatur Rex præſcriptos ſibi terminos egreſſum fuiſſe, quod ad regiam gubernationem maximè pertineat publicæ paci, & mutuæ ciuium concordiæ inuigilare, & diſcordiarum, & perturbationum popularium cauſſas, immò & fibras amputare:

Ambr. *Matth. 21.* *Actuũ 18. v. 14* *Pet. Cel.* *Pineda.* *Auguſ.* *Concil. Epheſ.*

putare: eaque de cauſſâ cum ille videret populi contentiones ſcandala, & rixas; atque inde maiora mala ſeditionum, & tumultuum ciuilium merito timere poſſet, ſeueris illis pœnis maiorem Eccleſiaſticæ ordinationi firmitatẽ, & robur addere voluiſſe, vt illis contentioſos homines deterreret: cui ratiocinationi omnino applaudit monitum Auguſto Imperatori à Mecœnate datum apud Dionem lib. 52. *Optimum, ambitioſa certamina ſemper excidere, atque adeò nec nomina noua, aut aliquid ex quo oriri diſſidia poſſint, permittere*: & quidem rectè, cum illud proprium Regis munus à Salomone eſſe dicatur, ſubiectum ſibi populum mutuis charitatis officijs colligatũ retinere. Rex ſapiens (inquit Sapiẽtię 6. ver. 26.) ſtabilimentum populi eſt: vbi Græcis vocibus peculiaris ſubeſt epitaſis: nam *cuſtathia*, pro quanoſter poſuit *ſtabilimentum*, propriè ſignificat bonam conſtitutionem, ſiue bonam habitudinem corporis, à quâ eius conſtantia, & firmitas eius ſubſiſtit: vt Regi ſapienti tribuatur, quòd vnus ipſe bona totius populi habitudo ſit, vbi notanter etiam pro *populi*, Græcè eſt vox *dimu*, quæ ſignificat cætum, ſiue multitudinem in vnum colligatum, & in mutuam concordiam redactum, vt vel hâc voce ſimplici ſignificetur, quo potiſsimùm eat Regis munus; nempè, vt multitudinem hominum, quos inter ſe colligare, quam difficile eſt, vnitam & colligatam mutuis charitatis officijs inter ſe habeat, ad eum planè modum, quo Actuum 4. verſ. 32. dicitur. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.*

Quod ſi hæc Actuum verba penitius inſpexeris, ab illis diſces, eâ potiſsimum ratione quâ dicebat Mecœnas, ſapientem Regem colligatã inter ſe hominum multitudinem habiturum, ſi ambitioſa certamina in illis exciderit, nec nomina noua, aut aliquid ex quo oriri poſsint diſſidia permitteret: itidemque Ioannem Regem contentioſos illos litigatores pœnis edicto ſuo additis deterrere voluiſſe. Nimirum pro illis verbis: *Cor vnum, & anima vna*, Græca, & Syriaca lectio reponunt. *Erat autem cætus hominum illorum qui crediderant anima vna, & vna mens*, & eodem modo Cyprianus lib. 3. *Teſtimonium* legit, *mente vnâ agebat*: mentium ſiue ſententiarum conſenſionem cum animorum vnitate coniungente Lucâ. Certè Paulus mutuæ charitatis fidelium cupidiſsimus ſic ad eam ipſos adhortari ſolebat, vt vnitatis ſenſuum, & ſententiarum ſimul cõminiſceretur. Vnde tum ad Philippenſes cap. 2. verſ. 2. dicebat: *Impletegaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes: vnanimes id ipſum ſentientes*: vbi ex Græcis vocibus propriè legeris, *ijſdem ſententijs vniti*, quaſi idem ſenſus, eademque ſententia, vnio, nexuſque ſit quo inter ſe animi copulantur. Nam aliter (vt hùc intentus inquit Nazarius in panegyrico ad Conſtantinum) *profecto nulla vi poſſunt coire, quæ naturali diuortio diſſident, nec vllatam fidelis eſt copula quæ in diuerſum tendentia nexu ſuo teneat*, tum etiam eodem ductu fideles à contentionibus, & diſceptationibus, non ſecus atque à pacis veneno, & à digladiationibus, & cædibus ſæpius abſterrebat, vt cũ ad Titum cap. 3. verſ. 9. ait: *Stultas autem quæſtiones, & contentiones, & genealogias, & pugnas legis deuita*: vbi Syriacus legit: *A ſtultis quæſtionibus, & fabulis genealogiarum, & à contentionibus, & digladiationibus recede*, & ad Timotheum epiſtol. 1. cap. 6. verſ. 4. *Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ.*

Dion. Caſsius.

Sapi. 6. verſ. 26. Græc. lection.

Actuũ verſ. 32.

IV

A

B

C

D

E

Græca lectio. Cypria.

Philipp. verſ. 2.

Græca lectio.

Nazar.

Ad Titum 3. verſ. 3. Lect. Syriac.

1. Timo. 6. verſ. 4

Ecce

V Ecce tibi consultissimam prouidentiam Ioannis Regis, qui vt stabilimentum populi esset, in cõtentionum, & digladiationum causas terrorem pœnarum in edicto suo ordinationi Ecclesiasticæ addidit: quẽadmodum in delictis ad forum Ecclesiæ pertinentibus, sæculares Principes facere consueuerunt, vt in periuriorum, vsurarum, incestuum punitione constat: signate verò matrimonijs clandestinis nostrates Reges peculiares pœnas assignarunt, vt videris *in l. vlt. titul. 3. part. 4. & in l. 42. Tauri*: sapienter & pie Rege Alphonso ibi adnotante potestatem suam ordinationi Ecclesiæ famulam seu ministram facere illis verbis. *Por que auemos voluntad, que lo que la Santa Yglesia ordena, sea guardado:* vbi bene obseruatum est a P. Pineda Regem Ioannem ipsasmet, quas transgressoribus edicti sui imposuit pœnas, non nisi comiter, & vrbane executioni fore mandandas præcepisse, dum suos ab illâ magistratus submouit, nec alijs, quam ipsismet quibus infligebantur exequendas commisit illis verbis: *Domos suas, & claustra deserant*, & his: *Fiant tã quam inimici nostri extra omnes terminos, &c.* Quæ mihi non aliter tinniunt, quam illa apud Hermam lib. 3. *Aut legibus vtere meis, aut recede de ciuitate mea.*

l. vlt. tit. 3. par. 4 l. 42. Tauri.

Hermas

VI Fuerint hæc omnia pro pientissimi Regis defensione dicta. Iam verò si penes me hâc in re aliquid arbitrij est, absolutissimè dixerim: Constitutionem hanc, & Sanctum Regis Ioannis pro Deiparæ immunitate mihi maximè probari: eam verò pœnarum in eius transgressores impositionem, sicut & prefatam ardentiũ verborum acerbitatem vehementer displicere, vel ea quidem ratione, quod bona opinionis pię causa, in eo signate inter alia opinioni minus piæ excellat (vt lib. 3. vidimus) quod pacatissimo animo à suis propugnatoribus agatur, nec minis, aut verbis asperis indigeat: benè siquidem dicebat à nobis ibi adductus Ioannes Maxentius dialogo 1. *Solent iniuriæ illis præstare suffragium, quibus studium est, non de veritate, sed de propriâ gloriâ victoria, in his autem qui totâ intentione cupiunt de conceptâ veritate gaudere, locum hæc penitus non habent.* Quid? quod pœnæ istæ etiam commeritæ; & iusiẽ cãdidissimum piæ opinionis nitorem, eiusque spiritum a Deipara (vt inibi dicebamus) ebibitum tantisper obscurare, sine denigrare videntur, vt hinc quodammodo locum habeat, quod Augustinus epist. 159. Marcellinum tribunum monebat, nè acrius puniret quosdam hæreticos Donatistas, qui duos Sacerdotes Catholicos crudeliter necauerant, quod ea in occasione lenitas, siue pœnarum moderatio è re boni nominis Ecclesiæ esset: cum enim præmisisset Augustinus: *Vndè mihi sollicitudo maxima incussa est, nè fortè sublimitas tua censeat, eos tantâ legum seueritate plectendos, vt qualia fecerũt talia patiantur*, subijcit. *Hoc Ecclesiæ Catholicæ, aut vt modum dispensationis meæ non supergredi videar, hoc Ecclesiæ ad Hypponensium regionum diœcesim pertinenti prodesse, hoc expedire contestor, nè passiones Catholicorum seruorum Dei, quæ infirmis ad ædificationem spiritualem vtiles esse debent, reciprocâ inimicorum, à quibus passi sunt, pœna decoloretis:* Ita Augustinus, nostro instituto nõ omnino, sed ex parte aptanda. Habeant ergo sibi suas vociferationes illi contentiosi litigatores (ò Rex) habeant sibi sua dicteria Bandellus, & Caietanus: *Nec qualia fecerunt, talia patiantur*, nè pulcherrimus cãdor opinionis piæ acriori vindicta decoloretur.

Ioannes Maxentius.

Augus.

VII Quid ergo (inquis) omninò abibunt impunes? Abeant quidem: cũ sat sit ad pœnam; extra regiam amicitiam

citiam(vt inquit Rex)poni,vt videlicet,non a pœna,ſed à gratia à cultoribus immunitatis Deiparæ diſcriminentur: ergo opportunius fuiſſe videtur,ſi verbis leniſsimis,ſeriò tamen,Aragoniæ Rex aſſertores illos opinionis minus piæ pietatis in Mariam immaculatè conceptã,admonuiſſet,itidemque obteſtaretur:ipſum Amicorum loco deinceps cum non habiturum,qui in alteram partem abiret;ac proinde, vt illi nihil negaturum ex ijs, quæ ad iuſtitiam commutatiuam pertinent; ita gratuita dona,& regia beneficia minime largiturum. Quod planè conſilium omninò probauit Chriſtianiſsimus Francorum Rex Carolus VI. eiuſdem temporis cum Ioanne Aragoniæ,tribus nõ amplius annis poſt eius edictum. Nam cum ipſe in Dominicanam familiam ex animo, & affectu pronus eſſet, pronior verò, & obſequentior in Deiparæ immunitatem,Guillielmum Balonem Epiſcopum Ebreicenſem Dominicanum, ſimulque omnes omninò eiuſdem ordinis alumnos piæ opinioni infenſos à Regijs Cõfeſsionibus ſubmouit,donec Mariæ immunitati faſces ſubmitterent:rem totam ſic ſcribente Henrico Spondano in ſuis Annalibus ad annum 1397.num.7. *Inter alios,qui palinodiam canere cõpulſi ſunt,fuit Guillielmus de Valone ex eodem ordine Epiſcopus Ebreicenſis Regis Confeſſarius,qui & propterea tanquam infamis pulſus eſt. Statuitque Rex nunquam deinceps ex eo ordine Confeſſarium eligere.* Sic Spõdanus. Quod ſanè Caroli conſilium in eo maximè excellit Regis Aragoniæ ardori,quod ſi quis è aſſeclis opinionis minus piæ ea de re cõquereretur,reſponſio Regi è diuino oraculo ad manum eſſet. *Amicenõ facio tibi iniuriam: tolle quod tuum eſt,& vade: An oculus tuus nequã eſt,quia ego bonus ſum?*

Philippi III. Catholici Hiſpaniarum Regis egregia erga Deiparæ immunitatem pietas,& tenerrimus affectus.

ADNOTATIO IV.

IAM verò Philippus III. Catholicus Hiſpaniarum Rex, atauis editus Regibus Deiparæ immunitatem colẽtibus,ſingulari erga ipſam pietate cunctis excelluiſſe videtur:qui innumera,eaq; egregia ſucceſſoribus, imitanda; omnibusque mortalibus admiranda affectus ſui documenta reliquit:& illud in primis eximium,& ſingulare eſt, quod teſtis oculatus,iſque omni acceptione dignus P. Laurentius Aponte in lib.6.ſapient.ad cap.1.numer.4.digreſs.2.hunc in modum refert. *Cuius pietatis* (loquitur de Philippo III. Rege ac Domino noſtro) *præclarum apud Illuſtriſsimam D. Dominam Ioannam de Perneſtan Duciſſam de Villahermoſa extat teſtimonium,quod vidi, ſummaque inſpexi deuotione. A tergo enim Sanctiſsimæ Imaginis Cõceptionis à piiſsimo Rege illi præſtitæ, manu ipſius hæc reperiũtur obſignata verba.* Hæc eſt virga,in qua nec nodus originalis,nec cortex actualis culpæ fuit: Subdit Aponte,inclytum Regem non contentum hæc regia manu ſcripſiſſe,inſuper his ſubſcribere voluiſſe regio nomine ſic adſcripto *Philippus.S.* id eſt,vt Aponte interpretatur,*Philippus ſeruus*,ò ſeruum verè Regem! ò mentem cœlo receptam! ò manum fœlicem,non tam quod mundi ſceptro fuerit aſſueta, quã quod

Lauren. Aponte

Mariæ immaculatè conceptæ tantâ animi deuotione famulata fuerit, vt vel hâc ratione ſub ipſa orbis terrarum ſubditus conſtiterit, & tali Dominatore gloriatus ſit.

II Nec ſe cõtinuit intra proprij ſenſus, & affectus clauſtra ardens Philippi Regis in Mariam immaculatè conceptam affectus, quin ſeſe vſque quaque verſus explicaret, & cunctis mortalibus toto terrarum orbe diſterminatis manifeſtaretur: Nam primum omnes ſuæ ditionis, ſiue altioris Eccleſiæ gradu, ſiue litterarum ornamento illuſtres viros: itidemque cunctas tam Eccleſiaſticas, quam ſaculares communitates ſtudio ſuo incitauit, vel potius ardore ſuo incendit, vt à ſummo Eccleſiæ Catholicę Pontifice Diffinitionem myſterij immunitatis Deiparæ totâ animi affectione efflagitarẽt. Quâ de re duę, vel tres inter alias complures, pulcherrimæ extant Regiæ epiſtolæ: Altera data Matriti die 17. Maij anno 1617. *Ad omnes Prælatos, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula, Conſiſtoria, Vniuerſitates, Religiones, Ciuitates, & ad tota Caſtellæ, & Legionis Regna in Curia congregata*: in qua cum primum ſingulis, iuxta conuenientem cuique modum, & formulam, dixiſſet: *Iã diù benè noſtis, quãto ego ardore exoptem, vt Romanus Pontifex myſterium puriſsimæ Conceptionis diffiniat*: ſubijcit poſt nonnulla: *Et quamuis per litteras ſemel & iterum datas Sanctitatem ſuam certiorẽ reddiderim de vehementi deſiderio, quo Regna mea illud tam diffinitum videre cupiant, erit tamẽ operæ pretium ad permouendum Pontificum animum, vt ipſi omni viâ, atque ratione notum ſit, eſſe hoc commune Hiſpanæ gentis votum, quam obrem à vobis obnixius peto, vt Sanctitati ſuæ, quid vos, quid ſubditi itidem veſtri hâc de re ſentiant, planum facia tis: atque etiam obteſtemini, nihil his Regnis gratius, iucundiuſque futurum, quam audire Cœli Reginæ immaculatam Conceptionem ad Fidei dogmata pertinere, vt videlicet generalis hæc populorum acclamatio Põtificem ad maturandum diffinitionis negotium vrgeat*: Hæc ea in epiſtola Rex, quæ ſatis euincunt, quanto affectu eius animus erga Deiparæ immunitatem afficeretur. Eſt eiuſdem pietatis, & ardoris altera epiſtola plena, data Matriti ad Salmanticẽſem Academiam, die 18. Iulij anno 1618. In qua celebertimę illi Vniuerſitati à Rege Regioque cõſilio petẽti cõfirmationẽ Decreti in fauorem immunitatis Mariæ ſic reſpondet: *Cum his meis litteris, alias ſimul accipietis in approbationem, & confirmationem conſtituti à vobis Decreti, vt omnes qui in eâ Vniuerſitate gradum cuiuſcumque facultatis acceperint, prius iure iurando præſtito obteſtentur, ſe in poſterum defenſuros, Docturos, & prædicaturos, puram, & illibatam fuiſſe Conceptionem Dominæ noſtræ abſque vllâ originalis peccati maculâ conceptæ: Et verò, tam tam ob hanc tam apertam animi noſtri ſignificationem, quam ob ſtudioſum veſtri omnium affectum, omninò fore confido, vt negotium iſtud tantâ à vobis ſolennitate, & firmitudine perficiatur, quanta & rei magnitudo expoſcit, & tam ſapiens, & nobilis Schola pro ſuâ dexteritate omnia nouit opportunè diſponere*: Sic tunc Philippus: cum verò Academia Maieſtatem ſuam certum reddidit, ſe quæ circa Deiparæ immunitatem facturam promiſerat, iã fideliter executioni mandaſſe; ita ei denuo inclytus Rex, poſt decem non amplius dies à priori epiſtola data, reſcripſit vt appareat, quam ſedulam, & audentem in ijs, quæ ad Deiparæ immunitatem ſpectabãt, Philippus operam nauaret. *Magnopere gauiſus ſum, tùm quod tam plene, & dilucide docueritis tãquam rem omninò certam Beatiſsimam Virginem ab*

originali peccato fuisse immunem: tũ etiam quod vestram sententiam sanctitati suæ manifestam feceritis: Nam cum is sit tam grauis scholæ sensus, certo mihi persuadeo magnam habitu rum efficacitatem, vt hoc à Pontifice mysterium diffiniatur.

IV Nec tantæ pietatis officijs satur Rex duas ad Romanum Pontificem per magnæ auctoritatis viros, Reuerendiss. M. Fr. Placidum de Tosantos Benedictini Ordinis Generalé, Episcopumque Accitanum, & Illustris. Fr. Antonium de Trejo Carthaginensem Episcopum legationes instituit, vt cum Sanctitate suâ sapienter, serio, & magnâ instantiâ hâc de re coram agerent: tum epistolis ad Pontificem, & ad omnes simul Eminentiss. Cardinales, & subinde singillatim ad Card. Burghesium, & ad Gallum, ad Aracœli, semel atquè iterum, & sæpius datis, in quibus ardens sui desiderium, & Regnorũ suorum votũ manifestabat: tum etiam hunc aduocatis cunctis Principibus viris Regi in Italia famulantibus, Ducibus videlicet de Ossuna, & Alburquerque, & Comite de Oñate, vt simul cum Eminentiss. Card. de Borja precibus, & intercessoribus multiplicatis caussa Deiparæ apud Pontificem plusplus promoueretur.

V His pientissimus Princeps sermone, & scripto ea verba addidit cedro, & æternitate digna, quæ in ore omnium versantur: *Si necessarium omninò putarem, me Romæ adesse, & ad pedes Sanctissimi Patris nostri prouolui, vt pro Virginis originali iustitiâ extremam sententiam ferre, & caussam istam per Sancti Spiritus assistentiam diffinire, ac terminare vellet: quam primum fieri posset, alijs quibuscumque rebus posthabitis, & omnibus superatis difficultatibus Romam contenderem, & Sanctissimo Patri memet sisterem:* ò dignas cœlo voces! ò Regem studio, & pietate erga Sanctissimam Virginem cũctis retro Imperatoribus, & Principibus antecedentem! ò Philippum seruum Deiparæ vtilissimum pro eius gloriâ nulli labori, nulli incommodo parcentem! ò Philippum! dignum Philippo filio, qui tuæ pietatis erga Mariam immaculatè conceptam legata persolueret!

Philippus IV. Magnus Hispaniarum Rex: strenuissimus immunitatis Deiparæ assertor, & propugnator.

ADNOTATIO V.

QVod de Constantino Magno beneficentiam, & pietatem patris sui Constãtij Imperatoris imitante dixit eius Panegyristes, *Patris pietatem sic imitaris, ac sequeris, quasi legata Patris videaris exsoluere*, id planè de magno Rege Hispaniarum Philippo IV. Philippi parentis pietatem, & officia erga Mariam immaculatè cõceptam non tam imitante, quam exprimente, opportunè dixeris: nam si benè æstimas: non tam Philippus IV. à Philippo III. expressus, quam Philippus III. in Philippo nostro impressus est: Ipse enim cum claritudine gestorum gloriæ fastos impleuerit, per mirum erga Deiparæ immunitatem obsequium, & affectum, tũ nomen suum, tùm sæculum ipsum asseruit æternitati: dum inter molestissimas bellorum curas, & grauissima pacis negotia, quæ non minus, quam ad publicam totius terrarum orbis salutem pertinent, in purissimæ Conceptionis cultum effusus,

1 *Panegy. ad Const.*

in promouendâ populorum ſuorum pietate, & in negotio diffinitionis vrgendo, inclytum & pientiſsimum parentem, non modo ſequitur paſsibus æquis, ſed ad modum proauorũ ſuorum Regum, qui Herculeas columnas vltra fretum vſque ad Solis metas, vt ijdem eſſent mundi, ac imperij ſui termini, trãſtulerunt; ita ipſe columnas pietatis, quas Mariæ immaculatæ conceptæ glorioſi Reges prædeceſſores, vt firmiter conſiſteret, ſuppoſuerant, vt nouus Alcides *plus vltra*, omnium ſtudiũ, & obſequium tranſpoſuit.

II Sanè Noſter Auguſtus non priùs Regnorum ſuorum gubernacula, quàm curam, & ſtudium maturandæ apud Pontificem Summum Diffinitionis Immaculati Deiparæ conceptus ſuſcepit, vt ipſiusmet litteræ ad Gregorium XV. eodemmet anno, quo inauguratus eſt Rex, apertè teſtantur hunc in modum.

Beatiſsime Pater.

Horum Hiſpaniæ Regnorum Reges prædeceſſores mei magno colebant affectu puriſsimam Conceptionem Dominæ noſtræ Virginis MARIAE, ſed præ cæteris Rex Pater, & Dominus meus magno feruore eandem veneratus eſt. Inſtillata etiam mihi à progenitoribus peculiaris huius ſacri myſterij, & ſanctæ feſtiuitatis deuotio, quam Veſtræ Sanctitati propalandam duxi, humiliter deprecans, vt fœlici Veſtræ Sanctitatis Pontificatu id curare dignetur, vt exaltetur, & extendatur in populo Chriſtiano hæc pietas in Virginem ijs appoſitis remedijs, quæ ſancto zelo Veſtræ Beatitudinis, miræ eruditioni, & rerum experientiæ potius expedire, & magis ad obſequium, & honorem Dei, & Domini noſtri, ſuæque Benedictæ Genitricis conducere videantur. Deus ſanctam Beatitudinis Veſtræ perſonam cuſtodiat incolumem. Datum Matriti 10. Nouembr. anno 1621.

Sanctitatis Veſtræ deuotus admodum, & humilis filius Philippus Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Portugaliæ, Nauarræ, Indiarum, &c. qui Sanctos pedes tuos, & manus oſculatur.

Cum verò Philippus Auguſtus ardentem iſtum in Deiparæ immunitatem affectum ſimul cũ intimo ſui amore in ſereniſsimam Reginam Elizabet chariſsimam coniugem (Heu quondam Regis, Regni, & orbis, non iam gemmam, ſed coronam!) itidemque in Sereniſsimum Cardinalem Infantem fratrem verè germanum transfudiſſet, ab ipſis etiam ad Pontificem litteræ ſimili pietate, & deuotione plenæ miſſæ ſunt, quæ Regis pietati, & exemplo ad ſcribi debent: illas vide apud Armamentarium Seraphicum in Regeſto, column. 315.

Ad hæc: cum anno ſequenti Gregorius XV. Pontifex Maxim. tùm inuictis argumentis ductus, tùm etiam pientiſsima Regis noſtri ſupplicatione, & inſtantia punctus opportuniſsimo Decreto ſanciuit, vt in Miſſa, & Officio Conceptionis, abolito ſanctificationis vocabulo ab auctoribus opinionis minus piæ obtruſo vox Conceptionis ab omnibus retineretur: itidemque, vt ij Auctores, nec publicè, nec in priuatis ſermonibus de opinione ſua agere, ſiue colloqui poſſent: gratiſsimũ id ſibi fuiſſe alijs ad Pontificem datis litteris ita ſignificauit Rex noſter. III

Sanctiſsime Pater.

Dux Alburquerquius, & Comes Montis Regij me monuerunt Decreti, quod à Sanctitate Veſtrâ emanauit in fauorem puriſsimæ Conceptionis Dominæ noſtræ, ad quod peculiari affectus ſum lætitia: dum conſidero,

quam ſancta, & veſtra Beatitudine digna fuerit hæc reſolutio, quantaque gloria hinc reſultauit Deo, ſanctiſsimæque Dei genitrici, & fidelibus populis conſolatio, qui tãto feruore, & fiducia expectarunt ſucceſſum hunc infœlici Veſtræ Beatitudinis Pontificatu. Porrò propter conſolationem, & exultationem, quam percepimus ego, Regina, & fratres mei de bono hoc nuncio, ſanctas Veſtræ Beatitudinis exoſculor manus, sãctè aſſeuerans inter ſummè grata, hoc vnum me computare, & vltra quam dici poteſt magni me æſtimare, quod mea interceſſio aliquam habuerit hãc in re partẽ, ſicut copioſius ſignificabit V. Beatitudini Dux Alburquerquius, cuius relationi me remitto. Dominus Noſter ſanctam Veſtræ Beatitudinis perſonam ſeruet incolumem ad bonum, & proſperum totius regimen Eccleſiæ. Matriti 14. Iulij anno 1622.

Veſtræ Sanctitatis per quam deuotus, & humilis filius Philippus Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Rex.

IV His tam præclaris Regij affectus notis, nouum adiunxit Noſter Philippus pietatis ſuæ in Mariam Immaculatè conceptam perpetuò duraturum monumentum, cum anno 1635 in Regio Matritenſi Diſcalceatarũ Conuentu feſtiuitatem Immaculatæ Conceptionis, cum octauâ quotannis celebrãdam lautâ largitione dotauit, vt per totos illos dies tam Miſſarum ſolennia, officia diuina, & Conciones, eæque a Regijs, & ſelectiſsimis verbi diuini præconibus habendæ) quam quæcumque ad tẽpli ſplendorem, & ornatum ſpectarent celebri pompa, regioque apparatu diſponerentur, addictis huic deuotiſsimo in Deiparam obſequio nonnullis Sacerdotijs, ſiue capellanijs ſub Aduocatione *Sacerdotum Immaculatæ Conceptionis*, vt planũ fieret, velle Maieſtatem ſuam (vt ipſemet Rex peculiari diplomate ſignificauit) omni modo, omnique ratione, & Deiparæ immunitatem celebrem, & venerandam in mundo facere, & eius cultum, ac deuotionẽ ſubditorum ſuorum animis, & mentibus inſtillare.

V Sed & ad meliorem vitam tranſlato Pontifice Gregorio XV. ſemper Viuax Philippi pietas, quas ad illum obtulerat preces pro diffinitione immunitatis Deiparæ ad ſucceſſorem ſuum Vrbanum VIII. eodem ardore tranſtulit nouâ per Legatos ſuos adhibitâ diligentiâ. Quod ipſimet Auctores opinionis minus piæ nouerunt, & conqueſti ſunt: vt in libello nuper dato ad Eminentiſsimos Cardinales pro Decreto illo de titulo Immaculatæ Conceptionis, &c. numero 21. ſic meminerunt. *Sub initium Pontificatus memoriæ Vrbani VIII. id ualidiſsimè conquiſitum fuit magnorum Principum coaceruatis inſtantijs, vt & feſtum, & officium I. M. M. ACVLATAE CONCEPTIONIS concederetur:* Vbi obiter non poſſum non adnotare, eoſdemmet Auctores, qui prius vt piam de Deiparæ immunitatem floci facerent: eam non niſi lanarios, ſutores, & artifices ſectatores habere dicebant; modo grauiter cauſſari à magnis Principus illius patrocinium fuiſſe ſuſceptum: nobisque ab illis obijci *magnorum Principum coaceruatas inſtantias*, quaſi iam armata Reges manu cum totâ Regnorum ſuorum fortunâ pro MARIA Immaculatè conceptâ decertent. Sanè vt pro illis ſutoribus, lanarijs, artificibus, & mœcanicis, quos antea nobis objiciebant, magnos PRINCIPES modo ſubſtituant: ad eum fere modum, quo illi, qui nè doctrinæ Chriſti acquieſcerent, ſed ipſi ſem-

per

Matth. 21. *v.* 38 *Ioan.* 11 *vers.* 47.

per essent infensi; iam ei nullum signum facere obijciebant: ea de causa dicentes: *Volumus à te signum videre*, Matthæi 12. vers. 38. iam verò de signorum multitudine grauius cõquesti, musitabant. *Hic homo multa signa facit*, Ioan. 11. vers. 47.

VI

Fuerit etiam è re nostra, siue è Philippi Maximi pietate referre, & refellere, quæ imbi addunt de Vrbano: *Post adhibitas consultationes summa Decreti fuit, nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium:* Nimirum præterquam quod huius decreti historia, planè videtur apocrypha, quæ nullo fideiussore dato scripta est, vt acutè eumcitur ab Armamentario Seraphico in confutatione huius libelli, numer. 54. nihilominus pietati huic, & studio Regis omninò videtur annuisse Pontifex Vrbanus. Ipse nimirum quidquid Augustus Noster pro solennitate Immaculatæ Conceptionis Regio apparatu, & insigni deuotionis, & ornatus pompa celebranda in Regio Discalceatarum Conuentu fieri decreuit, signatè erectis illis Sacerdotijs, quibus qui inseruirent, singillatim insignirentur nomine, *Sacerdotum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ* (vt paulò ante numer. 4. vidimus) Pontificia Bulla motu proprio & certa scientia expedita confirmauit: vt Pontifex non minus Vrbanus, erga MARIÆ Immaculatam Conceptionem, & eius Sacerdotes, quam Rex ipse esse videretur: Extat Bulla hæc Pontificia authentica in præfato Discalceatarum Conuentu ad perpetuam rei memoriã.

VII

Sed vt miles in acie, & gubernator in tempestate dignoscitur, ita Catholici Regis pietas in Immaculatam Deiparæ Conceptionem maximè enituit, cum Auctores opinionis minus piæ bonam caussam Immaculatæ Conceptionis debilitare, siue in dubium reuocare aggressi sunt, occasione cuiusdam Decreti Sanctiis. Inquisitionis Romanæ, quo cauebatur, *quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Cõceptionis B. Virginis nullo modo permittatur, sed solum dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis:* In qua sanè procella in piam opinionem excitata, Pietas Philippi ventos, fluctusque tanta prudentia, tantaque industria librauit, vt vna ex parte Decreto, nec legitimè, nec iuridicè publicato suũ honorẽ haberi vellet (talis, tantaque est Religio Regis Catholici, non modo erga Ecclesiam Romanam, sed etiam erga omne id, quod ab ipsa emanare dicitur) ex alia verò, pietatis prora contra ictum fluminis constanter posita præfatum Decretum re attentius examinata à Summo Pontifice reuocaretur. Et verò cum in hanc pietatem inclytus Rex verbo, consilio, opere prouidẽtia, scripto, & modis egregiam operam nauauerit, illud summa dignum laude est quod suis Castellæ, & Legionis Regnis in Comitijs generalibus congregatis, & ab ipso auxiliarem manum pro Decreti reuocatione petentibus, sic respondisse fertur: *Nullum obsequium ex omnibus, quæ Regnum mihi hactenus præstitit, gratius mihi esse poterat, quam id quod in hac consultatione præstitũ video, propter intimũ affectũ, quem mysterio Purissimæ Cõceptionis Deiparæ vnicè deuotũ gero, cuius intercessu laborũ, quos hæc Monarchia patitur, leuamẽ nos impetraturos confido, cũque ad peculiare Regni debitũ spectet, huic fini assequendo expedientissima quæq; inquirere, primũ absq; dubio, & vnicũ illud est, de quo hic ad me refert: cui idcirco libens assentio: & vt Romã in eandẽ sententiã litteræ destinentur iussi. Siquidẽ licet per Consilia status, & Cubiculi, idẽ negotiũ expediẽdũ curauerã, vt decretum, de quo hic sermo est, reuocetur: de integro ei modo incũbã:* Subijcit ad sæculorum prodigium Rex optimus: *Etsi*

cauſſæ huius diffinitio in mei ipſius Romam profecti, & ſolicitatoris officio fungentis induſtriâ volueretur, cõfeſtim ſumma alacritate iter ingrederer, meque fœliciſsimum iudicarem, ſi hâc ratione tale Dominæ noſtræ obſequium exhiberetur Ha ctenus Catholicus Rex, vt videris quam verè dictum fuerit, illum in teſſeram ſuorum conſiliorum pietatis columnas (non ſecus ac proauus Cæſar Carolus columnas Herculeas eraſo veteri Herculis lemmate de ſuo *Plus vltra* inſcripſit) ſibi adoptaſſe, vt quemadmodum par orbi terrarum circulus Philippi caput coronat; ita à pietate & obſequio in Mariam Immaculatè Conceptam non iam ipſe humanis, ſed immortalibus, ac cœleſtibus luminibus colluceat: Dum verò ſapiens Rex leuamen laborum Regni ſui à Deiparæ cultu, & ab egregio titulo Immaculatæ Conceptionis immotè ſubſiſtente ſperauit, omninò expreſsit Salomonem Prouer. 16. verſic. 10. monentem. *Diuinatio in labijs Regis: in iudicio non errabit os eius*: cum plane prædixerit victorias & triumphos, quos Barcinone, Catalauniaque ſubacta, & glorioſiſsimis prælijs Inſubria domita, Caſali de Monferrato expugnato: & in Belgio fortiſsimis arcibus Grauelingas, & Dunquerque recuperatis, iã in manibus tenemus. Macte Rex: *in iudicio non errabit os eius*, qui puriſsimæ Conceptionis Mariæ cauſſam agens, fortunatiſsima quæque ſibi pollicetur.

Auguſtiſsimi Cæſares Ferdinandus II. & Ferdinãdus III. Auſtriaci Imperatoria pietate, & Auguſta maieſtate pro Mariæ immutate decertant.

ADNOTATIO VI.

PErgimus morẽ gerere, Caietano, & Bandello aſſerentibus piam de Mariæ immunitate opinionẽ, non niſi hominum è media plebe, lanariorum, talariũ, ſutorum, & artificũ eſſe: atque ideò iſtum ab illis aſsignatum numerum plusplus (& magnificâ quidem pompa, & ſplendido apparatu) implere volumus, dum præfatis artificibus (qui quidem fabricandæ radiatæ puritatis coronæ Deiparæ non humani, ſed cœleſtes artifices extitere, duos alios in hoc pietatis ſtudio peritiſsimos, & in maieſtate Auguſtiſsimos adiungimus. Sanè Imperatoriã maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam Religione, & pietate armatam vix vnquã mortalibus videre licuit, vt noſtro ſæculo in Auguſtiſsimis Cæſaribus Ferdinando II. & Ferdinando III. eius Filio Auſtriacis Romanorum Imperatoribus lætis oculis, & lętioribus animis cõſpeximus: cum vterque tot, tamque egregia pietatis in Deiparam, ſignatè verò in eius immaculatam Conceptionem documenta dederit, vt nihil ſtudioſius, nihil ardẽtius ab ipſismet religioſiſsimis, & Deo ſacratis mentibus potuerit deſiderari: & optimo quidem Parente cum optimo Filio de hoc tenerrimo in Deiparam affectu decertante: De ſingulis ſingillatim dicere operæ pretium fuerit. I

Et verò vt inde inſignis in B. Virginem Ferdinandi II. pietas eluxerit, quod omnibus Congregationibus Deiparæ Hungariæ, Bohemiæ, aliarumque prouinciarum nomen dederit, quod fateretur, ſe nihil vnquam a Beatæ Virgine poſtulaſſe, quod non impetrauerit: quod ipſam ſuorum exercituum in Generaliſsimam elegerit, quod eius imaginẽ velut Aquilam in ſuis vexillis præferri iuſſerit, II

iuſſerit, quod omnes de hoſtibus victorias B. Virgini attribuens, eorum ereptis vexillis Domum Lauretanã Viennæ exornauerit (quæ omnia, & alia P. Guillielmus Lamormayni noſtræ Societatis, qui ipſi magnâ bonorum omnium laude fuit à confeſsionibus lib. de eius virtutibus cap. 8. luculentius refert) duo tamẽ ſignatè Auguſti Imperatoris in Deiparã ſtudium demonſtrant, Alterũ quod cum anno 1634. in noſtra domo Profeſſa Viennæ erecta eſſet Congregatio Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, nihil optimus Imperator antiquius habuit, quam vt ipſe, & eius Auguſta coniux, ac omnes liberi, nouelli huius ædificij fundamenta in eius Album, nominibus non alienâ (vt cum alijs Congregationibus nomen dabat facere conſueuerat) ſed propriâ manu exaratis cohoneſtarent: & ipſe quidem in ipſo libri capite ſic ſcripſit.

Corona legitimè certantibus.

FERDINANDVS.

poſt quem Eleonora coniux, & Ferdinandus filius hodie regnans paternæ pietatis hæres cum Maria Auguſta, & Leopoldus Vvillelmus, & duæ eius ſorores Duciſſa Bauariæ, & Regina Poloniæ tantæ pietati ſubſcripſerunt.

III Alterum quod huius immunitatis Mariæ ardens amator egregiam epiſtolam Fide, deuotione, prudẽtia, & elegantia plenam Vrbano VIII. Pontifici Summo miſerit, in quâ piam opinionem inter fidei dogmata recenſeri obnixe efflagitat, & valde expediens eſſe Reipublic. Chriſtianæ optimis argumentis demonſtrat. Quas quidem Ferdinandi litteras quas fœlici ſorte nacti ſumus, adeò bonâ fide Lectori dabimus, vt prius iureiurando obteſtemur, earum exemplar authenticum ipſius Imperialis Cancellariæ Regiſtratoris manu ſubſcriptum, & ſolito ſigillo munitum apud nos, cuiuis eas videre cupienti facile dandas remanere. Ergo Imperatoris epiſtola, hæc eſt.

Beatiſsime Pater.

Vt à prima iuuentute noſtrâ ſingularem deuotionis cultum erga Pontentiſsimam cœli, terræque Reginam Virginem Deiparam in intimis animi noſtri penetralibus temporis ſucceſſu magis magiſque efferueſcere ſenſimus, ita in rebus plerumque dubijs, & periculoſis, quando omnia in exitium ruitura videbantur, & armatus rebellium furor humana penè conſilia tranſcenderat, quotieſcumque ad Patrocinium illius, quâ decebat fiducia cõfugimus, ſubitam è cœleſtibus opem, Numinis præſentiam, & inſperata frequenter ſolatia ſumus experti, ſpectat itaque ad grati animi teſtificationem, vt Imperialis ſolicitudo concurrat, imò reliquorum Regum, & Principum ſtudia anteuertat, ſi quæ offeratur occaſio ad honorem, & gloriam illius in terris dilatandam, cuius magnitudinem vix ipſa cœlorum immenſitas capit. Sanctitati veſtræ conſtat de intemerata Conceptione Beatiſsimæ Virginis quæſtiones ab annis penè trecentis inter Theologos agitatæ quemadmodum in rixas, & animorum diſſẽſiones, in ſcandala & Religionis Catholicæ ludibrium abiuerint, neque ſummorum quidem Pontificum ſapiẽti iudicio adhibita moderatio, & priuilegia in fauorem illibatæ Conceptionis ante ſeſquiſæculum cõceſſa, neque anniuerſaria feſtiuitas in Eccleſia recepta, rituque ſolenni peragi ſolita, altercandi libidinem, prout varia ſunt hominum ingenia inhibere potuerit. Superſunt etiam nũ monumenta optimorum conatuum, quibus ſanctitatis veſtræ Prædeceſſores in hoc ipſo particulari, erga puriſsimum Spiritus Sancti Tabernaculum mentem, atque affectionem ſuam declararunt, etſi deciſionem cui velut Diuinæ Vniuerſa merito Eccleſia acquieſcat, ad perpetuandam fœliciſsimi Pontificatus memo-

riam, ſanctitatis veſtræ oraculo reſeruaſſe videantur, quam proinde non perfunctorie, ſed per amorem Virginis caſtiſsimæ Dei Genitricis Patronæ noſtræ ſingularis, quanto poſſumus affectu rogamus, vt pro auctoritate ſibi diuinitus conceſſa ſanciat, atque determinet, ab originali etiam culpa omninò fuiſſe immunem, quam puriſsimam næui omnis expertem Matrem Diuinæ gratiæ, & ſuper omnes choros cœlitum exaltatam veneramur. Ita futurum haud dubie, vt diſputationum argutiæ, & contentionum feruor ſubſidat, atque cũ omnium applauſu Immaculatæ Conceptionis celeberrima feſtiuitas Summi Põtificis iuſſu Imperatoris rogatu eâ de hinc ſolennitate peragatur, nè cui fidelium vlla, vel dubitandi, vel alter candi occaſio ſupereſſe poſsit. Noſtrã peculiarem deuotionem hoc beneficio magnopere augebit Beatitudo veſtra, cui fœliciſsimum, & huius, & plurium ſubſequentium annorum decurſum obſequenti animi affectu precamur. Datum in Ciuitate noſtra Vienn. die 13. menſis Ianuarij anno Domini 1624.

Concordat hæc copia cum Regiſtraturâ Imperiali Latinâ de verbo ad verbum: quod factâ collatione atteſtor hâc propriæ manus ſubſcriptione, & ſigilli ſoliti appreſsione. Actum Viennæ 14. Nouembris anno 2648.

Gerardus Maximilianus Oſtermaij.

Cancellariæ Imperialis Aulicæ Latinæ Regiſtrator.

Ferdinandus III. Imperator MARIÆ Immaculatè conceptæ tam ardẽter addictus eſt, vt ipſam in Sceptrorum, coronarumque ſuarum tutelarem patronam publico voto elegerit.

ADNOTATIO VII.

FVIT is ardor Auguſtiſsimo Imperatori Ferdinãdo III. colendæ immunitatis Sanctiſsimæ Virginis, vt præter alia præclariſsima pietatis huius argumenta, elapſo anno 1647. tã in teſtatiſsimum ſui affectus erga Mariam immaculatè conceptam monumentũ, quam in ſceptrorum, & coronarum ſuarum firmiſsimum fulcrum, & tutiſsimum perfugium, & munimentũ eidem Virgini, ſine labe conceptæ pulcherrimam ſtatuam marmoreã omnimodam ipſius puritatem belliſsimè exprimentem altiſsimæ columnæ ſuperimpoſitam in perpetuã & immortalem rei memoriam ſolidiſsimo affectu, ſolenniſsimâ pompa, maieſtate Auguſtâ, & pulcherrimo voto conceptus verbis facto dedicauit: vt Deiparam ſine vllâ labe conceptam, vel ſaxa ipſa, & lapides loquerentur, docerentque, & teſtatum id omnibus mundi nationibus, & gentibus in æuum aſſeruarent. Quæ ſanè omnia nè ſplendorem, & maieſtatem ſuam deperderent nolui meis lectori verbis referre: ſed à diſſertiſsimo calamo perilluſtris Guillielmi Comitis Slauata, qui pulcherrimo ſpectaculo teſtis interfuit; illudque tantâ verborum elegantiâ, & ſplendidiſsimo orationis nitore conſcripſit, vt cum ipſamet Cæſaris pietate, quo nihil maius dici poteſt, de famæ gloriâ videatur contendere: Eſt charta ſiue libellus typis excuſus Viennæ Auſtriæ apud Matthæum Coſmerouium in Aulâ Colonienſi anno 1648. & quidem eiuſmodi.

II Quò tempore Vandalicus turbo iam vniuerſam prope Germaniam ſecundo Marte peruagatus Bohemiæ ſeſe, ac hæreditarijs Auguſtiſsimæ Auſtriadum familiæ Prouincijs violentior infundebat, Sacratiſsimus iuxta, ac pientiſsimus Imperator FERDINANDVS III. vt labãtibus Imperij, Fideique rebus fulcrũ ſubijceret, laborioſi pariter, ac ſumptuoſi operis columnam erexit, futuram poſteris ſæculis non minus Auſtriacæ pietatis monumentum, quam ſtatutum (vt ſperare licet) furori Balthico Colloſſum Terminalem. Moles eſt, ſi materiam ſpectes, ſolido exciſam lapide, & perferendis in æuum ſine offenſione cœli iniurijs perquam idoneo. Baſim circũ ducti per artem quaterna in latera æqualibus à ſe met ſpatijs diſcedentia coronant cancelli, & modico ab eâdem interuallo diuiſi anguſtam in circuitu viam aperiunt. Baſi qua parte coeuntibus in angulos acuitur, quaterna inſiſtunt, vel Heroum, vel Angelorum ſimulachra, qui caput galea, vmbone pectus, læuum clypeo, ac enſe dextram armati ictũ ſinguli in ſubiectum pedibus monſtrum delibrant. Ac primus quidem qui Orientem proſpicit, in Draconem vires omnes inſumere videtur, cui ingenioſum lemma ex ſacris adſcriptum de pelta emicat: IPSA A CONTERET. Alter qui frontẽ Occidenti porrigit, pari armorum, niſu in edomitum Leonem intentus epigraphen præfert CONCVLCABIS. Tertius, qui vultu ad Meridiem conuerſo Aſpidem calcat, & ferienti ſimilis contrucidat, inſcriptionem de clypeo oſtentat. AMBVLABIS SVPER. Poſtremus, qui in Aquilonarem plagam, & vultu, & armis minatur in Baſiliſcum deſæuiens hoc proculcatam belluam lemmate alloquitur. NON PRO TE LEX. Media in proceram altitudinem aſſurgit columna, & prope paris cum B ædibus altitudinis ſupremo vertice portat ingentis magnitudinis ſtatuam, quæ ſine macula conceptam Deiparentem Virginem, tam antiqui ſerpentis caput victore calcaneo proterentem, quam velut è ſublimi ſpecula in ſuorum ſalutem excubantem repræſentat. Stabat iam in ampliſsimo, ac vrbis capaci foro ante ædes ſacras Domus Profeſſæ Societatis IESV ſolidata moles, C ſed dubiæ adhuc eam inſpectantiũ nutabant cogitationes, quam tandem in partem pientiſsimi Cæſaris ſeſe conſumeret deliberatio, donec inciſa baſi epigraphe omnem ſuſtulit dubitationem. Ea verò fuit Auguſtiſsimo Imperatore dictante in hæc verba concepta, & artificioſo cronographico concluſa.

DEO OPT. MAX.

SVPREMO COELI TERRÆQVE IMPERATORI
PER QVEM REGES REGNANT
VIRGINI DEIPARÆ
IMMACVLATE CONCEPTÆ
PER QVAM PRINCIPES IMPERANT.
IN PECVLIAREM DOMINAM
AVSTRIÆ PATRONAM
SINGVLARI PIETATE
SVSCEPTÆ.
SE: LIBEROS.

POPV-

POPVLOS: EXERCITVS
PROVINCIAS
OMNIA DENIQVE
CONFIDIT: DONAT
CONSECRAT.
ET IN PERPETVAM REI MEMORIAM.
STATVAM HANC
EX VOTO PONIT
FERNANDVS TERTIVS AVGVSTVS.

III Tunc ſcilicet patuit Auſtriacæ pietatis conatibus in Immaculatã Virginis Conceptionem publico, ac peculiari, vel cultu, & honore proſequendam, vel ſtudio, & amore propugnandam conſpiraſſe. Sed nè in re nouâ quidem, & hactenus a ſæculis inaudita, fragile quidquam, & quod ætatem non ferret, ſtatueretur placuit coactis in conſilium Auſtriæ ordinibus, Prouinciali, ac vrbico Senatu Religioſorum Superioribus, Epiſcopo, & Clero ea, quæ publicum contingerent, & nihil conſpirantibus capitibus ægrè perennaret deliberationis argumentum proponere. Ea verò fuerunt: veniſſe ſibi in mentem diù amatam, ac priuato ſemper honore cultam Immaculatã Virginis Conceptionem in publicã etiam venerationem promouere: hanc in rem erectam a ſe ſtatuam, quam etiam ſolenni Eccleſiaſtico ritu a Pontifice velit dedicatam: velint proinde, iubeantque diem Decembris Octauam immaculatæ Cõceptioni ſacram, non ſolum feſto ritu a Statibus, ac vniuerſo populo celebrari, quod iampridem glorioſiſſimæ memoriæ Auguſtiſsimus Parẽs Ferdinandus II. decreuiſſet, ſed pridiano ieiunio anteueniri, ac omniũ voto Auſtriæ Patronam dici. Neque difficile fuit extorquere ab ijs conſenſum, quibus exemplum Principis eſt imperium. Proni fuerunt omnes in ſententiam, in quam præiuit primus Imperator.

A Dicitur ergo Dedicationis dies 18. Maij habẽtis anni M. DC. XLVII. qui vbi illuxit, vniuerſam prope ciuitatem ad pietatis obſequia excitauit. Conuenerunt enim ſub horam octauam matutinam cumulatiſsima panegyri, ſacratiſsimi Cæſaris, non tam imperio, quam exemplo prouocati Sereniſsimi Archiduces Filij, Ferdinandus IV. tunc Bohemiæ, ac menſe poſt, Vngariæ Rex ſolennibus comitijs inauguratus, ſereniſsima Maria Anna nunc Potẽtiſsimo
B Hiſpaniarũ Regi Regina deſpõſata: tres, Sedis Apoſtolicæ Catholici Regis, ac Reipub. Venetæ Legati, Aula Cæſarea, ac Regia, Reginæque Gynecæum, & omnis ſummi mediique nominis Nobilitas, Religioſi ordines, omnis hominum conditio, ordo, ſtatus, & ſexus ad ſacras ædes
C RR. Patrum Diſcalceatorum ordinis S. Auguſtini, Aulæ Cæſareæ conterminas: quas cum confluentiũ multitudo feciſſet anguſtiores, effuſus in plateas populus innumerus vias ipſas, & fora meantibus coarctabat, gaudebatque, vel ſic in partem pietatis venire. Exinde ergo per inſtratas æquali ponte vias, non minus modeſto, ac ad pietatem comparato, quam Auguſta Maieſtate verendo ordine proceſſum eſt ad templũ
D Reuerendorum Patrum Societatis IESV Profeſſorum in ſummo fori ritu: vbi ad quietem compoſito inbeuntium ſtrepitu Reuerendus P. Ioannes Gans è Societate IESV

SS. Theologiæ Doctor, & ſacra Cæſareæ Maieſtati à conſcientia adſti patiſsimam concionem, quâ pollet ſummâ, & per principes Cathedras iam à plurimis annis maximo, cum plauſu approbata dicendi facultate, eâ facundiæ vbertate de laudibus immaculatè Conceptæ Virginis, præſentique eius in rebus calamitoſiſsimis patrocinio dixit, quam vehemens animorum motus, ac certa omninò in Auditorum pectoribus impetrandæ per eiuſdem auxilium tranquillitatis ſpes in ſequeretur. Dictionẽ excepit ſacra ad ſummas aras Liturgia faciente ad Cæſareos Symphoniacorum choros Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Principe Philippo Friderico Epiſcopo Viennenſi. Iamque ad eam partem deductum erat ſacrificium, qua pacis oſculũ præſenti Principi per Subdiaconum in priuatum Oratorium deferri conſueuit, cum Auguſtiſsimus ipſe Imperator diſsimulatâ maieſtate, toto oris, corporisque habitu ad pietatem, æquè ac demiſsionẽ compoſito in publicum egreſſus ad cancellos ſummæ Aræ, ad quam ſolennis pompa agebatur, conſtitit, ſeſeque humi in genua demiſsè prouoluit, donec oblata hoſtia per ſacrificantem Antiſtitem abſumeretur. Tùm verò poſito gladio in manus Illuſtriſsimi Comitis Ioannis Rudolphi a Puchaim, intimi ſui Conſiliarij, ac ſupremi Camerarij intra ipſos Cancellos progreſſus obuiũ habuit conſcientiæ ſuæ arbitrum iam præfatum R.P. Ioannem Gans vnà cum miniſtrante Clero, qui impoſitam Euangeliorum libro voti formulam teneret. Immolans autem Põtifex ad proſtratũ Cæſarem cõuerſus latentem in Euchariſtia Deum, cui votum ediceretur, proponebat. Tùm voce, quæ circumſtante populo facilè exaudiretur, votum auſpicatus Cæſar.

A

B

C

D

E

Omnipotens (inquit) ſempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura Regnorum: Ego Ferdinandus coram diuinâ tuâ Maieſtate humiliter proſtratus, meo, meorũque ſucceſſorum, & Inclytæ huius Prouinciæ Auſtriæ nomine Immaculatam Filij tui Matrem ſemper Virginem MARIAM, hodie in peculiarem Dominam, & Patronam huius Archiducatus inuoco, & aſſumo: Inſuper voveo, ac promitto eiuſdem Immaculatæ Cõceptionis feſtum, quod cadit in diem VIII. Decembris ſolenniter etiam quoad forum in hâc Prouinciâ quottanis præuio, more Eccleſiæ conſueto ieiunio in eiuſdem per vigilio celebrandum. Te deprecor, ſupreme cœli, terræque Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impenſum reputas: votum hoc meũ, quod ſuggerere clementer dignatus es, benigno fauore proſequere, atque ad protegendum me, Domum meam, populoſque mihi ſubiectos dexterâ tuæ Maieſtatis extende. Amen.

Die 18. Maij 1647. in Eccleſiâ Domus Profeſſæ Societatis IESV ante aram ſummam in manus Principis, & Epiſcopi Viennenſis Philippi Friderici de familiâ Breineriorum.

Finierat, & doctus R.P. Cæſareæ Maieſtati à ſecretis conſcientiæ cõſcriptam voti formulam ad ſerę poſteritatis memoriam in Domo Profeſſâ conſeruandam receperat, cum de Pontificis manu ſacratiſsimam Synaxim accepit Imperator, & cãcellis, iterum iunctis ante pectus manibus, egreſſus eo corporis ſitu, ac reuerentiâ hoſpitem Deum adorauit, qui etiam circumſtantes peculiari religionis, ac pietatis ſenſu afflaret. Exactum iam erat ſacrificium ſed necdum pietatis officia termi-

IV

nata.

nata. Placuit enim Augusto post adoratum Deum, secunda Religionis obsequia in eius Immaculate Cõceptam Matrem conferre. Assumpta ergo in pietatis cõfortium vtraque Sereniſsima prole, Vngariæ, Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hiſpaniarum Regis Sponſa Maria Anna, comitante Pontifice, ac Clero vniuerſo de anguſtis Eccleſiæ parietibus in fori patulum, ad erectum ſine macula Conceptæ Virgini trophæum ſeſe penetrat Imperator. Effunduntur ſimul Religioſi Ordines omnes, ac vndantis populi nimbus, ſurgentemque medio in foro molẽ ſtipatiſsima obſidione coronant. Accedit vicinior ſtatuæ ſacrorum Pontifex, & conceptis eandem verbis, ac ſolito ritu Dei, Immaculatæque Virginis Matris honori conſecrat, dedicatque. Inſecutus eſt ſymphoniacorũ omniũ e tota vrbe collectorũ, & in plures, quà vocũ, qua inſtrumentorũ, ac etiam tubarũ campeſtrium, ac tympanorum choros diuiſorum plauſus, qui cum Laureta nam elogiorum ſeriem Auguſtiſsimæ Matri decantarent, calidam in circumproſtrato populo deuotionẽ certamque præſidij fiduciam excitarunt. Aſcenderat iam non tam ſuo, quam pietatis calore feruidior dies in meridianam ſtationem, cum dimiſſa matutina Imperatoris, veſpertinam cœpit Imperatrix Eleonora ſolennitatem meditari.

VI Iuſsit enim vero poſt Solis occaſum ita forum omne illuſtrari, vt nulla circumpateret feneſtra, quæ non geminato luminari prætexta Auguſtiſsimæ familiæ inſignia irradiaret. Cancellos deinde, qui Coloſſum ambiunt, totidem reſplendere lampadibus, quot ipſi columellis aſſurgunt, ac demum penſilibus, in vaſtæ magnitudinis coronam, ac plenam iridem eleganter ductis ſtatuam ipſam redimiri. Valuit ea quidem res ad amœnum oculorum ſpectaculũ, ad quod plebs omnis, omniſque Ciuitas effunderetur: ſed vel maximè ad incendenda nouæ pietatis officia, ad quæ merito Auguſtiſsimus ipſe Ferdinandus III. Auguſta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hiſpaniarum Regis ſponſa Regina Maria Anna obductis iam cœlo tenebris Maieſtatis ſuæ lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alterã noctis horam, neque prius ſpectatorẽ dimiſit, quam poſt imploratum melico concentu per Auguſtæ Virginis titulos cœli præſidium impertita Põtificis manu, ac voce benedictio populum ſignaſſet. Sic terminatus eſt ille dies perpetua apud poſteros luce radiaturus, quo Auguſtiſsimus Ferdinandus Immaculate Conceptæ Virginis imaginem populorum deuotioni propoſuit ipſe, ſecuturæ poſteritati exemplar proponẽdus.

Pergit multis egregius Scriptor, VII vt deſcribat inſatiabilem Cæſaris pietatem, qui nè tanta ſolennitas vno die nata denaſceretur, per octo ſequentes dies, quos peculiaris deuotionis, & maieſtatis apparatus impleret, explicari decreuit. Inter quę ſubijcit. Atque vt iuſſum promoueret liberalitate, ſtatuit æterna fundatione ſexcentos annuos Rhenenſes ex quibus ducenti quadrageni Muſices directori, ac duodenis vocibus in ſtipendium cederent: alij decem ſupra ducentos in melica inſtrumenta, & organum impenderẽtur: quinquageni Curatis, ac facigeris ad aram ſtatuæ adſtituris perſoluerentur: centenis denique emeretur maioris campanę pulſus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictã ſolennitatem euocetur.

Poſtquam verò octauæ totius ſo- VIII lennitatem regia maieſtate peractã eleganti calamo, immo viuaci penicillo depinxit, tandem ad Mariam Immaculatè conceptam conuerſus, ſic concludit.

Hæc eſt Auguſtiſsimi Cæſaris Fer- IX

dinandi

nandi III. nullo Anteceſſorum pro-
uocata exemplo in te pietas : hæc
Nobilium, Ciuium, plebiſque Vien-
nenſis æternum, vt auguramur, du-
ratura deuotio, ò terræ Optima, cœ-
lique Maxima Imperatrix MARIA
De immaculata tua Conceptione
nulla apud nos eſſe poterit contro-
uerſia, in cuius confirmationem ſtāt
ſaxei coloſsi. Litem indixerit Ferdi-
nando Cæſari, qui te non dixerit im-
maculatam. Qui non degeneres ſu-
mus ſub tanto capite ſubditi dici-
mus millenibus vocibus, vno ani-
mo: AVE IMMACVLATE
CONCEPTA VIRGO MARIA
Tu verò Virgo Mater ſemper imma-
culata, quæ tuo in ſimulachro in co-
lumnam extolleris, reſpice de ſubli-
mi in proſtratam tuis honoribus Au-
ſtriam, circumſpice propius, pro-
piuſque ſemper in noſtra funera ſuc-
cedentes bellorum inſultus, & vbi
deficiunt humanæ vires, vna pro no-
bis decerta Caſtrorum acies ordina-
ta. Tu quoque Magnæ Matris Maior
Fili, Deus Fortis, Bellator Deus,
Deus Exercituum defende quæſu-
mus Beata MARIA ſemper Virgine
ſine macula Concepta intercedēn-
te Auguſtiſsimam ab omni aduerſi-
tate familiā, & toto corde tibi pro-
ſtratam ab hoſtium propitius tuere
clementer inſidijs.

A

Hactenus iucundiſsimæ Deoque ac hominibus gratiſsimæ narrationis ſeries: cuius aureis filis vilia ora-
tionis noſtræ ſtamina intertexere
nefas fuerit. Sed enim deuotiſsimis
hiſce vocibus, ac precibus quis non
ſuas itidem adiungat, vt ingeminā-
tes AVE IMMACVLATE CON-
CEPTA VIRGO MARIA, ſimul
poſsimus dicere: Reſpice o Domina
in proſtratam perpetuoque tuo ob-
ſequio deuotam Hiſpaniam, pa-
cemque noſtris concede tempori-
bus.

B

X



IHS

LIBER QVINTVS DE B. MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

DE STATV DIFFINITIONI ECCLESIÆ proximo, cui pia de Mariæ immunitate opinio iam olim florens iam matura est.

PROÆMIVM.

ACTVRI in hoc libro de fœlici statu, Pontificiæ iam diffinitioni proximo, in quo Opinio Pia constituta est: ipsummet Pontificē summum sacris eius pedibus advoluti alloqui omninò debemus ijsdem omninò verbis, quibus Nicolaum PP. S. Anastasius *in præfatione ad vitam S. Ioannis Eleemosynarij*, hūc in modum affabatur: *Sed licet mēbranas inciderim, schedulas præparauerim, non tamē hūc Codicem conficere ausus sum, antequam à Dominatione vestra (ò mill'es Beate) licentiam petierim. Neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque Clauigero cœli, absq; curru, & auriga spiritualis Israelis, absque vniuersitatis Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium Arbitro aliquid consummetur, aut diuulgetur: Tu enim tenes claues Dauid: tu accepisti claues scientiæ: in arca quippe pectoris tui Tabulæ Testamenti, & manna cœlestis requiescunt. Tu enim,*

quod

quod ligas, nemo ſoluit, quod ſoluis nemo ligat, qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit. Vicē namque in terris poſsides Dei. Ergo ab ore ſanctitatis veſtræ, ô Innocentiſsime Innocenti tanquam ab Innocentiæ vindice, in cauſsa immunitatis Deiparæ pendemus omnes, & ab arca pectoris S.V. in qua Tabulæ Teſtamenti requieſcunt ſuauiſsimum populo Chriſtiano manna cœleſtis, & a Deo inſpiratæ diffinitionis expectamus.

IHS

DISSERTATIO I.

EVINCITVR MANIFESTE opinionem piam diffinibilem eſſe, & inter Fidei dogmata conſtitui poſſe.

PIAM DE MARIÆ DEIPARÆ IMMVNItate opinionem ex ijs veritatibus eſſe, quæ à Sede Apoſtolica inter Fidei dogmata conſtitui merito poſsit.

ADNOTATIO I.

I *Nyſſen.* QVod Gregorius Niſſenus hom.5. in Eccleſiaſtē de verſatili iuri ſperitorū ingenio obſeruauit, qui cū opportunius cauſſæ firmamētis diffidunt, quærūt in plano ſalebras, in ſcirpo nodū, in luce tenebras, & vbi planus, & obuius ſenſus tenendus fuerat, vocum æquiuocationes excogitant, vt offuſa iudicibus caligine, vel litem producant, vel remoram inijciant litis controuerſæ diffinitioni, id ipſum omninò nonnullis opinionis minus piæ Doctoribus in cauſſa immunitatis Deiparæ ſolenne eſt, Melchior ſiquidem *Canus.* Canus lib.4. de locis Theologicis c.4. & lib.7. c.3. & lib.12. c.11. ſiue huic iuriſperitorū ingenio aſſuetus, ſiue alio, aut bonæ rei, aut non bonę rei prætextu ductus affirmauit hāc de Deiparæ immunitate quæſtionē nō pertinere ad eas veritates quæ à Sede Apoſtolica inter Fidei dogmata cōſtitui poſsūt. Fuit autē, quod norunt omnes, vt in decernēdo, & ratiocinando præceps Canus, ſic in affirmando vehemens, ac violentus, atque ita opinionem hanc ex ſe infirmam, & commentitiam multis rationibus, velut adamantinis clauis figere, & ſtabilire conatus eſt. Nam in primis ait huius controuerſiæ mate-

nam tum omnino esse extra Scripturam, aut Apostolorum traditionē, à quibus omnis diffinitio pendet: tū etiam minus grauem videri, si ad fidem comparetur: Deinde vero huius controuersiæ diffinitionem minime fore necessariam, vel ad augēdā Deiparæ gloriā, vel ad mores fidelium virtute, & probitate formandos. His duo addit, quibus prædicta cōfirmet: alterū, hanc controuersiā tametsi non vnius tantū Concilij discussione ventilatā, nusquā tamē diffinitā, quod diffiniri nequiret: alterū discordantium sententiarum, si vtraq; probabilis sit neutrā posse diffiniri: cum alterā tanquam omnino verā diffinitā, alterā damnari oporteat: quod illā fuisse probabilē omnino repugnat: Quod in præsenti cōtrouersia maxime locum habere inquit; cum vtraque sententia Pontificum decretis probabilitate donetur: Hæc omnia Canus.

II

Verum ipsum immaniter fuisse deceptum, atque eius opinionem manifestè esse falsam, quinque ad minus summi Ecclesiæ Pontifices omnino euincunt: cum primum Xistus IV. in extrauaganti *cum præ excelsa* quæ corpori iuris inserta habetur in Clement. vnicâ *de reliquijs, & veneratione Sanctorū* deterrens eos, qui temerarijs authibus affirmant, errorē esse, asserere Deiparā à labe originali fuisse immunem, id circo dixerit: *Cum nondum sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ sede decisum.* (Quid videlicet sentiendum) omnino exprimens: posse hunc articulum à Romanâ Ecclesiâ decidi: Deinde vero Alexander VI. in Bulla, qua incipit: *Illius qui se pro*, & authentica extat in monumentis ordinis Minorū fol. 155. & in Mari magno Gerardi Zoe thelme anno 1509. compilato fol. 75. itidemque Pius V. in Bulla *super speculam*, quæ passim citatur, & extat in Bullario Laertij Cherub tom. 1. fol. 322. & Paulus etiam V. in Bulla *Regis Pacifici*, quę similiter, & passim citatur, & exstat in eodem Bullario in Append. tom. 3. fol. 68. districte præscripserint. *Vt nullus alteram harum opinionum hæresis damnet, donec à Romanâ, & Apostolica sede altera fuerit diffinita.* Et eodē ductu Gregorius XV. id ipsum peculiari diplomate, quod nemò non legit, prohibens dixerit. Donec articulus huiusmodi a sede Apostolica diffinitus fuerit. Quæ sanè omnia aduersus Cani sensum adeò perspicua, & manifesta sunt, vt nec interprete, nec penitatore indigeant. Quid enim tam alienum, vel ab horum Pontificum mente, vel a ratione fuisset, quam eum controuersiæ huic terminum præfigere, qui intra Pontificiam authoritatem non esset, sed illius terminos transiliret? Vnde ab omnibus D. D. Cani sensus refellitur, vt videre est apud PP. Franciſ. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 13. sect. 6. Vazquez in 3. part. tom. 2. disp. 117. cap. vlt. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1 disp. 3. sect 32. Salazar in Apologia pro immacul. Concept. c. 43. Ambros. de Peñalosa in Vindicijs Deiparæ disput. 12. cap. 2 Laurentium Aponte in lib. Sapientiæ c. 1. nu. 4. digress. 2. §. 2. Illustr. D D. Angelū Manrique peculiari hāc de re libello dato SS. D. N. Innocētio X. Ægidiū tract. de Cōcept. lib. 3. q 8, a. vnico, §. 2. Illust. D. D. Frācic. Sossa in epist. ad Philipp. Hispaniarum Regē.

Sixt. IV Alex. VI. Pius V. Paul. V. Gregor. XV.

Suarez. Vazque. Granad. Salazar Aponte Peñalos. Angel. Manrique. Ægidius. Sossa.

Sed enim præter hanc Summorū Pontificū inſuperabilem auctoritatem, quæ nō tanū Cani sensum euertit, plures sunt manifestæ rationes, & firmissima argumenta, quibus apertè conuincitur. Nam in primis, quid magis certū, ac indubitatum fuerit? quā ad Romani Pōtificis munus, & diffinitionem spectare de germano sacrarum scripturarum sensu inter discrepantes alicuius loci earum expositiones iudicium ferre?

III

vt docet S. Thom. 2. 2. q. 10. & cum eo Theologi. Sanè in formula professionis fidei, quam Summus Pontifex Pius IV. edidit, quoties ex ritu Ecclesiæ siue Præsules, siue Fideles vniuersi fidem profitentur, vouent, ac iurant: *Sacram se Scripturam admittere iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum*, Sunt quidem nonnulli sacræ paginæ loci ad hanc controuersiam spectantes, qui varijs interpretationibus expositi sunt, vt videlicet ille Pauli ad Roman. 5. ver. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt*, quibus in verbis vim faciũt opinionis minus piæ Auctores, vt Deiparã ex Pauli mẽte peccato originali obnoxiam faciant: cæteris Doctoribus in contrarium euntibus; alijs Apostolum explicantibus, vt loquatur non de peccato reapse contracto, sed quantum ad reatum, & obligationem illius contrahendi, cũ quâ bene stat Deiparã ex singulari Dei priuilegio a noxa originali fuisse immunem: alijs verò eam Pauli locutionem non adeò strictè capientibus, vt de omnibus ad vnum necessario intelligenda sit, sed ad eũ modum quo alijs in locis sacris scriptoribus loqui solenne est (de quo infinita suppetunt exempla) & ipsemet Apostolus de Euangelicis ministris Romæ commorantibus dixit in Epistola ad Philippens. cap. 2. versic. *Omnes quæ sua sunt quærunt*, vbi & nos aliquid ea de re: vide ibi, & Hieron. in cap. 2. ep. ad Ephes. sub finem, & Augustinum lib. de vnitate Eccles. c. 12. quibus omninò fauet Concilium Tridentinum Deiparã ab ea locutione, & à lege communi excipiens.

S. Thom

Roma. 5 vers. 12.

Philipp. 2. v. 22.

Hieron. Augus. Concil. Triden. Roma. 5 vers. 15.

B C D E

Est etiam apud eundem Paulum indidem vers. 15. illustris locus, qui pro Mariæ immunitate adoctissimis Auctoribus expenditur dicente Apostolo: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*, vt sensus Pauli fuerit, Christum Dominum Adamo longe superiorem fuisse dum ipsius merita nõ solũ quoad dignitatem, & valorem, sed etiam quoad effectus, & gratiam in homines deriuatã ad plures numero personas, quam damnum ab Adamo prouenientes se extenderunt: sic accipientibus hæc verba PP. Salmeron disp. 41. in epist. ad Roman. Cornelio a lapide ibi, Valentino de Herice 1. part. disp. 5. cap. 9. Didaco de Alarcon 1. par. tract. 4. disp. 5. cap. 9. Didaco de Celada *in Iudith figurata*, § 31. & Ambrosio de Peñalosa *in vindicijs B. Virg.* de peccato originali disput. 10. cap. 3. atque inde necessaria consecutione inferentibus, Beatam Virginem, neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum contraxisse: Quod secundum Paulum aliqua saltem persona sit, quam culpa Adami nullatenus tetigerit, & tamen eadẽ meritum, & fructum meritorum Christi participauerit; aliter enim si ea persona nõ daretur, merita Christi pluribus numero personis quã fuere eæ, quibus peccatũ Adami nocuit, nõ profuissent. Iã vero nullã omninò personã præter B. Virginẽ intactã ab Adami delicto fructũ Redẽptionis Christi participasse, assignari posse ex Cõcilio Trid. Sess. 5. c. de peccato orig. can. 2. manifestè cõstat, de cuius argumẽti efficacitate plenè, solidè, & sapiẽter PP. Celada, & Peñalosa in ibi agunt.

Salmer. Cornel. Herice. Alarcõ Celada. Peñalos.

Si ergo ad munus Põtificis Summi in cuius pectoris arca tabulæ testamenti, & manna cœlestis requiescũt omninò pertinet dubios sacræ paginæ

V

sensus explanare,& germanâ interpretationẽ illis verbis adhibere, vt de eâ fideles doceãtur:ille enim tenet claues Dauid, & accepit clauẽ sciẽtię(vt in proœmio huius libri dicebat S.Anastasius) Cõsequẽs planè est,ipsum certa diffinitione tamquam re ad fidem spectante declarare posse, quis horum verborum Pauli,& cæterorum testimoniorum ad Mariæ immunitatem spectantiũ in quorum expositione DD.variãt, verus sensus, & de Spiritus Sancti mente sit.Pro qua cogitatione omninò facit egregia P.Francisci Suarez doctrina lib.1.de Angelis, cap. A B 3.Etenim cum interPP.vltro citroque disceptatum olim fuisset,an Angeli ante mundi visibilis creationẽ fuerint producti,idest ante illud momentum, de quo Scriptura inquit: *In principio creauit Deus cœlum,& terram:* Genes.1.vers.1. hanc quæstionem tandem fuisse terminatam *Genes.1. vers.1.* ab Ecclesia in cap *firmiter* de Summa Trinitate monet Ferrariẽsis lib. C *Ferrar.* 2.contra Gentes cap.83. Suarez verò,vt diffinita non fuerit, diffiniri tamen ab Ecclesia posse inde affirmat,quod etsi non liquidò, at secundum aliquem sensum verbis Scripturæ consentaneum; continea tur in sacra pagina:posit vero Ecclesia quando Scripturæ sensus dubius est, quæ illius germana mens sit,ad nostram institutionem aperire:Do verba Suarij indidem, num. D 13.vbi cum præmisisset: *Ego vero in primis censeo,posse Ecclesiam hanc veritatem definire,quia licet non sit euidens,in Scriptura contineri,nihilominus est euidens secundum aliquem sensum verbis Scripturæ consentaneum in ea contineri,* subdit. *Potest autem Ecclesia,si oportuerit, quando sensus intentus à Spiritu Sancto in aliquo loco Scripturæ dubius est, nos docere,& definire quis ille sensus fuerit.* Hæc ille. E

VI Præterea;Potuit sedes Apostolica diffinire,& ad Fidei dogmata referre plures veritates de Beatissimæ Virginis dignitate,& excellentia,quæ non sunt omnino in Sacris litteris expressæ;vti ipsam nulli vnquam venali peccato fuisse obnoxiam:fuisse in Natiuitate sanctam: atque etiam in gratiâ confirmatam: itidemque eius partum, & doloris & cuiusuis infectionis expertem extitisse,nec non tam corpore, quam anima fuisse assumptam in cœlum: ergo eodem etiam modo poterit diffinire MARIAM immaculatè fuisse conceptam: etsi nullus è sacris litteris textus afferri posset (quod non admittimus)è quo hæc veritas liquido constaret,cum posset aliunde firmissimis ad id fundamentis initi. Quod argumentum egregiè vrget Sapientissimus Pater Ioan. Baptist. Nouatus ardens gloriæ Mariæ amator in libr.*de eminentia Deiparæ*,tom.1.cap.3.quæst.4. *Quod tempore Hieronymi,& Augustini Assumptio B. Virginis in corpore, & anima non haberet maius fundamentum auctoritatis,quam habuit olim ante decreta Pauli V. & Gregorij XV.opinio de Conceptione: ergo sicut Assumptio modo ex traditione censetur de fide:ita Conceptio immaculata poterit de fide declarari:* Sic ille: in cuius sensum P.Francisc.Suarez tomo 2.in 3.part.disp.3.sect.6.§.*Dicendum nihilominus,* sapienter ait: *Primò ergo ex Scripturâ petendum non est clarum testimoniũ,vbi hoc asseratur:esset enim hoc temerariũ postulare cum alia priuilegia Virginis, quæ tãquã certa tenet Ecclesia nõ requirant huiusmodi Scripturæ testimoniũ.* Hæc P.Suarez.Vndè P.Benedictus Iustinianus Vir magnæ in Ecclesia auctoritatis in epist.1.Ioann. c.1.n.24 cũ primum nonnullis hæreticis musitantibus. *Nihil ad salutẽ animarũ referre,sit nè Virgo Deipara in peccato originali concepta,an secus,& quæstionem hanc esse otiosis*

Nouat.

Suarez.

Iustinianus.

ventri-

ventribus relinquēdam, ita occurriſſet. *Neque verò admiſerim quæſtionem eſſe ottoſorum hominum, quamquam illi ventres maluerunt dicere, quod Catholicos ſui ſimiles eſſe opinentur*, quorum Deus venter eſt. *Sed quamdiù Eccleſia id permittit digna eſt Theologico ſtudio, atque diligentiâ, tùm ad honorem, & laudem Filij, ac Matris, tùm ad veritatem cognoſcendam, quâ nihil eſt in rebus humanis pulchrius, nihil diuinius*: Deinde Cano, & Caietano obviam factus ſubijcit: *Catholici verò, qui propterea negant, alteram partem diffiniri poſſe, tamquam Fidei dogma, quod ſit res facti, vt modeſtiſsimè loquor, incautius locuti videntur: nam iſto modo nulla pœne de Beatiſsima VIRGINE quæſtio ad fidem pertinere poſſet: ſiquidem perpetua eius Virginitas, ſanctitas, atque immunitas à peccato ſponte patrato, corporis eius aſſumptio, & id genus alia facti ſunt: nihil igitur horum, ſi Deo placet, pertinebit ad fidem: Quod tamen pro ipſorum pietate affirmare, non audebunt, licet fortaſſe nihilo plus ex ſacris litteris, quam immaculata Conceptio probari queant*: Hæc ille ſapienter, & opportunè.

II

VII

Sed & hîc denuò gradum figimus contra Canum affirmantem diffinitionem huius controuerſiæ neceſſariam non eſſe ad Deiparæ gloriam augendam: Etenim ſi Vrbano II. Pontifici Summo, & ſacro ſanctis Concilijs Tridentino, & Claramonto dignum Mariæ gloria viſum fuit inter fidei dogmata ponere, ipſam veniali culpæ non fuiſſe obnoxiam: cur non itidem dicemus è re gloriæ, & honoris Mariæ eſſe, piam de ipſius immunitate à noxâ originali opinionem diffinire: cum originalis macula ſit turpior, & deformior culpâ originali, quippe quæ & animæ mortem inferat corpus commaculet, totumque hominem iræ filium, & dæmonis mancipium reddat, atque in ſtatu diſsimilitudinis à Deo cum conſtituat, quæ omnia in peccato veniali minimè reperiuntur. Enim vero ideò S. Thomas Deiparam a peccato veniali immunem eſſe debere, ſapienter affirmauit, quod quæuis actualis peccati labes, quātumuis venialis, & lenis non benè cum dignitate Matris Dei ſe gereret: ita enim ipſe 3. part. quæſt. 27. articul. 4. *Virgo non eſſet idonea Mater Dei ſi peccaſſet aliquando, quia honor patris redundat in prolem iuxta illud, Prouer. 17. gloria filiorum patres eorum*. Ita ille, & quidem rectè, vt merito dixeris præfata Concilia huic innixa rationi, de fide ſtatuiſſe Mariam nullum omninò commiſiſſe peccatum. Quid ni ergo? ob hanc met S. Thomæ rationem, quæ in peccato originali maius momentum habet, Eccleſia diffinire etiam poſsit Deiparam à labe originali fuiſſe immunem, cum id ipſius gloriæ, nō minus conſentaneum ſit, quàm ſecus *Virgo non eſſet idonea Mater Dei*. Adhæc: ſi Catholicæ Eccleſiæ merito viſum eſt, ad Fidem ſpectare corpus Virginis glorioſiſsimæ poſt diſceſſum à præſenti vitâ corruptioni non fuiſſe obnoxium: cur non etiā ipſa diffinire poterit, animam eiuſdem Deiparæ corruptioni originali nunquam ſubiacuiſſe? cum minimè fuerit dubitandum, ipſam Virginem (ſi ſibi optio daretur) immunitatem culpæ incorruptioni corporis fore prælaturam.

S. Thom

Concil. Trident.

VIII

Iam verò ſi ad acuta veniamus. Ecce tibi efficaciſsimam argumentationem, qua omnes pœnè Doctores, qui aduerſus Canū hâc de re diſputant, hunc in modum vtuntur: Ad hoc vt aliquid diffiniatur eſſe de Fide, ſatis eſt, vt ſit veritas ſupernaturalis, quæ tum ſpectet ad Eccleſiæ vtilitatē, & deuotionē fidelium fouere poſsit, tū etiā vel in ſcripturis, vel in traditionibus Eccleſiaſticis cōtinea-

tur, & cõmuni DD. sẽsu probetur, solennique Christiani populi plausu excipiatur: pręsertim verò si his, vel Reuelationes cœlestes pijs, & sanctis personis factæ, vel egregia aliqua miracula accedant: Sed hęc omnia insunt piæ opinioni de Mariæ ab originariâ labe immunitate: Ergo hæc veritas ex illis est, quæ inter Fidei dogmata censeri potest. Quo quidem in loco obiter dixerim, gratis à nobis dari Cano, hæc omnia simul prærequiri, vt aliquid ad Fidei dogmata referatur: eaque omnia in pia opinione omninò inueniri. Bene siquidem hoc argumentum vrgens Laurentius Aponte præfato loco sic monuit. *Insuper notandum est, non necessarium, vt semper hæc iunctim concurrant: hæreticum enim esset hoc exigere: cum etsi Scripturæ loca deficiant, abunde sufficit traditio, aut è contra: traditio enim diuina ab Apostolis accepta eamdem cũ Scripturâ habet auctoritatem, & infabillitatem, vt de fide supponimus cõtra hæreticos nostri temporis, ex Tridentino Session. 4.* Hæc ille. Postquę, hæc subijcit, quæ nos itidem affirmamus *Hoc dixerim, non quod omnia illa quatuor abunde nobis, non suppetãt, sed ad maiorem rei certitudinem, de quâ tractamus: nam cum vna, aut altera illarum sufficeret, quantò magis omnia?*

Aponte

IX Et verò cum Maior propositio præfati argumenti plusquam certa sit, quin de eâ iure ambigi possit. Minorem quidem totus hic liber, & plures eiusdẽ argumenti, hoc pręsertim sæculo conscripti, qui nostro multo meliores, eruditiores, & copiosiores proculdubio sunt, planè confirmãt, vt apud illos cunctas illas conditiones assignatas demonstrantes facile videris Nam quis non ex tot eruditissimis Scriptoribus non vbertim affert plura Scripturæ monumenta apprimè expensa? Ecclesiæ Catholicæ à primo ipsius ortu traditionẽ? Pontificũ auctoritatẽ? Ecclesiarum consuetudinem? Patrum testimonia? Reuelationes, atque miracula? Quis non Christiani populi consensum pendit? Quis non demonstrat, ab hac opinione piâ fidelium deuotionem promoueri? Ergo legitimâ consecutione infertur, optimo merito posse Ecclesiam opinionem piã inter Fidei dogmata constituere.

A

B

C

D

E

Ecclesia, quæ ab vnctione Diuini Spiritus noua quotidie lucis, & sapientiæ incrementa percipit, apta nata est MARIÆ immunitatem diffinire.

ADNOTATIO II.

AD Debat itidem Canus, vt futuræ, siue possibili Diffinitioni de MARIÆ immunitate obsisteret controuersiam hãc non vnius Concilij discussione ventilatam nusquam tamen diffinitam, ideoque diffiniri non posse. Ratio prorsus infirma, quæ non modo indicat, vt superius diximus, Canum in decernendo præcipitem, sed etiam in Conciliorum mente, & Actis investigandis valde indiligentem, vel infœlicem fuisse. Vnde eius indiligentiam hunc in modum castigauit Ægydius à Præsentatione libr. 3. quæst. 8. art. vnico, §. 2. num. 9. *Relegetur Cani opinio, qui in hoc turpiter errauit, quod putauit Xistum IV Leonem X. in Concilio Lateranensi, & Concilium Tridentinum, ideò hãc quæstionem diffinire noluisse, quia materia huius controuersiæ ad fidem nõ pertinebat: oppositum enim ex dictis*

I *Canus.*

AEgidius.

satis

ſatis conuincitur. Sic ille: Cur autē Concilia præſertim Tridentinum quæſtionem de Deiparæ immunitate terminare noluerint, & piam opinionem inter Fidei dogmata ſtatuere, ad altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſciētiæ Dei reuocat Ægidius: & quidem rectè iuxta ea, quæ in ſequentibus adnotationibus diſſeremus de præſtantiſsimâ gloria, & claritate, quæ Deiparæ ab hâc controuerſia præſertim hoc ſæculo acceſſit: nam vt ibi obſeruamus ex Auguſtino, dum multa in Eccleſia vltro, citroque diſputantur, *vt commodius defendi poſsint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: Vndè mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Sic Auguſtinus lib. 16. *De Ciuitate Dei*, cap. 2.

Auguſ.

II Quamuis præter hanc rationem, duæ etiam aliæ cauſſę extiterint, cur Concilium Tridentinum diſtulerit diffinire Mariæ immunitatem: Altera, quam Ambroſius Catharinus, qui & ipſi Concilio interfuit in præfatione diſputationis ad ipſum Concilium: ſic reddit. *Cum ab hinc fere ſexennium iſthic Tridenti ageret Sancta Synodus ad id potiſsimum congregata, vt hæreſes, & zizania, quæ in agrum Domini irrepſerant tollerentur, & eo iam peruentum eſſet, vt de originali peccato tractaretur, pleriq; ex Patribus admonebant: optimum eſſe, atque opportunum ſpeciali decreto eam ſententiam de Immaculatâ B. Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorſus Eccleſijs ſolenni ritu celebratur, & colitur, ita probari, ac ſtatui, vt iam vlterius non liceret cuique ea de re ſecus, vel aſſerere, vel opinari. Id quibuſdam (licet ad modum paucis) tunc non placuit, nec (vt verum fatear) mihi quidem ipſi, nō quod rem ipſam non vehementer optarem, vt potè ſanctam, & Chriſtianæ fraternitati congruentem, quæ in primis eūdem in dogmatibus ſenſum, eamdem in cultu Dei obſeruantiam poſcit, ſed quod conſultius per conditionem temporum videbatur, prius aduerſus hæreſes manifeſtas intendere, tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controuerſa, digna viderētur deciſione.* Hęc Catharinus: En cauſſam, quam affert Catharinus, quæ inde maximè ſubſiſtit, quod Ferdinandus Primus Romanorum Imperator Caroli V. Imperatoris frater, & quidem germanus ad ſedandos Germaniæ tumultus, & vehementer vrgebat, vt ſuſceptæ tantum cum hæreticis controuerſiæ terminarentur, & per litteras ad Summum Pontificem Concilij finem maturabat: Legatis itidē Pontificem de cauſſæ ſtatu certiorē reddentibus: quibus ipſum reſpondiſſe conſtat: *Adnitendum vt Patres Concilij ſibi inuicem conciliarentur, & iunctis viribus Lutheranis ſe ſe opponerent, in primis verò diligenter attēdēdū, Diploma Xiſti IV. vti valeat, vigeatque:* Quod omne a Pōtificijs Legatis optimè executioni mandatum fuit: A qua cauſſa differendæ diffinitionis altera non it, quæ tacitè innuitur à Catharino illis verbis, id quibuſdam licet ad modum paucis tunc non placuit, quam proprio loco in ſeqq. afferemus cū ſingillatim de Concilio Tridentino proximæ diffinibilitati adfauente agemus.

Cathari.

Vbi vides, quam fuerit ieiunus Canus ab huius cauſſæ cognitione. Verū enim verò vt vt id fuiſſet: ea quā infert ipſe conſecutio, *nuſquam fuit diffinita, ergo diffiniri non poteſt*, viro mediocriter docto indigna eſt: Nā vt dixeris (quod minime verum eſt) ſola rei difficultate, ſiue Concilia, ſiue Pontifices Summos ab eius olim diffinitione territos abſtinuiſſe, quid, quæſo id obeſſe poteſt, quominus ſuccedente tempore ritè, rectè, & opportunè, vel à Concilio, vel à Pontifice tantùm, diffiniatur? Ita nè ignorauerit homo eruditus III

Nazian. Nazianzenum orat. 4. *de Theologia*, qui in ore omniũ natat, cum ille adductis Domini verbis Ioan. 14. versic. 16. *Rogabo Patrem, & aliũm Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum:* ea sic premit. *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quẽ nobis tenere præstiterit, vt nec repente, neque confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem vsque occultemus?* Adeo illi obuius non fuit Gregorius Magnus hom. 16. in Ezech? *Gregor. Magn.* quem nemo ignorat, cum dicit. *Hoc quoque nobis sciendum est, quia & per incremẽta temporũ creuit scientia spiritualium Patrũ. Plus namque Moyses, quam Abraham: plus prophetæ, quam Moyses, plus Apostoli, quam prophetæ in Omnipotentis Dei scientiâ eruditi sunt: Fallor si hæc, ipsa scriptura non loquitur,* Daniel 12. versic. 4. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia: *Certè Psalmista dicit,* Psalm. 118. versic. 97. Quomodo dilexi legem tuã Domine: tota die meditatio mea est, *atque subiunxit:* super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: *& iterũ* super seniores intellexi. Hæc Gregorius, vnde statim mysticis verbis *Ezech. 40. v. 6.* Ezechielis cap. 40. vers. 6. de mensura templi: *Et mensus est limen portæ calamo vno, &c.* cum sensum sic ingerit: *Mensura ergo calami, qui est sex cubitorum, & palmo ducatur ad cubitos decem, & mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tredecim. Quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur.* *Leon. Magn.* Sed & magnum Leonem vidisse potuerat Canus in hanc sententiã sermon. 18. *de Passione Domini*, monens. *Indulgentius nobiscum egit doctrina cœlestis, quos in hæc mundi tẽpora distulit ad intelligentiæ facultatem, vt multo pluribus, quam priores & Vatibus vteremur, & testibus.*

Hæc Leo: Enim vero eiusdem Dominicanæ familiæ Dominicus Bañes Caniori sapientiâ eruditum hęc minime latuisse videntur, cum 22. quæst. 1. art. 7. dub. 2. concl. 2. inquit: *Non est necesse, vt quanto remotior fuerit Ecclesia à tempore Apostolorum: tanto sit in illâ minus perfecta cognitio mysteriorum Dei.* *Bañes.*

IV

Nec grauabor aduersus Cani sententiam eademmet testimonia, quæ S. Gregorius pro suo sensu affert penitius explicata intorquere, quod huius instituti propria sint: & illud in primis ex Daniele 12. versicul. 4. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia:* ad quę verba obseruo tam Hebræam, quam Græcam apud LXX lectionẽ: Hebreæ enim Codices Pagnino teste habent: *Discurrent multi, & multiplicabitur scientia:* vt sit sensus ex multorũ discursu, & ratiocinatione, seù diligenti excogitatione scientiam multiplicari, & maiora incrementa percipere, & tam circa mysteria, quam circa Ecclesiasticam disciplinam nouam veritatis cognitionem denuo oriri, non secus ac scintillæ ex silicis collisione excutiuntur: benè siquidem dictum est a Tertulliano sub hoc sensu lib. 1. de veland. Virginibus. *Lege fidei manente æternâ, cætera iam disciplinæ, & conuersationis admittunt nouitatem correctionis.* Nec ideò volumus humanam mentem, quamtumuis discurrat, ratiocinetur, laboret studer, & sese altũ suspendere, & eleuare velit, noua Dei secreta per se posse rimari, sed cum Diuinus Spiritus non detur *ad mensuram*, Ioan. 3. vers. 34. sitque ipse sẽper paratus ad sese impertiendum, & communicandum, inde fieri, vt sapientia, quæ non nisi diuini Spiritus magisterio addiscitur, in dies indesinenter crescat, & vt dicebat Gregorius: *Mensura cœlum, quæ est sex cubitorum, & palmo ducatur ad cubitos decẽ.* Cui obseruationi mirè de-

Daniel 12. v. 4.

Lect. Hebræa.

Tertull.

Gregor.

seruit

LXX. ſerunt Lectio LXX. quæ pro præfatis verbis reponit, *Donec doceãtur multi, & multiplicetur ſcientia*: Quare compone illa cum lectione Hebræa *diſcurrent multi*, vt ex vtraque lectione (quæ eſt germana ratio exponendi diuinas litteras) adſtruatur: id, quod putatur diſcurſus ſiue excogitata hominis ratiocinatio, quæ veritatis ſcopum collimat potius eſſe vnctionem Diuini Spiritus, & ſuperni Doctoris, qui nouos indeſinenter ſcientiæ profectus ad innouandos interioris hominis ſenſus impertitur: vti ad hæc verba Danielis ſapienter adnotarunt Paſchaſius, & Richardus à S. Victore quorum verba, etſi pluſcula minimè fuerint omittenda.

V Paſchaſ. Ergo Paſchaſius in prologo ſuper Matthæum reddens rationẽ cur ipſe poſt aliorum commentarios Euangelium exponendum ſuſcepiſſet, cum præmiſiſſet. *Quod ſi quiſpiã ècõtra inuidorum opponere tentauerit, moderno tempore poſt auctoritatẽ Patrum priorum, vt quid niſus ſim Euangelium exponere? nouerint quod non temeritate vſus hoc præelegerim, ſed amore religionis cupiens paterna ſupplere vota Chriſti gratia reſperſus. Profecto, quia hactenus nemo Doctorum præſcripſit donum Spiritus Sancti, & mentis efficaciam futurorum: nemo qui interdixerit cœleſtibus parere diſciplinis, &c. Vndè ſi præferenda eſt omnibus noſtrorum auctoritas, nouerint quod veritas doctrinæ commendat eos Auctores, & non vtique ipſi veritatem*, poſt nonnulla ſic concludit. *Neque enim putandum eſt, nulli nunc temporis gratiam intelligentiæ largiri, cum pateat illud Propheticum*. Pertranſibunt multi, & multiplex erit ſcientia. Hæc & alia Paſchaſius in alium locum tranſmiſſa. Obſerua illa. *Nemo Doctorum præſcripſit donum Spiritus Sancti* qui videlicet nec preſcribi, nec circumſcribi, immò nec menſurari poteſt, quin ſe ſe indeſinenter communicet, & grata m intelligentiæ largiatur: Pergit Richardus in lib. *de tabernaculo fœderis* in prologo tractatus primi hũc in modum. *Non eſt magnũ, nec mirũ ſi in vno aliquo aliquid poſſumus addere, quod ad maiorem euidentiam, vel planiorem intelligentiam poſſit proficere. Hæc propter illos dicta ſint qui nihil acceptant, niſi quod ab antiquiſſimis Patribus accipiunt, ſed qui aſſiduè producit nouos fructus ad recreationem hominis exterioris, nunquam credendus eſt? Nullos de cætero ſcientiæ profectus impertiri ad innouandos ſenſus hominis interioris? Vbi ergo eſt illud? quæſo*, pertranſibunt plurimi, & abundabit ſcientia. *Nemo itaque indignetur, ſi de meſſe Domini remanentes ſpicas, & quæ meſſorum manus effugere poterant collegero*. Sic Richardus. *Richar. à S. Victor.*

VI Sed enim quia præfata verba Nazianzeni de illuminationibus myſteriorum, quæ paullatim nobis affulgent, vt egregia huic inſtituto: ita frequentiſsima apud noſtros DD. in eius confirmationem ſunt; placet ipſa penitius expendere, immò ab ipſis peculiari luce perfundere id, quod de Apoſtolis Eccleſiam illuminantibus arcana locutione, dixit Vates Pſalm. 18. verſ. 1. & 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*: quo in loco cœlorum imaginem ad Apoſtolos, & Eccleſiæ DD. communis PP. expoſitio refert, ſic Origenes hom. 2. *in Geneſim*, Tertullian. *cõtr. Iudæos*, cap. 7. Paulinus epiſt. 2. Gregor. Magn. lib. 9. Moral. cap. 4. & homil 30. in Euang. Iuſtinus Apologia 2. & alij plures. Cui ſenſui concinit Daniel cap. 12. verſ. 3. his verbis (quæ illis, *plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia*) immediatè præcedunt. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, &* *Pſal. 18 v. 1. & 2. Origin. Tertull. Gregor. Magn. Iuſtinus*

qui

qui ad iustitiam eruditi multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates: Sed enim vt illuminationes paulatim Ecclesiæ affulgentes his in verbis Vatis imbibitas videris, audi primũ Tertullianum lib. *aduersus Hermogenem*, cap. 29. rerum omnium signa tè vero cœlorum formationem sic explicantem. *Si quidem omnia opera sua Deus ordine consummauit, inculti is primò elementis depalans quodammodo mundum, de hinc exornatis velut dedicans: Nam & lumen nõ statim splendore solis implcuit, & tenebras non statim solatio Lunæ temperauit, & cœlum non statim syderibus, stellisque signauit*: Hæc ille, quæ ad Apostolos rãquam Ecclesiæ cœlos, & splendorem firmamenti, sic refero, vt ipsi primùm a Christo Domino fuerint edocti, donec à Diuini Spiritus vnctione consummatissimam Sapientiam fuerint adepti, sicut illis ipsemet Dominus suggerebat dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Ioan. 16. vers. 2. Deinde verò, vt hæc diuinorum mysteriorum cognitio perfectissimaque sapientia ab Spiritu Sancti vnctione accepta sensim, & gradatim Ecclesiæ affulserit, & cõmunicetur: siquidem omnia opera sua Deus ordine cõsummauit. Quò planè facit cœlos in Scripturis vocari librum siue potius volumen (erant quippe volumina ij, quos postea diximus libros) quod & complicatur, & euoluitur: vt Isaiæ 34. vers. 4. *Complicabuntur sicut liber cœli*, & cap. 42. vers. 5. *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos*, & Psalm. 103. vers. 3. *Extendens cælum sicut pellem*, id est cœlum velut volumen complicatum euoluẽs, quâ imagine arcano sermone innuitur: quod dicebat Tertullianus: *Cœlum non statim syderibus, stellisque signauit*, vt fuerit sensus, Dominum cum Ecclesiam primitus fundauit, etsi Apostolos omni scientia, & mysteriorum cognitione imbuerit, voluisse tamẽ *opera sua ordine consummare*, vt per ipsos, & ab ipsis illuminationes, & Theologiæ ordo paulatim Ecclesiæ affulgeret, & per tẽporum incremẽta Doctoribus, & Magistris nouos ipse sapiẽtię profectus impertiret ad innouandos sensus hominis interioris, & lege fidei manẽte æternò cætera iam disciplinæ, & conuersationis admitterent nouitatem correctionis, vt dicebat Tertullianus.

Daniel 12. v. 3. Tertull. Ioan. 16 vers. 12. Isai. 34. & c. 42 vers. 5. Psa. 103 vers. 3.

A B C D E

VII

In quem quidem sensum opportunè a PP. inflectuntur verba Domini apud Matth. 28. vers. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, vt ipse in illis ideo polliceatur cum Apostolis, siue cum Ecclesia esse, quod ei auxilio omnibus in rebus, signatè verò quâ Dei verbum, & sapientia est, esset futurus, vt omnem veritatẽ doceret, atquè Ecclesiam suam dirigeret, & gubernaret: vti exponunt S. Cyrill. Alexand. lib. 7. de Trinitate, Saluian. libr. 2. de prouidentia Dei, & Leo Magn. epist. 51. & 92. Et vero vt hæc interpretatio opportuna vtcumque sit, nostro tamen instituto Domini verba singillatim, & pẽsiculatius aptat Anselmus in prę-fatione ad librũ *de Incarnatione Verbi*: vbi Summum Pontificem Vrbanum affatus, ostendit Dei Sapientiã omnibus indesinenter diebus fore Ecclesiã in suis Doctoribus denuo illuminaturam. etenim cum primũ dixisset: *Quamuis per Apostolos, Sanctos Patres, & Doctores, nostri multi tot, & tanta de Fidei nostræ ratione dicunt ad confutandam insipientiam, & frangendam duritiem infidelium, & ad pascendum eos, qui iam corde fide mundato eiusdem fidei ratione, quam post eius certitudinem debemus esurire delectantur, vt nec nostris, nec futuris temporibus vl-*

Math. 28. v. 20.

Anscl.

lum

lum illis parem in veritatis contemplatione speremus, nullum tamen reprehendendum arbitror, si fide stabilitus in rationis eius indagine se voluerit exercere: subiicit opportunè tam pro nostro instituto, quam pro verborum Domini explicatione: *Nam & illi, quia breues dies hominis sunt, non omnia, quæ possent, si diù vixisset dicere potuerunt: & veritatis ratio tam ampla, tamque profunda est, vt à mortalibus nequeat exhauriri, & Dominus in Ecclesiâ suâ, cum quâ se esse* A *vsque ad consummationem sæculi promittit, gratiæ suæ dona non desinit impertiri:* Hactenus Anselmus. Quibus illa proxima sunt, quæ insuperioribus Summo etiam Pontifici Stephano ingerebat hac de re Ansbertus inquiens: *Si itaque præsens tempus hoc admit, vt scribi non debeat, quod quisque benè intelligit, ergo (quod nefas est dicere) Spiritus Sanctus omnipotentiam amisit, qui varietati temporum subiacere cœpit: quum ei istis diebus nunc agere non licet,* C *quod eum per sanctos prædicatores in præcedentibus fecisse, nullus fidelium dubitauit;* Sic Ansbertus.

Ansbertus.

VIII Nec rationibus tantum, sed exẽplis etiam Cani sensum a vero aberrantem facile erit ostendere, & omninò verum esse, quod ad mentem PP. dicebat Bañes: *Per incrementa temporum nota facta sunt diuina mysteria:* Nam in primis de animarum origine olim, & dubitare licuit, & magna contentione à PP. disputatũ est, vt constat ex Augustino in quatuor ad minus libris *de origine animæ*, & in epist. ad Hieronymum, & ex Gregorio Magno in epistola ad Secundinum: sic ipsum eâ de re monentem: *Sciat dulcissima mihi charitas tua, quia de origine animæ inter sanctos PP. requisitio non parua versata est, sed vtrum ipsa ab Adã descenderit, an certè à Deo singulis detur, incertum remansit, eamque in hâc vitâ insolubilem fassi sunt quæstionem: grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehẽdi:* Sic ille. Sed enim quamuis ea quæstio pluribus in Concilijs agitata, nusquam tamen diffinita fuerit, tandem re ad exitum perductâ a Leone IX. terminata est in explicatione Fidei Romanæ ad Petrum Antiochen. Episcop. Vndè S. Tho. 1. part. q. 118. art. 2. affirmat hæreticum esse, animam traduci ex semine: Secundo, de processione Spiritus Sancti à Filio disceptatum fuisse in Concilio Ephesino satis ex Theodoreti impugnatione manifestum est ad nouum anathematismum: & tamen ea quæstio *Leo. IX* decisa non fuit donec S. Leo Magnus quid credendum esset diffiniuit: *S. Tho n.* à quo Concilij PP. procedentẽ à Patre, & Filio Spiritum Sanctum statuerunt: & subinde additus est in Symbolo is articulus, *Filioque procedit*: a Nicæna, & Constantinopolitana Synodo prætermissus, vt Græci in Concilio Florentino conquesti sunt: Tertiò, an baptizati ab hæreticis iterum essent rebaptizandi, & in Concilijs agitatum, & à PP. in dubium reuocatum est, vt ex Augustino lib. 1. *de Baptismo*, cap. 7. & 18. *Augus. Cardin. Bellar.* Card. Bellarm. lib. 4. *de Roman. Põtif.* cap. 7. nouimus, vsque dum Stephani PP. decreto veritas patefacta & sancita est: Quartò, circa libros Canonicos grandis in pluribus Cõcilijs disputatio habita est, quin certi ab incertis discriminarentur, donec Concilium Tridentinum certũ de germanis, & Canonicis Canonẽ tandem præscripsit. Quinto. Si legeris & expenderis in iure Canonico caput. *Maiores* de *Baptismo*, & Clementinam vnicam *de Summa Trinitate, & Fide Catholica* facilè videris, olim in dubio fuisse, an infantibus per sacrum Baptismi lauacrum sanctitas infũderetur? an verò ipsorũ peccatum absque infusione gratiæ deleretur? Et tamen postea idẽ-

Augus. Gregor. I

met

Trident. met sacrum Concilium Tridentinũ, Sessione 6. in decreto de *iustificatione*. cap. 4. & 7. & Can. 11, quid tãdem de fide tenendum esset, docuit.

IX Et vt alia præter hæc, afferam, quibus opportunius reuincatur Canus. Sexto, olim non satis apertum fuit, an valide liceret confessarijs, absentes pœnitentes aliquo in casu absoluere? Partem affirmatiuam defendentibus, tùm pluribus ex sacrâ Dominicanorũ familia, Paludano scilicet S. Antonino, Syluestro, Fumo, Tabiena, Dominico Soto, Petro de Soto, tum etiam multis ex alijs Scholis, de quo vide P. Fagundez *de quinque præceptis Ecclesiæ*, lib. 2. cap. 10. numer. 4. postea vero præsenti sæculo Summus Sontifex Clemens VIII. eam opinionem tot tantorumque DD patrocinio subnixam tamquam falsam, scandalosam, & temerariam reiecit. Septimò, quis nesciat? quã acriter in Ecclesia controuersum fuerit: an animæ iustorum ante iudicij diem, & corporum resurrectionem Deũ clarè intueantur? pluribus PP. in negatiuam sententiam abeuntibus: donec a Benedicto XII in extrauagãti, quæ incipit *Benedictus Deus* ab Alphonso de Castro ad verbum relata lib. aduers. hæres. verbo, *Beatitudo* hæresi 6. definitum est, animas iustorum purgata pœna si cum aliquo reatu illius ex hac vita decesserũt, clara Dei visione perfrui. Octauo olim sub lite fuit, an cœlestes spiritus ante visibilis huius mundi creationem fuerint producti? id est ante illud momentum de quo dicitur. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, Genes. 1. vers. 1. quod antiquis PP. affirmare solenne fuit, vt videris apud P. Francisc. Suarez lib, 1 de Angelis cap. 2. & tamen oppositum, vel est diffinitum in cap. firmiter *de Summa Trinitate*, vt affirmant Ferrara lib: 2. *contr. gent.* cap. 83. vel diffiniri potest, vt inibi docet Suarez num. 13. verbis adnot. 1. huius libri à nobis adductis. Denique (vt alia omittam. nè otio abuti videar) eodem modo agitatum est, an Angeli ex corpore subtili, & spiritu cõstent? pluribus affirmantibus corporeos esse, & inter vtramque opinionem adeo, hærente Bernardo serm. 5. in Cant. vt dixerit, antiquos PP hac de re diuersa sensisse, & se quid verius sit ignorare: cum postea Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocẽtio III. eos corporis expertes esse tam expressè declarauit vt iam saltem sine temeritatis nota negari id non possit. Opportunè ergo ex his dixerit Gregorius Naziãzen. Cano. *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes? Theologiæque ordinem, quem nobis tenere præstiterit, vt nec repente, neque cõfestim omnia in lucem efferamus, neque in finem vsque occultemus!*

Paludã. S. Antonin. Syluest. Fumus. Tabiera Domin. Soto. Petr. Soto. Fagundez.

Castro.

Genes. 1. versic. 1.

Suarez.

Concil. Latera.

Naziã.

Ecclesiam noua quotidie luce Dei perfussam in cognitione mysteriorũ, quæ ad Deiparam spectant, nouos semper progressus fecisse, & facere.

ADNOTATIO III.

I ENim vero, quæ de nouis sapientiæ incrementis, & perpetuis sibique indesinenter succedentibus illuminationibus, quæ à Dei spiritu Ecclesiæ affulgẽt, generaliter diximus: hæc in Sanctissimæ Virginis cultu, & egregijs de ipsius dignitate, & gloria existimationibus peculiarem locum habere

certo

certo certius est, vt tam antiquis quàm nouis experimentis cognouimus, vt vel hâc ratione Deipara frequẽter à Patribus thesaurus Dei appelletur, & cum thesauri imagine componatur, præeunte huic cogitationi Salomone in libr. Sapientiæ cap. 7. versicul. 14. cum de ipsa ait: *Infinitus est enim thesaurus hominibus, quo qui vti sunt participes amicitiæ Dei facti sunt:* Sic capiente de MARIA hæc verba Richardo à Sanct. Laurentio non semel, signatè verò lib. 4. *de laudibus Virginis*, vbi inter alia quibus hunc locum satis dilucide exponit, subijcit. *Thesaurus est vbi diuersarum opum diuitiæ quasi minutatim recluduntur, vt quasi in vnum ibi cumulum reperiantur, &c. MARIA ergo thesaurus, quia in eâ, vt in gazophylatio reposuit Dominus omnia dona gratiarum meritorum virtutum, & prærogatiuarum, donorum, & charismatum.* Sic Richard. In quâ sane thesauri imagine Deiparæ aptandâ PP. multi sunt, vt facile videris apud Patrẽ Theophylum Raynaudum, scriptorum nostri sæculi gemmam (qui tot sacrarum rerum, & Theologicarum disputationum volumina sapientissimè conscripta posteritati tradenda curauit, vt tam ab erudito, quam ab imperito vulgo *speculum eruditionis* meritò appelletur) in Nomenclatore Mariano: vbi MARIAM ex Epiphanio oration. de laudibus MARIÆ appellat: *Thesaurum dispensationis planè arcanum*, necnon: *Thesaurum inexplicabilem diuinæ Oeconomiæ*, ex Georgio verò Nicomediensi oration. de oblat. MARIÆ. *Thesaurum stupendum Ecclesiæ*: itidemque, *thesaurum noui testamenti*, ex Methodio oration. de Hypapante: *Thesaurum amoris Dei Patris*, ex Andræa Hierosolymitano oration. in salutat. Angelicam: *Thesaurum vitæ immarcescibilis*, ex Andræa Cretensi

Sapient. vers. 14.

Richar. à S. Lau

Theoph. Raynan.

Epipha.

Georgi⁹.

Metho.

Andr. Hieron.

Andr. Creten.

oration. 1. de dormitione Deiparæ: *Thesaurum incorruptionis intellectum superantis*, & ex eodemmet oration. 2. de Assumptione Deiparæ: *Thesaurum absconsi ante sæcula mysterij*, necnon *thesaurum sanctissimũ omnis sanctitatis*, ex Theosterictо in canone Cõciliatorio: *thesaurũ salutis*, & ex Menæis Græcis die 21. Nouembr. *thesaurus sacratus gloriæ Dei*, & indidem die 1. Augusti Ode 8. de SS. Machabæis, *Thesaurũ beneplacitorum æterni Patris*, & ex hymno Græco apud Buteonem, *thesaurum puritatis*, itemque, *thesaurum vitæ inconsumptibilem.* Atqui si huic epiteto inhæres: immò si in thesauri imagine vim facis facile videris MARIAM indeficientem, & inexhaustum, siue potius infinitum, vt dicebat Salomon thesaurum esse, vt qui in Marianas laudes diligentem, & operam nauant perinde sint, atq; *effodientes thesaurũ* inexhaustũ siue infinitũ: nõ modo, quòd quẽadmodũ, qui thesaurũ effodiunt, quò plus in effodiẽdo laborauere, maiori illius cupiditate, & spe inflãmẽtur, sed etiã quod etsi à primis sæculis de Mariæ excellentia, & dignitate multi multa cõscripserint, quibus postea alij, & alij in eâ fœlici operâ successore, subinde tamẽ tã hodierna tẽpestate, quam futuris sęculis plures alij, & innumeri quidem sunt aduenturi, qui priorum laboribus minimè absterreãtur quominus fœlix, idem argumentum cum fructo, & pretio operæ pertractent.

Theosterict.

Menæa Græc.

Buteon.

Vel, quid Chrysostomus de explicatione epistolarum Pauli quas ipse cum thesauro componit, opportunus huic instituto dixerit, audi: ita enim ipse sermon. 25. tom. 5. *Paulinæ enim epistolæ metalla sunt, & fontes. Metalla quidem, quia quouis auro pretiosiores nobis præbẽt diuitias. Fõtes verò, quia nũquã deficiũt, sed quantumlibet exhaurias, tã-*

II *Chrysos.*

tumdem, ac multo amplius rursum affluit, & hoc euidenter declarare potest totum tempus, quod præcrijt, siquidem ex eo, quo Paulus vixit, quadringenti iam elapsi sunt anni: totoque hoc tempore multi, tùm commentatores, tùm Doctores, & interpretes multa sæpe inde hauserunt, nec tamen repositas, ibi diuitias exinanire valuerunt, subijcit appositam rationem *Non est enim sensibilis hic thesaurus, & idcirco non consumitur à multis effodientium manibus, sed augetur, & multiplicatur: Et quid dico de illis, qui ante nos fuerunt? Quam multi post nos dicturi sunt: & rursus post illos alij, nec tamen deficient fontis in modum scatentes diuitiæ: neque metallorum hoc genus exhauritur.* Hæc omnia Sanctus Ioannes Chrysostomus. Quod si ea ipsi de thesauro epistolarum Pauli dicere licuit; quantò nos opportunius, quantò meliori iure de MARIA, quæ *thesaurus inexplicabilis est diuinæ omnipotentiæ*, itidemque *planè arcanus Dei Occonomiæ*, necnon *thesaurus sanctissimus omnis sanctitatis*: & *thesaurus puritatis*: omninò affirmabimus fontis in modum iugiter scatentes habere diuitias, quæ à multis effodientium manibus nunquam consumentur, sed potiùs indesinenter auctæ multiplicabuntur, vt quamuis ante nos de ipsius Excellentissima dignitate, & puritate multi multa dixerint. Quam multi modo multa dicunt! Quam multi post nos dicturi sunt! Non est enim sensibilis hic thesaurus sed is, in quo *reposuit Deus* (vt dicebat Richardus) *omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum, & prærogatiuarum, donorum, & charismatum*, vt quæcumque de ipsa prædicentur illustria; alia quidem illustriora, & maiora prædicanda supersint. Quo omnino faciunt, ea quæ libr. 3. in adnotatione de antiquitate opinionis piæ dicebamus: significatè verò expositio, quam verbis Psalm. 88. versicul. 5. *Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam:* adhibebat idem Richardus inquiens: *Adhuc autem non cessat hæc Sedes quodammodo ædificari, quia ad honorem eius quotidie nouæ Ecclesiæ ædificantur, & quæ inueterauerunt renouantur, & ad ostendendam ipsius gloriam à Modernis de ea Sacræ Scripturæ multipliciter exponuntur.*

Richar.

A B C D E

III

Sed enim cum signatè ab Andræa Cretensi Deipara dicatur: *thesaurus incorruptionis intellectum superantis*: quis non viderit, fore id referendum ad omnimodam Conceptionis ipsius puritatem, atque incorruptionem, quæ Doctorum opinionis minus piæ intellectum, siue cognitionem superat, vt quamuis in MARIÆ cultum vndequaque procliues sint, illam tamen non agnoscant: cognituri quidem, & prædicaturi opportuno tempore: Ergo de Opinione pia, quæ iam apud omnes fideles adeò inualuit, vt quotidie diffinienda à Summo Pontifice speretur, sic censeo, ac de Christiana Religione censuere PP. per ætatum incrementa ad perfectam veritatem cognitionem, & exactam disciplinæ conuersationem peruenisse, non secus, ac arboris fructus, qui non repente, sed temporis spatio decoquitur, & maturescit; pulchrè hanc imaginem versante Tertulliano libr. *de Velandis Virginibus*, cap. 1. cum illam prius in hunc modum delineasset. *Nihil sine ætate est, & omnia tempus exspectat. Denique Ecclesiastes*, tempus (*inquit*) omni rei. *Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum est primo, & de grana frutex oritur, & de fructice arbuscula enititur. Deinde rami, & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore*

Tertull.

fructus aperitur. Is quoque rudis aliquando, & informis paulatim ætatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem saporis. Tandem ipsam instituto iustitiæ, quod persequitur, sic aptat. *Sic & iustitia (nam idem Deus iustitiæ, & creaturæ) primo fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens: dehinc per Legem, & Prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium effervuit in iuuentutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* Hæc Tertullianus floridè, sed quoniam latet anguis in floribus, scito ipsum de Paracleto Montani locutum fuisse: quare nos imagine, quam proponit retenta, & fatuitate de Paracleto Montani ablegata Sancto Spiritui iustitiæ maturitatem adscribimus, qui post Christi Domini abscessum Ecclesiæ tutor, & institutor, quod initio prope informe, & quasi acerbum erat, ad perfectam maturitatem perduxit: Ergo iuxta præfatam imaginem, qua iustitia recens nata, adolescens, & tandem matura describitur: Cogita, idemmet prorsus Opinioni piæ accidisse, vt post tantisper obnubilatam primam illam lucem, & gloriam MARIÆ, quam cœli enarrauerunt, superuenientibus tenebras, quas ei Mauritius ille Episcopus Parisiensis offudit, primo fuerit in rudimentis; dehinc promota in infantiam, dehinc ab Scoti Victoria, & à festo à Xisto IV. instituto effervuerit in iuuentutem; nunc verò per Concilij Tridentini auctoritatem, & varia Pontificia Diplomata, & Episcorum, Ecclesiarũ, Vniuersitatum suffragia, & communem Christiani Populi consensum compositam fuisse in eam maturitatem; vt inter fidei dogmata adnumerari quotidie exspecter.

IV Adstipulatur huic cogitationi multa sapientia, & elegantia Pater Ferdinandus de Salazar *in defensione pro Immaculata Virginis Conceptione*, cap. 37. à numer. 1. cuius plura sensa, & verba minime grauabor appingere, quod vtijs, quæ diximus valde consentanea sunt, ita super ea opportune, & molliter cadunt: Ergo cum ipse primum attulisset hæc verba Ioannis Gerson *in Appendice sermonis de Conceptione*, quæ in superioribus explicauimus, & in nostram sententiam inflexi- Salazar
mus. *MARIAM non fuisse conceptam in peccato originali, de his veritatibus est, quæ nouiter sunt reuelatæ, vel declaratæ tam per miracula, quæ leguntur, quam per maiorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet:* Deinde verò egregium eiusdem sensum retulisset, atque laudasset: Nempe, non minorem auctoritatem, vel ad exponendas Scripturas, vel ad veritates ex ipsis exprimendas, & declarandas in nouis Doctoribus vigere, quam in antiquis, neque nouæ, ac recentioris Ecclesiæ communem sensum, & conspirationem minus posse, aut valere, quam veteris: immo potius ex eo extremæ Ecclesiæ sententiam antiquæ quemdammodo præstare, quia cum plura ad fidem pertinentia principia sæculis labentibus ex Patrum doctrina, & Conciliorum definitionibus ad ipsam promanarint, facilius illi est ex acceptis alia, atque alia statuere, & determinare: post hæc ipse de suo, sic Gerson.
subijcit. *Id quidem verum esse, minimè inficior, & in cognitione eorum, quæ ad Deiparam spectant Ecclesiam maiores in dies progressus fecisse mihi compertum est. Constat enim antiquitatem multa Virginis encomia, aut prorsus ignorasse, aut minus rectè callauisse, quæ hodie Ecclesia noua luce perfusa piè amplectitur, & veneratur: ita vt putem id sibi ipsi VIRGINE MAM diuinasse, cum in domo ZACHARIAE ita decinit:* Ecce enim ex hoc beatam

Lucæ 1. verſ. 48. medicent omnes generationes, Lucæ 1. verſic. 48. *Quod quidem ita accipiendum eſt, vt ſuccedentes generationes, non modo acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, ſed etiam illas nouis acceſsionibus augerent, & cumularent.* Hæc ille modo. Pro quibus opportunè fideiubet Richardus à S. Laurentio lib. 4. *de laudib. Virginis*, componens cum his MARIÆ verbis illa Vatis Pſalm. 86. verſic. 2. *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, hunc in modum. *Sed quæ gloriosa?* quod Beatam eam dicunt omnes generationes: Chriſtus *enim MARIÆ filius* heri, & hodie: ipſe & in ſæcula ad Hebr. 13. verſic. 8. *Et ipſe qui antiquis inſpirauit, vt de Matre ſuâ ſub ænigmatibus gloriosa prædicerent: ipſe & quoſdam modernos illuſtrat, vt de eâ gloriosa non taceant, & etiam vſque ad finem mundi ſemper aliquos illuſtrabit, vt Matris præconio noua ſemper aliqua ſuperaddant.* Sic Richard. Vt videris, quam aptè cum theſauro inexhauſto MARIÆ laudes componantur.

Pſal. 86 verſ. 2. Richar. à S. Laurent.

A

B

C

D

E

Salazar

V

Pergit verò iam ad rem Salazarius pulchrè in hunc maiorem ſplendorem, ſiue cognitionem, quam Eccleſia in dies habet de MARIÆ dignitate, & omnimoda ipſius ab omni labe immunitate, inflectens Salomonem de ipſamet Deipara cũ admiratione dicentem: *Quæ eſt iſta quæ progreditur, ſicut Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*, Cantic. 6. verſ. 9. vt per hos Auroræ, Lunæ, & Solis gradus per quos Eccleſia Diuinæ lucis radios accepit, MARIÆ itidem ſplendor ſeſe promouerit, & mortaliũ oculis ingeſſerit. Nimirum circa ipſius Eccleſiæ initium Deiparæ lux ſimilis Auroræ extitit feſtiua quidem; & læta immò, & quæ hominibus puram, & immaculatam ſeſe conſpiciendam daret, quamuis non adeò ſplendens & clara appareret, ſubinde verò cum Eccleſia adoleuit, & clarius illi cognitionis lumen effulſit, MARIÆ quoque decor, ac ſpecies plusplus ſe prodidit, & in Concilio Epheſino, vt MATER Dei apertiſsimè, & ingenti ore appellata eſt, ita & PP. illis eius immunitas clarius emicuit, tandem verò ſub Eccleſiæ meridie, cum fulgentior lux, & tota Solis lancea ſplenduit, MARIÆ pulchritudo vndequaque perfecta, & integra, cui nulla omninò labis originalis nubecula ſubſit, non ſecus ac meridiana lux omnium oculis, & animis ſeſe ingeſsit: Addit ſtatim. *Noſtra autem ſæcula, quæ ad Eccleſiæ finem non parum vergunt, id gloriæ ſibi ſumere poſſunt, quod ipſis longe clarior MARIÆ cognitio obtigit, quod cunctam ipſius pulchritudinem oculis ſuis clare obeunt, quod iam demũ retecto velamine conſpiciunt ipſam eſſe fœminam illam Sole amictã (ſub hac enim formâ illibatam Virginis Mariæ Conceptionem hactenus pictura ſemper obtulit) de quâ Bernardus verba illa pronunciat ſupra à me adſcripta in ſermone de Verbis Apocalypſis.* Candidiſsimus ſanè, & calidiſsimus huius mulieris amictus: cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in eâ non dico tenebroſum, vel minus lucidum, ſed nè tepidum quidem, aut minus feruẽtiſsimum liceat ſuſpicari. Hactenus ex Salazar. A quo non iuerit B. Amadæi Epiſcopi Lauſenſis ſenſus ſiue prædictio dum homil. 8. de laudibus Beatæ MARIÆ inquit. *Sciẽdum certiſsimè, quod creberrima miracula, ſpiritales viſiones, cœleſtes reuelationes, ſublimes conſolationes almæ Parentis Domini orbi terrarũ aſsiduè coruſcabunt, donec finem mũdus iſte ſeneſcens inueniat inclareſcente regno, cuius nõ eſt finis.* Quę noſtro inſtituto apprimè quadrant, opinione pia quotidie à crebis miraculis

Cant. 6 verſ. 9.

cœle-

cœlestibus consolationibus, cœlestibus reuelationibus firmius subsistente.

IV Iam verò tam ex dictis in hac adnotat. quam in præcedenti, facile fuerit occurrere duabus illis Cani rationibus diffinitionem immunitatis Deiparæ obstrepentibus, nempè quod hæc diffinitio, & minus grauis videatur, si ad fidem comparetur: & ad augendam MARIÆ gloriam necessaria non sit. Nam, vt hinc incipiam, sic cum Cano ego. Si Ecclesiæ visum est, inde Deiparæ gloriam maxime augeri, quod culpæ quantumuis leuissimæ nunquam obnoxia extiterit, vt ab hâc mundissima puritate digna Mater Dei esset: itidemque quod in Natiuitate sancta, necnon quod eius corpus viuens perpetua virginitate incorruptum, & in morte vermis, & corruptionis expers semper fuerit, quo modo etiam non censebit, per dignum esse MARIÆ dignitate, eiusque gloriam magnopere augeri quod ipsa in primo suæ Conceptionis instanti pura, immaculata, omnisque labis expers, Deo grata, & amica consurrexerit. Pulchra vt Luna electa vt Sol; cuius sãctissima anima peccati corruptioni, & dæmonis seruituti nunquam fuerit obnoxia? Quid enim hac excellentiâ dignius? quid hac dignitate excellentius? quid isto splendore micantius? aut illustrius? Adeò nè parum euidetur? MARIÆ animum lethali originariæ labis vulnere nunquam saucium, semper Dei templum, intaminatum fuisse? & eâdem in mundum puritate ingressum, qua vel cœlestes spiritus præditi sunt, vel iustorum animæ æternum beandæ cœlum ingrediũtur? Appendit nè aliquando in statera iusta Melchior Canus peccati originalis turpitudinem? quemadmodum iustè eam pensitauit illustris Doctor Fevardentius a nobis in superioribus adductus libr. 10. suæ Theomachiæ cap. 2. num. 17. de peccato originali inquiẽs. *Abillo præcipitamur in abyssum iræ, ac maledictionis diuinæ, hæreditate Regni cœlestis in æternum priuamur, æternæ damnationi, Sathanæ seruituti mancipamur. Hæc præterea talem mille perturbationibus, & damnatis cupiditatibus infert, voluntatem incredibili malitia deprauat, liberum arbitrium debilitat intellectum ignoratione pudenda, fœdisque erroribus obnubilat: memoriam beneficiorum, & iudiciorum Dei obliterat ex animis, vastum denique pelagus malorum ad funditus perdendum miserabile genus humanũ inducit.* Hæc ille. Quid ergo maius? quid illustrius? quid opportunius ad augendam MARIÆ gloriam, quam tanto malo omnino caruisse? nec ad momentum illi subditam extitisse?

VII Deinde, cur, quæso, diffinitio immunitatis Deiparę minus grauis Cano videatur, si ad fidem cõparetur, cum Catholicæ Ecclesiæ graues, & eius auctoritate, & censura dignæ visæ fuerint tam præfatæ de MARIÆ sanctitate, perpetua Virginitate, & corporis incorruptione diffinitiones, quã illæ quibus, vt adnotation. præced. vidimus, Angelos corporis expertes, nec non ante primum illud instans, in quo *creauit Deus cœlum, & terram* conditos esse, de fide statuit? Dignum iudicauit Ecclesia ad fidem referre, an hoc vel illo instanti Angeli creati fuerint, & indignum iudicabit diffinire MARIÆ Deigenitricis animam non in secũdo, sed in primo instanti in gratia, & splendoribus sanctis fuisse creatam? Ex his iam vide, vt sagittæ Cani in aere hæserint, quin ad destinatum sibi scopum peruenerint.

* * *
* *
(*)

Fevard.

Opinio pia tanquam ſui ſecura prodire vult, & cõſpici: & ideò cauſſę diffinitionem anxiè expoſtulat: contraria verò quaſi exſpes ſuique diffidens diffinitionis tractatum remoratur.

ADNOTATIO IV.

I

DIxit quidem inſulſiſsime Caietanus in opuſculo *de Conceptione* opinionem, quæ immunitatem Mariæ negat *in ſinu Sanctorum conquieſcere*, cum tamen ex ſilentio illi à Pontifice impoſito viderimus ipſam non aliam, quam mortis quietem, & hanc ſumma cum ſollicitudine, & anxietate ſperare poſſe: quippè id omne ſilentium iſtud portendit, vt vidimus ex Ieremia cap. 8. verſic. 14. dicente; *Ieremæ. 8. verſ. 14.* *Conuenite, & ingrediamur, & ſileamus ibi, quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*, pro illis verbis: *& ſileamus ibi*, reponentibus ex Hebręo Pagnino, & Vatablo. *Moriamur, & pereamus ibi*, Cornelio verò, & alijs *expectemus anxij, & mæſti*, quod hâc oppoſita, etſi minuta imagine ipſi explicat: *quaſi mures corã fele.* Similemque ſenſum ſequentibus verbis: *Quia Dominus ſilere nos fecit*, reddentibus LXX. & Paraphraſte Chald. illi enim legum: *Quia Dominus abiecit nos*, Chaldæus verò: *Dominus pudefecit nos*: Quæ quidẽ omnia peropportune exhauriunt, tùm huius ſilentij vim: tùm etiam, quàm non conquieſcat in Sanctorũ ſinu opinio minus pia, vt aiebat Caietanus: Certè ipſam nõ conquieſcere: immo verò quaſi abiectam, & mæſtam expectare belli exitum illud manifeſte euincit, quod diſſinitionem Pontificiam de hoc articulo modis omnibus refugit, eo primũ muro ſe protegens, quo contendit hanc de Deiparæ immunitate controuerſiam Pontificiæ diſſinitionis non eſſe capacem, nec tanti eſſe, vt inter veritates fidei numeranda ſit, vt quemadmodum pia opinio *benè fidens ſpe* diffinitionem iſtam ſummopere expetit, & obnixius ab Apoſtolica ſede expoſcit, ita minus pia opinio diffinitionem renuens, *diffidat, & exſpes ſit*, vt vtar verbis, non ſenſu Iſocratis *in paraneſi*, & verbis, & ſenſu magni poetæ dicentis: *Degeneres animos timor arguit*, hoc eſt, vt a fiduciâ, & cõſtantiâ deprehendi ſolitum ſtrenuum animũ, pugnam non reformidantem, quod eius in victoria mens ſit, ita timorẽ arguere hominem ſuæ cauſſæ, & viribus diffidentem. Vndè quidem cũ duas haſce opiniones hac de re adeò diſſidentes videmus, vt pia diffinitionem petat, & minus pia eam reſpuat: videor mihi videre duas illas matres coram Salomone diſceptantes de infantuli cuiuſdam poſſeſsione quarum quælibet ſuum eſſe filium præfractè affirmabat 3. Reg. 3. verſ. 27. Nimirum quemadmodũ tunc quoque nullæ forent coniecturæ, aut teſtes, Salomon tamen eam rationem inuenit, quæ veram proderet matrem, & ſimulatam cõuinceret mendacij ream, vt infantulus inter vtramque diuideretur, vtque illa quidem quæ vera mater erat nõ niſi integro, & incolumi filio frui voluit; ea verò quæ ſimulatè matrẽ ſe eſſe fingebat, potius ſuccumbante: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur:* ad hunc itidem modum noſtra ætate coram vero Salomone Pontifice Romano duabus his opinionibus iudicio contendentibus: dum pia

3. Reg. 3 verſ. 27.

opinio

opinio absolutam efflagitat articuli huius diffinitionem, & pro veritate decertat: opinio minus pia causſæ decisionem detrectans: tantum nō dicit: *Nec mihi, nec tibi*, sed res semper sub lite maneat. Quare non immerito illud hoc in loco vsurpabimus, quod Tertullian. lib. 1. aduers. Valentinianos cap. 3. de illis per anfractus, & ambages euntibus dicebat: *Denique hunc primum congressionis suæ cuneū armauimus detectorem, & designatorem conscientiæ eorum: primam hanc victoriam auspicamur, quia quod tanto impendio absconditur: etiam solummodo demonstrare, destruere est*: ita Tertullianus. *Tertull.*

II *Ioan. 18 vers. 37.*

Enimvero hæc inter alias fiducię nostræ ratio est, quod certam opinionis piæ veritatem ab eo, qui nec falli, nec fallere potest audire ardēter desideramus, & tota veritatis luce frui, dum opinionis minus pię auctores hanc solis lanceam refugiūt, & veritatem sub luce maligna consistentem volunt: Dissertabat de veritate is qui *via veritas, & vita est*, coram Præside Pilato, apud Ioann. cap. 18. vers. 39. inquiens: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundū, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit vocem meam:* Sed quo modo loqui Dominus consueuit, vt abijs, qui ex veritate sunt audiretur? Ipse quidē Dominus paulo ante aperuerat, indidē vers. 20. inquiens: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Porro cum priora illa verba à Domino audiuisset Pilatus ipsum remotis arbitris (erat enim introrsum in prætorio cum Iesu) interrogauit. *Quid est veritas?* & facta interrogatione, nec expectata responsione: *Cum hoc dixisset iterum exiit ad Iudæos*: Cui quidem facto pulchrum reddidit sensum Bernardus serm. in verba Prouerbiorum: *Beatus, qui inuenit sapientiam*, quasi Præses de veritate non palam, sed in occulto differere, & edoceri vellet: Cumque illico timuisset, veritatem à Domino elata voce illā diffidente audire, reuerberata à prima veritatis luce eius facie, resiluisse: sic namque primum Bernardus. *Quid tu Pilate eorsum interrogas? vt tibi susurret in aure, quid est veritas*, & statim de illo subita mutatione foras egrediente subdit: *Reuerberata acie protinus resiluit, & responsum non sustinens protinus egressus est foras.* Hæc Bernardus. Quæ quivis viderit, cui ex his duabus opinionibus opportunius accommodentur: Nostra certe à Summo Præceptore veritatē manifestè audire exoptat, atque ab ipso summis precibus efflagitat, vt illam palam toti mundo aperiat: itidemque nos eam in templo, quo omnes conueniunt prædicamus: de contraria verò opinione tum ipsemet Dominicani Ordinis P. Vincentius Iustinianus Antist. affirmat: *Vt hodie vix inueniatur, qui ipsam tueatur, nisi clanculum*, & P. Petrus Canisius, vt sanctitate, & doctrina insignis de hisce Doctoribus. *Hi pudore impediti, quod in animo gerunt, & secum ipsi taciti loquuntur, ac sentiunt, palam efferre, ac pronunciare non satis tutum arbitrantur*: ita ille. *Vincent. Iustin.* *Canisius*

III

De facie ergo iam vnam, & alteram opinionem cognosce, vt à cuiusque facie, deprehēdas, cui debeat adscribi character veritatis; siue nota, & insigne veritatum fidei: clamat igitur opinio pia, voce magna, & libera loquitur, palam, constanter, confidēter: exposcit rem vndequaque excuti, examinari, diffiniri; contra verò opinio minus pia vna ex parte, elinguis, & muta est, & clāculum loquitur: ex alia verò contēdit nè res ad exitum perducatur, nec quid de fide tenendum sit à Dei Vicario pronuncietur, eaque de re

moras indelnenter nectit, ac veluti inter maturam messem, & falcē (vt est in Prouerbio) murum inijcit, & nouas dubitationes ciet. Sed fiduciam, & constantiam opinionis piæ, quam ipsa in facie, & voce ostendēs Fidei veritates æmulatur; nec hilū abire dixeris a voce quæ Ioanni insonuit de quâ ipse Apocalypsis 1. vers. 10. *Audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, Quod vides, scribe in libro.* Quo in loco merito ambigas quid fuerit opus, vt Ioannem, cui quiuis sibilus, vel nutus satis superque erat, vt mandata Dei obaudiret Angelus voce magnâ tanquam tubæ alloqueretur? Certe de Christi discipulis iam dudum prædictum fuerat à Vate. *Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos,* Zacharias 10. vers. 8. ita hoc vaticinium elucidante Stephano Cantuariensi in allegorijs Gotfridi Tilmani. *Quasi solo sibilo opus sit, nō prædicationis tubâ*, non ergo tubâ (inquies) sed sibilo monendus fuerat Ioannes: Verumenim verò aliò ibi vox magna, & tubæ sonus iuerint, vt videlicet Fides suam omninò vocem emitteret: nempè eā cui ingenita fiducia, libertas, & constātia est, vt inibi Rupertus hunc in modum: *Quia veritas fidei non amat angulos, non in occulto, sed palam omni mundo loqui desiderat, rectè non per qualemcumque vocem, sed per vocem tubæ magnam id, quod dictum est, significari decebat.* Sic ille: obserua characterem, & notam veritatū fidei, non amare angulos, non in occulto, & clanculum, sed palam, & toti mundo loqui exoptare, vt cum videris opinionem aliquam clanculum, & in angulis Doctorum suorū loquentem, siue etiam in apertam lucem exire detrectantem, & sibi ipsi diffidentem, iure in animum induxeris, ipsam ad veritates fidei non pertinere: pulchrè pronūciante Tertulliano lib. *aduersus Valentinianos,*

Apoc. 1 vers. 16.

Zach. 10 vers. 8.

Stepha. Cātuar.

Rupert.

Tertull.

A

B

C

D

E

cap. 1. *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi: quia nec pudebit vllam ei aures dedere.* Hæc ille quibus & opinionem piam de facie cognoscendam exhibet, & à minus piâ accuratè discriminat. Quid enim opinio pia magis expetit, quam foras erumpere, palam loqui, publicè manifestari? Quid timet nisi ruborem? Quid erubescit, nisi abscondi? Et quidem iure: siquidem non pudeat vllum, ei aures dedere, sed omnes omnino homines, qui sub cœlo sunt ad ipsam in concionibus audiendā certatim, & alacriter conueniant, & arrectis auribus adstent: cum tamen è contra opinio minus pia in publicum exire, vt diffiniatur, quid de fide tenendum sit, omninò erubescat, nec velit nisi solummodo abscondi, sanè quod ipsa diffidat, & exspes sit.

IV

Vel vide quid de Euangelij veritatibus à se manifestandis Paulus non semel dixerit: sic namque primum ipso exoptāre, & magnis precibus à Deo efflagitante: *Vt detur mihi* (inquit) *sermo in apertione oris mei cum fiduciâ notum facere mysterium Euangelij, prout oportet me loqui* Ad Ephesios 6. vers. 19. vbi obserua opportunos dicendi modos: & illum in primis: *Sermo in apertione oris*, qui non eò it vt velit Apostolus: *Aperiantur thesauri, & abscondita à sæculis Sacramenta pandantur, vt Spiritus Sanctus introeat ad ea proferenda, quæ latitant*, vt interpretatur Hieronymus, sed potius vt denotat magnum, & excelsum animum, qui vt intrepide, & fortiter ingenti ore, siue potius toto ore aperto loquitur; ad modum quo de Demetrio Philosopho reijciēte magnam auri summam, quam ei Cæsar obtulerat, vt à Philosophandi proposito remouerer, dixit Seneca lib. 7. *de beneficijs*, cap. 11. *Ingenti ore ab illo dici audiui, cum miraretur demētiam eius, quod se putaret tanti posse*

Ephes. 6 vers. 19.

Hieron.

Seneca.

mutari.

mutari. Si tentare me constituerat: toto illi fui experiendus imperio: Ita ca-
Theoph. piente hæc Pauli verba Theophyla
cto dum ait. *Catena ergo mihi impo-*
sita est, vt os, & libertatem loquendi
mihi obturet: vestra autẽ oratio meũ
mihi os aperiet, vt liberrimè loquar,
& proloquar quæ is, qui me legatũ
emandauit, mihi commisit: & sensum
Vatabl. sic præstringente Vatablo: *Vt detur*
mihi aperto ore libere loqui: Vnde
Cornel. quidem benè obseruauit ad hæc ver
ba Cornelius alluſum fuisse a Paulo
Ezechiel ad illa Domini apud Ezechielem, c.
24. v. 36. 24. versic. 26. *In die illâ aperietur os*
& c. 29. *tuum*, & cap. 29. vers. 21. *Tibi dabo*
vers. 20. *os apertum in medio eorum*, quæ sic
elucidauit P. Sanctius: qui timide, &
dubitanter loquuntur, illi aut mutire, & mussitare, aut ore clauso loqui existimantur, quia illi magis opprimunt, & obscurant, quam exprimũt aut dilucidant cogitationes suas: ita ille, adquem modum ipse priora Ezechielis verba, *aperietur os tuum*, itidem extulerat, vt non amplius timide ac obscurè, quasi ore, aut clauso, aut impedito loqueretur Vates: subdens hunc etiam sensum subesse sequentibus verbis: *Et non silebis vl*
Sanctius *tra*, inquiens: *Hic observa silentium*
in Scripturâ sacrâ nominari sermonẽ
obscurum, & abspiritu timido, ac lã
guido profectum: Quod planè (si bene æstimas, & me alibi id ex profesſo tractantem audis) sibi voluit Matthæus, cum de Domino sermonem in monte à paupertatis, & humanarum rerum contemptus commendatione exorsus, dixit: *Aperiens os*
suum docebat eos dicens, Beati pauper-
Matth. *res spiritu*: Matthæi 5. vers. 2. rem vi-
5. ver. 2. delicet arduam, & hominibus inauditam, & inuisam magno, & excelso animo fidẽter, & libere humanis auribus ingereret: Sed & denuò in Pauli verbis obserua illud: *Cum fiducia*
prout oportet me loqui, vt dixerit Paulus hunc loquendi modum liberum, constantem, & fortem, & fiduciæ plenum maximè spectare ad veritatem Fidei commendationem, & ad Euangelici Concionatoris auctoritatem: Quare ibi opportunè inquit Hieronymus: *Hunc confidentiæ sermonem, ei dumtaxat cõuenire,*
qui non habuerit cor se reprehendens.

Possis vero Paulo sermonem in apertione oris exoptanti dicere: Quod petis intus habes, cum ipse ad Romanos 1. vers. 15. scripserit: *Ita,*
quod in me promptum est, & vobis,
qui Romæ estis Euangelizare: Non
enim erubesco Euangelium: Quo in loco maximè notanda hæc causalis est: *Non enim erubesco Euangelium:* Nimirum cum Paulus Romæ, Nerone Cæsariano gladio ferociente Euangelium foret annunciaturus, dixerit non nemo, potius dicere debuisse, se non timere Euangelũ Romæ prædicare, quam non erubescere, cum timor sit fortius impedimentum pudore, ac proinde posset non nemo illi objicere: si non erubescis, at times: ideo Romam non venis. Occurrit tamen huic objectioni Cardin. Toletus, obseruans Paulum ijs verbis non de suis, sed de Euangelij laudibus cogitasse: ideò non timoris, sed ruboris meminisse, quippe rubor ad Euangelij annũciandi causſam: timor ad concionatoris fortitudinem respiciebat: ideòque vtia, qui timorem de prædicatione Euãgelij negaret se habere, potius se ipsum, & animum virilem, & fortem, quam Euangelium commendaret, ita qui affirmaret se de Euangelicâ doctrinâ pudore non affici, eam maxime laudaret, & exornaret, quod talis esset, ac tanta cui omninò credendum, atque fidendum foret. Ergo accurato dicẽdi modo dixit Paulus se minimè erubescere Euangelium Christi, sed illud ingenti ore, & magna voce fore annunciaturum, vtpotè doctrinam verissimam, & maximè salutarem, cui omnimoda fides adhiberi deberet: Quo planè

Roman. 1. v. 15. Card. Tolet.

respe-

respexit Dominus apud Lucam 9. verſic. 26. commonefaciens: *Qui me erubuerit, & meos ſermones: hūc Filius hominis erubeſcet cum venerit in Maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Quæ ſic eluci-
Luc. 9 verſ. 26.
Tertull.
dauit Tertullian. in *Scorpiaco aduerſus Gnoſticos*, cap. 9. *Sciebat enim à confuſione formari negationem: mentis ſtatum in fronte conſiſtere: priorem eſſe pudoris, quam corporis plagam:* Scitè illud: *Mentis ſtatum in fronte conſiſtere*, quod totos animi, & cōſcientiæ ſenſus in vultu, & frontis libertate conſiſtat, vt pro cauſſæ bonitate, aut malignitate frons, aut erecta, & conſtans, aut demiſſa pudo reque ſufuſa ſit. Nec minus opportune Fulgentius lib. 1. ad *Trasimundum*, cap. 1. ad eadem Chriſti verba
Fulgen.
inquiens: *Nec immerito talis ſernus, & abijcitur, & punitur, qui vno eodemque ſilentio firmat errorem, qui terrore ſeu torpore poſſeſſus ſilendo nō adſtruit veritatem. Dominicam quoque gloriam, qui non firmauerit, euacuat, & diuinam contumeliam, qui non confutarit, accumulat. Plerumque miles ignauus regia caſtra ſomnolento torpore depreſſus oppugnat.* Hactenus Fulgentius.

VI Ab hoc quidem non abijt tandē Ambroſius lib. 10. in Lucam: Nam etſi primum pro egregiâ ſui benignitate, & animi ſuauitate nimis pronus in Petrum ſingulas eius negationes diligenter obtegere, atque excuſare tentaſſet: nempè vt cum primæ ipſi factæ interrogationi reſpōdit: *Non noui illum*: (Matthæi 26. verſ. 32.) id ad perfectam Diuinitatis notitiam fuerit referendum: *Temerarium quippe erat* (inquit) *vt diceret, quia nouerat eum, quem mens humana non poteſt comprehendere*, deinde verò vt dum ei Chriſti hoſtes percontati ſunt, an ex diſcipulis eius eſſet; ipſeque dixit: *Non ſum*, Ioan. 18. verſ. 18. ad ſuimet potiùs, quam ad Chriſti notitiam reſpicies
Ambr.
Matth. 26. v. 32
Ioan. 18 verſ. 18.

A

B

C

D

E

reſponderit: *Maluit videlicet ſe negare, quam Chriſtum*: denique cum tertio interrogatus dixit. *Neſcio quid dicis*, Matthæi 26. verſ. 70. de iudeorum ſacrilegijs fuerit locutus: *Hoc eſt ſacrilegia veſtra neſcio*: tandē poſt tam accuratam defenſionem animaduertens Ambroſius has omnes locutiones, ſiue verborum Petri interpretationes ruborem, & timiditatem præferre, mentis ſtatus in fronte conſiſtat, & degeneres animos timor arguat, ac proinde a cōſtantiâ fidei, & veritatis profeſsione longius ire, cui ingens os, vox clara & magna dicendi libertas ſubeſſe debent, hanc Petri defenſionem, & cauſſam deferens ab ipſius excuſatione ita diſcedit: *Sed nos excuſamus, Dominus ipſe non excuſauit. Non enim ſatis eſt inuolucra reſponſio confitentis Chriſtum Ieſum, ſed aperta confeſsio: Quid prodeſt verba inuoluere, ſi videri vis denegaſſe?* Pulchrè inuolutam reſponſionem confeſsioni fidei minime opportunam reputans, quæ aperta, libera, intrepida, & clara voce facta eſſe debet: vt mentis ſtatum deregat, & bonitatem cauſſæ patefaciat. Ita quidem Hilarius libr. *aduerſus Arrianos*, egregios Chriſti Confeſſores, atque cultores à ſubdolis, & ſpurijs ita diſcriminabat: *Tenet inuicta fides veſtra ſpectabilem conſcientiæ ſuæ gloriam, & nihil ſubdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta ſecurè in Chriſto libertatis ſuæ profeſsione perſiſtit.* Sic ille: vbi obſerua ſapienter attribuiſſe fidei, *ſpectabilem conſciētiæ gloriam*, cum alluſione ad Chriſti verba: Matthæi 10. verſ. 33. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus*, notante ibi Maldonato verbum *confiteri*, Hebraice denotare cōfeſsionem palam, & glorioſe factam, à conſcientiâ videlicet ſui ſecura, & benefidente profectam.

Matth. 26. v. 72

Certabant quidem aliquando VII de veritate, ſeu de opinione ſua hominibus

minibus ſuadenda apud Danielem tùm nocentiſsimi ſenes, tùm innocentiſsima Suſſanna, & qui contendentibus, & litigãtibus mos eſſe ſolet, tam hæc, quam illi vocem clamantes extulerunt, ſed (ſi attendis) alia Suſſannæ, alia Senibus vox erupit, non perfunctorie id adnotante Vate cap. 13. verſ. 23. his verbis: *Et exclamauit voce magnâ Suſſanna: exclamauerunt autem, & Senes,* notãter tribuente Sacro eloquio Suſſannæ vocem magnam, quam ſenibus, etſi viris, & duobus nõ attribuit, vt præ duorum virorum voce delicatulæ fœminæ vox fortior, & valentior eruperit, quæ clarius inſonans corũ voces obſcuraret, ſiue potius abſorueret: Sanè vt iam in voce, non ſolũ conſcientiæ ſecuritatem, atque fiduciam, ſed etiam victoriam præferret: alterum Hieronymo: alterum adnotante Ambroſio: ille ſiquidem in id loci ſic ait: *Magna vox erat, nõ aeris percuſsione, & clamore faucium, ſed pudicitiæ magnitudine per quam clamabat ad Dominum. Vndè & Sancta Scriptura in exclamatione ſeniorum non appoſuit magnam vocem. Cordis affectus, & mentis pura confeſsio, & bonum conſcientiæ vocem eius fecerant clariorem.* Hæc Hieronymus. Pergit Ambroſius, & hãc magnam Suſſannæ vocem ad iudiciariam illius in reos auctoritatem acutè refert: ita enim ipſe in libr. *de fugâ ſæculi*, cap. 9. inquit. *Denique cum morte damnaretur, exclamauit quaſi iudex reorum: arbitra calumniantium, & innocentis conſcientiæ auctoritate diuinam ſibi in iudicium accerſiuit cognitionẽ non timore mortis percita, ſed arguentis cenſuræ poteſtate præcelſa.* Ita ille. A quo non abit, populum de Suſſannæ victoria alacrem ad eius morem voce magna exclamaſſe, ſic enim ibi, verſic. 60. *Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, &c.* Vbi vides vocem elatam, & magnam conſcientiæ integritatem, ac fiduciam, itidemque auctoritatem, & victoriam denotare.

Dan. 13. verſ. 24.

Hieron.

Ambr.

Omnia quæ huculque dixi: ingeſsi quidem libenter ſiue congeſsi vt tam à ſilentio, & muſsitatione opinionis minus piæ de quâ benè Pater Iuſtinianus Antiſt. dicebat: *Non eſſe, qui eam, niſi clanculum tueretur*: & ab hæſitatione, quâ diffinitionem huius articuli remoratur, quâ à clara, & clariſsimâ voce opinionis piæ immunitatem Deiparæ toti orbi ſuadere curantis, & ad eã celebrandam totos neruos contendentis, itidemque à ſummo cordis affectu, quo a Summo Pontifice vltimum de hac re iudicium efflagitat, planum fieret, tantum opinionem piam accedere ad characterem, & notã veritatum fidei, quantum opinio minus pia ab hoc ſplendore, & dignitate diſcedere, & lõgius abire videtur: illa ſiquidem mentis ſtatum in fronte habens adeò non erubeſcit foras prodire, & publicari, vt potius teneat ſpectabilem conſcientiæ ſuæ gloriam, & nihil ſubdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta ſecurè in libertatis ſuę profeſſione perſiſtat, nullum non lapidem mouens, vt quid tandem hac in re de fide tenẽdum ſit ab Eccleſia diffiniatur: interimque tanquam innocens Suſſanna voce magnâ exclamet, quod & cordis affectus, ac mẽtis pura confeſsio, bonumque conſcientiæ vocem eius faciant clariorem: & quaſi iudex, & arbitra diuinam ſibi in iudicium accerſat cognitionem non timore percita, ſed arguentis cenſuræ poteſtate præcelſa hæc verò ſibi diffidens trepida, & pudore impedita iudicium ſubire non ſatis tutum arbitratur, atque ideò omni modo conatur, vt lis de MARIÆ immunitate inter quęſtiones interminatas numeretur. Quam obrem primum Cano (non ſatis cano) duce, & Auctore moliti ſunt hu-

VIII

ius sententia assecłæ persuadere hãc controuersiam ab Ecclesia diffiniri non posse, vt hoc quasi antemurali posito suæ opinionis murus expugnari nequiret. Cum verò illud antemurale, quod putabant aheneum, inuẽtum est luteum cunctis omnino Auctoribus: immo & Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. contrarium pronunciantibus (vt suo loco vidimus) nouas subinde artes efferentes quibus causſam producerent, & remoram diffinitioni Pontificiæ injcerent, Deiparæ Conceptioni titulum Immaculatę auferre conati sunt omni contentione, & nisu pugnantes, non modo aliud esse Deiparam

A

immaculatam dici, sed etiam aliud mortalium auribus insonare, Conceptionem Deiparæ asseri immaculatam, ac differte pronunciare Deiparã absque originali peccato fuisse conceptam, vt ex libellis supplicibus datis Eminentiss. Cardinalibus apparet, vt videlicet artificio producendæ causſæ proficente, nullus huic controuersiæ finis sit. Sed Deo auspice, & immunitatis Matris suæ egregio propugnatore, quam citissimè speramus exclamaturũ omnem cœtum, vt in causſâ Susſanæ. Bene dicẽ-

B

tes Deum de MARIÆ purissima, & illibatissima Cõceptione inter Fidei dogmata ab Ecclesia numerãda.

IHS

DISSERTATIO II.

DE CAVSSA, CVR PIA DE MARIÆ immunitate opinio, tot retro sæculis inter Fidei dogmata constituta non fuerit.

EA POTISSIMVM RATIONE DEIPARÆ immunitas inter Fidei dogmata, non fuit constituta, quod non vltro, citroque de ea inter Auctores concertatum fuit, plenius & glorioſius enituit, & fidelium mentibus, & animis altiùs infixa est.

ADNOTATIO I.

1 VT Melchior Canus quòd nobis insulsũ illum suum sensum ab omnium sapiẽtum, & scriptorum huius sæculi, immò & à Summorum Pontificum (vt vi-

C

dimus) sensu aberrantem obtenderet, frigidâ illa argumentatione, fine consecutione vtebatur, *Ideò diffinibilem non esse, nec diffiniendam opinionem piam, quòd adhuc diffinita nõ fuisset:* ita solenne est pijs & sapientibus viris, comiter, & religiosè ambigere,

bigere, cur cœlestis Sponsus, cui purissimæ Sponsæ suæ gloria chara est, cuique ea de caussa opinio de MARIA immaculatè concepta vehementer placet, tamdiù dissimulauerit in censum dogmatum Fidei referri, vt omnes omninò eam profiteri tenerentur, quin vlli fas esset de Deiparæ immunitate dubitare? Cui sanè interrogationi ipsamet Sanctissima Virgo opportunè satisfeciſſe videtur in verbis illis à nobis, non semel adductis apud Beatã Birgittam libr. 6. Reuelationum,
B. Brig. cap. 55. *Scito quod Conceptio mea, non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcesſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex Scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, sic placuit Deo quod amici sui piè dubitarent de Conceptione meâ, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret in tempore præordinato.* Sic Sanctissima Deipara: cuius in verbis præter rationem latentem de voluntaria electione opinionis piæ ad promptius in Deiparam obsequium ostendendum: obserua extrema illa: *vt quilibet ostenderet zelum suum.* Sed quam ob rem? Sanè vt dum de MARIÆ immunitate inter Catholicos Doctores vltro, citroque religiosa æmulatione concertaretur: non modo planum fieret MARIAM Immaculatè fuisse conceptam, sed huius etiam immunitatis dignitas, atque excellentia dignosceretur, atque inde Virginis gloria plusplus in hominum existimatione augeretur, & crescceret: dum huius dissertationis occasione in multis excitatus est ardor inuestigandi, probandi, defendendi, & prædicandi Deiparæ immunitatem eiusque causſas, radices, & effectus, quæ vt in Virginis gloriam signatè cedunt, ita quidem nisi hæc tam acris ea de re disceptatio suborta non fuisset, forsitan non adeò eluxissent.

Sicquidem monuit Salomon, *in certamine loquelæ Sapientia.* Sapientiæ 8. versic. 18. quod vt sapienter inquit Casianus lib. 1. *de Incarnatione*, cap. 6. *Semper veritas ventilata plus rutilat*, & eodem sensu Summus Pontifex Ioannes XXII. in cap. *Quia non nunquam*, de verborum signification. *Nonnunquam argumentis frequenter, & collationibus latens veritas aperitur.* Quæ sententia, vt venustè explicatur à Seuerino Boetio lib. 3. *de Consolatione*, prosa 12. dum adstruit, esse operæ pretium rationes inuicem collidere, quòd ex huiusmodi conflictatione pulchra quædã Veritatis scintilla dissiliat: ita pulcherrima imagine illustratur ab Origene homil. 5. in Ieremiam docente è nubibus ratione præditis sermone, & collocutione collisis non minus existere luminis claritatem, quàm è nubibus concussis rutilent fulgura. Quo in loco pœne est, vt obiter laudem Ioann. Maiorem in 2. distinction. 2. quæstion. 1. ad primum: ideo reijcientem Capreolum affirmantem doctrinam Sanct. Thomæ fuisse ab Ecclesia canonizatam, quasi eo admisso nefas esset, eius doctrinam agitare. Quod quidem Maior valde incommodum censet, cum ob alia, tùm vel maxime, quia inde ipsismet Sancti THOMÆ assectis subduceretur occasio effundendi vberiorem lucem ijs, quæ in doctrina Sanct. THOMÆ sub. obscura sunt, cum *in certamine loquelæ sit scientia!* Pulchre sanè hanc ob causſam dixit Sanct. Augustin. lib. 16. *de Ciuitate Dei*, cap. 2. *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota*

II *Sap.* 8. *vers.* 18. *Cassin.* *Boetius.* *Pont. Ioan.* *Origines* *Ioann. Maior.* *August.*

quæstio discendi extitit occasio. Ita ille.

III Quod si animum intendis, est hic vetustissimus Dei mos, *qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*, ad Ephesios 1. vers. 11. vt de tenebris dubitationum lumen veritatum splendidius emicare faciat, dicente Apostolo: *Deus, qui dixit, de tenebris lumen splendescere ipse illuxit in cordibus nostris*, 2. ad Corinth 4. versic. 6. quemadmodum à tenebris dubitationis Thomæ diuina claritas in cordibus fidelium illuxit: *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem* (inquit Gregor. Magn. homil. 26. *in Euangelia*) *quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ in fide solidatur.* Quod sanè in Ecclesiâ Catholicâ perpetuò vidimus, à dubitationum, & diuersarum opinionum nebulis, veritates fidei, vt plusplus examinatas, ita plurimum illustratas, atque idcirco sæpius Concilia fuisse coacta à quibus splendidissima, & vberrima lux Ecclesiæ oborta est: vti sapienter ab Augustino multis in locis adnotatum est: Nam in primis in libr. *de bono perseuerantiæ*, cap. 7. cum de diuina Prædestinatione luculenter differens dixisset. *Hæc est Prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum quæ postea diligentiùs, & operosius, cum contra Pelagium disputaremus, defendere necessitas compulit*, subjecit. *Didicimus enim singulas hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura diuina, quam si nulla talis necessitas coueret.* Hæc ibi peropportune Augustinus, & similia pluribus in locis: Do nonnullos.

IV Equidem in hunc ipsemet sensum inflectit verba Psalm. 54. versicul. 22. *Diuisi sunt ab irâ vultus eius, & appropinquauit cor illius,* quasi occasione diuisionis, qua se ab Ecclesiâ disiunxere hæretici cor Dei hoc est arcana eius, quæ latebant in sinu eius clariùs enituerint. *Multa enim* (inquit) *latebant in Scripturis, & cum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitauerunt Ecclesiam Dei. Aperta sunt, quæ latebant, & intellecta est voluntas Dei.* Sed & statim cum iis Dauidis verbis componens hæc eiusdem Vatis Psalm. 67. versicul. 31. *Congregatio taurorum in vaccis populorum vt excludantur* (sic legit Sanct. Augustinus) *qui probati sunt argento*, sub hoc sensu. *Dixit enim* exeludantur: *Emineant, eant, appareant: vndè dicuntur & in arte argentariâ exclusores: Idest, ex quâdam confusione massæ ad suæ formæ opus expressores. Ergo multi, qui optimè poterant Scripturas dignoscere, & pertractare, latebant in populo Dei, nec afferebant solutionem quæstionum difficilium, cum calumniator nullus extaret:* Pergit Sanct. Augustinus hanc doctrinam exemplis firmans, & densans hunc in modum: *Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Arriani? Numquid perfectè de pœnitentiâ tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani? Sic non perfectè de baptismatè tractatum est, antequam contradicerent foris positi Rebaptizatores. Nec de ipsa vnitate Christi enucleatè dicta erant, quæ dicta sunt, nisi postquam separatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iam illi, qui nouerant hæc tractare, atque dissolnere, nè perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum sermonibus & disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent.* Ergo illi diuisi sunt ab irâ vultus eius: & *nobis ad intelligendum* appropinquauit cor eius: Hactenus Augustinus. Quæ Sanct. Leo Pontifex breuiter, & eleganter præstrinxit in epistol. *ad Theodoretum*, quâ illi reditum

ad

ad Ecclesiam gratulatur,& habetur ad calcem operum Theodoreti, inquiens. *Ipsa veritas, & clarius enitescit, & fortius retinetur, dum quæ Fides priùs docuerit, hæc postea examinatio confirmarit.* Sic ille: Nimirum sapienter dictum est ab Aristotele à contradictione firmitatem rebus aduenire: ita enim Philosophus libr. 2. *de animâ* capit. 4. textu 45. *Contraria igni aqua pastum præbet, & multa sunt, quæ cõtradictione firmantur.* *Arist.*

V

Adhæc: in æmulâ contentione, & in obscuræ dissertationis discussione, non tantum lux noua mentibus suboritur, sed etiam animus peculiari studio, & affectu in veritatis scrutationem accenditur, & nouo calore inflammatur: dum nescio quo ardore, qui erga aperta languent, occulta & abstrusa rimantur: vti dixit eleganter Seneca: *Multi aperta transeunt, occulta rimantur*, & profundè Tertullianus lib. *de animâ*, capit. 2. *Latè quæruntur incerta, latius disputantur præsumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi.* Ita Augustinus lib. 2. *de doctrina Christiana*, cap. 6. cum de Sacræ Scripturæ obscuritate disseruisset, eò illam signatè refert, vt diuina prouidentia languorem, & fastidium legentibus adimeret, & ad illam scrutandam inflammaret; sic enim ille: *Quod totum diuinitus prouisum esse, non dubito ad edomandam superbiam & intellectum à fastidio reuocandũ, cui facile inuestigata, plerumque viluerunt*: Ita Augustinus, nec minus appositè, atque eleganter id institutum pertractauit Prosper libr. 2. *de vocatione gentium*, cap. 3. vbi cum dixisset: *Rei gestæ docemur exemplo, quod inter generalia, vel promissa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus à communibus excepta causis occultiore novit ordinare ratione*: subijcit opportunã rationem: *Credo vt interpositus quibusdam obumbrationibus ea, quæ secretius micant, mirabilius innotescant, nè negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormitet assuetis, si non excitetur insolitis*, Hæc Prosper. Quibus placet assuere, quæ Gentilis Themistius in oration. *ad Imperatorem Valentinianum*, de Philosophiæ incremento ab ardore, & æmulatione, quo discrepantes inter se Philologi de eruendâ veritate contenderunt, profecto, sic disserit. *Artes quidem quarum magnus in vitâ vsus, & delectatio est, nunquam ad tantam sublimitatem, & elegantiam peruenissent, nisi artificum inter ipsos discrepantia iudiciorum, & certamen quoddam extitisset, quippè ipsa Philosophia mater omnium laudandarum artium ab exiguis orta principijs non nè doctissimorum hominum dissensione ita creuit, vt ad eius absolutionem nihil desiderari videatur.* Subijcit omninò ad rem. *Denique sic res habet, industriam acuit, & studium incendit hominum inter se æmulatio, atque contentio, contraque languorem, & ignauiam animi affert, omnia omnibus assentiri, nullaque de re contrarijs rationibus confligere. Atque hæc est illa contentio, quam vtilissimam esse hominum vitæ elegantissimis versibus scripsit Hesiodus.* Hæc omnia Themistius. *Seneca.* *Tertull.* *Augus.* *Prosper.* *Themist.*

VI

Volo quidem mihi persuadere, non fuisse me nimium longum in ijs, quæ hactenus attuli, quod omnia omninò præsenti instituto consentanea, & opportuna esse credam: Nempè cum Deiparæ immunitas Deo maximè dilecta sit: & pia de ipsâ opinio valde chara, cumque MARIÆ gloria ab omni nævo expers, non tepidè, aut negligenter, sed modis omnibus, & ardentissimo studio per omnes mũdi terminos in quibus fideles dilaterminati sunt, coli, & celebrari vellet,

de industria permittit, vt amici sui piè de illa dubitarent, vt interpositis his obumbrationibus, ea quæ secretius micat, mirabilius innotescat: nec fieret negligentior acies de facilitate cernendi. Denique sic se res habet. Industriam acuit, & studium incendit hæc Doctorum inter se æmulatio, atque contentio: dum multi aperta transeunt, occulta, & controuersa rimantur: vel vide quãtum interfit inter Immaculatæ Conceptionis, & aliarum MARIÆ excellentiarum, siue festiuitatum laudationes scripta, & plausus. Enim vero nisi de MARIÆ Immunitate Doctorum inter se æmulatio, & cõtentio extitisset, pœne dixerim, neglectior fuisset acies cernendi circa illam, & lãguorem quodammodo animi attulisset omnia omnibus assentiri: quin plene dignosceretur tantæ huius gratiæ, ac præseruationis immensa dignitas, & quam infinito interuallo Regina famulis, Domina ancillis, Mater Dei cũctis mortalibus antecellat: *Vt quodammodo dormitaret assuetis, si non excitaretur insolitis:* at modo ijs diuersæ opinionis interpositis obumbrationibus, ea quæ secretius micant, mirabilius innotescat: & siquidem MARIÆ immaculatè conceptæ splendor a nõnullis sub luce maligna positus videtur, *latè quærũtur incerta, latius disputantur præsumpta:* nam quæ non hinc natæ subtilitates ingeniorum? quæ acumina argumentationum? quæ ratiocinationes, non adinuentæ? quæ eruditionis sacræ monumẽta è tenebris non erutа? quæ Apologiarum, & librorum mira sapientia, & doctrina constantium vbertas nõ pullulauit? Adhæc in MARIÆ immunitate docenda, prædicanda, defendenda qui Spiritus? quis ardor? qui stimuli? in eius propugnatoribus eluxit? *Vt quanta difficultas probãdi, tanta operositas suadendi,* toto videlicet nisu illis contendentibus

A

B

C

D

E

piam opinionem, non modo omnibus omninò hominibus obuijs manibus illam excipiẽtibus, sed etiam ipsismet opinionis minus piæ Auctoribus persuadere. Nec his pigebit addere, quod quemadmodum Augustinus dicebat. Non prius perfectè de Trinitate, & de pœnitentia, & de vtilitate Christi tractatũ fuisse quam separatio illa vigere cœpit nostros quæstionibus aduersariorũ, ita etiam nos quodammodo posse affirmare, non adeò enucleate, & differte de tota hac re actum fuisse donec tam acris concertatio orta est, à qua opinio pia ad tantam sublimitatem, & firmitatem peruenit, vt præter Pontificiam diffinitionẽ, quam quoti die speramus, nihil nobis certius, & magis indubitatum sit.

VII

Cogita ergo diuinum in hac cõcertatione, quæ hucusque durauit, consilium ex amore, quo in immaculatam MARIÆ Conceptionem fertur, & cuius celebratione impensius delectatur, omninò fuisse profectum, vt dum illa, & aduersariorum discussioni pateret, & à cœtu Doctorum, Scriptorum, & Academiarũ propugnatur, tũ ipsa veritas clarius eniteat, & fortius retineatur, tùm etiam sapientium ingenia, & animos magis accendat, & acuat, quæ alioquin in hoc Deiparæ priuilegio tractando, & exornando marcerent, & non nisi sibi ipsis, ac Musis canerent. Quod quidem itidem in nomine *Theotocos*, hoc est MATRIS Dei obtigisse nouimus: cum occasione infœlicis Nestorij illud B. MARIÆ iniustissimè deneganti Concilium Ephesinum ad illud asserendum coactum fuerit, in quo quantum Deiparæ gloria à consentiente laude omnium Patrum, & ab incorrupta voce cunctorum de excellentissima, & pœne diuina MARIÆ dignitate iuste iudicãtium in facie Ecclesiarũ vsquè ad

cœlum

cœlum elata inde per totum terrarum orbem plenis velis sparsa cuolarit vix sermone potest comprehẽdi: vti S. Cyrillus Alexandrinus testis oculatus epistol. 34. ad Alexandrum *de rebus in Synodo gestis*, tom. 4. hunc in modum refert. *Perdurauit autem vniuersus ciuitatis populus à mane vsque ad vesperam sanctæ Synodi iudicium expectans, vt autem audierunt, infœlicem illam* (Nestoriũ) *esse depositum, cœperunt omnes vna voce sanctam prædicare Synodum, & Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus. Egredientes verò nos ab Ecclesiâ deduxerunt cum lampadibus vsque ad diuersorium nostrum (erat enim iam vespera) & facta est multa lætitia, & luminaria in Ciuitate posita: ita vt mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribus nos præcederent. Ostendit enim Saluator blasphemantibus gloriam suã, quod omnia posset.* Hæc Cyrillus, vt ex illis videris, quam ingens Mariæ gloria, & splendor ab interpositis à Nestorio inumbrationibus accesserit, & ab eiusmodi conflictatione, quam pulchra veritatis scintilla, immò verò ardentissima flamma prosilierit. Nec dixeris minori cum gratulatione, & festa solennitate hodierna tẽpestate MARIAM vt immaculatè conceptam coli, ac tunc temporis, vt *Mater Dei*, tanta cum lætitia excepta est.

S. Cyrill. Alex.

VIII *Cardin. Baron.*

His placet adiungere, quæ Eminentissimus Cardin. Cæsar Baronius tom. 5. Annal. ad annum Christi 431. opportunè in rem nostram transferenda in hunc modum attexuit. *Tũc planè accidit, vt sicuti ignorantes Ephesij olim verum Deum, dæmonum ludibrijs dementati Dianam magnam propensiori studio colere, & conclamare solebant, ita isdem adversam per Apostolos translati Religionem, benè versa rerum vice iisdẽ præcinentibus, & reliquis successoribus sanctissimis Episcopis succinentibus, omnes ex æquo Mariam Deiparam celsioribus attollerent vocibus, præconijs exaltarent, iugiterque repeterent, & infatigabili studio iterarent, quam & propensiori obsequio venerari, & celebriori cultu frequentare perseuerarunt.* Hæc Baronius, quæ nostro instituto, sic aptamus, vt non secus ac à nebulis iustissimo Theotocos nomini à Nestore oppositis clarissima lux Mariæ gloriæ affulsit, & propensius inde obsequium, & celebrior cultus est ipsi exhibitus, ita prorsus hãc de eius immunitate cõcertationem maiora præconia, cumulatiores laudes, glorioſiora, & religioſiora obsequia ei peperisse: dũ singulis horis, atque momẽtis in omnibus omninò celebritatibus, quæcumque tandem eæ fuerint, siue ipsiusmet Deiparæ, siue sanctissimæ Eucharistiæ, siue cuiusuis è Sanctis celsissimis vocibus, & glorosissimis præconijs Maria immaculatè cõcepta exaltatur, cũ id nec de ipsa sanctè nata, aut in cœlos glorioſe assumpta præconio efferri mos sit.

EIVSDEM ARGVMENTI.

De splendore, qui Deiparę immunitati à dubitatione Auctorum opinionis piæ accesit.

ADNOTATIO II.

I

BOni ergo consule, quod amici Dei de Immaculata Virginis Conceptione dubitarent, & reuerere cœleste consiliũ, quo opinionis piæ diffinitio hactenus differatur *donec veritas eluceſcat in tẽpore præordinato*, cũ id omninò, & in maiorẽ Virginis gloriã, & explicatiorẽ purissimæ Conceptionis eius assertionẽ, & firmitatẽ cedat: Quod si attẽdis, fuit id quidem

in Arca teſtamenti, quam Mariæ immunitatis typum fuiſſe iam antea in ſuperioribus ex Gregorio Neocæſarienſi, & Nicolao Monacho S. Albani (quibus adiunge Andræam Cretenſem, & Coſmam Hieroſolymitanum, & alios PP. in Menæis Græcis paſsim) vidimus: ſignatè prænũciatum, & graphice depictum: Nimirũ huic arcæ tum ex lignis imputribilibus fabrefactæ, tùm intrinſecus, & extrinſecus deauratæ ad originalẽ, & omnimodam puritatem exprimẽdam, ſignatè pro operculo inerat propitiatorium ex auro mũdiſsimo confectum: ita enim habetur Exod. 25. verſic. 10. *Arcam de lignis Sethim compingite, &c. & deaurabis eam auro mundiſsimo intus, & foris, faciesque ſupra coronam auream per circuitum*, verſu vero 17. *Facies & propitiatorium de auro mundiſsimo*, vbi LXX. dilucide tranſtulerunt: *Et facies propitiatorium: opertorium auri puri:* In quibus non ſolum vides omnimodam Mariæ munditiem, ſed etiam hanc eamdem puritatem propitiatione ideſt peculiari Dei benignitate, ſic opertam, & obuelatam, vt etiam *amici eius piè de illa dubitarent donec veritas clareſceret* in tempore prẽordinato, ſed hoc enim portendit operculum ex auro puriſsimo factum, vt innuatur ſummum Conceptionis Mariæ pretium: non enim velantur, & operiuntur, niſi ea quæ magni fiunt, vt & illis reuerẽtia exhibeatur, & ſimul cum maiori contentione, & ardore perſcrutentur: vti de Diuinæ Scripturæ inuolucris ſapienter diſſeruit Nizephorus Gregorius lib. 10. hiſtoriæ ſub finẽ, Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & primarios Græciæ Antiſtites ſic affatus: *Sæpe in ſacrâ Scripturâ verbis nonnulla inuoluuntur, vti conſentaneum eſt: vt enim Regum thalami, aliaque, quæ ſancta, & magno in pretio habentur, alijs, atque alijs velut occultentur, ſic etiam plurimi ſacræ Scripturæ loci, præſertim in quibus arcana quæpiam doctrina continetur, tanquam velis quibuſdã, ita verbis talibus abſconduntur, quæ multam caliginem ſecum trahũt, & tenebras lectorum oculis offundunt.* Hæc ille, quæ vt ipſe accipit de altioribus Scripturæ ſenſibus intra firma, & adamantina obſcuritatis veſtibula munita, quibus educendis magnâ cõtentione opus eſt, ſed dũ in illis plus ſtudij, & laboris impenditur maiori ſubinde in pretio habẽtur, & clarius enucãt: ita nos ad Marianæ immunitatis operculum referimur, vt quò de ipſa maior confictatio eſt, & penitius examinatur, eo certioribus argumentis, & validioribus rationibus firmetur.

Plane hoc ſignificat, operculum arcæ de auro probatiſsimo, & examinatiſsimo eſſe, quippè quãto magis igne examinatur, tanto plus purius, atque pretioſius dignoſcitur, & probatur, vt apud librum Sapientiæ cap. 3. verſ. 6. de Deo ſuos examinãte ſic habes. *Tanquam aurum in fornace probauit illos*: In quæ verba nos in commentario hæc Plinij lib. 33. cap. 3 dedimus, quæ vt ſapientẽ, ita præſentem ſenſum opportune illuſtrant. *Præcipuam gratiã huic materiæ* (auro) *fuiſſe arbitror, non colore, qui in argento clarior eſt, magiſque diei ſimilis, &c. ſed quia rerum vsui nihil igne deperit tuto etiam in incẽdijs, togiſque durante materiâ. Quinimò quò ſæpius arſit, proficit ad bonitatẽ.* Hæc Plinius quibus noſtræ arcæ operculũ & elucidatur, & recluditur: illud quippe propitiatorij ſymbolũ, quod diuinę benevolẽtię, atq; miſericordiæ typum gerit, nobis innuit, Mariæ immunitatem, & opinionem piam de ea velut aurum quò ſæpius concertationum, & diſputationum igne arſit, & examinata eſt, eò plus ad maiorem ſublimitatem, & exiſtimationem profeciſſe, nihilque iam gratius, atque iucundius à mortali-

Gregor. Neocæſ. Nicola. Andr. Cret. Coſmas. — *Exo. 25. verſ. 10. & verſ. 27.* — *LXX.* — *Sapien. 3. v. 6.* — *Niceph. Gregor.* — *Plinius.*

A B C D E II

bus audiri, quam Mariam immaculatè conceptam: vt vel hâc ratione
Seneca. posſimus ei aptare, quod Seneca in præfatione qq. naturalium de Natura dicebat. *Equidem tunc naturæ rerum gratias ago: cum illam nõ ab hac parte video, quæ publica eſt, ſed cum ſecretiora eius intrauit:* Etenim, quæ vel obuia ſunt, vel dictu facilia de Mariæ gloria occurrũt, eius ſtudioſis non adeò grata, & opportuna videntur, ac ea operculo contecta ad ſecretiores, & magis arcanas eiuſdẽ
Bernar. laudes ſpectant. Bernardo ſerm. 4. *de Aſſumptione Virginis*, ſapienter affirmante: *Non eſt, quod me magis delectet, ſed nec eſt, quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem. Vt enim ſileam interim ineffabile priuilegium meritorũ, & prærogatiuam penitus ſingularem tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, ſuſpiciunt (vt dignum eſt) vniuerſi, vt licet de eâ loqui geſtiant omnes: tamen quidquid dicitur de indicibili, eò ipſo, quod dici potuerit, minus gratum ſit, minus placeat, minus acceptetur:* Hæc Bernardus, illud pulchrè, *eò ipſo, quod dici potuerit, minus gratum ſit.* Sed quare? quia *de indicibili dicitur*, de Maria ſcilicet, quę non modo maior eſt omni laude, ſed etiam profundiſsima, & inexhauſta *gratiarum abyſſus* (vt idemmet Bernard. ſerm. de *verbis Apocalypſ.* & Damaſcenus oration. 1. *de Natiuitate Virginis* loquũtur) atque eidcirco Baſilius Seleuciẽſis orat. 39. ſapientiſsimè pronũciauit. *De Virgine, qui omnia, illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam is à veritatis ſcopo aberrauerit: attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratio exequabit:* Ecce tibi quare minus gratum ſit, minus placeat eo ipſo, quod dici potuerit: Ergo non ab ea tantum parte quæ publica eſt, & obuia, mortales Deiparæ præconia audire geſtiũt, ſed in ſecretiora abyſſi laudibus irrumpere exoptant.

Damaſ. *Baſil. Seleuc.*

Et vero quoniam huc euaſimus, illud omninò in hoc arcę operculo obſerua: fundamentum, & firmitatem piæ de Mariæ immunitate opinionis, non tantum ad Deiparæ ſtudium, & pietatem veram (nè dixerim *exiſtimatam*, vt ineptiſsimè, & inſœliciſsimè dixit Caietanus) ſed etiam ad certam, & ſolidam ſapientiam fore referendam: quippè iſtud Arcę operculum, ſiue Propitiatorĩ, quod à cœleſtibus ſpiritibus defendi debuit: non quidem â Seraphinis charitatis typum gerentibus, ſed ſignatiſsimè à Cherubinis, in quibus ſcientia, & plenitudo ſcientiæ reſidet obumbrari, & protegi: ſic enim poſt præfata verba ſubdit Oraculũ verſ. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte Oraculi, Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero vtrumque latus Propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes Oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium, quo operiẽda eſt Arca,* ſiue vt enucleatè habent lectiones Hebræa, Græca, & Chaldæa. *Erunt Cherubim extendentes alas deſuper obumbrãteſque in alis ſuis ſuper Propitiatorium.* Sanè vt argumento fuerit: Opus ſcientiæ, & Sapientiæ eſſe Mariam ab omni labe originaria defendere, in eoque cardine myſticorum cherubinorum, ideſt Eccleſiæ Patrum, Doctorum, atque Scriptorum munus verti, ſi pro tantâ innocentiâ, pro tanto candore, ac puritate, ſiue pro tam bonâ cauſſa decertantes ſubtiliſsimarum rationũ, argumentorum, & miræ eruditionis alas ſuper hoc operculum expãdãt ſacra volumina in medium proferant, veteres PP. euoluant, atque elucident, Scholaſticos Doctores expendant, allatis à contrarię opinionis DD. dubitationibus occurrant, argumenta diſſoluant, & omnes omninò ſcrupulos eijciant, nullumque lapidem ſcientiæ, & eruditionis nõ

Exo. 25. verſ. 18.

III

moueant,

moueant, vt planum faciant Mariã ab omni labe immunem conceptã fuiſſe, vt hic maximè locum habeat, quod S. Petrus Damianus ſerm. *de Aſſumptione Virginis Mariæ* animoſe dicebat. *Hic totum decurrat ingenium, & aureus ſermo totâ decurrat maieſtate. Voluntaria oris noſtri beneplacita faciat, ſibi Deigenitrix, Domina mundi, cœli Regina, ipſa ſenſum acuat, dirigat ſtylum, & linguã pauperis venuſtiori reſpergat eloquio.* Iam verò ſi hiſce Sapientiæ pro Deiparę immunitate excogitatis rationibus, & ſubtilitatibus, cõtrariæ opinionis Auctores non acquieuerint: non ideo eas improbare, aut contemnere debent, ſed potius pro ſua pietate, & modeſtia cõmodè vſurpauerint, quod Dionyſius Alexandr. apud Euſebium libr. 7. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 20. alio intentus dixit: *Non eas improbo, quia non intelligo, ſed ideò potius admiror, quod mentis acie luſtrare non queo.*

IV Iam quidem vt vndequaque appareat huius operculi aurum eò plus ad bonitatem proficere, quò magis fuerit examinatum, operæ pretium fuerit è regione horum Cherubim ſcientiæ ſuæ plenitudine immunitatem Deiparæ protegentium, Seraphinos illos opponere, qui apud Iſaiam cap. 6. verſ. 2. ſolio diuino dicũtur aſsidere, prout à Reuerendiſsimo, & Sapientiſsimo viro P. Ioanne Baptiſta Nouato Præpoſito Generali Religionis Cleric. Regular. miniſtrantium infirmis tom. 1. *de eminentiâ Virginis*, cap. 3. *de Immaculata Conceptione*, quęſtion. 6 in ſenſu accommodatitio acutè expenduntur. Nimirum ipſe primùm cum Damaſceno orat. 2. de Dormitione Virginis, & S. Bonauentura in Speculo ſolium illud de Maria accipit, dicente Damaſceno. *Tu es ſolium illud regium, cui aſſiterunt Angeli Dominũ, & effectorem inſidentem videntes*, & plenius Bonauentura. *O verè beatiſſimum! ò verè ſtabiliſsimũ ſolium! Hoc ſolium excelſum eſt in intellectu, elenatum in affectu: excelſum eſt gratiâ, eleuatum in gloria. In ſolio mentis Mariæ Dominus ſedet, & domus corporis Mariæ plena erat maieſtate eius.* Deinde verò cum Vates Seraphinos diuino ſolio aſsidẽtes hũc in modum inducat. *Seraphim ſtabãt ſuper illud: ſex alæ alteri, duabus velabant pedes eius, duabus velabant faciem eius: & duabus volabant*, tã Seraphinos, quam eum ſtandi habitum in eum ſenſum hic Auctor inflectit, vt per pedes diuini huius Solij, ſiue Deiparæ, pura ipſius adumbretur Conceptio: in facie verò eximia pulchritudo ſignificetur: Seraphinos verò duabus alis Solij pedes obuelantes appoſitè iudicare, extituros nonnullos viros ſanctitate quidem præditos, qui gloriam Dei magis ſecundum zelum, quam ſecundũ ſcientiam zelantes, piæ opinioni de Deiparæ immunitate aſſenſum non forent præbituri, *quia diſpoſuit Deus vt illis occulta eſſet*: perinde vero eſſe Mariam immaculatè conceptam negare, ac faciem ipſius cui ſpiritualis & eximia pulchritudo ſubeſt, quodammodo obuelare: Sed enim quantumuis illi ipſam obuelare cõtendant, ita rem ſe habere, vt quo plus faciem obuelare contendunt eo magis pulchritudinem, & omnimodam munditiem ipſius aperiant, quippè, ſi attendis, ſtantes velant, & volantes aperiunt, dum ex hac contentione obuelationis volat per omnes orbis plagas, & per cuncta hominum ora fama Conceptionis Immaculatæ: *Quia licet Seraphim* (inquit Nouatus) *velarent pedes, & faciem ſolij, ſcilicet immaculatam Conceptionem, & ſpiritualem Deiparæ pulchritudinem, ſimul tamen duabus alis volabant, quia hæc fuit cauſſa, vt fama de Immaculata Conceptione volaret, & volando vires acquireret. Dum enim nonnulli ex vnâ parte Virginem*

S. Petr. Dam. A

B

Euſeb. C

Iſai. 6. verſ. 2. D

E

Ioann. Baptiſt. Nouat.

ginem in communem lapſum originariæ culpæ incidiſſe promulgabant: alij innumerabiles toti erant in rationibus, & auctoritatibus adinuenien-dis, quæ ſuaderent Virginem abſque peccato fuiſſe conceptam: Sic ille, quę pulchra hac imagine confirmat, & illuſtrat: *Et ſicut Carthago fuit velut petra, ad quam Romanorum gladij acuebantur: Vnde dixit ille Sapiens,* Væ Romæ, ſi Carthago non ſteterit: *Quia cum Romani caruiſſent occaſione præliandi cum Carthaginenſibus, propter otium minus experti, & ad bellum minus parati remanſerũt: ita controuerſiâ de Immaculatâ Conceptione excitauit, & exacuit multorum ingenia ad multa prædicanda, & cõſcribenda, quæ in laudem Deiparæ, & in defenſionem ſuæ immaculatæ Conceptionis tendunt.* Hæc omnia egregius Scriptor, & de B. Virgine optimè meritus, quæ tranſcripiſſe, & ab eo mutuò accepiſſe, mihi honori, & guſtui fuit: Illis verò placet adiungere, quæ L. Quinctius Cincinnatus apud T. Liuium lib. 1. Decade 3. dicebat. *Neſcio quo fato magis bellantes, quam pacati propitios Deos habemus*, quod vt aurum quò ſæpius arſit, proficit ad bonitatem, ita à bello, & conflictatione ſignatè propitium habuerit Deũ pia opinio, & manum ei, & auxiliarem opem tribuerit.

T. Liui.

V Quo itidem placet aduocare Mariam in Conceptione Roſam fuiſſe, & velut Roſam fuiſſe plantatam, ipſamet fideiubente apud Eccleſiaſticum, cap. 24. verſ. 18. *Quaſi plantatio roſæ in Ierico*: de quo alibi egiſſe me memini, ex S. Ioſepho Confeſſore in Menæis Græcis die 15. Ianuarij Ode 3. dicente: *Te integer ille, ac purus, ò vndique intaminata! tamquam Roſam inſtar vnguenti flagrantem in conuallibus reperit, atque habitans in medio tui totum genus humanum flagrantia ſuaui repleuit*, Modo addiderim, tùm de Maria Damaſcenũ orat. 1. de *dormitione Virginis*, dixiſſe; *Roſa, quæ diuinâ fragrantiâ omnia perfundit*: tùm notanter in Conceptione Spinis cinctam perhiberi, cũ tamen ipſa lilium puriſsimum fuerit, quæ ſpinam peccati, non nouit pulchrè dicente de Maria S. Sabba: in Menæis Græcis die 29. Ianuarij: *Ex te ſolâ tanquam expuriſsimo lilio in medio ſpinarum inuento vterũ incolens tuum ſponſus ille tuus proceſſit*: Sanè quod nihil MARIÆ ad omnimodam dignitatem, & regium habitum, & cultum in Roſæ imagine deeſſe videatur: Nam ſi primum de Maria dixeris, quod de roſa dixit Sappho apud Achillem libr. 1. de *Leucippe, & Chitophonte* appellans illam *florum reginam, terræ ornamẽtum, plantarum decus, prati ruborẽ pulchritudinem cotuſcantem, terræ riſum*: vt quemadmodum roſa regia dignitate ornatur, caliculũ, in quo ſedet habens pro throno, ruborem pro purpura, fila crocea pro corona, rorem pro gemmis, herbas pro ancillis, ſpinas pro ſatellitio; ita Virgo multo excellentius Regina Sanctorum ſit, cœlum habens pro throno, ſolem pro purpura; ſtellas pro gemmis, & corona, Lunam pro ancillis, Angelos pro ſatellitio: Deinde verò ſi illibatæ eius Cõceptioni aptaueris, quod de roſa dicebant Veteres (apud Conſtantin. Cæſar. tit. 11. de agricultura cap. 18.) *è diuino nectare in terram effuſo emanaſſe*, quod Mariæ Conceptio à diuinæ gratiæ Nectare fuerit, itidemque huc facit roſam a Hieronymo epiſt. 26. appellari *ſymbolum lætitiæ*, vt ipſo exprimatur, quod de Deiparæ Conceptione canit Eccleſia: *Conceptio tua Deigenitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerſo mundo.* Tandem ad præſens inſtitutum, ſpinę, quibus roſa Mariæ cingitur, opportunè ac cõmodantur, nimirum vt Roſa ſpinarũ ſatellitio cingitur, vt defendatur, nõ laceretur, ita Deigenitricis Conce-

Eccl. 24 verſ. 18.

Achill. Tatius.

Conſtan.

Hieron.

ptio

ptio contrariæ opinionis aculeis nõ confoditur, sed potius custoditur, ac fouetur. Immò verò roseti instar, irrumpentium disputationum turbine perflante, leui quasi flabello euẽ- A tilatur, vt longe, lateque spiret suauiùs: non autem vt truci, quasi flagello diuerberata conculcetur, ac prosternatur.

IHS

DISSERTATIO III.

DE RATIONIBVS QVIBVS Opinio pia de MARIÆ immunitate innititur, vt iam in statu proximè diffinibili esse videatur.

PIAM DE MARIÆ IMMVNITATE OPINIONEM proximè diffinibilem esse, ex Scriptura euincitur.

ADNOTATIO I.

I NImverò cum inter cætera, quæ à Doctoribus exiguntur, vt aliqua doctrina ad fidẽ pertinere censenda sit atquè inter dogmata constitui, primum locum habeant Scripturæ testimonia, opportunè hinc nobis pro Mariæ immunitate fuerit incipiendum: & pluribus quidem Scripturæ verbis omissis, quæ ab Auctoribus tam huius, quam præteriti temporis optimè pro Mariæ immunitate expenduntur, nec paucis etiam transmissis ad propria loca, in quibus toto hoc libro a nobis explicata sunt, illud modo solum afferre placet ex Canticis in quo Deipara tota pul- B chra, & sine macula esse perhibetur, quòd ex germano eius sensu, vt cõmunis PP. & DD. expositio fert, efficax argumentum ad diffinitionem sumi possit. Ergo de Sponsa sua sic inquit per Salomonem Cant. 4. ver sic. 7. Diuinus Spiritus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ sanè verba cum primis exacte explicare erit operæ pretium, vt subinde ex communi PP. & Scriptorum sensu Mariæ immaculatè conceptæ, quam opportunè aptentur, planum fiat. C

Cant. 4. vers. 7.

In illis igitur signatè obserua: eũ sibi hoc in loco scopum Sacrum Spũ sum præfixisse, vt & omnem omnino pulchritudinem Mariæ adscribe- II

ret,

ret, quin vlla illius pars ei deesset, & omnem omninò maculam ab ipsa remoueret, quin vllus vndequaque nævus in eâ notari posset; vt hinc omnimoda pulchritudo Mariæ omnibus numeris absolutissima subsisteret, Quem sensum bellissimè expressérunt Philothæus Patriarcha Constantinopol. in Menæis Græcis die 16. Iulij Ode 8. & sapiens Idiota *in Contemplat. B. Mariæ*, dū prior hæc verba sic effert. *Tota pulchra es, ò Virgo: planè tota pulchra. Tota nil, nisi nitor, & species lucis, tota item Phosphorus, seu stella diē, ac Deū afferēs*: obserua illud, *tota nil, nisi nitor*, vt Mariæ nihil, quod pulchrū sit, & luci dū desit, & nihil quod tale nō fuerit, ei adsit: Idiota verò tùm generaliter inquiens: *Tuæ gloriosæ animæ nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij, ac peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis*, tùm etiam Salomonis verba sic explicans: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati mortalis siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorū spiritualium charismatum, & cœlestium donorum*. Hæc sapiens ille.

III Quod si hæc Canticorum verba ex Hebræa Lectione (cui omnis omninò fides debetur omnibus omninò voluminibus consentientibus, vt apud Pagninum, & alios translatores videre est) penticulatius expenderis, præfatum de Mariæ immunitate sensum in illis manifestissimè inueneris: quippè in primitiuis Salomonis scriptis retento verbo *est*: in priori hemistychio pro Mariæ pulchritudine posito: in posteriori, in quo omnis ab ipsa macula remouetur, idem verbum de industria subtrahitur hunc in modum (vti signatè Pagninus obseruat in translatione.) *Tota pulchra es amica mea, & macula non in te*: mirâ videlicet emphasi, & accuratissimo dicendi, siue reticendi modo, vt videlicet cum depositiua Mariæ pulchritudine agitur, ponatur substantiuum verbum *es*, quod substantialiter confirmet ipsam totam, & omni omninò ex parte pulchram esse: *Vt nihil illi desit spiritualis pulchritudinis*: At enimvero cum macula ab ipsâ repellitur verbum *est* accuratissima reticentia auferatur: vt argumento sit, nullum omninò tempus, siue temporis momentum vnquam fuisse, in quo Maria originariæ labi fuerit obnoxia, vt dicebat Idiota. *Tuæ gloriosæ animæ nihil vnquam affuit turpitudinis vitij, aut peccati*. Porrò vt verbum ea pars orationis est per tempora, & personas declinabilis, quâ designatur tempus, vel præsens, vel præteritum, vel futurum, quin possis signare tempus, nisi verbo aliquo vtaris: ita si ab oratione verbum de industriâ auferas, tolles etiam temporis connotationem, atquē ideirco perinde fuerit accurata hac verbi ablatione dixisse de Maria diuinum Spiritum, *& macula non in te*, ac manifestè significare, nullum omninò tēpus fuisse, in quo Maria maculæ originali fuerit subiecta, quin de præterito, nec de præsenti, nec de futuro, dici, aut concipi possit in ipsâ labem fuisse, aut esse. Sanè si dicatur *macula non est in te*, contumax forte litigator, huius dictionis vim sic forsan conaretur eludere, vt præsentis tantū temporis enunciatura foret, denotans, Mariam de præsenti quidem sine macula esse: quin de præterito aliquid affirmetur, vt proinde dixerit, non ego quidem inficior in Mariâ modo maculam non esse, quæ ab ipsa post Conceptionem mundata non fuerit; at verò ex horum verborum vi, non tenebor affirmare, maculam ipsi in sua Conceptione nō adhæsisse: cum verbum quod modo ab ea maculam de præsenti excludit, non enunciet, illam de præterito nō habuisse. Verumenimverò cum de

Philoth. *Idiota.* *Lect. Hebræa.* *Pagnin.* *Idiota.*

industria

induſtria, & excogitato dicendi, ſiue tacendi modo nullum a ſacro Scriptore fuit appoſitum verbum, quo aliqua temporis differentia ſignificetur, vocaliſſima hac reticentia affirmatur nullum vnquam inuẽtum fuiſſe tempus in quo Maria maculam contraxerit, vt ſicut ipſa ſemper tota pulchra eſt, & fuit, & erit, ita labi originarię nec ſit, nec fuerit, nec erit vnquam obnoxia, vt ab hac artificioſa cœleſtis Sponſi comitate monearis, vrbanitatem non fore, ſi cum ipſe zelo veritatis, & amore Mariæ verbum *eſt* ſignate omiſit: tu velis verbum, & ſenſum nimis exprimere ſeu emũgere, atque in præteritum retro tempus referre.

IV Cui quidem expoſitioni multa ſunt, quæ opportunè congruunt, & illa in primis horum verborum periphraſis, quam initio adnotationis afferebat Idiota. *Idiota.* *Tota pulchra es Virgo glorioſiſsima non in parte, ſed in toto, & macula peccati mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis non eſt in te, nec vnquam fuit, nec erit*, vbi vt pulchrè premit verbum *es* pro Mariæ pulchritudine, vt non in parte, ſed in toto pulchra ſit: ita maculæ excluſionem per omnia ſignatè tẽpora extendit, inquiens: *Non eſt, nec vnquam fuit, nec erit*: Deinde huc facit, quod de Maria, tanquam de ſpeculo diuinam pulchritudinem referente ex Dionyſio Areopagita lib. *de diuinis nominibus*, cap. 4. in ſuperioribus attulimus. *Dionyſ.* *Pulchrum appellatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum ſit, & pluſquam pulchrum: ſitque pulchrum, quod eodem modo ſemper ſe habet, ita vt nec oriatur, nec intereat, neque minuatur, neque partim pulchrum, partim turpe ſit, neque hoc tempore pulchrum ſit, illo nõ item.* Hæc Dionyſius, quæ Salomonis verba quoad vtramque partem omnino explicant, vt ex illis Maria, & tota pulchra *omni ex parte* ſit, & nullo omninò tempore pulchra eſſe deſierit. Nec ab hac explicandi ratione eunt ea Hugonis de S. Victore ſerm. *de Aſſumptione* verba, quibus Dei Filium Mariam alloquentem ſic induxit: *Hugo de S. Victo.* *Ego totus pulcher, & tu tota pulchra, ego per naturam, & tu per gratiam: Ego totus pulcher, quia totum, quod pulchrum eſt, in me eſt, tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe eſt, in te eſt*, quibus Hugo omnem omninò maculam, aut nævum à Mariæ pulchritudine remouet, vt inde tota pulchra ſubſiſtat. Sed illud in hanc cogitationem fuerit peropportunum, quod ad hunc locum cõtulit Ansbertus, dum componens hæc verba cum illis Iacobi, cap. 1. verſ. 17. de Patre luminum; *Ansbe.* *Iacob. 1. verſ. 17.* *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicisſitudinis obumbratio*, ex vtriſque Mariam ita ſalutat: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te, nec vicisſitudinis obumbratio*, vt dixerit, ita Deipara m in luce ſemper fuiſſe, vt nullo vnquam temporis inſtanti ab vmbra ad lucem, ſiue à luce ad vmbrã mutatione ex alio in aliud facta trã ſierit, ſed licet *omnium rerum vicisſitudo ſit*, (vt inquit ille) ſiue potius cum omnibus creaturis viciſsitudo ſubſit, qua a peccati originalis tenebris ad gratiæ lucem emergant, apud ipſam tamen nunquam fuiſſe mutationem, nec viciſsitudinis obũbrationem, ſed ſemper totam pulchram, & vndequaque lucidam, & ſplendidam extitiſſe. Vbi omninò vides apud Scripturam, & PP. Mariam eſſe totam pulchram, & quidẽ non ſolum actu, & de præſenti ſine macula exiſtere, ſed etiam ſine macula vnquam fuiſſe: quin in illa, aut cicatrix ſiue obducti vulneris ſignũ, ſiue viciſsitudinis obumbratio concipiatur, neque hoc tẽpore pulchra; illo non item fuerit. Pro quibus omnibus opportunè fideiubet Nicolaus Monachus S. Albani, qui aliquando à ſecretis fuit in epiſtol. ad Petrum Cellenſem, quæ inter eius *Terent.* *Nicolaꝰ.*

epiſto-

epistolas est 9. tomo 12. Bibliotecæ Veter. PP. vbi cum peculiares Deiparæ virtutes, siue pulchritudinis partes sic primum delineasset. *Singularis Virginis priuilegium, non habet similitudinis consortium. Non solum singulare est, quod Virgo concepit, sed quod Virgo sola, & prima in Israel virginitatem adamauit. Non solum inauditum, quod Virgo peperit, sed & quod Virgo cito Angelo credidit, & de facto non dubitans modum Conceptionis inquisiuit:* subinde ad rem nostram pulcherrimam Mariæ imaginem suis coloribus ita depingit: *Et in hunc modum distingue inter Virginem nondum MATREM, & Virginem iam MATREM, vt singulari vtrobique cæteris virginibus prærogetur priuilegio, quæ singulariter nondum Mater, Angelo testante gratia plena fuit, & singulariter iam Mater Spiritus Sancti sacrarium extitit, quæ nondum Mater, quasi lana candidissima nullius peccati sensu maculosa fuit, & singulariter iam Mater, quasi purpura sanguine conchylij tincta, ita Spirito Sancto completa, & madefacta fuit, vt nullis de cætero vsibus manciparetur, nisi diuinis:* Hæc omnia Nicolaus, quæ satis exprimunt Dionysium dicentem. *Pulchrum appellatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum,* sed signatè obserua illa, *quæ nondum Mater quasi lana candidissima nullius peccati sensu maculosa fuit,* quibus omninò expressit præfatum sensum illis verbis adhibitum *Macula non in te,* eo enim nitiuus candor lanæ minimè vnquam infectus: eò etiam is dicendi modus *nullius peccati sensu maculosa,* quo peccatum originale, quod sensu potius, quam consensu contrahi ipse inibi latius explicat, pulchre exprimitur.

V His sic constitutis, plura quidem sunt, quæ manifestè euincunt, ex hoc testimonio sub hoc sensu accepto, adeò efficax argumentum confici ad asserendâ Mariæ immunitatê, vt Ecclesia ad hanc veritatê inter fidei dogmata constituendâ, iure illi inniti possit: Nam in primis cũ is melior & opportunior modus interpretandi Scripturas sit, qui frequentiori PP. & interpretum potissimum verò Ecclesiæ sensui conformior sit: ex his vndequaque hanc interpretationem videas subsistere, cum nihil ipsa solennius, communius, vsitatius sit, siue in Scriptorum calamis, siue in Concionatorum linguâ, siue in totius populi Christiani sensu, & ore, immò in cunctis sacris imaginibus, in quibus MARIA immaculatè concepta depingitur, vt perinde sit in omnium sensu dicere: *Tota pulchra es amica mea,* ac Deiparam ab originali labe conceptam fuisse. Et verò quoad PP. & Scriptores pertinet, vt omnes ad vnum recensere, res quidem multi temporis, ac laboris esset: ita plures è nobilioribus nominare erit operæ pretium: enim vero præter Philothæum Patriarcham, & Ansbertum, iam adductos S. P. Dominicum, cum Albigensibus decertatem hæc verba, pro MARIÆ immunitate vsurpasse nouimus ex antiquissimâ illâ Tabulâ Barcinonensi, cuius mentionem fecimus præced. lib. cum sacram Dominicanam familiam in censum Sanctorum Ordinum immunitati Deiparæ addictorum retulimus: ibi enim sic habetur: *Illi dicebant, quod illa Virgo fuit concepta in peccato originali, & Beat. Dominicus prout in suo libello continetur, respondit, quod non erat verum, quod dicebant, quoniam VIRGO MARIA est illa, de quâ Spiritus Sanctus per Salomonem ait. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* Ita ibi: Deinde verò venerabilis Alanus in ea verba apud P. Martinum del Rio ita explicat. *Tota pulchra,*

S. Dominicus.

Alanus

idest animâ, & corpore amica mea: *per gratiam, & per opera,* & macula non est in te: *quia nullum credimus in Virgine ante, vel post conceptum fuisse peccatum*: Similiter Celius Pãnonius in commentarijs eius loci apud P. Laurẽtium Chrysogonum in mundo Mariano discursu 20. num. 41. inquiens. *Porrò celebratur hoc canticum decantissimum, & de Deiparâ VIRGINE, per appropriationem (addiderim ego sensu litteræ, & quidem primario) quæ ideò tota pulchra fuit, quia in eâ nulla macula fuit nec originalis, nec actualis peccati, vt puriores Theologi cantant.* Nec aliter Hugo de Sancto Victore, qui ante quingentos annos floruit sermon. *de Assumptione Virginis*, hunc in modum. *O qualis societas! Totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Pulchra in corpore, pulchra in mente. Tota ergo pulchra es corpore, niuea mente sincerâ. Tota pulchra es, nihil enim in te pulchritudo reliquit, quod non possideat: totum decor obtinet: formositas tenet, regit honestas: Nec alia Mater talem decebat Filium, nec alius Filius tali inueniri poterat Matri. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, &c.* & sermon. 9. *de institutione Monastica*, eodem ductu inquit: *Tota pulchra es: pulchra es intus, pulchra foris, intus in corde: foris incorpore. Totum quod in te est pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum in toto grata, in nullo ingrata: in toto places, in nullo displices*: Hæc ille, & alia, quæ omnimodam MARIÆ puritatem, cui nulla sordes adsit, omnino exprimunt. Nec minus dissertè Richardus à S. Laurentio lib. 10. *de laudibus Virginis MARIAE*, vbi cum illam composuisset, cum throno illo de ebore grandi, quod fecit sibi Salomon 3. Reg. 10. versicul. 18. atquè in ebore natiuam munditiem obseruasset, illam MARIÆ aptans sic inquit: *In nullo alio inuenit sibi thronum mundũ, quia de ipsâ solâ dici potest.* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: Hæc Richard. sed omnium dissertissimè, & omnibus prior sapientissimus Idiota, qui ante 700. annos scripsit (vt videre est apud Cardin. Bellarminum lib. de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 900. etenim cum ipse hæc Canticorum verba omnem in partem versasset in lib. cui titulus *Contemplatio MARIAE*, cap. 2. inter alia hæc inquit. *Tota pulchra es. O plusquam gloriosa Virgo MARIA. Tota pulchra es, & macula non est in te: tota pulchra es in anima per virtutum, & charismatum omniũ perfectam pulchritudinem. Tota pulchra es in tuâ Conceptione, ad hoc solum effecta, vt esses templum Dei altissimi.* Hæc ibi quæ subinde plusplus diffundens subijcit ea, quæ superius, num. 4 adduximus: *Macula peccati mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquã fuit, nec erit.*

Patres sequuntur Scholastici Doctores, rigidi (aliàs) locorum Scripturæ pensitatores: Dionysius Carthusianus *lib. de Virginis excellentiâ*, Alexand. Alensis in sermone, siue libello, quem morbo coactus, quasi in eculeo positus scripsit, vt Mariæ immunitatis veritatem cõfiteretur, Ioann. Gerson duplicato sermo. de *Conceptione*, Card. Cussan. & Card. Bellarm. apud P. Salazar in Apologiâ *pro immunitate Virginis*, c. 26. §. 4. n. 20. P. Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 5. P. Gregor. de Valentia to. 4. disp. 2. q. 1. punct. 2. cuius verba non potui, non scribere, sanè cũ præmisisset: *Tertium denique genus est eorum locorum Scripturæ, qui non temerè ab Ecclesiâ ipsâ, vel à Sanctis Patribus ad Beatam Virginẽ accõmodantur, neq; tamẽ possunt satis aptè, & decentèr illi attribui, nisi per gratiã singularissimã fuerit quoad*

Celius Pan. — *Hugo de S. Vict.* — *Richar. à S. Lau.* — *Idiota. Bellar.* — VI *Dionys. Carth. Alexã. Alens. Ioann. Gerson. Cardin. Cussan. Cardin. Bellar. Salazar Suarez. Valent.*

totum

totum omninò ipſius vitæ tempus, atque adeò etiam in primo eius momento immunis prorſus ab omni maculâ, & tenebroſitate, & fœtore, & miſeriâ, & aculeo, & irruptione, atque vaſtitate peccati. Sic ſubijcit. *Accommodat enim Eccleſia illi iſtiusmodi Scripturæ ſententias, ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias, Canticor. 2. Et quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Canticor. 2. Et tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Canticor. 4.* Hæc ille. P. Iacobus Granados tom. 4. in 3. part. controuerſ. 2. tractat. diſputat. 3. ſectio. 5. num. 36. alios afferens, Ambroſius Peñaloſa diſputation. 11. cap. 1. numer. 3. Ægidius à Preſentatione lib. 2 queſtion. 4. articul. 7. §. 4. Iodocus Lorichius tom. 1. theſauri Theologici verbo, *Chriſtus*, numer 32. Paulus Metezellus in Theologia ſacra tractat. *de myſterijs ſacris, quæ in Eccleſia celebrantur.* Et nè longiſſimi ſimus Antonius Valinghem in locis communibus Scripturæ verbo, *MARIA*, cap. 2. §. 1. cum dixiſſet. *Si vnquam fuit, vel vnico momento originalis labe maculata, certè non fuit tota pulchra, & fuit in ea aliqua macula, & fuit tempus, quo verum non erat dicere tota pulchra*, ſubijcit. *Ita paſſim Theologi Scholaſtici.* Sic ille. Et tandem P. Ioannes Poſonienſis Ordinis S. Pauli primi heremitę, qui vixit circa annum 1488. citante illum P. Laurentio Chryſogono in Mundo Mariano diſcurſu 20. numer. 43. concionem de MARIA immaculatè Concepta ſub hoc themate. *Tota pulchra es, &c.* eleganter conſcripſit, ſic ſermonem auſpicatus: *Monet Apoſtolus Roman. 13. Hora eſt nos de ſomno ſurgere, id eſt, cæcitate, & ignorantia, qua multi in hodiernum vſque diem, ita tenentur, vt negnaquam cognoſcere poſſint, aut velint, glorioſam Virginem MARIAM à peccato originali fuiſſe præſeruatam, eique omnem pulchritudinem gratiæ, cuius creatura capax eſſe poteſt, tanquam dilectiſſimæ Parenti communicatam negant.* Hæc ille, & multo plura, quæ alibi dabimus.

Cant. 2. *Cant. 4.* *Granad.* *Ambr. Peñal.* *Ægid à Præſ.* *Lorichius* *Metezellus.* *Valinghem.* *Ioan. Poſonienſis* *Lauren. Chryſog.*

VII

His Auctoribus ad immunitatem MARIÆ hæc verba referentibus affigendi ſunt omnes recentiores Canticorum interpretes, præſertim Matthæus Cantacuzenus, & Ioannes Picus Carthuſienſis, Martinus del Rió, Gaſpar Sanctius, & Michael Giſlerius: & hic quidem in tertia eius loci expoſitione, ſic inquit: *Etſi laborandum aliquantulum ſit in peregregia laude iſta accommodandâ ad Eccleſiam, tùm etiam ad animam in duabus præcedentibus expoſitionibus: laborandum tamen minimè eſt in eadem accommodanda ad B. VIRGINEM, cui propriùs encomium iſtud competit, vt pulchra dicatur, & ſine vlla macula, vtpotè, quæ haud mortalis duntaxat peccati expers fuit, ſed & originalis, & quæ aliena etiam exſtitit ab omni, vel minima ruga peccati venialis.* Hæc ille, qui ſcitè dixit, *non ſine labore, & difficultate*, hæc verba ſiue ad Eccleſiam militantem, ſiue ad animam iuſti accommodari, quia *in multis offendimus omnes*, Iacobi 3. verſicul. 2. *Et nemo mundus à ſorde, nec infans diei vnius*, Iob 15. verſicul. 14. iuxta LXX. minimè tamen laborandum eſſe in accommodanda hac ſententia VIRGINI, quæ à perfectiſſima munditia illi adeò quadrat, vt vni ipſi ſolummoda facta videatur: Vndè bene Placidus Nigidus bonus Canticorum interpres cum præmiſiſſet: *Tota pulchra, cui nihil luminis deeſt coronatæ ſtellis; amictæ SOLE, ET LVNA, ſole exornatæ. Præclara pulchritudo tanto teſte præclarior*, ſubijcit: *Et macula*

Giſlerius *Placidus.* *Nigidus*

non est in eâ, quæ sit, aut esse possit tãto soletiam inde ab initio prospicente: an est originale peccatum maculæ? Sanè est, & quidem turpissima. Quid igitur incurrisse illam dicemus Virginem sine notâ tanti testimonij? Sic ille, & quidem rectè: nam qui ad tantum horum verborum splendorem Mariæ immunitatem negant, nihilo secius, quam luci tenebras offundere velle videntur. Adstipulatur Martinus del Rio, qui cum explicasset. *Tota pulchra, quia nulla macula fuit in eâ, nec actualis, nec originalis. Si vnquam hæc macula fuit: certe fuit cum verum non erat dicere. Tota pulchra: quo modo potuit vnquam verbis veritatis verum non esse.* Vndè statim de ijs, qui opinioni minus piæ adhærent, subijcit. *Non arbitror eos, si hoc asserunt, hunc versiculum de Deiparâ satis consentaneè accipere posse. Nam illo ipso tempore, quo dæmonis (quod horreo) mancipium erat, certè macula tum in eâ, nec ipsa tota pulchra dici merebatur.* Sic del Rio. A quo non abit Genebrardus, qui etsi velit hanc sponsam de quâ sermo est, esse Ecclesiam, tamen hæc verba Deiparam omninò respicere, sic affirmat. *Respicitur in hoc loco per synedochem ad præcipua, & nobiliora Ecclesiæ membra (v.g.) ad Virginem ab omni peccato etiam originario Dei gratiâ liberatam.* Hæc Genebrardus. Sed magis perspicuè P. Gaspar Sanctius inibi n. 62. vbi tam ex suo, quam ex aliorum interpretum sensu, hæc verba sic elucidat. *Hic etiam ex interpretibus multi dum B. Virginem totam esse pulchrã audiũt, & sine vllâ maculâ, primam ab illa originalis culpæ labem remouent:* pro quâ explicandi ratione cum citasset Idiotam, & Card. Bellarm. à nobis iam adductos, subijcit. *Vt enim Virgo in ipso Conceptionis articulo sponsa fuit Dei, sic à Deo Spõso in eodem articulo tota pulchra, & sine maculâ vocari potuit.* Pergit multis, quæ in alium locum transmittimus. Similiter Paulus Serlogus in comment. sect. 10. nu. 96. Parco alijs interpretibus quos lector obuios habebit.

Martin del Rio.

Genebr.

Denique hunc sensum his Canticorum verbis reddũt quotquot Scriptores de Mariæ immunitate exprofesso agunt, inter quos primum nomino Petrum Galatinum lib. 7. de arcanis, cap. 5. vbi non solum probat hunc locum Mariæ immunitati omni ex parte conuenire, sed etiam ostendit in hunc sensum inflecti ab ipsismet doctissimis Hebræorum Magistris: deinde ipsum sic explicat insignis sanctitate, & doctrinâ P. Petrus Canisius lib. 1. *de Deipara*, c. 6. P. Ferdinandus de Salazar *in Apologiâ pro Immaculatâ Conceptione*, c. 26 §. 4. per tot. P. Ioannes Perlin *in Apologia Scholastica pro Magnæ Matris immunitate*, dist. inct. 5. c. 3. num. 1. & 36. P. Alphonsus Salmeron *in* cap. 5. epist. ad Romanos, P. Spinellus libr. 1. de Deipara cap. 7. num. 20. Ioannes de Cartagena lib. 1. de Deipara homil. 9. Lucas VVadingus in legatione ad Pontifices Paulum V. & Gregor. XV. à Philippo Rege missa sect. 2. tract. 8. & orat. 9. tract. 20. Anton. Mendoza tomo 2. in lib. Reg. cap. 4. num. 11. adnot. 11. sect. 2. Barradas tom. 1. in Euang. lib. 6. cap. 4. & quis nõ? Vt ex tot illustrium Auctorum phalange ineuitabile sumatur argumẽtum ab his verbis pro Deiparæ immunitate non solum, quod (vt inquit Aristoteles lib. *de Diuinatione per somnium*, c. 1. & nos inferius latiùs persequimur) *opinio*, in quam ferè omnes cõueniunt, vix potest esse falsa, sed ea potissimũ ratione, quod cum suam Deus mentem per Ecclesiæ Doctores, quibus germanam sacrarum litterarum expositionẽ commisit, nobis exponat, vix de huius loci sensu possimus ambigere cunctis in eum interpretibus, & Scriptoribus concurrentibus.

Galatin. *Canis.* *Salazar* *Perlin.* *Salmer.* *Spinell.* *Cartage.* *VVadingus.* *Mendoza.* *Arist.*

VIII

EIVSDEM ARGVMENTI.

Firmatur plusplus hic sensus Salomonis de MARIÆ ab originaria labe immunitate.

ADNOTATIO II.

I IAM verò vt confecta argumẽtatio ex prædictis Canticorum verbis vndequaque efficaciter subsistat, omninò ejciendus est Aduersariorum scrupulus contendentium præfatum sensum esse mysticũ, ac proinde infirmum ad conficiendum ex ipso efficax pro Deiparę immunitate argumentum: Sed enim cum nullum sit fortius telum, quam quod ab hoste desumitur, siue cum nihil fuerit gratius, quam hostem in suis castris iugulasse, vide vt hoc eodem testimonio S. Thomas vsus fuerit ad asserendum Deiparam omni peccato actuali caruisse: sic enim ipse 3. part. quæst. 27. art. 4. *Et ideò simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in eâ impleatur, quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.* Sic S. Thomas. Ad quem locum Caietanus inquit: *Memento, & hoc quicumque legis, suscipere has rationes supra materiam subiectam optimas, vt patet ex sacræ Scripturæ auctoritatibus communibus applicatis ad propria B. Virginis, procedentes, quando ex proprijs ad propria desunt.* Vndè primum ex his verbis S. Thomæ, Ambrosius Catharinus *lib. 3. de Conceptione*, hunc in modum argumentatur: *Doctor Angelicus ideò verba illa in Virgine compleri affirmat, quia caruit omni labe actualis peccati, tam venialis, quam mortalis: Si ergo aliqua, vel leuis peccati macula ipsi adhæsisset: non vtique in ipsam secundum vim suam quadrarent verba illa: ita planè fateri opus est ex mẽte D. Thomæ. Si igitur ad pulchritudinem istam complendam, vnius etiã peccati maculam à Virgine remouere opus est, quis asserat teterrimam illã peccati originalis maculam cum tantâ pulchritudine componi, & copulari potuisse, vt nihilominus tota pulchra, & sine macula prædicari debeat?* Ita ille, vt dixerit, in sententiã S. Thomæ minime impleri posse (vt ipse ait) quod dicitur: *Tota pulchra es, &c.* si B. Virgo à peccato originali, non fuisset immunis. Quis enim dixerit Scripturam absolute negantem maculam, impletam fuisse in eâ quę maculę originali obnoxiâ fuit? Et tamen Angelicus Doctor impletam in Virgine dicit Scripturam, & quidem rectè.

II *Aponte* Deinde verò P. Laurentius Apõte in lib. Sapientiæ cap. 1. vers. 4. digressione 2. necessariam, & ineuitabilem hanc argumentationem format. *Si huius loci* (loquitur de verbis Sapientiæ, *in malenolam animam nõ intrabit sapiẽtia, nec habitabit in corpore subdito peccato*, quibus indidem Angelicus Doctor vtitur ad probãdum Deiparam nullum actuale cõmisisse peccatum) *tanta est vis secundum D. Thomam, vt sufficiens sit ad concludendum Virginem, nec venialiter peccasse, cur non erit etiam ad cõcludendum, nec originaliter? Cum inter maculam originalis, & venialis, vt dictum est, infinita prorsus reperiatur distantia. Et si, ex hoc loco concluditur, ita vt sit fidei diffinitio, indignũ fuisse venialiter maculari illud corpus, in quo Dei Filius erat habitaturus, cur etiã hic locus nõ erit sufficiens (si articulus diffinitionis tractetur) ad similiter determinandum de fide, non fuisse Virginem conceptam cum origi-*

Sapiẽ. 1. vers. 4.

originali. Et similiter, si hic locus de Virgine intellectus, implicitè eius puritatem ab omni peccato actuali includit, cur non dicendum etiam ab originali? Cum huius maior sit macula, & quoad animam, & quoad corpus. Hæc ille, quibus quid possit responderi, argumento scilicet *ad hominem* facto, non videò: Nam cum tota Aduersariorum responsionis vis, in eo cardine versetur, quòd locus mysticus Scripturæ vtilis non sit ad arguendum, eam responsionem ex ipsomet Sanct. Thoma omninò repellimus, dum ipse hunc eumdem locum mysticum vsurpat ad confirmandum dogma de immunitate Virginis ab omni peccato actuali. Nam quâ ratione vtilis erit ad id probandum, & non erit vtilis ad asserendam immunitatem ab originali? Siue cur obest huic assertioni, quod mysticus sit: & non obest ei, quam assumit probandam S. Thomas.

III Præterea verò facilè obstruitur ea Aduersariorum quæsita rima de inefficacitate sensus mystici, quòd vt frequens Theologorum sententia fert, non minus validum ex ipso desumatur argumentum, cũ à concordi PP. aut DD. expositione probatus est. quippè tunc ab Spiritu Sancto, à quo venit *interpretatio sermonum*, 1. ad Corinthio. 12. versic. 10. intentum fuisse non est dubium: de quo vide Michaelem de Medina lib 2. *de rectâ in Deum fide*, cap. 12. Alphonsum de Castro lib. 1. *contra Hæreses*, Pat. Gabriel Vazquez 1. part. disputat. 16. cap. 5. affirmantem. *Verum cum mysticus sensus sit etiam ex intentione Spiritus Sancti, absque dubio ita efficaciter deseruire nobis potest, atque litteralis*, & paulo inferius: *Vel cum communis PP. sententia in eum sensum locum interpretetur.* Sic etiam magni momenti est, sicut & litteralis. Quo litidem M. Lorca tractat de locis disputation. 18. tùm adductis exemplis confirmat, tùm etiam cũ sibi opposuisset Sanct. Thomam 1. part. quæstion. 1. artic 10. dicentem sensum mysticum non esse vtilem ad arguendum, respondet id solum fore intelligendum, quando PP. auctoritate non fulcitur. Pro quo opportune fideiubet Augustinus epistol. 48. ad medium tom. 2. inquiẽs. *Quis autem non impudentissimè nitatur, aliquid in allegoriâ positum pro se interpretari, nisi habeat, & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Hæc ille, quę pro nostrâ sententiâ statim pensitabimus, vt modo obseruem, quod præfato loco subdit Medina de sensu mystico asserens, adeo verum sensum, & efficacem ad arguendum esse, vt regulariter excedat litteralem, quandò simul concurrunt, quod & nobiliorem materiam habeat, & ab Spiritu Sancto plus intentus sit, præsertim verò cum sermo parabolicus, aut ænigmaticus est. Vndè quidem Hieronymus in cap. 1. ad Galatas, ait. *Non putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medullâ, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Dissertissimè verò Philo qui libro de *confusione linguarum*, sensum litteralem cum vmbra: mysticum verò cum corpore componit: in libr. *de essenis*, de viris Apostolicis primitiuæ Ecclesiæ in quorum laudem librum illum scripsit: litteram corpore, spiritualem verò sensum animæ, sic comparat. *Tractatus sacrorum voluminum huiusmodi habent, vt magis allegoricis opinionibus vtantur, quoniam quidem omnis lex viris istis, videtur animali esse similis, quod corpus quidem habeat, ipsam litteram, & ea quæ secundum litteram desinantur: animam verò, occultum in litterâ spiritualem, & inuisibilem sensum, quem illi ab Auctori-*

S. Thom

Hieron.

Philo.

1. Cor. 12 10. Medin. Castro. Vazq.

Lorca.

ctoribus ſuis edocti ſublimius, & nobilius velut inſpicientes per ſpeculum contẽplantur: ex ipſis etiam nominibus admirandas quaſdam ſpecies intelligentiæ proferentes. Hactenus Philo.

Iam verò vt ad Auguſtini verba redeam, quis non videat, quam *manifeſta teſtimonia*, hic ſenſus de MARIÆ immunitate habeat, *quorum lumine illuſtretur*, cum tot Patres, tot explanatores, tot Scholaſtici Doctores in eum conſpirent: præſertim verò cum præter hæc dicere poſsimus. Habemus firmiorem Pontificium, & Apoſtolicum ſermonem, cui benefacimus attendentes. Probante in primis illum Eccleſia, cum in Officio Conceptionis MARIÆ à Leonardo Noguerolis compoſito, & à Xiſto IV. Pontifice Maximo, confirmato quo per integrum ſæculum tota vniuerſalis Eccleſia vſa eſt, & de Pontificis conceſsione Sacer ordo Franciſcanus hodie vtitur: dum in veſperis in Antiphona ſecunda, quæ ſecundo Pſalmo: *Laudate pueri Dominum* de more præponitur: ſic canitur: *TOTA PVLCHRA ES MARIA, ET MACVLA ORIGINALIS NON EST IN TE*, vbi manifeſtè Eccleſia hunc ſenſum de Deiparæ immunitate his verbis aſsignat. Pro quo non omiſerim ſemel, & iterum comminiſci regulæ illius à Bernardo traditæ ſermon. 3. in Vigilia Natiuitatis. *Quoties Eccleſia in Scripturis Sanctis verba alterat, vel alternat, fortior eſt illa compoſitio, quam poſitio prima verborum:* de qua lib. 4. diſſertation. 2. adnotation. 4. numer. 8. egimus egregiè illam ibi illuſtrante Illuſtriſsimo Dom. D. Angelo Manriquio Epiſcopo Pacenſi. Deinde verò cum B. Brigitta (de cuius cœleſtibus reuelationibus vix poſsit cordatus homo ambigere, quas tres ad minus Romani Pontifices prævio examine adhibito probauere) lib. 5. Reuelation. cap. 13. diſſertiſsimè teſtetur à Deo ſibi fuiſſe reuelatum his Canticorum verbis; Deiparæ immunitatem ab omni peccato actuali, & originali ſignificatam fuiſſe. Quid? quod vel ea ratione hæc Canticorum verba de Deiparâ ab omni labe immuni capienda ſunt, quod qui omninò litteratiſsimi videri volunt, de Eccleſia militante interpretentur. Nimirum cum Virgo beatiſsima præcipua Eccleſiæ pars ſit, ipſi neceſsariâ ratione aptari debet, quod cæteris Eccleſiæ membris minimè poſsit conuenire, de quibus affirmare nequit, omni maculâ actuali, & originali carere.

IV

Bernar.

B. Brigi.

Concludo appingens, quod præfato loco ſubijcit P. Laurentius Aponte de Sacrâ Scripturâ MARIAM Immaculatè conceptam aſſerente, inquiens; *Locum euidentem petere temerarium eſt. Qui implicitè illud dicant, prope modum infiniti ſunt. Cur ergo firmum non remanebit, ex Scriptura ſufficiens poſſe deſumi argumentum ad determinandã de fide VIRGINE M. ſine peccato conceptam?*

V Aponte

Eccleſiæ Romanæ ſenſus Opinionem piam de Deipara immaculatè concepta certam facit, & in ſtatu proximæ diffinitionis conſtituit.

ADNOTATIO III.

Magnus

I

MAgnus Augustinus libr. *contra Cresconium Grammaticum*, cap. 33. non secus, ac si causam opinionis piæ vltro citroque hodierna tempestate controuersam ob oculos haberet, absolutissimè affirmauit: *Quamuis huius rei certum de Scripturis canonicis, non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Hæc Augustinus, opportunè, & sapienter censens, perinde id esse, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, ac illud quod de scripturis Canonicis profertur exemplum, quippe id Ecclesiæ auctoritati potissimùm innititur, quæ scripturarum veritatem asserit, atque confirmat, & ab Scripturarum veritate, & auctoritate maximè commẽdatur, & stabilitur. Certe Euangelio ideò credimus (vt idemmet S. Augustinus inquit) quod ei credendum esse Ecclesia nobis præscribit. Et verò vt de Ioanne Euangelista canit Ecclesia. *Fluenta sacri Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit*, ita & de Ecclesiâ, quæ tanquam Christi sponsa in sinu Christi Domini quiescit benè meditatus est Bernardus, Dei arcana rimari, & penetrare solitam, quod spiritum & consilium Sponsi sui habeat: ille enim ser. 3. *in Vigilia Natiuitatis*, occasione verborum Moysis. *Hodie scietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius*, quæ Ecclesia Natiuitati Dominicæ accommodat, sic sapienter monet. *Verba hæc quidem suo loco, & tempore in Scriptura posita sunt, sed non incongruè illa Vigiliæ Dominicæ Natiuitatis Ecclesia Mater aptauit. Ecclesia, inquã illa quæ secum habet consilium, & spiritum Sponsi, & Dei sui, cui Dilectus inter vbera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens, & conseruans. Nimirum ipsa est, quæ vulnerauit cor eius, & in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, vt & illi in suo, & sibi in eius corde perennem faciat mansionem.* Hæc & alia Bernardus. Quibus maius illud adde, quod superius adnotat. 1. huius libri adduximus, in formulâ professionis Fidei, quam edidit Summus Pontifex Pius IV. vt Episcopi, & fideles ex ritu Ecclesiæ Fidem profiteãtur; signatè præscribi, vt voueant, ac iurent, *Sacram Scripturam admittere iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum.* Vides, vt sapienter dixeris Augustinus, Scripturarum à nobis teneri veritatem, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quippe cui datum est iudicare de vero sensu Scripturæ sacræ.

Augus.

Bernar.

In quo quidem argumento pertractando, siue firmando, vt esset otio abuti, omnia persequi, quæ PP. & DD. docent: ita minime omittenda videntur, quæ tùm Hugo Etherianus, tùm etiam Africanæ Synodi grauissimè admonent: quod pro re nostrâ opportunissima sint: Ille siquidem lib. 3 contra Græcos capit. 17. non tam proprio ore, quam S. Stephani Iunioris hanc omnino contestationem profert. *Aequum est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enũciat, sinequo vir or calami omnis Ecclesiasticæ traditionis arescit: præter quem impossibile prorsus Ecclesiastica canonicè stabiliri: cui vertices montiũ, & omnium turba fidelium genua flectere debet, & pro bellicis increpationibus iugum complecti subiectionis. Cuius Ecclesia splendorem de se emittit semper, & non tenebrescit: â quâ exit lex, & iudicium, ad quam homines vndique terrarum conueniunt.* Hæc Hugo pro Romanæ Ec-

II

Hugo Ether.

clesiæ

cleſiæ auctoritate, & dignitate veriſsimè, & luculentiſsime. Nec minus ſapienter, & eleganter Africanæ Synodi in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Secretario 2. de Theodoreto PP. & de Apoſtolicâ Sede diſſerunt, atque pronunciant his verbis: *Magnũ, & indefeciẽtem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poſsit: de quo riuuli prodeunt affluentes, vniuerſum largiſsimè irrigantes orbem Chriſtianorum, cui etiam in honore Beatiſsimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & ſollicite debent, maximè vero iuſtèque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico: cuius vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damnare, quam probare laudanda.* Pergunt opportuniſsimè in hanc rem PP. Africanæ Synodi: *Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quidquid quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur prouincijs, non prius tractãdum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſset deductum, vt huius auctoritate, iuxta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur: indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ veluti de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mũdi regiones puritatis incorruptæ manent fidelibus ſacramẽta ſalutis.* Hęc Synodus.

Synod. Affric.

III

Iam verò ſi præfatam Auguſtini ſententiam tot, tantiſque PP. momẽtis firmatam huic rerum articulo, & præſenti ſtatui, in quo pia de Mariæ immunitate opinio fœliciter conſiſtit, aptaueris, proculdubio ab Auguſtini ſcopo, nec hilum diſtabis, immo & ipſum ęquè propia opinione, atque pro inſtituto, quod ex profeſſo perſequebatur patronum, ac Declamatorem omninò habebis, quippe eius verba planè euincunt Scripturarum etiam in hâc re à nobis teneri veritatem, *cũ hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas:* vt iam nos optimo iure monere videatur ſapiens, præter hanc Eccleſiæ, & Pontificis auctoritatem nihil vlterius eſſe requirendũ vt animum inducamus piã opinionem tam eſſe firmam, atque ſecurã, tam omni ratione munitam, vt in ſtatu proximæ diffinitionis iam ſit: quin nouos libros, aut argumentationes denuò pro ipsâ conficere ſit opus, Pontificiâ auctoritate præ omnibus libris, & argumentationibus prævalente. Sed Salomonem audire eſt operæ pretium in libro Eccleſiaſtes, cap. 12. vbi ſic primum præmittit verſ. 11. *Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altũ defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium datæ ſunt à Paſtore vno:* quæ verba egregiâ hac paraphraſi illuſtrauit Gregorius Neocæſarienſis. *Sapientiſsima illa documenta à bono vno Paſtore, & Magiſtro accepta, quaſi ex vno ore omnes, atque inter ſe concordes dabunt, creditam ſibi doctrinam ornatius, & copioſius exponentes,* iã ſi inquiras quis tandem ille bonus vnus Paſtor, atque Magiſter ſit? reſpondet Card. Bellarminus tom. 1. lib. 3. cap. 4. quod eſt *de iudice controuerſiarum Eccleſiæ*, & ab eo Pat. Gretſerus lib. 3. cap. 4. hunc omninò eſſe ſummum Eccleſiæ Pontificem, cui munus paſcendi Chriſti oues regendi, & docendi commiſſum eſt: A qua expoſitione non abit Pineda in eum locum inquiens. *Vnus tamen ille Paſtor Spiritus Sanctus eſt,* quo inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. *verſ.* 2. *Paſtor vnus ille Chriſtus Ieſus, & quem ſui loco Vicarium in terris, viſibili Eccleſiæ viſibilem Paſtorẽ præfecit, cui ouile Petri commiſſum eſt.* Sic Pineda. Pergit verò immediatè Salomõ verſ. 12. *His amplius fili mi, nè requiras: faciendi plures libros nullus eſt*

Eccl. 12 verſ. 11.

Gregor. Neocæſ.

Bellar.

Pineda.

finis.

Eccl. 12 *vers.* 12. *Hieron.* *finis.* Cuius sententiæ priorem partem Hieronymus ita paraphraticè effert: *Exceptis his verbis, quæ ab vno Pastore sunt data, & à Concilio, atque consensu probata sapientium nihil facias, nihil tibi vendices: maiorũ sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes:* Posteriorem verò in eumsensum cum LXX. interpretibus potsis inflectere, vt præter ea, quæ a Concilio, & consensu sapientium probata sunt inutilis, immo & noxius sit labor *faciẽdi plures libros* sic enim ipsi legunt. *Et amplius ab ipsis, fili mi, caue faciendi plures libros.*

IV

Ergo cum vides Romanam Ecclesiam piæ Opinioni multimodis fauentem, quæ & Festum Cõceptionis solenni ritu celebrat: Religiones sub inuocatione Mariæ immaculatè Conceptæ instituit; Indulgentias, & gratias fidelibus huic cultui deuotis impertitur, illud tibi dictum puta: *His amplius fili mi nè requiras:* Quid enim iam, præter vltimã diffinitionem, quæ piam Opinionem inter Fidei articulos, & dogmata tandem constituat) tibi vlterius requirendum est, qui Augustam Romani Pontificis maiestatem, & Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem pro Maria immaculatè concepta stare vides? Nonnè in hoc cardine Christiana disciplina, & germana Sapiẽtia vertitur? Nonnè ab hoc limpidissimo fonte cuncti pietatis, religionis, & veri cultus riuuli dimanãt? Nonne hinc *exit lex, & iudicium,* vt proinde æquum, immò & necessarium sit, *ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enunciat, cui vertices montium, & omnium turba fidelium genua flectere debet.* Planè qui olim in Bernardi temporibus de Deiparæ immunitate dubitabant, his amplius nihil requirebant, firmiter pollicentes, tunc se Opinioni piæ plenum assensum, & consensum libentissimè daturos, si illam Ecclesiæ Romanæ placuisse viderent: *Et verba sapientum per Magistrorum consilium data à Pastore vno,* ita quidem in celebri illa concertatione super Mariæ immunitate, quam inter Petrum Cellensem, & Nicolaum Monachum de S. Albano plusquam quinque abhinc sæculis intercessisse meminimus. Nicolao piæ opinionis sectatori interroganti, & vrgenti Petrum, cur nollet festum Conceptionis tamets nouum cum Ecclesia Anglicana celebrare? Petrus amici sui Bernardi vestigia premens, omninò respondebat, nolle se inconsulta Romana Sede aliquid noui inducere, sed illius potius iudicium expectare, vt in certo & inexstinguibili lumine vultus eius inoffenso pede gressus suos poneret: Sed Petrum Cellensem hunc sensum religiosè, & elegãter diffundentem audire, erit operæ pretium: Ergo ille lib. 6. epist. 23. cum præmisisset: *Licuit semperque licebit. Spõsam Christi Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundum mutationes rerum, personarum, & temporum variare rationes decretorum, & nouas adinuenire medicamina remediorum, & statuere sanctis adoptione gratiæ frequentiam solennitatum.* Subijcit ad rem: *Est autem aurolocus, in quo conflatur: & habet argentum venarũ suarum principia: Sedem Petri, & Curiam Romanam, quæ claues cœli principaliter tenet, & clausura Consiliorum Dei reserata, dispensante Deo, vnguenta gratiæ à capite vsque ad oram vestimenti habet compluere. Hæc Sedes Petri, id est petra, in quâ Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata conuertens animas, fragosa quæque hæreticorum Concilia bula elidit, & allidit, prophanas vocũ nouitates resecat, & rescindit, superflua confodit, & iugulat: biantia, & ecliptica complet, & illustrat:* Ex quibus sic opportunissime exclamat. *Vtinam seluâ Veritatis auctoritate,*

Petrus Cellensis.

A B C D E

lance

lance communis consilij hæc Domina & moderatrix totius Christianitatis Conceptionem Virginis librasset, & approbasset, & à mari vsque ad mare banc propagasset. Sole, ideſt Apostolico, & Lunâ, ideſt Curiâ Romanâ præeunte tam ſecure, quam expeditè in lumine vultus eorum, greſſus ponerẽ, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & ſequi ſolidum, & ſecurum. Hæc omnia Venerab. Petrus Abbas Cellenſis.

V

Eſto igitur hic murus ahæneus tã pro certitudine opinionis piæ, quã pro illius ſtatu diffinitioni proximo: Eccleſiam Romanam tot, tantiſque argumentis ab eius parte ſtare, vt merito poſsis in hunc ſenſum inflectere, quod Cyprianus, ſiue apud ipſum Auctor *de Cardinalibus Chriſti operibus*, vbi premens ea verba Iſaiæ 6. verſ. 1. *Et eaquæ ſub ipſo erãt replebant templum* de *Eccleſia Catholica*, hunc in modum: *Præſens Eccleſia cognitionem earum rerum aſſequitur, quæ ad cultum iuſtitiæ, quæ ad ordinem vitæ, quæ ad gradus aſcenſionum, quæ ad cõtinentiam morum, quæ ad honeſtatem conuerſationis, & gratiam pertinent contemplationis:* ſubijcit opportunè. *Hæc aguntur, & exercentur in templo præſenti, & per hæc Deus quæritur, nec tamen quæſitus illico inuenitur: guſtamus, delibamus, odoramur, & prope eſt.* Nimirum vt hactenus immunitatem Deiparæ Eccleſia Catholica diſſertè non diffinierit, tot nobis ſuę intentionis non obſcura ſigna dedit vt iam ab ipſis, & diffinitionem ipſã guſtare, & delibare, & odorari videamur, & à guſtu, & odoratu de diffinitione animoſe conijcere, atque affirmare *prope eſt*. Quid enim Romanam Eccleſiam tãm pronam in Mariam immaculatè conceptam, & omnium Eccleſiarum, Epiſcoporum, Vniuerſitatum Principum, & totius orbis terrarum precibus, & ſupplicationibus, velut calcaribus currenti admotis ſollicitatam iam retardare poſsit? Pauci ſcilicet illi oppoſitæ ſententiæ ſolitarij, & ſilentiarij Auctores? Audiant quæſo ſuũ Ambroſium Catharinum Senẽſem Archiepiſcopum, & Mariæ immunitatis clariſsimum Aſſertorem in fine Diſputationis ad Concilium Tridentinum cum ipſis ſic agentem. *Putatis nè Sacroſanctam Romanam Eccleſiam eâ leuitate ferri, vt ſit aliquando, vel opinionem veſtram amplexatura, vel ſaltem cultum illũ reprobatura, quem ſemel Pontificio decreto ſuſcepit, & ſolenni omnium Eccleſiarum ritu cum munificentiſsimâ indulgentiarum largitione iam dudũ celebrare perſeuerat? An vllũ quæſo poteſtis ſimilis mutationis exemplum proferre, quo in ſpem bonam erecti expectare poſsitis ex veſtra oppoſita opinione victoriam? Si hoc vobis perſuaſiſtis, quis non videat, in quanto errore verſemini? quamque parum piè de prouidentiâ Dei erga Eccleſiam, & eius gubernationem ſentitis.* Hæc Catharinus, & alia ibi, quæ in alium locum tranſmittimus: modo pende iſta: *quam parum piè de prouidentia Dei erga Eccleſiam, & eius gubernationem, &c.* Nimirum cum ad Dei prouidentiam ſpectet, Eccleſiam ſuam dirigere, ac gubernare, & eâ luce perfundere, quâ non ſit errori vlli obnoxia, nec ipſa decipi, nec filios ſuos decipere poſsit (ſapienter monente Hieronymo epiſt. 13. ad Paulinum. *Non multum diſtat in vitio: vel decipere poſſe, vel decipi Chriſtianum*) inde quidem fit, vt ab eo tramite, in quo ſemel à Summo Paſtore fuerit poſita, non ſit vnquam diſceſſura: immò vero maiores in ipſo progreſsus ſit indeſinenter factura, vt proinde de Diffinitione opinionis piæ meritò dixerimus: *prope eſt.*

Isai. 6. v. 1.
Cyprian.
Ambr. Cathar.
Hieron.

VI

Ecce ergo argumentationem firmiſsimam, & quaſi neceſſariam huius adnotationis titulum, & ſcopũ

confir-

confirmantem (qua itidem in superioribus contra Canum vsi sumus, ostendentes piam de Mariæ immunitate opinionem diffinibilem, siue diffinitionis capacem esse, & ex sapientissimo Patre Ferdinando de Salazar in Apologia *pro immaculatâ Deiparæ Conceptione*, cap. 43. §. *vltimo*, in quo adstruit piam sententiam vltimò ad diffinitionem esse dispositam, exscribimus hûc in modum: *Vt aliquod dogma sit proximè definibile, tantum requiritur cognitio & deprehensio alicuius medij infallibilis, ex quo certò constet, illud esse reuelatum à Deo: Sed eiusmodi est sensus Ecclesiæ Romanæ tot, tamque manifestis documentis* celebrationis festi, concessionis indulgentiarum, silentij oppositæ opinioni impositi, institutionis Religionum sub immaculatæ Conceptionis aduocatione, cultus imaginum per totum terrarũ orbem inducti: *proditus & cõtestatur: ergo piæ opinioni nihil deest, vt proximè diffinitionem excipiat:* Quæ firmitas, aut vis huic argumentationi desit, aut, quâ ex parte claudicet, velim mihi dixeris: & quidem cum de maiori propositione ambigi neutiquam possit, & minorem ipsismet oculis videamus, manu teneamus; consequentiam ex Paulo Apostolo inferimus: dum ipse 1 ad Timoth. 3. vers. 15. docet Ecclesiam esse *columnam, & firmamẽtum veritatis*, quasi dixerit, vt opportunè interpretãtur expositores, & explicatis verbis Guillielmus Estius, *vt si quis veritatem quærat, non alibi certiùs, quam in Ecclesiâ; quæ firmissima basis, & certissima custos est veritatis, eam sit reperturus*: Pro quâ explicandi ratione ita fideiubet S. Irenæus Martyr lib. 3. cap. 4. inquiens *Tantæ ostẽsiones cum sint, non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè in eâ contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ*: Ergo cũ vna ex parte Veritas, non nisi apud Ecclesiam Catholicam Romanâ quærenda sit, in quam Apostoli, quasi in Depositorium dives plenissimè cõtulerint omnia, quæ sunt veritatis; ex alia vero in ipsamet Ecclesia piâ de Mariæ immunitate opinionem firmiter consistentem inueniamus, quid ni dixerimus: nihil iam ipsi deesse, vt proximè diffinitionem excipiat?

Nec omiserim pro hâc cogitatione peculiariter expendere præfata Pauli verba, quibus Ecclesiam facit columnam, & firmamentum veritatis: Etenim præter communem sensum, quem illis PP. & interpretes verè, & opportunè reddunt, vt Ecclesia sit columna benè firmata, & benè firmans veritatem, quod passiuè firmetur à Deo per infallibilem assistentiam, & gubernationem Spiritus Sancti à Christo Domino ei promissum, & per hanc met fideles omnes in veritate actiuè confirmet: vti interpretantur Chrysost. Theophylact. Beda, & alij apud P. Cornelium: obserua Paulum ibi accuratâ voce vsum fuisse: nam pro *columna*, Græcè est *Stylos*, quæ vox etiam significat graphium, hoc est instrumẽtum scriptorum, quo solebant antiquitus scribere in tabulis ceratis: Latini ex Græco stylum vocant: Ex quâ significatione itidẽ ex mẽte Pauli dici potest *Ecclesia stylus veritatis*, vt benè inibi sic monet Guillielmus Estius. *Quia per eam velut per instrumentum certissimum Deus doctrinam veritatis inscribit cordibus hominum*: Quò facit præfato loco S. Irenæus inquiens: *Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent, nonne oportebat sequi ordinationem traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesiã, cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum, qui in Christo*

Salazar

1. Tim. 3 vers. 15.

Estius.

S. Iren.

A B C D E

VII

Chrysost Theoph. Beda. Cornel.

Estius.

Irenæus

sto credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, veterem traditionem diligenter custodientes. Hęc ille. Cum hâc autem obseruatione illam componas velim: cuius superius meminimus, cum Romanam Ecclesiam Mariæ immunitati fauentē ostendimus: Romanum scilicet Catechismum ex præscripto Clementis VIII. Pont. Max. compositum, & Pontificia auctoritate probatum, vt ab eo omnes omninò fideles in fide & veritate imbuantur, signatissime Deiparam ab omni labe originali immunem esse, docuisse illis verbis, quibus verba Angeli: *Aue gratia plena*, explicauit: *Nam quantum ad primum effectum attinet, nullius peccati maculâ, nec originalis, aut actualis, nec mortalis, nec venialis infecta fuit:* Vt dum hinc planè apparet Romanæ Sedis, & Pōtificiæ institutionis mentem esse, hac piæ opinionis doctrina omnium vbique Gentium mentes fidelium à teneris vnguiculis erudire: simul etiam videatur Deus per ipsam velut per certissimum instrumentum Mariæ immunitatem cordibus hominum inscribere: Quod quidem non immerito dixeris reapse effectum: cum omnes omninò homines quà vndique patet orbis terrarum, hoc velut lacte enutriti Deiparam ab omni originaria labe immunem fuisse profitcātur, & prædicent. *Ergo piæ opinioni*, cui tantoperè Ecclesia Romana fauet, & fouet, *nihil deest, vt proximè diffinitionem excipiat.* Pulchrè quidem Augustinus lib. 4. *de Trinitate, cap. 6. tom. 3.* cum dixisset: *Contra rationem nemo sobrius: contra Scripturas nemo Christianus:* subiecit: *Cōtra Ecclesiam nemo pacificus sensserit.*

A

B

C

D

E

Concilium Tridentinum MARIÆ Immunitati adeò apertè fauisse, vt opinionem piam in fastigio proximę diffinibilitatis collocarit.

ADNOTATIO IV.

DIximus præced. libro cum de Sacrosancto, & Oecumenico Concilio Tridentino Deiparæ immunitati adfauente egimus, vix vllum fortius telum, quam ipsius sensum, & verba aduersus contrariæ opinionis Auctores posse desumi, cum sanctæ illius Synodi PP. non casu, nec obiter, aut perfunctorie, sed diligentissima prius consultatione habita cui longa dissertatio, siue acris vltro citroque concertatio præcesserat, & caussa vndequaque perspecta, eiusque iugulo, seu articulo signate puncto, absolutissimè pronunciarunt minime suæ intentionis esse in Decreto de peccato originali totum genus humanum inficiente Deiparam comprehendere his verbis: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatam Virginem MARIAM Deigenitricem, sed obseruandas Constitutiones fœlicis recordationis Xisti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus cōtētis, quas innouat.* Circa quæ verba præter obseruationes, quas non vno

I *Concil. Triden.*

in loco dedimus expendentes, tùm aduersatiuam illam *sed*, quæ contrariam sententiam præcedenti debet subinferre, vt in illis verbis Pauli de Christo Domino ad Philipp. 2. versic. 7. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit*, & in ijs M. Tullij libr. de Oratore: *Non de præstanti quâdam, & eximia, sed de vulgari, & communi prudentia disputo*: tùm etiam, Cõcilij propensionem in Mariæ immunitatem omninò fuisse manifestam duplici ratione: altera quod cũ exceptionem pro Deiparâ posuit, noluit rem sic intactam relinquere, vt neutri parti faueret, sicut contrariæ opinionis DD. imbi succlamabant, adnitentes exceptionem taliter fore exprimendam, vt in illâ Deipara nec inclusa, nec exclusa fuisset hunc in modum: *Neque Synodo fuisse animum eam inibi comprehendere, neque à communi lege segregare*, sed dissertissimis verbis affirmauit, non fuisse Concilij mentem Beatam, & immaculatam Virginem generali illo Decreto comprehendere: altera quod eâ in exceptione conscribenda accuratam illam vocem *Immaculatam* vsurpauerit, quâ non obscure ad ipsius immunitatem à macula originali allusisse videtur modo non nulla non minus efficacia, & nostro instituto valde accommodata, volumus adnotare.

Philip. 2 vers. 7.

M. Tullius.

II Et quidem (quod omniũ opportunissimum videtur) scire primũ est operæ pretium primum de tractanda siue diffinienda in Cõcilio Deiparæ immunitate ab ipsismet Concilij PP. sponte in hanc cogitationem conspirantibus, quin ab aliquo Virginis studioso incitarentur fuisse profectum: vt ipsemet oculatus testis Ambrosius Catharinus in præfation. disput. de immaculata Conceptione ad PP. Concilij hunc in mundum refert: *Cum eo iam per ventum esset, vt de peccato originali ageretur: plerique ex PP. admonebant, optimum esse, atquè opportunum speciali decreto eam sententiã de Immaculatæ Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorsus Ecclesijs celebratur, & colitur, ita probari, ac statui, vt iam vlterius non liceret cuiquã de re secus, vel asserere, vel opinari.* Ita ille. Deinde verò cum iste iam tractatus promoueri cœpit, obserua, quam argumentationem contrariæ opinionis DD. aduersus Nostros in Concilio proposuerint, vt Patres ab hac exceptione B. Virginis deterrerent, & qua ratione illi piæ opinionis Auctores obuiam iuerint: Ergo dum Nostri Auctores signatè verò Pater Didacus Lainez nostræ Societatis, qui in Concilio Oratorem siue Theologum pro Pontifice agebat, audito generali Decreto de peccato originali a primo parẽte in omne genus hominum transfuso Concilij PP. admonuissent Beatam Virginem ab ipso excipi debere: nè Deiparæ dignitati, & festiuitati de eius Conceptione, quam Ecclesia Rona solenniter quotannis celebrat, & Pontificijs diplomatibus firmam, & munitã habet, derogatũ iri videretur, aduersus eos quidam Fr. Ioannes de Vdine Dominicanus hoc dilemmate pugnare conatus est. *Diuus Paulus, & Patres aut crediderunt ipsam vestram B. Virginis à communi mortalium lege exemptionem, aut non crediderunt. Si crediderunt, neque tamen vnquam, nisi vniuerse locuti sunt, nulla facta exceptionis huius mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt: tunc vestra opinio nouitatem redolet*: En totũ inibi rationũ oppositæ partis momentũ eumque cardinẽ, in quo concertatio vertebatur. Sed enim P. Didacus Laynez, necnon Hieronymus Lombardellus Franciscanus sapienter occurrentes huic Doctori præfatum dilemma facile diluebant affirmantes:

Cathar.

Ioan. de Vdine.

D. Didacus Lai. Lomba.

Nihilo-

Nihilo minorem esse auctoritatem Ecclesiæ huius temporis, quam fuerat primitiuæ, eodem videlicet Diuino Spiritu ductæ, eiusdem Christi Domini Vicario gubernatæ, atq; ideò si Ecclesiæ antiquioris consensu factum, siue potius omissum, vt Patres sine exceptione tunc loquerentur, consensionem vniuersalem, quæ celebratione festiuitatis Conceptionis Deiparæ à Romanâ Ecclesia institutæ sese hisce temporibus prodit, multo esse fortiorem ad Deiparam à cõmuni sorte excipiendam, & validiorem ab câ argumentationem desumi.

III Quæ quidem ratiocinatio tanto plausu, tantaque gratulatione à sacra Synodo excepta fuit, vt & contrariæ opinionis Auctor tamquã lapis obmutuerit (& quidem merito: nam ad hæc quid ipse posset respondere, quin aut criminis, aut ignorationis argueretur?) & PP. Concilij non modo in partem, quæ prefatam exceptionem necessariò ponendam asserebat, pedibus, ac manibus (vt dicitur) iuerint, sed etiam pœne fuerit, vt vltimam manum huic negotio imponerent, & piam opinionẽ inter Fidei dogmata retulerint: vt ex Actis Concilij in Castro S. Angeli Romæ asseruatis manifestè cõstat: Pro quo damus lectori bonum fideiussorem P. Nicolaum Lancicium tom. 2. opuscul. 11. *de praxi diuinæ præsentiæ*, cap. 13. pag. 49. qui tamquam testis oculatus hæc affirmat. *Legi, & descripsi anno 1599. ex Actis originalibus Concilij Tridentini (quæ asseruabantur in Castro S. Angeli Romano, & cum expressa licentia Clementis Octaui Summi Pont. fuerunt R. P. Petro de Arrubal Professori Theologiæ in Collegio Romano, & mihi eius socio ad aliquas horas exhibitâ à Cardinali Cæsio) ex aliquot Decadibus Episcoporum deputatorũ ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes asseruisse illam esse conceptam, sine peccato originali, sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum, & Theologorum Sanct. Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium, nè hâc vice, propter notam, quæ inureretur Ordini Sanct. Dominici hoc Decreto illud ederent, sed supersederent, & ad aliud tempus illud reijcerent. Concilium supersedit, & decretum illud non vulgauit hanc solam ob causam: Ita habetur in illis Actis Concilijs, quæ diligentissimè legi, & hæc tunc excepi.* Hactenus P. Nicolaus Lancicius. Ex quibus inclinationem, & procliuitatem Tridentinæ Synodi in Deiparæ immunitatem facile vides: itidemque quantopere hæc faueant fœlici huic piæ opinionis statui, quem diffinitioni Ecclesiæ proximum esse affirmamus.

IV Verum enim verò præter hæc, quæ ad penitiorem, & arcanum Cõcilij sensum spectant: non obscure nos hanc ipsius mentem ex verbis ab eo prolatis rimabimur, ad eum ferme modum quo de Seraphinis faciem Dei alis suis velantibus dicebat Nazianzenus oration. 25. *Cũ Seraphinis diuinam gloriam prædicaprimam essentiam hactenus indicantibus, quatenus eam studiosis hominibus eorum alæ paulalum aperiunt*: Nimirum cum præfata Cõcilij verba: *Non esse suæ intentionis cõprehendere in hoc Decreto vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatam Virginem Mariam*, immediate subiecta fuerint Decreto vniuersali de peccato originali à Concilio ex Paulo Apostolo hunc in modum proposito: *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & nõ eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiã, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illam per inobedientiæ peccatũ mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse,*

Lancicius. *Nazian.* *Concil. Trident.*

non autem, & peccatum, quod mors est animæ anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerunt: Ex hinc manifestè apparet, vt magni Auctores ante me obseruauerunt, & res ipsa per se loquitur: Cõcilium B MARIAM Virginem constituisse extra Decretum de peccato originali in omnes transfusum, necnon extra Pauli mentem generali oratione de morte per peccatum in omnes homines pertranseunte loquentis, ac proinde docuisse hæc in MARIÆ Conceptione locum non habere, nec ad ipsam fore per consequentiam referenda, atque ideò hanc in primis cõsequentiam, in qua contrariæ opinionis Auctores vim facere consueuerant: *Apostolus docet: in omnes homines peccatum, & mortem pertrãsijsse: ergo Beata Virgo à peccato originali non fuit immunis* omninò exarmatam, atque inefficacem esse, cum post verba Pauli singillatim allata, docuerit Concilium in illis comprehensam Deigenitricem non fuisse.

V *Granad.* Quo in loco opportune argumẽtatur P. Iacobus Granado disput. 3. section. 8. num. 114. hunc in modũ: *Quia cum hoc Concilium ab Spiritu Sancto gubernatum diligenter expendisset testimonia Scripturæ, & PP. in quibus asseritur, peccatum originale deriuari ad posteros Adami, nihil in eis reperit, quo conueniret fateri, ad Virginem quoque fuisse deriuatum; sensit ergo, omnia explicari posse.* Ita ille: quò itidẽ denuo aduoco: quod initio adnotationis diximus; post decretam à Sancta Synodo exceptionem hanc, Doctores contrariæ sententiæ vehementer contendisse, illam non pro altera tantum parte, sed pro vtraque fore ponendam, vt Concilium suam mentem hunc in modum explicaret *Neque Synodo fuisse animum Deiparam inibi comprehendere, neque à communi lege segregare,* eamque postulationem omninò explosam, atque exsibilatam fuisse: Concilio adnitente, exceptionem omnino in Deiparæ immunitatis fauorem ponendam, vt peculiarem prochuitatem, quam ipsum in piam opinionem de purissimo eius conceptu habebat, manifestam faceret, & illam omnibus Christi fidelibus sensim inderet.

Quò omninò iuerit confirmatio, quam subijcit Constitutionum Xisti IV. cum illa emphatica aduersatiua: *Sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Xisti Papæ Quarti sub pœnis in eis Constitutionibus contentis:* quibus verbis omninò ostendit: adeo non esse suæ intentionis comprehendere in Decreto de peccato originali Beatam Virginem, vt potius velit eas Cõstitutiones Xisti Pontificis omninò obseruari, quibus ipse, tùm Conceptionem Deiparæ iam miram, iam immaculatam appellat, tùm etiam approbat officium de eius festiuitate à Magistro Leonardo de Noguerolis in quo miris laudibus purissima MARIÆ Conceptio afficitur, atque ijs, qui eo vsi fuerint indulgentias, & gratias impertitur: insuperque vt fallam, & erroneam damnat propositionem hanc: *Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem seu sanctificationem Virginis MARIÆ celebrare,* vt ex hac Concilij Tridentini confirmatione appareat, ipsum quidem præter diffinitionem piæ opinionis ad quam non peruenit, nihil luculentius, aut illustrius pro illa proferre potuisse: cum vna ex parte quidquid poterat aduersus piam opinionem ad faciẽ obstrepere, seu negotium facessere ex Decretis veterum Conciliorum, penitus remouit, vt DD. magnæ in Ecclesia auctoritatis obseruarunt

VI

monen-

monentes Concilium Tridentinum præfato loco nõ modo ſuum ſenſum ſed etiam aliorum Conciliorum, & Summorum Pontificum, qui generaliter in ijſdem fuerant explicaſſe, & aperuiſſe (de quo vide Epiſcopum Soſſa in epiſt. *pro oratione de Conceptione*, fol. 20.) ex altera verò quidquid in Deiparæ immunitatem pronum eſt, & procliue mirifice firmauit, non caſu, vt dixi, aut perfunctorie, ſed re exactiſsimè diſcuſſa, & auditis contrariæ opinionis Auctoribus, & eorum argumentis diligẽtiſſimè examinatis, nè vni pietati, & ſtudio in Deiparam, ſed etiam rectæ rationi, & Eccleſiæ, ac Doctorum, & fidelium omnium firmæ cõſenſioni Concilij iudicium inniti videretur.

A

B

VII Vndè quidem facilè videris, quãtum faueat Concilium proximæ diffinibilati piæ opinionis, cum amotis ijs, quæ ſcrupuloſo aliquorum iudicio obſtabant, quominus illi inhærerent, oſtium aperiat, per quod tuto, & ſapienter quotus quiſque, qui pleno pectore ſapiat, poſsit introire ad credendum Deiparam ab omni labe originali fuiſſe immunem. Quare citatus Antiſtes Fr. Franciſc. de Soſſa præfato loco cum verba Concilij expendiſſet, opportunè de pluribus contrariæ opinionis Auctoribus ſubiecit. *Hæc verba maximorum Magiſtrorum animos mouerunt, & huius myſterij reddiderũt defenſores, quorum vnus eſt P. Franciſc. à Peña* (Dominicanus quidem, & primarius apud Salmanticenſes Anteceſſor) *qui in ſuis ad 3. part. D. Thomæ ſcriptis ita ait. Valdequidem vrgebãt Decreta generalia circa peccatum originale, ſed ſacro vniuerſali Concilio liberam facultatem concedente, quid in nos admiſit ſanctiſsima Virgo, vt de eius puritate nõ credamus, quidquid credi ſine ſcrupulo poteſt? Et ſi ſacrũ Concilium illam comprehendere non vult, idque proteſtatur, nec ego comprehendere volo, ſed per illud ingredi oſtium, quod mihi Synodus totam Eccleſiam repræſentans.* Hæc apud Soſſam prudentiſsimus, & ſapientiſsimus Magiſter Peña: Apud quem vide, vt agnoſcat, & reuereatur Eccleſiæ iudicium in Synodo Tridentino illam repræſentante itidemque in ipſo obſerua oſtium à Concilio patefactum, vt iam de Deiparæ puritate ſine ſcrupulo credamus quidquid credi poteſt. Pro quo indidem Granado ſic opportunè ratiocinatur. *Multo maioris auctoritatis eſt Concilium Generale à Summo Pontifice confirmatum, quam quilibet ex Sanctis Patribus, aut Doctoribus. Ergo multo melius facit, qui ſe conformat intentioni Concilij, quam cuiuſlibet Patris, aut Doctoris. Sed Concilium affirmat, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere Beatam MARIAM in decreto de peccato originali. Ergo multo melius, & ſapientius faciunt, qui hoc ipſum affirmant, quam Auctores, qui poſt hoc Concilij decretum intendunt comprehendere Beatam MARIAM ſub decreto de peccato originali.* Sic Granado, & quidem rectè.

C

D

Sed hæc minora ſunt, ſi componantur cum ijs, quæ cæteri Theologi expendentes hæc verba Concilij cenſuere: Quo in loco maximi momenti fuerit iudicium Illuſtriſsimi Dom. D. Petri de Perea Epiſcopi Arequipenſis, qui cum hãc ſolum de re iuſtum volumen conſcripſerit, totus eſt in affirmando, & ſuadendo piam de immunitate Deiparæ opinionem poſt præfatum Concilij Decretum adeò eſſe certam, & indubitatam, vt oppoſita nulla omnino ratione iam defendi poſsit: vide illum à pagin. 25. vſque ad pagin. 249. A quo non multum abeunt noſtri Theologi PP. (inquam) Petrus Caniſius lib. 1. de *Maria Deipara*, capit. 8. qui adeò certum exiſtimat Concilium pro

VIII

Illuſtriſ. Epiſcop. Areq.

E

immaculata Deiparę Conceptione ſtare, vt hac de re nullam cum Catholicis concertationem inſtituat, ſed rem ſibi cum hæreticis ſolum eſſe velit, quod vna ex parte fateantur mentem Concilij fuiſſe immunitati B. Virginis fauere: ex alia verò tale Decretum, & Concilij auctoritatem omninò reſpuant. Vnde opportune arguit, atque caſtigat, tũ imprudẽtiam Calumi ãduerſus hoc Decretum Concilij procaciter ingerentis. *De ſpeciali Virginis Mariæ priuilegio, cum cœleſte diploma protulerint, credemus, quòd iactant,* tum etiam vafritiem Kemnitij, qui vt non ſolum voluntatem optimam, & ſtudium ſanctiſsimum PP. Concilij erga Deiparam traduceret, ſed potius etiam maligne deprauaret, nouam excogitauit fallaciam ad inuidiam illis augendam inquiens: *Qui nempe ad hoc decretum edendum per reuelationes, miracula, legendas, ſcriptaque prorſus inſulſa incitati fuerint, atque permoti.* Pergit verò P. Caniſius, & vna ex parte præfatas reuelationes à calumniâ Kemnitij vendicat his verbis. *Neque tamen aſpernamur, ſi quæ extant in hoc genere reuelationes, miracula, hiſtoriæ, quæ bonorum fidem merentur, & Conceptionis huius doctrinam confirmant, quũ ſcriptum eſſe ſciamus: ſpiritum nolite extinguere* 1. *ad Theſſal.* 3. ex aliâ vero ſapienter negat ijs ſolum reuelationibus Concilij PP. innixos, vt pulchrum illud, & ſapiens Decretũ conderent, qui ſolidiſsima Scripturæ, Patrumque monumenta, & ſenſum, ac Conſtitutiones Xiſti Pontificis Deiparæ immunitatẽ adſtruere non dubitabant. *Illud vero* (inquit) *etiam, atque etiam Kemnitionẽ gamus, quod vt ipſe fingit, Patres præcipuum ſententiæ ſuæ pondus in reuelationibus, miraculis, hiſtorijs poſuerint: aliasque firmiores condendi decreti cauſſas non habuerint.* Hæc P. Caniſius, vbi vides, quam manifeſtum apud omnes, ſiue bonos, ſiue malos Concilium Deiparæ immunitati omninò adſtipulari, de quo vide PP. Franc. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. Vazquez tom. 2. diſputat. 117. cap. 5. Valentia tom. 4. diſput. 2. quæſt. 1. punct. 2. Salmeron tom. 13. in epiſt. ad Rom. cap. 5. Ojeda in informat. Eccleſiaſtica, c. 16. Perlin. in Apologia diſput. 7. cap. 4. Salazar cap. 41. argu. 12. Granados tract. 1. diſp. 3. ſect. 8. numer. 114. & ſeqq.

Caniſius.

Suarez. Vazque. Valent. Salmer. Ojeda. Perlin. Salazar Granad.

Adſtipulatur his mirum in modũ Dominicus Soto Dominicanus, qui & Concilio cum laude interfuit, & de hoc ipſius decreto in Commentario verborum Pauli *in quo omnes peccauerunt,* ad Roman. 5. à quibus Concilium B. Virginem excipiendam dixit, ſic ait: *Eſt tamen exceptio B. Virginis ab hac ſententia Pauli vſque adeô celebris, non modo inter plebes, ſed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè ſunt illuſtriſsimi Pariſienſes, vt ſi qui hanc ſibi exceptionẽ perſuadere non poſſunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere diſputationem.* Hæc ille. Quibus omnibus expenſis non omninò abs re dicimus ſacroſanctum Concilium Tridentinum, non modo oſtium ad credendum Deiparam ab originali peccato immunem eſſe nobis aperuiſſe, ſed etiam Eccleſiæ, vt id opportuno tempore inter Fidei dogmata conſtitueret: Confidimus verò in Domino, quod Eccleſia, quæ cæpit opus bonum de Mariæ immunitate, perficiet in diem Chriſti IESV ſicut eſt nobis iuſtum hoc ſentire.

IX *Soto.*

Episcoporum Ecclesiæ in Piam de MARIÆ immunitate consensio certam, & proximè diffinibilem facit.

ADNOTATIO V.

I PRotulimus præced. lib. siuè potius adnumerauimus cũctas Christiani Orbis Ecclesias: itidemque ipsarum Præsules, atque pastores Mariæ immunitati adfauentes, & festum illibatæ Conceptionis mirâ deuotione, & solenni pompa celebrantes. A qua sane oculorum siuè luminum Ecclesiæ in piam opinionem consensione ipsam certam, atque securam reddi, & in statu diffinitioni iam proximo consistere eam argumentationem pœne necessariam modo conficimus, quod vnanimis Episcoporum, qui Patres Ecclesiæ sunt in piã aliquam rem, & opinionem concordia, vt Deum mirificè delectat: ita eum adiutorem, & illuminatorem habet, vt ipsemet Dominus ita signatissimè promisit apud Matthæum 18. versic. 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Nec id affirmasse contentus subijcit rationem: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nõmine meo, ibi sum in medio eorum*: Vbi primum obserua, Paschasium lib. 8. in Matth. opportunè hæc verba ad scientiæ consensum, & concordiam sic retulisse. *Quam vnitatem commendat Apostolus ad Philippẽses*, vt sitis (*inquit*) perfecti in eodem sensu, & in eadẽ scientia. *Quia sicut segregat dissensus à concordia charitatis, ita congregat consensus, & compaginem connectit in vnum charitatis, ita vt Deus per hanc charitatem in medio eorum esse possit.* Ita ille. Nec aliter Hugo Cardin. inquiens. *In nomine Domini cõgregati sunt, qui ipsius gloriam æmulantur, ipsius spiritu feruent, ipsum in omnibus, & per omnia fidei oculis, & mundo corde non desinunt intueri.* Sed deinde preme cum Origene in eum locum accuratum dicendi modum, quo vsus est Dominus: *ibi sum*: ita enim ille. *Non dixit in medio ero, sed sum: Mox enim, vt aliqui cõsenserint, Christus inuenitur in eis*: Iã si inquiras: quomodo inueniatur in eis? Respondet indidem Hugo: *Ibi prorsus in medio est, sese omnibus offerens, omnes attrahens, & se ipsum impertiẽs vniuersis: item* in medio *quasi communis adiutor.* Pulchre illud, *se ipsum impertiens*: non secus ac lux, quæ ab intellectu tenebras fugat, & verum lumen mentibus indat, quin fraus, aut error ipsis subsit.

Matth. 18. v. 19

Paschas.

Hugo Card.

Origen.

Hugo.

II Quã sane de causa Episcopi, ac Pastores Ecclesiæ, ab ipsomet cœlesti sponso, cum oculis componũtur, & oculi lucem à Deo accipientes, & lucem ouibus suis dantes sæpe sæpius in Canticis appellantur, signatè vero cap. 4. vers. 9. vbi habetur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorum*: quæ omninò sensum communẽ habent, cum præfatis Domini verbis de concordi pastorum sensu, *si duo ex vobis consenserint, &c.* Sic enim illa explicant Honorius Philo, & Angelomus, *in vnitate Prælatorum*, & Anselm. *In vno oculorũ tuorum* ideſt, *quia vniuntur in me vna conspiciendo, & inquirendo illi, qui in te sunt oculi.* Et similiter capit. 5. vers. 12. his verbis. *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residẽt iuxta fluẽta plenissima*, quæ de Ecclesiæ Episcopis, & Prælatis intelligunt Gregorius

Cant. 4. vers. 9.

Honorius

Anselm. Philo.

Cant. 5. vers. 12.

Gregor. PP. Nyssen. Ambr. Casiod. Philo. Bede. Apon. Iustus. Gaspar Sanct.

gorius PP. & Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Casiodorus, Philo Carpatius, Beda, Aponius, Iustus Orgelitanus, & alij plures: quorum ore inquit ibi P. Gaspar Sanctius. *Hi Christi sunt oculi, quia sicut per hos Christus loquitur: sic etiam per eosdē videt, per hos membris inferioribus prouidet.* Quod si verè æstimas, eundem sensum hæc verba habent, ac illa Domini: ibi sum in medio eorum quippe qui illos illuminat, & luce suâ perfundens nebularum, & errorum expertes facit, appositè in hunc sensum inflectente Nysseno: particulam illam dictionis de columbis, *quæ lacte sunt lotæ*, hunc in modū: *Qui in lacte nulla videtur imago, nulla apparet vmbra, & in hisce oculis nihil erroneum, sed ipsa rei veritas absque vmbratili aliquo simulacro repræsentatur.* Quò retulit S. Paulinus epistol 4. hosce oculos in Christi capite esse à quo vera sapientia dimanat, sic enim ille: occasione verborū quæ immediatè præcesserant *caput eius aurum* optimum, inquit: *Hoc aurum forma sanctorum est, qui in capite corporis, vt lumina micant: & in his sacram imaginis suæ percusit monetam imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdemque ipsos statuens nummularios vt secundum suam formam probabiles Domino cuderent numos.* Hæc ille pulchram imaginem monetæ vsurpans ad significandam doctrinæ sinceritatem, & puritatem, quēadmodum eademmet vsus est Clemen. Alexan. lib. 7. *stromatum* post medium, inquiens. *Si quis nouum aliquid cuderet, quod dissentiat à Patribus, tāquam adulteratam monetam reijcimus.*

Cant. 5. vers. 11. Paulin. Clemen. Alex.

III Ex his planè vidisti omninò subsistere Christi promisionem, sic se in medio oculorum suorum, qui in eo conspiciendo vniuntur affuturum, vt illis se ipsum cum luce suâ se impertiat. Modo autem vide, vt huic promisioni firmiter innitatur. Innocentius PP. I. vt habetur in Decreto distinct. 20. cap. *de quibus*, vbi præscribens regulam ad veritatem, quæ sub luce maligna esse videtur, eruēdam, vt ei fideles assentiri possint, & debeant, cum prius præmisisset, ante omnia recolendas fore Diuinas Scripturas, Concilia, Decreta Sedis Apostolicæ, necnon Veterum Patrum scripta, & Sanctorum exempla hisce verbis: *De quibus causis nulla soluendi, ligandique auctoritas in libris Veteris testamenti, quatuor Euangeliorum cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad Diuina recurre scripta Græca: Si neque in illis, Canones Sedis Apostolicæ intuere: si neque in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias à Doctoribus Catholicis scriptas manum mitte: si neque in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare:* statim differre admonet, vt ijs, quæ iam signauerat, non iuuantibus ad prouinciæ seniores recurramus, quòd ab ipsis in vnum conspirantibus certum veritatis argumentum ex Domini promisione desumatur: ita enim Pontifex: *Quod si in omnibus his inspectis, huius quæstionis qualitas non lucidè inuestigatur: seniores prouinciæ congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conuenerint super terram in nomine meo, de omni re, quacumque petierint: fiet illis à Patre meo.* Hæc Innocentius: & quidē rectè, dum monet veritatem a Senioribus inuicem consentientibus inueniendam, & huic consensioni Domini repromisionem, sic esse alligatam, vt de successu non fuerit dubitandum, cū Dominus se ipsum impertiens in medio eorum sit. Quò omninò facit oculorū imago, quos ideò signatè Dominus illuminare, suaque luce perfundere dicitur, vt alios ipsi illuminare, & deducere

Innocen. PP.

valeant

valeant ad eum modum, quo Apo-
2. Cor. 4 verſ. 6. ſtolus 2. ad Corint. 4. cum dixiſſet: *Per exhortationem, quâ exhortamur, & ipſi à Deo*, ſubdit verſ. 6. *Siue exhortamur pro veſtra exhortatione, & ſalute.*

IV Sed & eâ ratione ſapientiſsimè A dictum eſt ab Innocentio Veritatem à ſenioribus requirendam, quod cũ alluſione ad Chriſtianæ Eccleſiæ Epiſcopos promiſerit Dominus apud
Ierem. 3 verſ. 15. Ieremiam, cap. 3. verſ. 15. *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ, & doctrina*, ideſt, qui non tam ex ſuo, quam ex diuino conſilio, & illuſtratione doctrinæ ſa- B næ pabulo paſcent vos. Quod ſane paſtorum munus ita expoſuit idem-
Malac. 2. v. 7. met Dominus Malachiæ 2. verſ. 7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*, in quæ verba Hieronymus: *Ad Sacerdotem* (inquit) *pertinet, diſciplinam interrogatum de lege reſpondere, qui ſi ignorantiam in cæteris diligentem: in Scripturis ſanctis obtenderit negligentiam, fruſtra iactat dignitatem cuius opera non exhibet*, ita C
Hieron. Aggæi 2. v. 11. ibi Hieronym. qui etiam in capit. 1. Aggæi verſ. 11. vbi notãter ipſemet Propheta ad Sacerdotes à Domino mittitur de lege edocendus illis ver-
Hieron. bis: *Interroga Sacerdotes legem*, itidem ait. *Conſidera Sacerdotum eſſe officij, de lege interroganti reſpondere: ſi Sacerdos eſt, ſciat legem Domini: ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit, non eſſe Domini Sacerdotem.* Vndè ſignatiſsime D Apoſtolus oſtendat Eccleſiam vndique ſubſiſtentem in fide, & recta doctrina, quin à falſis opinionibus, & erroribus abripiatur, paſtores & Doctores à Deo accepiſſe, ſic docet ad
Ephe. 4. verſ. 11. Epheſ. 4. verſ. 11. *Et ipſe dedit quoſdam autem prophetas: alios verò Euã* E *geliſtas: alios autem paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorũ in opus miniſterij in ædificationẽ corporis Chriſti*, ſed quã ob rem? Subdit: *Vt iãnõ ſimus paruuli fluctuãtes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum ad circumuentionem erroris*: Vbi vides paſtores plebi ſuæ à Domino datos, vt paſcant fideles ſcientia, & doctrina, ac proinde ad diuinam prouidentiam ſpectare, vt de lege diuina interrogati, ritè & rectè reſpondeant, nè ſi ipſi à fide, & veris dogmatibus aberrarent: oues diſperſæ, ac palantes vagarentur. Vnde quidem Canus li-
Canus. bro 4. de locis Theolog. cap. 4. cum prius hanc concluſionem ſtatuiſſet, *Paſtores Eccleſiæ, & Doctores in fide errare non poſſe, ſed quidquid fidelium populum doceant, quod ad Chriſti fidem attineat, eſſe veriſsimum*, ipſam his Pauli verbis adductis ſic cõfirmat. *Sanè ſi paſtores, ac Doctores hùc atque illuc errarent, à rectoque fidei tramite diſcederent, oues profectò ipſæ etiam errarent, nec aliter, quã ſine paſtore diſperſæ vagarentur: Bene ergo Paulus, nè populus variis doctrinæ ventis circumferatur, diuinæ procurationis eſſe aſtruit Doctores, & paſtores Eccleſiæ dare, quorum videlicet auctoritate plebs ſuâ naturâ cõcitata, atque mutabilis in fidei conſtantiâ ſuperno numine contineatur.* Ita ille.

V His ita conſtitutis, & noſtro inſtituto aptatis, facile vides piam de Mariæ immunitate opinionẽ in ſtatu proximæ diffinitionis ſubſiſtere: Nam in primis ſi ad verba Innocentij Pontificis animum intendis, præterquam quod in illis habemus omnia ab ipſo requiſita ad eruendam veritatem, noſtræ opinioni ſubeſſe, cum pro ipſa, & Scripturas ſacras, & egregia Sedis Apoſtolicæ Decreta, & Veteres PP. tam ex Latina, quam ex Græca Eccleſia, & exempla Sanctorum, & Eccleſiaſticas hiſtorias ſtare viderimus: diſſertiſsimè affirmat Pontifex Seniorum, ideſt Epiſcoporum in vnum conſpirantium ſenſum loco cæterorum: quæ requi-

runtur ad eruendam veritatem habendum, tantique faciendum, vt ei omnimoda fides adhiberi debeat, eâ videlicet ratione, quod huic cõcordi consensioni, & oculorum vnà contuentium vnitati ea Domini repromissio sit alligata, qua se affuturum lucis suæ illustratione pollicitus est. Ergo vt ad eruendam veritatem generaliter dixit Innocentius. *Seniores prouinciæ interroga*, ita nos modo, & ad eruendam veritatem opinionis piæ, & ad ipsam proxime diffinibilem asserendam Seniores, & Episcopos prouinciæ, immò & orbis vniuersi interrogandos volumus, dicentes: *Interroga patrem tuũ & annũciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi. Quãdo diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam*: quam consultissima prouidentia ab vniuersa perditionis massa Mariam separauerit, & ab originali labe fecerit immunem: interroga ergo omnes totius Orbis terrarum Episcopos, siue in Hispania, siue in Italia, siue in Gallia, siue in vtraque Germania, & Polonia, siue in Occidentalibus, siue in Orientalibus Indijs commorantes, & dum omnes Mariæ immaculatè conceptæ fauentes, & applaudentes vides, omninò persuasum habe, non modo te veritatem piæ huius opinionis in manibus habere, sed etiam ipsam ad statũ proximæ diffinitionis iam peruenisse: nam vt superius adductus affirmabat Melchior Canus. *Quidquid Episcopi fidelem populum docẽt, quo ad Christi fidem attinet, verissimum est.*

Deuter. 32. v. 8.

VI

Quò in loco opportunè subsistet alia ratiocinatio, quâ indidem vtebatur Canus ad suam conclusionem confirmandam: aiebat enim ille. *Faciamus omnes simul Episcopos in eandem sententiam conuenire, hancque populo rudi credendam proponere: tũc rogo, an populus hos sequi debeat? an non? Si debet, cum errantibus ergo Sacerdotibus, & Episcopis plebs quoque erret, necesse est, quare Sacerdotũ omnium, error, totius erroris erit Ecclesiæ: sin autem populo omnium pastorum doctrinam leuem existimare licet, vide quæso, an hâc sententiâ absurdior alia dici, aut existimari possit?* Quod cum ab imagine corporis mẽbratim distracti, atque discerpti explicasset, sic statim confirmat. *Atqui vbi semel plebs rudis à Doctorum suorum communi sententiâ declinauerit, quorum doctrinam postea secura est? Si salè abiecerit, in quo salietur? Si à luce mentis acie abduxerit, quid nisi tenebras intuebitur? Si oculus est malus, nonnè & corpus tenebrosum erit?* Hæc ille, à quibus in nostrum institutum translatis eadem argumentatio pro piâ cõficitur opinione: nam omnibus simul Episcopis in illam conuenientibus, tunc rogo, an populus illos sequatur? An non? Si non sequatur, quid absurdius dici, aut esse possit? pedibus duces oculos ad ambulandum non sequentibus (vt pœne vsurpari, tunc possit acris illa religiosissimi Imperatoris Marciani relata in Concilio Chalcedonensi act. 3. sententia. *Cesset iam prophana cõtentio. Nam vere impius, & sacrilegus est* (tu dicito à vero, siue ab scopo aberrans est) *qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit:* Si verò populus Pastorum suorum sententiam secutus Mariam immaculatè conceptam credit: firmissimum, atque ineuitabile piæ opinioni argumentum ministrat, dum populus cum Episcopis consentiens, & Episcopi quibus populus adhæret, totius Ecclesiæ faciem, & vocem habeant.

Canus.

Marciani Imp.

Pro qua argumentatione, quæ

VII

omninò

omninò legitima,& neceſſaria eſt, mirè facit,quod Card. Bellarminus tom.2.lib.3. *de Eccleſia militante*, cap.14.ad finem, & Canus citato loco obſeruant,Concilium nimirũ Epheſinum in epiſt. *ad Neſtorium*, quæ etiam à ſexta Synodo actione 11.approbata eſt, ab ipſo Neſtorio ſignate exegiſſe,vt ſi Eccleſiæ Catholicæ ſatisfacere vellet, iureiurãdo profiteretur,ſentire ſe, & docere,quod vniuerſi per Orientem, & Occidentem Epiſcopi,Præſideſque populorum crederent,ac ſentirent. rati videlicet horum Conciliorum PP.non poſſe,non eſſe verum,& infallibile,quod omnes Epiſcopi docerent: Ad quem ſanè modum iure dixeris,eũ qui velit ſatisfacere Eccleſiæ,& veritati de Mariæ Conceptione,vtrum illibata fuerit an nõ? Si id ſentiat,& profiteatur,quod vniuerſi per Orientem, & Occidentẽ Epiſcopi de ipſa ſentiunt,& docent omninò puram,& ab omni næuo immaculatam eam fuiſſe ſentiet. Et quidem,vt benè ratiocinabatur Canus diuinæ procurationis fuiſſe Doctores, & paſtores Eccleſiæ dare, quorum videlicet auctoritate plebs ſuâ naturâ cõcitata,atque mutabilis in fidei conſtantia ſuperno munere contineretur:ita etiam opportune dicemus, Diuinę prouidentiæ fuiſſe omnes omninò Epiſcopos Mariam immaculatè conceptam ſentire, & docere,vt & eorum ſenſu populus Chriſtianus imbutus in piæ opinionis conſtantia diuino munere contineretur,& Sedes Apoſtolica ad illius diffinitionem tam tuto, quam prudenter,& generali fideliũ plauſu procederet.

Bellarm Canus. Concil. Epheſ.

VIII

Ecce tibi,quam firmiter, quam tuto Catholica Eccleſia Dei huic concordi Epiſcoporum ſenſui ſubnixa ad diffinitionem Opinionis piæ tendere poſsit,cum vno ex capite: *Verus repromiſſor Dominus ait,ſi duo ex vobis,vel tres conueniunt ſuper terram in nomine meo,de omni re,quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo:* Ex alio verò ita omnes omninò Epiſcopi Chriſtianæ Eccleſiæ in ſententiam de Maria immaculatè conceptâ conſpirent,vt merito in illos inflexeris verba Sponſi de vnitate Prælatorum. *Vulneraſti cor meũ ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meũ in vno oculorum tuorũ:* omnibus interſe concinentibus: Nec firmiſsimę huic argumentationi negotium faceſſet vllum, qui dixerit oportere, vt argumẽtum ſubſiſtat,Epiſcopos, vel in Concilio,vel alibi ſimul eſſe congregatos,dicente Domino: *Vbi fuerint duo,vel tres congregati in nomine meo ibi ſum.* Etenim ſi recte Domini promiſsio,& ſenſus penſitetur, illud *vbi*,& *ibi* non ad vbicationem (vt aiunt) ſiue ad ſimultaneam præſentiam, ſed potius ad animorum coniunctionem,& mentium cõſenſionem referendum eſt (vt de communi Doctorum conſenſu ſeq. adnotat.itidem dicemus) ſicut & initio adnotationis huius adductus Paſchaſius explicabat inquiens: *Quã vnitatem commẽdat Apoſtolus ad Philipp. vt ſitis (inquit) perfecti in eodem ſenſu,& in eadem ſcientia*, & pulchritudo,& laus Chriſtianæ Eccleſiæ in imagine oculorum vna intuentium deſignabat: quæ ſane laudatio generalior eſt, quam quæ ad ſolos Epiſcopos in Concilio cõgregatos referri debeat:cum ſit ſatis illos toto terrarum orbe diſterminatos eumdem ſenſum habere,quod illis pro pupillâ diuinus inſit Spiritus, vt ad præfata verba. *Oculi tui colũbarum*, ſiue *columbæ*, vt legũt LXX. PP.adnotarunt,itidemque *lacte loti* dicantur: ideſt ſuaui,& nitida Spiritus Sancti doctrina,vt inquit Anſelmus: immo verò maior concordis huius ſenſus,& doctrinæ laus fuerit,& plus quidem Diuini Spiritus illuſtratio enitebit,ſi longinquis terrarum oris diſsiti in vna veritate opinionis

Innocẽt.

Cant. 4. verſ. 9.

Matth. 18. v. 19

Paſchaſ.

Cant. 5. verſ. 11. LXX.

nionis piæ intuenda, cognoscenda, & prædicanda conspirent.

IX Quod sanè inde euincitur, quod tota hæc sententiæ certitudo, & firmitas, ideo Episcopis ab Spiritus Sancti illustratione, & assistentia insit, quod vt singuli singulas Ecclesias (affirmante Cypriano epistol. *Cyprian.* 69. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse*) ita omnes Ecclesiam Catholicam repræsentant, & eius vocẽ *Cardin. Bellar.* ferunt. Quò refert Card. Bellarminus citato loco eam epistolam Cõcilij Ephesini præscribentis Nestorio, vt si Ecclesiæ satisfacere velit, iuramento affirmet se ita sentire, vt sentiunt Orientis, & Occidentis Episcopi, vt inde quidem planũ fiat, verissimè dictum fuisse à P. Ferdinãdo de Salazar in defensione pro immaculata Conceptione capit. 42. *Salazar* si semel constiterit, Episcopos, cuius munus est Ecclesiæ vocem præferre in vnam sententiam, & sensum conuenire, nihil opus esse Pontifici Sũmo Concilium euocare ad eam doctrinam inter fidei dogmata asserẽdam: *Non solum* (inquit ille) *quia cõstans est Ecclesiæ Catholicæ dogma Summum Pontificem extra Concilium adhibito examine, quamlibet doctrinam finire, ac terminare posse, sed tũ vel maximè, quia ex his, quæ supra tradidimus, liquet Patres in Concilio nihil aliud suis suffragijs præstare, nisi Ecclesiæ (cuius vocem portant) communiorem sensum aperire, declarare, ac testari, & in hâc tantum declaratione sententiam diffinitiuam habere. Quapropter si de isto sensu Ecclesiæ aliunde certò constiterit, nullus omninò est vsus, aut necessitas Cõcilij.* Hæc ille.

* * *

Communis Doctorum, siue Academiarum de MARIÆ immunitate consensio: Opinionem piam proximè diffinibilem reddit.

ADNOTATIO VI.

I Adsimilis præcedenti argumentatio pro statu diffinitioni proximo, quo Pia de Mariæ immunitate opinio gaudet, ex communi Catholicorum Doctorum, siue cunctarum Christiani Orbis Vniuersitatum in ipsam consensione conficitur: Etenim vt lib. præced. vidimus: Omnes omninò, quas nouimus celebres in vniuerso terrarum orbe Academiæ, siue in Hispania, siue in Gallia, siue in Germania, siue in Belgio, siue in nouo orbe vnâ mente, & concordi consensu Mariam immaculatè conceptam credunt, profitentur, & conceptis verbis in perpetuum tueri, & defendere iure iurando testantur, vt inibi videre est. Nam cui, rogo, validiori, aut robustiori argumento ad exactam alicuius doctrinæ examinationem Ecclesia inniti valeat, quam communi sapientiũ omnium sensui, atque consensui? Certè tum præfata Decreti Innocentij verba: *Seniores prouinciæ interroga*, Glossa illius textus ad sapientes, sic refert, *Seniores, id est sapientes*: tum etiam Salomon doctrinæ sanitatem à sapientibus exquirendam, & aucupandam sic monuit. *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum*, Sapient. 6. vers. 26. vt dixerit à multitudine sapientium sperandam or- *Sapiẽ. 6. vers. 26.*

bi

bi terrarũ ſanitatẽ doctrinæ, cũ ad illos omnino ſpectet, de eâ ſenſum, & ſententiã proferre, quod quẽadmodũ *non facile de artibus iudicat* (ſic Cyprian. in prologo ſerm. de Natiuitate Domini) *qui artes ignorat, ita vnuſquiſque in arte ſua ſapiẽs eſt*, vt docet Eccleſ. c. 38. v. 35. quæ verba Hugo Card. ibi ſic explicat. *Sancti ſpiritus diſtributione, qui diuidit ſingulis prout vult.* Ex quibus habet altiorẽ ſenſum, & firmiorem rationẽ, cur multitudo ſapientium ſanitas ſit orbis terrarum, nẽpe quod ipſi, præſertim cum ad res diuinas inquirendas congregantur, ſancti ſpiritus illuſtratione perfundantur. Certe diuina Sapientia de ſe ipſa inquit: *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*, Prouer. 8. v. 12. hanc ſententiã capiente Beda ibi de Chriſto Domino, & ei præfata illa apud Matthæũ verba c. 18. v. 19. accommodante: *Vbi duo, vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ.* Sed quomodo? non equidẽ ſolùm præſens, ſed etiam Præſes, qui ipſis ſapientiã, cõſilia, & rectas cogitationes inſpirẽ. Ideò opportunè Hieronym. in cap. 1. epiſt. ad Galat. *Doctores* (inquit) *Eccleſiæ non tam ipſi docent, quam in ipſis Deus.*

II Quare Eccleſiaſticus poſt præfata verba: *Vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt*, ſubdit. *Sine omnibus his nõ ædificatur ciuitas, & nõ inhabitabũt, neque inambulabunt, & in Eccleſiã non tranſient, ſuper ſellã iudicis nõ ſedebũt:* quæ ſic paraphraſticè elucidauit ibi Hugo Card. *Sine omnibus his Doctoribus, prædicatoribus, prælatis non ædificatur Eccleſia, & ſuper Cathedrã Magiſterij, ſeu prælationis non ſedebunt aliqui dignè ſine his*, vbi omninò appareat Eccleſiaſticũ ædificiũ, egregiamque doctrinam ab Eccleſiæ Doctoribus ſignate firmari, vt quẽadmodũ, quod ipſi vnanimiter affirmauerint tutũ, atque ſecurũ fuerit, quod in medio eorũ Dominus illuminãs ſit, ita ipſis cõtraeũtibus Eccleſia ædificari nõ poſsit, ſapientia, quæ omniũ artifex eſſe dicitur (Sap. 7. v. 21.) deficiẽte, ſic enim ibi Salomõ. *Quæcũque ſunt abſconſa, & improuiſa didici: omniũ enim artifex docuit me ſapientia.* Vndè de DD. ſui tẽporis per cũctas vrbes diſperſis opportunè dicebat Auguſtin. in Geneſ. c. 41. *Hoc tempore vidimus impletũ, quia abundante doctrinâ Apoſtolica ſeptiformi ſpiritu miniſtrata diuina diſpoſitione per ſingulas vrbes Doctores ordinati ſunt, qui abundantia doctrinæ diuinitus, ſibi collatæ libros ſanctos ſcripſerũt, quibus abundante fame verbi, & deficientibus Doctoribus indigentiam noſtrã reficeremus.* Hæc ille. Contra verò de doctrina à Doctorum Eccleſiæ ſenſu abeunte, ſic abſolutè pronunciabat Clemens Alexandri. lib. 7. *Stromatum*, vt ad not. præced. vidimus: *Si quis nouũ aliquid cuderet, quod diſſentiat à Patribus; tanquam adulteratũ monetã reijcimus.*

Hinc quotquot de vi, & vſu auctoritatis Romani Põtificis in fidei quæſtionibus diffiniendis egerunt, maximè habendam eſſe rationem concordis ſententiæ Doctorũ omninò affirmant: quã de re ſapienter differuit P. Gregor. de Valentia in Analyſi fidei Catholicæ c. 8. Cuius verba licet pluſcula iuuat appingere, ſunt iſta: *In diffiniendis controuerſijs Fidei, concordis etiam ſententiæ Patrum, ſiue Doctorum omnium, id circo haberi ratio debet, quia quod illi vnanimi conſenſu circa religionem tradunt, infallibiliter verum eſt. Sunt namque illi diuinitus Eccleſiæ dati*, vt non circumferamur omni vento Doctrinæ, ſicut *Apoſtolus docet ad Epheſio. 4. verſicul. 14. Ex quo loco formare poſſumus hanc rationem. Quod vniuerſi Doctores vnanimi conſenſu tradunt, id ſibi vniuerſa poteſt, ac debet perſuadere*

Eccl. 38 verſ. 35. Hugo Card.

Prou. 8. verſ. 32. Beda. Matth. 18. v. 19

Sapiẽ. 7 verſ. 21.

Auguſt.

Clemen. Alex.

III

Valent.

Eccl. 38 verſ. 36. Hugo Card.

Ecclesia, vt colligitur ex eo loco Apostoli. Sed quod vniuersa Ecclesia potest, ac debet credere, id infallibiliter verum est, vt supra sæpe probatum est: ergo quidquid vniuersi Doctores tradunt, id est infallibile. Hæc Valentia, quæ statim ab imagine oculorum totum corpus ducentium ita confirmat. *Accedit, quod id sunt (propter Doctrinæ lumen) Doctores in Ecclesia, quod sunt oculi in corpore humano. Sed quod oculus videt, aut non videt, id corpus ipsum videre, aut non videre merito censetur: ergo similiter quod vniuersi Doctores sentiunt, id Ecclesia ipsa sentire censenda est. Nihil autem Ecclesia vniuersa sentire potest, nisi verum, cum habeat illa perpetuo veritatis spiritum, sibi assistentem. Nihil igitur nisi verum vniuersi Ecclesiæ Doctores docent.* Hactenus P. Valentia. Nec alia mens Melchiori Cano lib. 8. *de locis*, cap. 4. vbi cum hanc primum statuisset conclusionem: *Ex auctorum nimirum Scholasticorum communi sentẽtia in re quidem graui, vsque adeò probabilia sumuntur argumenta, vt illis refragari temerarium sit.* Opportunâ hac ipsam ratione confirmat. *Nam in quacumque arte peritis credendum esse, ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in nauigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de Theologiæ dogmatibus disserendi experientibus, & exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certe temerarius est.* Sic ille.

Canus.

IV Pergit verò statim Valentia inquirens: qui tandem ij Ecclesiæ Doctores fuerint? quorum iudicio, & doctrinæ fidelis plebs assentiri debet? cumque dixisset. *Respondeo, primum illi, quos iam inde à tempore Apostolorum variis ætatibus Ecclesia tanquam Patres venerata est, ac fidei Magistrorum loco habuit, quorum extant illustria doctrinæ monumenta.* subijcit statim. *Deinde etiam illi quos habet quauis ætate præsentes,* & paulò post hunc sensum plenè diffundens inquit. *Addidi verò cũ dicimus, concordem sententiam omnium Doctorum esse infallibilem, intelligendos etiam in proposito esse Doctores omnes Catholicos, quos vnoquoque tempore præsentes habet Ecclesia,* quod illico ita confirmat. *Ecclesia quouis omninò tempore, quasi corpus quoddam perfectum, atque absolutum est, quod suos proinde oculos quouis tempore habet, suumque spiritum veritatis instar animæ perpetuo secum manentem, membraque ipsius pro conditione cuiusque illorum vegetantem. Sed vt probatum est, Ecclesiæ quasi oculi sunt Doctores, quorũ conditio ea est, vt nunquam omnes circa religionem errare possint: ergo quouis tempore in Ecclesia Doctores esse existimandum est, qui à Spiritu Sancto eum, quasi vitæ influxum percipiant, vt nunquam omnes à superiorum Patrum, & Doctorum concordi sententia, atque adeò, nec à vera doctrina fidei, vel ipsi aberrent, vel alios auertant.* Hæc ille sapientissime dicta, quibus mirifice inseruit argumẽtatio Cani præced. adnot. ex verbis Domini apud Matthæũ 23. vers. 2. *Super cathedra Moysi sederunt scribæ, & pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite,* hunc in modum confecta. *Anne meliore statu Scribæ, & Pharisæi erunt, quam Ecclesiæ Christi pastores, ac Doctores? Certe si præsentibus solum, & non iam futuris Dominus loqueretur, vt auctor imperfecti argumentatur, dicta illa fuissent, non scripta. Dicta sunt autem propter illos, scripta propter istos.* Ita ille, quæ argumentatio in DD. præcipuè locũ habet, cum Scribæ, ac Pharisæi, alij à Sacerdotibus essent, eorumque munus omninò in legis expositione, & Scripturarum interpretatione versaretur. De quo vide Maldonatũ in c. 2. Matth. v. 4. & in c. 3. v. 7.

Valent. *Math. 23. v. 2.* *Canus.* *Mald.*

Vndè

Canus. Vnde rursum idem Melchior Canus lib.8.cap.4.signatè de Doctoribus verba faciens ex similibus Christi verbis,ita argumentatur. *Præterea cum Dominus dicit.* Qui vos audit me audit,& qui vos spernit me sper-
Luc.10. vers.16. nit,*Lucæ* 10.*vers.*16,*Non modo ad primos Theologos,hoc est. Apostolos verba illa referebat,sed ad Doctores etiam in Ecclesia futuros, quandiu pascendæ essent oues in scientia, & doctrina quemadmodum igitur, qui Theologos Christo succedentes contemnebat,Christum is etiam Dominum contemnebat,ita qui Theologos iuniores antiquis succedentes despicit, hic Christum quoque ipsum despiciat,necesse est,* Hęc ille modo,alia post modum dicturus nō minus opportuna.

V Iam vero si subinde singillatim, & pensiculatiùs tibi Doctores indice designari petieris. Nemo (credo) cordatus aliud tibi respondebit,quam vt Christiani orbis Vniuersitates inambules, & quotquot in illis Theologia candidatos videris concordi sensu doctrinam aliquam docentes,Doctores appelles & pro ijs Doctoribus,de quibus sermonem instituimus habeas,itidemque quotquot in sacris ordinibus viros sapientia,& scriptis præstantes, qui ob eximiā doctrinæ claritudinē magnam apud fidelem populū existimationem habent;Doctores dixeris.sin autē alios mihi Doctores, de quibus Paulus,& a Paulo præfati auctores loquuntur,mihi designa, & vbi rogo,hos inueniemus?Si eos qui & in vniuersitatibus,& in sacris ordinibus,& in Ecclesijs Cathedralibus consistunt despexerimus. Crediderim quidem Sedem Apostolicā cum opus habuerit Doctoribus,nō aliunde eos aduocaturam,quam ab Academijs per orbem diffusis, vt à Salmanticensi,Complutensi, Parisiensi,Moguntina,Viennensi, &c. Ex his iam ad rem. Vide ergo ab hac argumentatione à consensu Doctorum petitâ,piam opinionem ita munitam,vt non videatur dubitandum in statu diffinitioni proximo consistere: cum videas omnes omninò Doctores,siue cuiuscunque Christiani orbis Vniuersitatum, siue omnium sacrorum ordinum cōcordi sensu,immò iuratis verbis MARIAM immaculatè conceptam docentes,tanta quidem mentium, & animorum vnitate, & firmitate, vt vix vnquam in aliam opinionem ad Theologiam pertinentem adeō vnanimiter conspirarint. Quod plane non nisi ab Spiritu veritatis, qui intus alit, & magno huic Ecclesiæ corpori se miscet, proficisci dixeris. Quo in loco mire iuuat argumentum,quod indidem pro sua cōclusione rursum formabat Canus, inde nimirum tunc manifestè elici Diuinum Spiritum concordi Theologorum assertioni assidere, quando ipsi aliàs in alijs dissertationibus mirificè inter se concertare soleant. Audi illum. *Præterea cum inter ipsos Theologos Scholasticos magnâ fere vbique dissensione certetur, ita vt in hac parte iure forsitan reprehendantur, certe non idem omnes assererent,nisi eodem diuino Spiritu permouerentur.* Quod statim à simili ex miraculo illo LXX. interpretum,qui seorsim alij ab alijs diuulsi in vnammet Scripturæ translationem conuenèrе,ita firmat. *Nec minus mirandum est varias scholæ factiones Doctoresque tam inter se discrepantes in vnam, eamdemque sententiam concurrisse,quam LXX. interpretes diuersis (vt ferunt) cellulis inclusos in vnam eamdemque conuenisse interpretationem.* Vndè tandem concludit. *Non igitur poterit esse verum illud,quod scholasticorum Theologorum choro idē cōcinenti fuerit contrarium.* Hæc Canus, quæ vt pro nostro instituto,ita contra se ipsum,& auctoris opinionis minus pię ille omninò dixisse videtur. Nam

Canus.

quid magis mirandum? & diuino ſpiritui tribuendum, quam tot Academias toto terrarum orbe diſterminatas: tot tamque infinitos Doctores alijs in doctrinis, & opinionibus adeò interſe diſcrepantes tanta mentium, & ſententiarum cõſenſione in piam opinionem iurare? *Certe non idem omnes aſſererent, niſi eodẽ Diuino Spiritu permonerentur. Non igitur poterit eſſe verum, quod Theologorum choro idem concinenti fuerit contrarium.*

VI *Valent.*

Vbi itidem pro re natâ maximè obſeruandum eſt, benè quidem animaduertiſſe P. Valentiam præfato loco: raro quidem accidere poſſe, vt omninò manifeſtum fiat, quæ ſit Doctorum omnium toto terrarum orbe diſterminatorum vno tempore viuentium de re ad fidem pertinẽte ſententia, quod ſint Catholici Doctores in Eccleſia vbique diffuſa plurimi, qui proinde omnes, nec facile congregari, nec interrogari poſſunt quid ſentiant. Verum enim verò, *vbi contingeret* (inquit ille) *notam eſſe Doctorum huiuſmodi omniũ de re aliqua controuerſa concordem ſententiam, poſſe, ac debere Pontificẽ in fidei definitione illa niti.* Hæc Valentia, vbi omninò in pia opinione inuenies, quod raro in alijs accidere poſſe aiebat Valentia, concordẽ nimirum Doctorum omnium ſimul toto orbe diſterminatorum ſimul vno tempore viuentium ſententiã ſatis cognitam, & manifeſtã in ſuis proteſtationibus, & iuramentis in Academijs factis, quin illos denuò congregare, aut interrogare opus fuerit. Sed quoniam à Cano contra Canum opportune argumẽtamur, nõ pigebit alia plura ex ipſo in hãc rem afferre, quæ vix alij inſtituto, quã huic de proxima diffinitione opinionis piæ aptiùs, & opportunius poſſint adaptari, ibi enim tũ inquit. *Canus.* *Si qua in quæſtione vniuerſi Theologi eadem interſe concinunt, profectò ſi in eo errant, Eccleſiam item errandi periculo exponunt. Atque Deus ipſe ſi Theologorum omnium errorem non aperiret, in neceſſarijs Chriſtiano populo deeſſet.* Tùm etiam addit, adeò non eſſe deſpiciendos Theologos in vnum conſpirantes, vt ipſi ſibi perſuaſum habeat, non niſi eorũ auctoritate Eccleſiã res plurimas diffiniſſe, ſubdit. *Quippe trecẽtos abhinc annos, ſi quas Eccleſia hæreſes condẽnauit, ſi quæ de fide, & moribus decreta tulit, Theologorum ſubſidio, & diligentia adiuta eſt, nec minor quidẽ horum, qui modo viuunt, quam illorũ, qui ante nos vixerunt dignitas ſit.* Vndè non ſunt omittenda, quæ poſt modum pro recentiorum Doctorũ auctoritate ex auctore oper. imperf. in Matthæum affert Canus dũ illum ſic loquentem facit. *Cum audieris aliquem beatificãtem antiquos Doctores, proba qualis eſt circa ſuos Doctores. Si enim illos cum quibus vixit, ſuſtinet & honorat, ſine dubio illos ſi cum illis vixiſſet honoraſſet. Si autem ſuos contemnit, ſi cum illis vixiſſet, illos contempſiſſet.* *Auctor oper. imperf.*

VII

Vnus tamen ſiue pro huius, ſiue pro præcedentis adnotationis coronide ſupereſt ſcrupulus, ſed facili quidẽ negotio eijciendus. Quinam cenſeantur omnes Doctores: ſicut & omnes Præſules eſſe? an videlicet omnes Mathematicè loquendo quin vllus omninò deſit, & aliorum opinioni refragetur? an vero omnes moraliter? vſitato hominũ, immò & Scripturæ loquendi modo, cũ multo maior hominum, aut vrbis pars, pauculis demptis in vnam ſententiã conſpirant, vt ad Philipp. c. 2. v. 21. dixit Paul. *omnes quæ ſua ſunt quærũt, nõ quæ Ieſu Chriſti*, ideſt, *pleriq; omnes: paſsim omnes, plurimi*, vt Cornelius Eſtius, & alij interpretes explicãt, & Dauid Pſ. 13. v. 3. omnes declinauerunt: ſimul inutiles facti ſunt: cum tamen dixerit Dominus: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum,* *Philipp. 2. v. 21.* *Pſal. 13 verſ. 3.*

qui

qui non curuauerunt genu ante Baal. Quâ sanè de re accuratè differuerũt PP. Gregorius de Valentia citato superiusloco, & Alphonsus Salmerõ tom. 1. in Euangelia prologomen. 9. Can. 50. & quidem Valentia cum præmisisset, *Sed restat præterea exponendum, quinam in proposito existimandi sint omnes omninò Doctores? cum illorum etiam concordi sententiâ Pontificem niti posse asserimus?* Itidemque docuisset, perinde quæri posse siue de ijs sermo sit, qui variis ætatibus de religione scripserunt, siue de ijs, qui vnoquoque tempore in Ecclesia viuunt: tandem nostro instituto opportunissimus inquit. *Respondeo, Doctores omnes in proposito dici, non omnes mathematicè tantum loquendo, idest nullo planè excepto, sed etiam moraliter. Quo quidem pacto omnes esse cẽsentur ij, quorum auctoritatis pondus tantum est, circumstantijs omnibus consideratis eruditionis, pietatis, multitudinis, &c. vt à prudentibus certè eorum solum modo ratio haberi debeat, cæteris neglectis, quasi nihil sint, si cum illis conferantur:* Hæc ille, quasi præsentem controuersiam ob oculos habuisset, & pro opinione pia omnes omninò orbis Vniuersitates, & omnes omninò sacrorum ordinum Magistros: pro opinione verò minus piâ vnum tantum sacrum Dominicanorum PP. ordinem, eiusque Magistros, qui si cum Doctoribus opinionis piæ conferantur, *pauculi sunt* (quo dicendi modo ipsos numerauit P. Ioannes Lorinus in Psalm. 98 versic. 4. vt infra videbimus) in libra pensitasset. In cuius statim sententię confirmationem adducit verba hęc Vincentij Lirinensis. *Consensionem verò Doctorum sequemur, si in ipsa vetustate Sacerdotum omnium, aut pene omnium, & magistrorum iudicij atque sententiam sectemur:* ex quibus infert: *Ita via nobis patebit vrgendi errantem vnum Doctorem, aut alterũ aut etiam plures auctoritate reliquorum:* De quo nos peculiaribus inferius adnotationibus agemus.

3. *Reg.* 19. *v.* 4. *Ad Roman.* 11. *vers.* 4. — A — *Valent.* — B — *Lorinus* — C — D — E

VIII

Ex quibus aperte liquet, frustra, opinioni piæ vnum, aut alterum e Patribus, aut etiam nonnullos Doctores contrariæ sententiæ obijci, cũ hi auctoritate reliquorum, qui (vt ipsemet Caietan. inquit) infiniti sunt, vrgeri, & opprimi possint: Certè Augustinus epist. 11. *ad Fortunianum* minime dubitauit asserere. *Neque enim quorumlibet disputationes quãuis Catholicorum, & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis nõ liceat salua honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorũ scriptis improbare, atq; respuere, si forte inueneri mus, quod aliter senserit, quã veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis.* Ita ibi: & in lib. contra Cresconium Grammaticum c. 3. *initio*, singillatim de B. Cypriano M. verba faciens sic eodem sensu inquit. *Nunc verò quoniam canoni cum non est, quod recitas: eâ libertate, ad quam nos vocauit Dominus, eius viri, cuius laudem consequi nõ valeo, cuius multis litteris mea scripta, non cõparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyriũ veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio, quia hoc Ecclesia nõ accipit, pro quâ B. Cyprianus sanguinem fudit.* Hæc August. Quæ nos Auctoribus opinionis minus piæ si aliquem e Patribus opinioni piæ repugnantem obiecerint, apte accommodauerimus, non accipientes siue eius, siue eorum doctrinã, *quia hoc Ecclesia, non accipit*, quæ in Mariæ immunitatem omnimodis propendet, & in ipsius honorem solenne festum apertè celebrat. Sed & hûc tandem aduocare Melchiorem Canum placet, qui hocmet sensu imbutus, lib. 7. cap. 3. inquit. *Cæteroqui nemo quantumuis eruditus, & sanctus non interdum hallucinatur, non*

Augus.

alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore, & sensum pœnæ, & dolorẽ fuisse negauit. Sanctus fuit, qui in Chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterij culpam vxorem repudianti alterum matrimoniũ concessit. Sanctus fuit, qui animis piorum vsque ad iudicij diem veram fœlicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam Adæ ante corpus fuisse editam opinatus est. Sãcti fuere, qui Angelos multis ante mundum corporeũ æternitatibus creatos esse existimarunt: atque horum opuscula à Gelasio comprobata sunt. Hæc Canus. Quibus si addideris: Sanctus fuit, qui Mariam peccatum originale cõtraxisse affirmauit, quid, oro, eius sanctitati, aut doctrinæ derogaueris? Aut etiam quid eius auctoritate opinioni piæ poteris obesse? Subijcit tamen Canus de Patribus illis, qui tamquam homines in veræ doctrinæ sensu aliquando lapsi fuere. *Hos ego tamen reuerentiæ causſa proprijs nominibus, non appello. Malo enim antiquitati, sanctitatique parcere, quã otioso lectori facere satis.* Hæc ille egregiâ sanè benignitate, quâ parcit nominibus, non parcens hominibus.

IX *Vincent. Lyrin.*

Finem fecero si pro totâ adnotatione egregia hæc, & opportunissima Vincentij Lyrinensis libr. aduersus prophanas hæresum nouitates, cap. 37. verba subiecero. *Quidquid vel omnes, vel plures vno eodemque sensu manifestè, frequenter, velut quodam consentiente, sibi magistrorum cõsilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerunt: id pro indubitato, certo, ratoque habetur: Quidquid verò, quãuis ille sanctus, & doctus, quamuis Episcopus, quamuis Confessor, & Martyr præter omnes, aut etiam cõtra omnes senserit id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniuncu-*

A

las à communis publicæ, ac Generalis sententiæ auctoritate secretum sit. Hæc Vincentius, & alia piæ opinioni, vt indubitata, certa, rataque & Diffinitioni proxima habeatur, merito aptanda.

B

Communis totius populi Christiani sensus, atque cõsensus, piam de MARIÆ immunitate sententiam amplectẽs, eam proxime diffinibilem facit.

C

ADNOTATIO VII.

D

IAM verò Auctoribus opinionis minus piæ nobis obijcientibus. *Nec populorum consensus diffinitiones Fidei facit:* opportunè occurrimus ex Augustino in superioribus adducto lib. 1. contr. Iulianum cap. 2. vbi cum dixisset: *Nec populi murmur opponimus* subijcit: *Quãquam & ipse populus aduersum vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem populi effugere:* Cum ipsi videlicet manifestum sit: omnia illustria, & præclara ornamenta, quæ à Fidei regula non discrepent, Deiparæ omninò fore tribuenda: Ergo præter solidiora, & firmiora argumenta, quibus vsi hactenus sumus: modo in vnanimi Christiani populi cõsensu, vt ab ipso nõ leue põdus statui proximæ diffinibilitatis, quem habet pia opinio, signatè accedat, peculiarem vim facimus, qui & à Tertulliano *lib. de coronâ militis*, didicimus. *Obseruatio inueterata præueniendo statum fecit, quam si nulla Scriptura*

I *Augus.*

E

Tertull.

determi-

determinauit, certa consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit, & aliunde nouimus, olim eiusmodi populi consensum Episcoporum auctoritate accedente viros sanctitate insignes in Sanctorũ albũ retulisse. Et quidẽ quamuis hic populorum consensus de Maria ab omni labe originaria immuni, quam notissimus sit, dum omnes omninò fideles, ita hac in re affici videamus, vt si quis aliter sentiat, & loquatur non leues inter fideles perturbationes excitet: placet tamen ipsum bonorum scriptorum calamis primum proponere, vt deinde quantum robur, & vim habeat ad sternendam Pontificiæ diffinitioni viam facilius ostendamus: & primum quidem P. Gabriel Vazquez vir, vt excellentis ingenij, & summæ eruditionis, ita magnæ in Ecclesia auctoritatis in 3. part. quæst. 27. art. 2. disput. 117. hac de re sic inquit: *Omnes, qui Christiani nominis fidem profitentur in hanc sententiam vno animo, & affectu ita conspirant, vt sine magno populi scandalo iam nemo possit oppositam populo in concionibus exponere*: Deinde verò ex ipsomet Manuali Dominicano, cuius sæpius honorificè meminimus, iam dudum constat, dum reddens rationem cur in opinione minus pia defendenda pedem referre oporteat, subijcit: *Cum sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa: præsertim cum tota ferè Ecclesia: cuius vsus, & auctoritas secundum B. Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris iam asserat, quod fuit præseruata.* Hæc Manuale: Ad quod alludens P. Benedictus Iustinianus egregius pietate, & doctrina Scriptor, & à Concionibus Pontificis Maxim. Pauli V. hæc luculenter pro communi populi Christiani consensione habet in cap. 1. epist. 1. Ioannis num. 54. *Denique fidelium omnium consensus, & pia animorum in Beatissimam Virginem propensio, non leuiter huic sententiæ adstipulantur. Constat enim olim eiusmodi populi consensum Antistitum auctoritate firmatum viros pietate insignes in Sanctorum numerum retulisse. In hac verò re ita fere fideles afficiuntur, vt si quis aliter sentiat, & loquatur, non leues excitet inter fideles perturbationes, offensiones, & scandala, vt ij ipsi, qui immaculatã Conceptionem, non probant, & agnoscunt, & liberè fatentur, qui aliquando suis præceperint, nè contra immaculatam Conceptionem concionẽtur, quòd ea sententia nullius sit vtilitatis, & grauissima scandala pariat.* Hæc Iustinianus.

P. Vazquez.

Manuale Dom.

Iustin.

Vt iam merito de opinione pia dici possit, quod aduersus Iulianum lib. 1. cap. 2. dicebat Augustinus. *In qua toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo.* Quod si id singillatim oculis subiectum velis videre, audi bonum testem Magistrum Vicẽtium Iustinianum Antist. Dominicanum, cuius sæpius cum laude mentionem fecimus ob insignem pietatem eius in Mariam immaculatè cõceptam, qui in additionibus ad historiam B. Ludouici Beltrami cap. 5 §. 14 sic inquit. *Iam in Hispania, & in Indijs, & in Gallia, & in tota ferme Europa aliquid contra piam opinionem siue scribere, siue concionari, siue docere perinde est, ac oleum, & operam perdere, & fastidium auditoribus afferre.* Audi, & Ferreolum Locrium Atreuatensem Episcopũ lib. 6. cap. 1. qui & singulas Orbis prouincias singillatim primùm, deinde totum met vniuersum terrarum orbem in Mariæ immunitatem inque festum de ipsa immaculatè cõcepta sic conspirantes facit. *Ecclesiæ Romanæ iudicio, & auctoritate accedente non modo in Lugdunensi diœcesi, sed Gallia, Germania, Hispania, Europa ipsa denique tota, immò integro Christiano orbe eiusmodi solennitas (Conceptio scilicet B. Virginis)*

II Augus.

Vincen. Iustin.

Ferreol.

obſeruari cæpta eſt, & hactenus perſeuerat. Hæc Ferreolus. Sed nõ fuero contentus, niſi cunctas Europæ prouincias ſuis nominibus deſignatas immunitati Mariæ applaudentes, nullamque terrarum partem eſſe, vel locorum ſpatio tam remotã, vel morũ diuerſitate, tã diſsitã, quò eius gloria nõ peruaſerit, ex pio, elegantique poeta Petro Buro Canonico Amienſi, qui ante centum, & quinquaginta annos floruit, oſtendero. Hic enim in Pęane vno è quinque hymnis, quos in illibatæ Conceptionis MARIÆ laudem compoſuit, id fœliciter cecinit: nempè cum dixiſſet:

Petrus Burus.

Quis modo conceptum dubitet celebrare Mariæ?
Quis renuat feſtis annua thura dare?
Hanc Petri Sedes, caput, & decus Vrbis, & Orbis
Et colit, & mandat per pia templa coli.
Nulla eſt Religio: nulla AEdes Religioſa
Hic vbi conceptus nunc taceatur honos.

Subijcit ad rem.

Par mihi miraclo viſum eſt, hæc feſta dicari
Chriſticolas inter climata, quot-quot habent.
Ambigo nempe nihil, hoc Summo Numine factum,
Vt colat Argiuus, quod colit Auſonius.
Quodque colit Gallus, Dacus colit, atque Bohemus,
Et Germanus, Hyber, Anglus, & Illyricus:

Vt merito hic aptare poſsis, quod de omnibus omninò gentibus, animæ rationali teſtimonium reddentibus, non de potentiâ materiæ eductam, ſed a Deo creatam dicebat Tertullianus in lib. *de teſtimonio animæ*, hunc in modum: *Non Latinis, nec Argiuis ſolis anima de cælo cadit. Omnium gentium vnus homo nomen eſt: vna anima: varia vox, vnus ſpiritus: varius ſonus propria cuique genti loquela, ſed loquelæ materia cõmunis,* vt videlicet ſub variâ voce ſub vario ſono, ſub varia lingua, propriacuique genti loquela vnus ſpiritus, vnus ſenſus, vna vox, vna aſpiratio omnium gentium ſit, puram, & illibatam Deiparæ Conceptionem toto terrarum orbe profitentium colentium, atquè clamantiũ, adeò vt is qui contra ſentiat appelletur ab Abulenſi paradox, 1. cap. 21. *Seditionis Filius, & ſpiritu diſſenſionis ſtimulatus*, hoc eſt à magno orbis corpore ſenſu, ſiue diſſenſu ſeiunctus: nec aliâ nobis argumentatione ad refutandam opinionẽ minus piam iam indigeamus, quam vt iubeamus eius Auctores contra totum terrarum orbem pugnare.

Tertull. *Abulenſis.*

Sed & de hâc Chriſtiani populi conſenſione, ſic cenſuit Venerabilis memoriæ Ludouicus Bloſius *in dictis Patrum*, cap. 5. vt mirandum ei videatur, adhuc in noſtro æuo inueniri aliquos, qui in Mariæ immunitatem proni non ſint, cũ id pias omnium aures iam offendat: Sic enim ipſe primum inquit: *Modo in orbe Chriſtiano Catholici ſequuti ipſam Romanam Eccleſiam, feſtum illud iam olim receptum alacri, lætaque deuotione celebrant recolentes exordium noſtræ fœlicitatis, quando ſcilicet nobiliſsima anima Mariæ à Deo creata, & ipſius ſanctiſsimo corpuſculo citra originalis culpæ contagionem infuſa fuit. Quapropter mirum ſanè eſt, adhuc in noſtro æuo inueniri aliquos, qui hac parte, non ſatis illuminati puritatem Conceptionis eiuſdem Beatiſsimæ Virginis vocent in dubiũ, & ſuam opinionem in eâ re obſtinatiùs tueantur:* Ita ille ibi: & indidẽ. *Pias* (inquit) *aures offendit quiſquis modo aſſerere non veretur, præcelſam illam Heroidem, quæ ſpiritibus*

III *Bloſius.*

Ange-

Angelicis ſanctior eſt, obnoxiã fuiſſe peccato originali, quod hominem efficit membrum diaboli, & filiũ iræ.

Hæc Bloſius, quibus nihil dici potuit opportunius de communi gentium in piam opinionem conſenſu, adſtruente hoc Auctore mirum videri aliquẽ ab eâ parum illuminatum diſſentire, cum & tota Solis lãcea, quæ non eſt alia, quam vniuerſalis hominum vox, omnes gentes, regna, totumque orbẽ ad huius veritatis complexum illuminet, & qui ſecus ſentiat, & loquatur, pias piorũ aures offendat. A quo non abit ſapientiſsimi Patris Ioannis Lorini iu- *Lorinus*
dicium, qui in commentario Pſalmi 98. verſ. 4. verſans ea verba: *Honor Regis iudicium diligit*, quibus Bernardus (ſi tamen Bernardus) paulo immutatis vſus eſt in epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes, vt eos à celebratione feſti Conceptionis Mariæ deterreret, hunc in modum loquitur. *Non deſideraret hoc tempore ſummi iudicij, ac pietatis vir in hâc re iudiciũ, nec ſine iudicio fieri diceret, quod totâ fit fere approbante Eccleſia, atque feſtiue vbivis præter pauculos celebrante:* & paulo inferius: *Non iam præcipitanter, atque inconſultè paucorum ſequimur ſimplicitatem imperitorum, ſed à pauculorum (vt dixi) ſententia recedimus, qui ſapere ſi vellent, poſſent abſque vllo periculo cum cæteris.* Ita Lorinus.

IV Verũ redeo ad ea verba Petri Buri.

Par mihi miraclo viſum eſt, hæc feſta dicari
Chriſticolas inter climata quotquot habent, &c.

Quidnamque adeò ſupra omnem admirationem, & non niſi Summo Numine adſpirante cogitari poſsit, quam omnes omninò gentes ſub tã diuerſis cœli climatibus, ingenio & moribus diſsimiles conſiſtentes tã vnanimi conſenſione in Mariæ immunitatem conſpirare? Erga eam tanto animi ardore affici, vt ipſam vbique voce, ſcripto, pictura hymnis, & canticis omnimodis celebrẽt & in ore ſemper habeãt, necin ſcholis ſolum, in cathedris, & in pulpitis audiatur Maria immaculatè concepta, ſed in ipſis imaginibus, in tabulis, in inſcriptionibus, in titulis, in ſtatuis, quæ in altaribus proponuntur adorandæ oppoſitis verbis, & picturis exquiſita pietate, & ingenio accommodatis expreſſe, & diſſerte omnium oculis ingerant, & ſuadeant Mariam ab omni labe peccati originalis fuiſſe immunem: ergo non modo non ambigo.

Hoc ſummo Numine factum
Vt colat Argiuus, quod colit Auſonius.
Quodque colit Gallus, Dacus colit,
atque Bohemus.
Et Germanus, Hyber, Anglus, & Illyricus.

Sed ex hac communi gentium conſenſione efficaciſsimam, & neceſſariam argumentationem pro veritate opinionis piæ conficio ad eũ plane modum, quo Bernardus epiſtol. 126. veritatem electionis Innocentij in Pontificem Summum ex populorum conſenſu ſic eliciebat, quaſi iam in rem iudicatam tranſiſſe videretur: quippe dicebat: *Iam Deus iudicauit: iudicauit autem operis euidẽtia, non decreti ſententia: velociter curſit ſermo eius in conueniendo populos in vnum: & Reges vt ſeruiant Domino Papæ Innocentio:* Dixerim enim velociter cucurriſſe ſermonem Domini in conueniendo populos in vnum, *vt colat Argiuus, quod colit Auſonius:* Nec mirandum: Nam *ſpiritus Domini replebit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis:* Sapientiæ 1. verſ. 7. atque ideò, quod illius proprium eſt, & populos in vnum ſenſum, & vocem colligator nectit, & pro Mariæ immunitate omnium linguas facit eſſe diſertas: etenim pro Maria pugnare opus *eſt Spiritus Sancti*, vt

alibi ex Ildephonso vidimus. Sed & id firmiter etiam euincit auctoritas Augustini dum lib. de *vtilitate credendi*, cap. 17. inde notanter pro veritate fidei conficit argumentũ: *Quod imperitum vulgus martũ, fœminarumque in tam multis locis, & diuersis gentibus idem credit, & prædicat.* Quod planè vt vidimus in re immunitatis Mariæ omninò locum habet: Vndè quidẽ quotquot præsens institutum de opinione piâ Mariæ immunitatem asserente, siue in libris, siue in Apologijs sunt prosecuti, vt inter fidei dogmata ab Apostolica Sede recensentur, huic argumentandi rationi ex concordi Christiani populi sensu signatissimè innituntur: ita præter Ioann. Tritemium alterius sæculi Scriptorem in Chronic. Sponheim ad annũ 1494 & in lib. de miraculis Beatissimæ Virg. cap. 2. PP. Petrus Canisius lib. *de B. Mariâ*, cap. 7. Card. Bellarminus to. 4. lib. 4. *de amissione gratiæ*, cap. 15. in principio, Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 1. puncto 2. §. 6. Salmeron in epist. ad Romanos cap. 5. disput. 52. §. 4. Benedictus Iustinianus in 1. epist. Ioann. cap. 1. nu. 54. Fran. Suarez 2. tom. in 3. part. disp. 3. sect. 5. *§ Secundum fundamentum*, Gabriel Vazq. 2. to. in 3. part. disp. 117. num. 80. Ioann. de Pineda in serm. de B. Virg. immaculatâ Concept. à § 7. Ægidius à Præsent. lib. 3. quæst. 6. art. 3. Petrus Morales lib. 3. *de Christo, & B. Virgine*, tract. 1. nu. 53. Catharinus lib. 3. *de Cõceptione B. Virginis*, post principium, *§. attestatur, & quarto*, Anton. de Corduba lib. 1. quæst. 44. argum. 8. §. 8. Hadrian. Moerbetius *in scalâ purpureâ*, tom. 2. serm. in festo Concept. D. Serranus Episcop. Acernen. lib. 2. cap. 11. VVadingus in legatione sect. 2. orat. 8. §. 7. Ludouic. de Miranda in tractatu Latino de Concept. cap. 24. & in Hispano cap. 81. Hieronym. Aznar cap. 20. conceptuum de puris. Conception. Ioan. Guerrero in sua informat. discurs. 18. & alij plures, quos singillatim recensere, otio abuti, esset.

Tritem. *Canisius* *Bellar.* *Valent.* *Salmer.* *Iustinia.* *Suarez.* *Vazq.* *Pineda.* *Moral.* *Cathar.* *Cordub.* *Moerb.* *Serran.* *Vvadin.* *Mirãd.* *Aznar.* *Guerrero.*

In cuius quidem argumentationis confirmationem iuuat pulcherrimam afferre historiolam cuius nos testes fumus: quę ea omninò est, quã in superioribus cum de Salmanticẽsi Academiâ toto orbe celeberrima festum illibatæ Conceptionis celebrante: & piam de illa opinionem à se, & suis alumnis perpetuo propugnandam conceptis verbis iurãte, in hunc locum dandam transmisimus. Ergo inter alia plura festiuæ lætitiæ signa, quæ ad ostendendam, & promouendam animi alacritatẽ in amplectenda, & tutanda opinione de Mariâ immaculatè concepta inclyta illa Vniuersitas exhibuit, illud fuit signatissimum: eius instituti elegantem, & eruditam comædiam omnibus spectandam dare: in quâ sub velamine historiæ Esther Reginæ à lege communi mortis in omnes latâ regiâ benignitate exẽptæ, omnimoda Mariæ ab omni originaria labe immunitas explicaretur, cõuocatis ad pium hoc, & illustre theatrũ omnibus omninò Reipub. ordinibus: Viris Principibus, cunctisque vrbis gubernatoribus, & Senatoribus, Equitibus, Collegiorum maiorum illustribus alumnis, sacris etiam ordinibus, nec non ipsismet nobilissimis fœminis, & tota vndique plebe mira propensione, & profusissima alacritate concurrente: Fuit verò argumenti scænæ inuentor, eximius ille Theologus, & pœne diuinæ eloquentiæ, atque facundiæ Concionator, pro dignitate numquam satis laudatus, Magister Ioannes Marquez Augustinianus, qui vt erat limato iudicio, & amænissimo ingenio, vt morem gereret solenni illi Academiæ stylo, cum is, qui Cathedram in concertatione cum alijs

obtinet.

obtinet. *Victor* acclamatur: scænam sic adornauit, vt post accuratâ pro Virginis immunitate apologiam, Comædus voce sublata clamaret: *Purissimus Mariæ Conceptus Victor*: Quâ sanè voce ab eo vix pronunciatâ repente, & nullâ, vel momenti mora interposita (mirum dictu) omnium omninò qui aderant, virorum Principum, Senatorũ, Nobilium Collegarum Maiorum, cuius grandis auctoritas est, Doctorum, & Magistrorum, Sacerdotum, & Religiosorum, nec non illustrium fœminarum, quas vel mussare pudor inhibet: itidèque plebeiorũ, & rusticorũ, & puerorũ, similis & sublatissima quidem vox quasi ab vno ore ab vno spiritu ab vna omninò lingua profecta erupit, millies acclamantiũ. *Victor, Victor, Victor*, vt hoc in loco merito, atque signatissimè Oraculum fuerit: *Vox populi, vox Dei*, Spiritus scilicet Diuini, qui replet orbem terrarum, & scientiâ habet vocis: vti hâc paræmia vsus est. S. Petrus Damianus ser. 37. inquiẽs. *Illico clamor exultantis populi attollitar. Tum denique probatum est verum esse, quod dicitur: Vox populi, vox Dei*: Ita ille, Sed ad præsens institutum opportunissime paræmiã istam elucidauit, siue diffiniuit Aloysius Nouarius Auctor apprimè doctus, & mirificè eruditus in Adagijs Sanctorum Patrũ Adagio 365. inquiens: *Cũ promiscua populi multitudo in vnum aliquid conspirat, vt Dei quodammodo vox censeatur, quæ ab innumerâ multitudine, quæ quodam impetu effertur, exertèque clamat, quod certò non nouit: rapi tamẽ sese sentit.* Hæc ille, quæ ab ijs, quæ dicebamus, nec hilũ discrepant. Quid enim promiscua illa populi multitudo in Mariæ immunitatẽ vndequaque conspirans tanto ardore, & impetu in eius acclamationes rapta, Dei vox non dicatur? Quando à S. Petro Damiano sublatissimus clamor exultantis populi manifesta Dei vox sit.

Enimvero cum id tunc omnibus par miraculo visum fuerit, differtissimus quidam è Magistris, qui tunc primarius Antecessor, & quasi Academiæ Coryphæus, postea verò Regius in Curiâ Consiliarius fuit illico ad socios conuersus exclamauit. Ecce vobis, ò Doctores, & Magistri! Ecce ò cœtus per illustris! firmissimum, & irrefragabile pro pia opinione, quam propugnamus argumentum. *Hic murus ahæneus esto.* Quo modo enim Dei vox non fuerit? nec adeo cõcors, & vnanimis totius huius confessus è tam disparibus hominum statibus constantis vno momẽto sublata vox? Hic plane Dei Spiritus adest. Ita nè vnamet repente vox? vnusmet sensus? vnusmet spiritus à doctis, & indoctis, à viris, ac mulieribus, ab illustribus, & a plebe erumperet, nisi Dei spiritu omnes agerentur? Credite. Credite.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Quis verò iam velit ambigere id, in quod tam rude, quam eruditum vulgus marium, & fœminarum cursu vadit? Certè Augustinus epistol. 7. ad Marcellinum pro hac ratiocinationatione sic opportune fideiubere videtur. *Neque enim vt videamus, quâ aliquid sit verum, Scripturarum auctoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis ita verum esse perspicuâ ratione proclamat: vt quisquis contradixerit dementissimus habeatur.* Sic ille premens (vt opinor) vestigia Tertulliani in lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 3. dicentis. *Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus*, ita ibi, & in libr. de testimonio animæ, cap. 5. in eamdẽ sententiam, & velut rationem illius reddens

Petr. Dam. *Nouar.* *Virgil. lib. 6.* *Augus.* *Tertull.*

dens, itidemque firmans vocem populi, vocem Dei esse, sic elegantissimè inquit: *Hæc testimonia animæ quanto vera, tanto simplicia, quanto simplicia, tanto vulgaria, quãto vulgaria, tanto communia, quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto diuina:* Sic ille pulcherrime: recole singula, & vide vt tandem concludat, *quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto diuina:* vt omninò affirmet vocem populi, nõ sine Numine, sed diuinitatem ei quamdam subesse: A quo planè sensu non iuit Gẽtilis Aristides Plat. 2. egregijs hisce verbis pronuncians: *Nec vulgus esse negligendum: nec eius opinionem contemnendam, cum in eo quoque quædam insit sagacitas, quæ veritatem contingat, ipse nos docuit Plato, & Hesiodus multis ante sæculis, qui in his versibus quos decantant omnes, cecinit*

Nulla perit velox populi, quam lingua celebrat.

Fama semel: aliquod nimirum est Numen, & ipsa.

Vbi ex ipsorum Gentilium sensu voci populi numen subest, & ipsa quodammodo Numen est, quod spiritus intus alat, siue potius Spiritus Domini repleat orbem terrarum, & scientiam habeat vocis. Sed quod Petrus de prophetico sermone Euangelij confirmante dixit epistol. 2. cap. 1. vers. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem:* possumus & nos de ipsiusmet sermone in hanc sententiam vsurpare: Etenim cum Simon ille Magus cum eodemmet Petro disputans, id referente S. Clemente Romano lib. 3. *Recognitionum*) adstantis populi frequentiã pertimesceret, atque idcirco Apostolorum Principi dixisset: *Non tibi videtur absurdum, vt imperitus populus de nostris dictis habeat iudicium.* Sic ei Petrus obuiam iuisse fertur. *Non ita est, nam sæpe etiam fama vulgi Prophetiæ speciem tenet.* Vndè quidem P. Gabriel Vazquez num. 4. adductus hunc communem populi sensum de Mariæ immunitate ad peculiarem Dei nutum, & prouidentiam sic omnino referebat: *Sanè hanc communẽ vocem totius populi, non sine Dei nutu, & peculiari prouidentiâ peccrebuisse, quis dubitet? Si enim hæc nostra opinio probabilior multo non esset, certè non permitteret Deus totum populum Christianum tam firmo, & constanti animo eam profiteri, & amplecti.* Hæcille dissertissimè, & verissimè. *Vazqu.*

Sed enim quando, & Æthnicorum testimonijs vti cœpimus, minimè ea fuerint prætermittenda, quæ Aristoteles, qui non nisi certâ ratione res discutere, & probare solet pluribus in locis in hanc rem habet: Primò siquidem lib. *de Diuinatione per somnium*, ac si pro Opinione piâ fidei iubere vellet, inquit: *Opinio in quam omnes gentes consentiunt, vix potest esse falsa*, deinde lib. 1. *Rhetoricorum*, cap. 2. *Prouerbia, quæ vulgo iactata sunt, testimonia sunt*, id est argumenta irrefragabilia, siue oracula: & lib. 2. Rhetoric. *ad Theodect.* c. 21. *Per vulgatis sententijs, atque communibus vtendum est, si vtiles sunt: Nam quando communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur.* Ita ille. Satis ad rem. Nã quid ita peruulgatũ, atque commune, quam Mariam immaculatè conceptam omnes vnanimiter profiteri? Quid verò vtilius? aut salutarius quam in Mariæ immunitatem affici? vt in superioribus latissimè vidimus. Nec minus opportunè idẽ Philosophus, cap. 3. non secus ac si eam quam in manibus de Mariæ immunitate disceptationem habemus videret: & pro ipsa cum aduersarijs argumentationem conficeret, cum prius hunc in modum ratiocinaretur: *Sãt nonnulli, quibus etiamsi alicuius rei scientiam exquisitissimam animo cõprehensam teneamus, persuadere ta-*

Aristi. 2. Pet. 1. vers. 19.

VII

Clemens Roman.

tamen facile non est, si ductis ex eâ argumentis vtamur. Nã oratio, quæ ex ipsa rei scientia ducitur, docendi ratio quædam est: ipsi autem doceri non queunt: Tandem non nisi ex communibus notionibus, & locutionibus velut insuperabilibus argumentis, cum ipsis agendum: sic concludit: *Ideò necesse est, è communibus rationes, & argumenta ducamus,* sic Philosophus ibi. Qui itidem, & libr. 6. Æthicorum, tùm Sapientiæ diffinitionem, tùm illius à prudentia discrimen ex cõmuni notione indagat: & lib. 1. de cœlo *omne trinũ esse perfectum* ex communi vsu loquendi probat: iuuat etiam & in huius sententiæ confirmationem Græcũ Simpliciũ in Epicteti Enchiridium cap. 49. afferre tã de cõmunibus sententijs, & sensibus hominũ, necnon de singularibus eatenus differentẽ, vt hos reijciat, illos verò probet his verbis: *Cõmunes hominũ de rerũ naturâ sentẽtiæ, quibus nõ distamus, sed cõcordamus inuicẽ homines, vt bonũ vtile esse, & bonũ omnia expetere, æquale, nec eminere, nec cedere: bis duo, quatuor: Hæ igitur sẽtẽtiæ, & quæcũq; eiusmodi, quæ secundũ rectã rationẽ in nobis consistũt, ac multo tẽpore examinatæ sint, veræ sunt, & rerũ naturæ aptæ. Priuatæ autẽ singulorũ sententiæ, vel sæpenumero fallũtur.* Hæc ille: Quę si præsẽti instituto aptare velis, cogita, nihil frequẽtius nihil cõmunius, quã opinionẽ piã esse; cogita in eã omnes omninò gẽtes cõspirare, hanc esse omnibus mentẽ hunc sensum, hũc populo Christiano animũ, hãc animã esse, & quidẽ esto *numerus simus, & fruges consumere nati* (vt dixit ille) at numerus maximus, & maximi in omnẽ partẽ momẽti, quod si opinio pia dicitur vulgaris, & nos vulgus sanè, quod nõ sit negligendũ, nec eius opinio cõtẽnenda, cũ in eo quoq; quædã insit sagacitas, quæ veritatem contingat: & plane ea est opinio pia, quæ in nobis secundũ rectam rationem cõsistat; & multo tẽpore examinata sit, ac proinde verâ; & rerũ naturę apta, *& rectè se habere videtur. Priuatæ autẽ singulorum sententiæ* (verum dico, & prędico) *sæpenumero fallũtur.*

Quod si hanc nobis validissimã ex cõmuni Christiani populi cõsensione argumentationẽ cõficiẽtibus obijciatur oraculum Exod. 23. v. 2. præscribẽs: *Nõ sequeris turbã ad faciẽdũ malũ, nec in iudicio plurimorũ acquiesces sentẽtiæ, vt à verò deuies,* adeò nos id nõ turbat, vt potius pro nobis stare certo nouerimus: nimirũ vt ibi interpretes monẽt, & res ipsa prosè loquitur, solũ præscribitur, nõ esse adhærendũ sensui multitudinis etiã totius populi in re, quæ manifestè est mala, in re tamẽ ambiguâ potius stãdũ esse iudicio plurimorum, quia cũ plus videãt oculi, quã oculus, cẽsendũ est posse facilius errare vnũ intellectũ, quã tot aliorũ stãtiũ in cõtrariũ. Quẽ sensum omninò expressit Paraphr. Chaldæus hunc in modũ: *Nõ sequeris multos ad malefaciẽdũ, neq; desinas docere, quod tibi videtur iu iudicio: iuxta sentẽtiã plurimorũ perfice iudicium:* vbi si attẽdis, cũ dixisset facer Scriptor *non desinas docere, quod sibi videtur in iudicio,* de industria statim cõsuluit, illud perfectũ fore iudiciũ futurũ, quod *iuxta plurimorũ sentẽtiã* feratur, sed de huius loci explicatione Abulẽs. audire fuerit operæpretiũ: sic enim ille q. 2. *Si id quod populus sentiat, est manifestè iniquũ, aut falsũ, nõ est stãdũ populo, si nobis cognitũ sit clarè, quod totus popul⁹ errat, & in isto casu intelligitur ista lex scilicet,* non sequeris turbã ad faciẽdũ malũ, *ideſt si clarè sit malum aliquid, nõ sequeris illud, etiamsi tota turba sentiat. Si autẽ id quod popul⁹ sentiat, est dubiũ, ita quod nõ magis videtur de bono, quã de malo: discedendũ nõ est à iudicio totius populi.* Hæc ille, quæ statim pluspl⁹ ita dẽsat, & firmat. *Et licet aliquis hãc opinionem*

VIII

Exo. 23. vers. 2.

Simplic.

Lectio. Chald.

Abul.

contrariam, quæ sibi magis videtur, non tamen ei clarè patet quid sit bonum, aut malum, debet sequi populi sententiam; & in hoc fauetur populo magis, quam vni singulari personæ: Quod itidem illo Catonis monito confirmat: *Iudicium populi nunquam contemseris vnus*: subijciens: *Magna namque præsumptio est, quod in rebus dubijs magis aliquis suo sensui confidat, quam totius populi sententiæ, ideò quod circa res dubias aliquis vnus totius populi contẽnat sententiam, malum est.* Hactenus Abulensis, qui pergit multis, hæc verò quæ modo adduximus adeo appositа sunt, vt præsenti disquisitioni facta seu scripta videantur: vt quiuis facile viderit. Nec illa omittenda, quæ post nonnulla in vtramque partem subdit, vt ex illis contrariæ opinionis Auctores, quæ sibi magis accommodata esse videntur, seligant: *In hoc magna virtus cõstantiæ est, cum quis boni non destruendi zẽlo multis repugnat: sunt autem aliqui iactantes, & gloriæ cupidi, qui vt sapientes ab omnibus videantur ab omnibus discordare laborant, vt soli ipsi verum dicere videantur: & hæc nequam cogitatio, atque pertinacia est. Repugnare tamen omnibus, & magnis viris, non desiderio discordandi ab eis, sed defendendi veritatẽ, laudabile est*: Et hanc quidem mentem inesse Auctoribus minus piæ opinionis, mihi semper fuit persuasissimũ.

Cato.

VNanimẽ populi Christiani de Mariæ immaculatè conceptа consensionẽ quasi iure Sedis Apostolicæ diffinitionem postulare.

ADNOTATIO VIII.

HAbebat præ oculis, quæ in superioribus diximus P. Iacobus Granado e nostra Societate eximiæ sanctitatis vir, & tam ingenti sapientiæ, & eruditionis suppellectile ornatus, quãtam ipsius scripta manifestã faciũt: atque id eirco ex illis sic inferebat in tractatu *de Conceptione*, disp. 3. q. 29 *Quod singularis deuotio plausus populi Christiani, celebritas Cõceptionis iam pridem instituta clamare videntur, & suo quasi iure diffinitionẽ postulare. Et certè vix aliud est Dogma diffinitũ ab Ecclesiâ, quod ante diffinitionem tanta acclamatione receptum fuerit.* Vndè pergit: *Quod certè mouere debet Principes, & Prælatos, vt hanc diffinitionem à Summo Pontifice enixè petant*: Sic ille: Et verò illud *suo quasi iure*, non tantum piè, & religiosè, sed etiam sapienter & Theologicè assertum videtur: dixit quippe Thomas VValdensis lib. 2. doctrinæ fidei cap. 20. probatus à P. Gregorio de Valentia *in Analysi fidei*, lib. 8. cap. 9. *Ecclesiam, cuius est determinare doctrinam fidei testimonium commune fidelium non excludere, sed includere: tametsi non soleant interrogari, quod minus commode valeant sententiam explicare suam*: ita ille. Quæ sanè opinio tam nostro instituto opportuna, quam ipsissimæ veritati consentanea est. Quamuis Melchior Canus vir, & aliorum iudicio, & suo etiam sapiens quasi diuinaret hâc nostra ratione, & testimonio VValdensis ad piæ opinionis confirmationẽ fore vsuros, illũ non leuiter reprehendat, & pœne irrideat, *ineptissimum* (inquiens) *vt imperitũ vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus cõsulatur*: Verũ enimverò ego iã dudum in Cano canum iudicium desideraui monente Hieron. epist. 91. *Puerilis esse iactantiæ, quod olim adolescentuli facere consueuerunt, accusando illustres viros suo nomini famã quærere.*

I

P. Granado.

Thomas VVald.

M. Cano.

Nimirum

NImirum quamuis Canus aliò detorqueat VValdensis mentem, & verba, illud ipse tantum voluit (vt P. Valē. inibi affirmat P. Valentia) *in diffinitionibus Fidei etiam habendam esse rationem quoad fieri potest, consensus fidelium*: Quam ipse sententiam sic statim explicat, atque diffundit, vt nihil nostro instituto commodius, aut opportunius dici possit; ait enim: *Illud solum contendo. Si quando de re aliquâ in materiâ Religionis controuersa constaret: fidelium omnium concordem esse sententiam (solet autem id constare, vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex opinione aliquâ oritur) meritò posse, ac debere Pontificem, illâ niti, quæ esset Ecclesiæ sententia infallibilis: Atque hoc mihi tantum voluisse Thomas VValdensis videtur.* Hæc P. Valentia, quibus velut indice designauit piam de Mariæ immunitate sententiam Pontificiæ diffinitioni proximam.

II Obserua ergo duo illa ex quibus facile eliciatur fidelium omnium in materia Religionis concordem esse sententiam: Nempè praxis alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, & scandalum atquè offensio communis, quæ ex opinione illi opposita oritur: & de primo quidem planè constat, ita fideles omnes in MARIÆ immunitatem, & festiuam de ea solennitatem pronos, & affectos esse, vt præter Sanctissimæ Eucharistiæ celebritatem, vix in aliquâ aliâ festiuitate celebranda feruentior, atque festiuior, immò & sanctior Christiani populi cultus, quàm in Cõceptione Deiparæ eluceat: Huic annua festa persoluimus, in eius pernigilio omnes pœnè fideles carnem per abstinentiam, & ieiunium maceramus, in solennitatis die Ecclesijs ad fundendas Deo preces assistimus, animos per factam exomologesim purgamus, Eucharistiæ cõmunione reficimur, concionem audissime audimus: & siquidem Concionator pro re nata suas partes implet, *nemo non* (quod de Seuero Oratore olim Gallio apud Senecam cõtrouersistam dixit) *illo dicente timet, ne desinat*: Quæ iam ergo praxis alicuius cultus apud Christianos populos magis cõmuniter recepta, quã hæc sit? Vbi omninò debes expendere, quam alia vt hæc praxis, atque is populorum sensus ab illo, quæ Iouiniani sectatoribus inerat, ipso iactante omnem hominum multitudinem post illum currere: eique sic obtriam eunte Hieronymo lib. 2. contra Iouinian. *Quod multi acquiescant sententiæ tuæ indicium voluptatis est: non enim tam te eloquentem probant, quam suis fauẽt vitijs, &c. & pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant: quos gehennæ succidiæ nutrias?* Nempe vt multos tunc Iouiniani, & recentiorum modo hæreticorum sententiæ acquiescere, *indicium voluptatis est*, quod stultorum infinitus sit numerus suis fauentium vitijs: ita Mariam immaculatè conceptam celebrare, & eius solennitatem vigilijs ieiunijs, luctu à peccato, & dolore, a pœnitentiæ Sacramento accedente colere, indiciũ veritatis est: non enim nisi à veritatis spiritu ducti aduersus peccatum, & carnem pugnaremus, nec vllo modo de Deo ardentissimo veritatis amatore, & de eius singulari prouidentia credendũ fuerit, Christianum populũ his tã egregijs verarum virtutum, & pietatis actionibus à Dei spiritu moueri ad honorem rei falsæ impendendum.

VI Iam verò de offensione, & scãdalo, quæ ex opinionis minus piæ asseueratione oritur, vel ex ipsis Sũmorũ Põtificũ diplomatibus, & ex filẽtio illius Auctoribus districtè imposito, immo & ex ipsis Summorũ PP. III

Seneca Poeta. Hieron.

Manuali certè liquet: vti in superiori adnotatione adductus dicebat P. Benedictus Iustinianus illis verbis: *In hoc verò resta fere fideles afficiuntur, vt si quis aliter sentiat, & loquatur, non leues excitet inter fideles, perturbationes: offensiones, & scandala, vt ij ipsi, qui Immaculatam Cõceptionem non probant, & agnoscũt, & libere fatentur, qui aliquando suis præceperint, nè contra immaculatam Conceptionem concionentur, quod ea sententia nullius sit vtilitatis, & grauissima Scandala pariat.* Atque hinc est, vt non solnm post duplicatum Pontificium edictum, quo districtè sub anathemate præcipitur, nè opinionis piæ DD. contra immaculatam Conceptionem cõcionentur, sed etiam ante illud iam pridem Auctores magnæ in Scholis auctoritatis docuerint, vix posse excusari à culpa graui, vel ad minus veniali Concionatorem, qui Deiparam originale contraxisse prædicaret: quod ea doctrina grauissimum auditoribus scandalum pariat neque id scandalum Pharisaicum sit, vt minus pie, & vrbanè dixit non nemò, sed pusillorum; quod Christicolæ vitare tenemur: de quo vide Pat. Gabriel Vazquez tom. 2. 3 parr. disputation. 117. cap. 2. Antonium Cordubensem, Manuelem Rodriguez tom. 1. qq. regularium quæstion. 57. articul. 2. Quid verò fuerit mirandum Christianos homines? Christi Matri omninò addictos, atque deuotos, & in ipsius honorem maximè procliues graue eà de re scandalum pati, cum apud ipsosmet infideles Sarracenos opinio minus pia, adeò male audiat, vt aliquem ex eorum Principibus, quod Concionatorem contra MARIÆ immunitatem coram Pontifice dicentem audierit, à Christiana fide suscipienda deterruerit, rem singillatim referente Iacobo de Valentia Archiepiscopo Chrysopolitano in Canticum *Magnificat*, ad illa verba. *Quia fecit mihi magna*: his omninò verbis. *Anno Domini 1322 præsidente Ioanne XXII. in Sede Apostolica venit quidam filius Soldani Armeniæ Græcâ, & Latinâ lingua eruditus ad nostras partes Latinas cum saluo conductu ad videndum mores, & ritus Christianorum, & fuit receptus Auennione in Curiâ Papæ, cum magno honore, qui quotidie intererat in solemnitatibus diuinorum officiorum, in quibus maximè delectabatur: & accidit in die Conceptionis Virginis MARIÆ quod quidam ascendit ad prædicandum, in quâ prædicatione voluit probare per quasdam auctoritates Sacræ Scripturæ Virginẽ MARIAM contraxisse culpam originalem. Quibus verbis auditis in tantum fuit scandalizatus ille filius Regis Armeniæ, quod surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ, & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis, qui erant Capita Christianæ Religionis, vt talia tolerarent audire de Virgine MARIA. Vndè etiam dixit, quod si quis talia dixisset in conspectu Califæ, aut Soldani Aegypti, aut in conspectu aliorum Sarracenorum nullo pacto posset euadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcumque ille esset magnus: immò si quis talia dixisset de matre Mahometi nullo pacto euaderet mortem. Et sic ille taliter scandalizatus reuersus est in regionem suam, qui antea deliberauerat Baptismum suscipere.* Hæc omnia Iacobus de Valentia: Quæ cum Lector, VIRGINI addictus audit, merito dixerit: *Quis scandalizatur, & ego non vxor?*

Sed vt redeam ad thesim Thomæ VValdensis: *Ecclesiam cuius est determinare doctrinam Fidei testimonium commune fidelium non excludere, sed includere*: hùc omninò facit, peculiarem Christiani populi

Iustian. *Vazq. Cordub. M. Rodriguez.* *Iacob. de Valent.*

A B C D E

II III IV

notam, atque characterem esse, cõmunem mentis, & sententiarum cõsensionem: dicẽte Luca Actorum 4. *Act. 4. vers. 32.* versic. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quod quidem non modo ad voluntatum coniunctionem, sed ad communem etiam mentium, & sensus conspirationem fore referendum, ex Græca Lectione, quâ vtitur Cyprianus lib 3. *Testimoniorum ad Quirinum*, cap. 3. manifestè euincitur: *Cyprian. Lectio Syriaca.* sic enim se habet. *Turba autem eorum, qui crediderunt, animâ, ac mente vnâ agebant*, siue vt est in Lectione Syriaca: *Erat autem cœtus hominum illorum, qui crediderant anima vna, & vna mens*: De quâ quidem sensuum, & iudiciorum consensione, tamquam de peculiari Christianitatis re, & nota sæpius fideles admonet Apostolus, vt ad Romanos 12. versicul. 16. *Rom. 12 vers. 16. Philipp. 1. v. 27. & c. 2. vers. 2.* *Id ipsum inuicem sentientes*, & ad Philippens. capit. 1. versicul. 27. *Tantum digne Euangelio Christi conuersamini, vt siue cum venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes*: Vbi, quemadmodum in eius epistolæ commentario ex bonis interpretibus adnotauimus, ea verba *in vno spiritu vnanimes*, sine *in vna anima*, tum voluntatum coniunctionem sensuum consensionem intellexit Paulus: sicuti postmodum in eadem epistola, cap. 2. vers. 2. dixit: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eãdem charitatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes*: Nimirum mutua dilectio, quæ signatissima discipulorum Christi nota est, non nisi supra hanc sensuum, & sententiarum coniunctionem benè cadit. Plutarcho in lib. *de amicitia inplures diffusà*, scite commonente: *Plutarc.* *Musica in cantu, & organis argutè quidem cõcors est ex acutis, mediis, & grauibus modis, quamquam sint dissimiles. Porrò amicitia nihil recipit, nisi existat simile: eadem enim velle, eadem sentire, ac fateri, eisdemque affici, ea res firma demum amicitia est, non aliter atque vna anima in multis corporibus æquabili ratione consistens*: Hæc Plutarchus, quæ possunt esse pro commentario verborum Lucæ: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, siue vt legebat Cyprianus: *Anima, ac mẽte vnâ agebant*: Sed ijs opportunè adiunxeris Chrysostomum homil. 71. in Ioannem obseruantem hanc voluntatum, & sententiarum consensionem potiorem, & valentiorem fuisse ad orbem terrarum alliciendum, vt Christi religionem susciperet, quam ipsamet ab Apostolicis viris patrata miracula: Hæc enim ille inter alia inquit. *Atqui miracula orbem terrarum allexerũt, sed cum dilectio præcessisset: aliter nulla secuta essent miracula: hoc enim quam primum eos, & bonos reddit, & benignos, quod scilicet vnus erat animus omnibus, quod si variæ fuissent sententiæ, omnia perdidissent.* Sic Chrysostomus. *Chrysost.*

Hæc sanè benè perpensa adeò probant piam de MARIÆ immunitate opinionem certam, & Christianis dogmatibus proximam & confinem esse, vt etiam ex illis, non leue argumentum pro nostræ fidei veritate possimus conficere, hanc inter alias veræ Religionis notas recensentes, quod omnis populus Christianus omnimoda mentium, & sententiarum consensione in MARIÆ immunitatem tãto ardore, & impetu conspiret. Nẽpe cum vniuersa Theologia, & veræ Religionis sensus ad honorem Christi: eiusque Sanctissimæ MATRIS destinetur: non modo, non potest ambigi de eius opinionis veritate, quæ omnium fidelium mentes ad tribuendam MARIÆ immunitatem, tam stricte connectit, sed nec ea fides falsa esse potest, in qua fideles omnes in hu-

ius veritatis professione tanta animorum, & sententiarum consensione conspirant: Signatè quidem monebat Romanos Paulus, vt vno ore & sensu Deum honorarent, cap. 15. vers. 5. dicente: *Deus autem patientiæ, & solatij det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christũ, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi*, idque sic efferente ibi Hieronymo. *Tunc vere Deus honorificatur, si vno animo, & concordi voce laudatur*: vbi cum omninò vides, hunc sententiarum cõsensum à quo vno ore honorificatur Deus non nisi à Deo esse: vt signatè præmisit Apostolus illis verbis: *Det vobis id ipsum sapere*: rectè inferes Christianum populum vno animo, & concordi voce Deum in Mariæ immunitate laudantes, Dei spiritum habere, eoque ductore regi. Quod si animum intendis vix inter omnes diuinas laudes, quæ Deo Deique Matri à fidelibus deferuntur vllam celebriorem frequentiorem, & maiori plausu receptam inueneris, quã ista: *Laudetur Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis absque vllâ peccati originalis maculâ conceptæ*: Hæc omninò in ore omnium natat, siue viri principes, siue plebeij, siue homines, siue fœminæ, siue docti, siue indocti, siue viri, siue senes, siue adolescentes, siue pueri, illi tandem fuerint quin, præter hæc, vlla festiuitas in Ecclesia celebretur, in quâ Ecclesiasticis officijs absolutis, pro fœlici solẽnitatis clausulâ hæc Deiparæ immaculatè conceptæ laudatio non concinatur, vt omninò dixeris. Tunc verè Deum honorificari, quod vno animo, & concordi voce ipse, ipsiusque Mater laudatur: eã que concordem, & vnanimem laudationem à Dei spiritu prouenire, qui eâ de re fidelibus dat *id ipsum sapere*, vti P. Gabriel Vazquez præcedenti adnotat. adductus dicebat.

Rom. 15 vers. 5.

Hieron.

Vazq.

A

B

C

D

E

Sanè hanc communem vocem totius populi, non sine Dei nutu: & peculiari prouidentiâ percrebuisse quis dubitet? Si enim hæc nostra opinio probabilior multo non esset, certe non permitteret Deus totum populum Christianum tam firmo, & constanti animo eam profiteri, & amplecti. Sic ille.

VI

Quò placet per allegoriam referre arcanum illum Ezechielis currum à quatuor illis tam disparibus animalibus leone aquila boue, & homine vectum, dicente Vate: *Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ezech. 1. v. 10. illisque inter se adeò consentientibus, vt cuncta eodem gradu, ijsdem vestigijs incederent. Mirum planè dictu. Quid enim tam nouum tam præter naturam, quam diuersæ naturæ, & compugnantia in vnnm ita coire? Pulchrè monente Ambrosio de Iacob, & Esau libr. 1. *officiorum*, cap. 33, *Inter dispares mores, & studia compugnantia beneuolentia esse non potest*, itidemque affirmante Nazario in Panegyrico ad Constãtinũ: *Cum nulla vi possint coire, quæ naturali diuortio dissident, nec vlla tam fidelis sit copula, quæ in diuersum tendentia nexu suo teneat.* Qui ergo Aquila ad bouis passum incedere? qui leo, & homo amice simul gradi possint? Occurrit tamẽ sacer scriptor peremptoriâ ratione istam motus, & affectus paritatem ad Diuinum spiritum diuersa ingenia, & compugnantes naturas intus mouentem, & regentem vers. 12. sic rèferens; *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cum ambularent*: siue vt explicatius LXX. *Quocumque ambulabat spiritus ibant, & non reuertebantur*: tantum non dicens. Quid fuerit mirandum cuncta animalia eadem omni-

Ezech. 1 vers. 10.

Ezech. 1 vers. 12.

LXX.

no

nò orbita incedere, eademmet vestigia premere quin dispar leonis,& hominis: aquilæ & bouis gressus fuerit, cum omnia à Dei spiritu ducerentur: vnomet ipsius fræno constricta,& hac illac ab ipso acta, cum nimirum dat Deus cunctis cuiusque status,& conditionis fidelibus id ipsum sapere: *Vt vnanimes vno ore honorificent Deum*: Quæ sanè obseruatio à præsenti instituto, nec hilũ dissidet. Quid enim fuerit? in piam de Mariæ immunitate opinionem omnes Christiani populi status, & ordines, Aquilas,& leones Ecclesiæ nimirum,& Regnorum Principes, homines,& boues: hoc est eruditum,& rude vulgus cursu vadere, nisi a Deo Patre luminum insigni dono accepisse, vt id ipsum sapiant, atque vno animo,& concordi voce Deiparam laudent eâ signate de caussâ, quod ab omni originali næuo semper pura,& immunis fuerit? Quo in loco non pigebit appingere, quod hâcde re eximius ille nostræ Societatis Doctor P. Iacobus Granado tractatu *de Conceptione* disp. 3. sect. 17. de Hispalensi ciuitate singillatim memorat, quòd id cunctis etiam Hispaniæ vrbibus eodem ductu in Mariam immaculatè conceptam consentientibus commune sit: cum æquè *Spiritus Domini repleat orbem terrarum*: Ait ergo ille: *Et quidem in hac amplissima, & Virgini Mariæ deuinctissima vrbe Hispalensi prælo mandatæ sunt cantilenæ idiomate Hispano compositæ in honorem immaculatæ Conceptionis absque peccato originali, quæ non sine Dei numine adeò vniuersi placuerunt, vt innumeri infantes, & pueri non solum in scholis eas canerent, sed per plateas, per calles per compita die noctuque ab earum cantu non cessarent, nec vlli alij versus audirentur in tam amplâ ciuitate nec infantes solùm, aut pueri, sed adolescentes, viri, senes, plebeij, nobiles, Clerici, Religiosi multorum ordinum in multis ad eum finem editis publicis pompis per totam Vrbem discurrentes mirabili plausu, & deuotissima acclamatione prædictas cantilenas contentâ voce concinebant: multi quidem nocte: multi etiam in media luce.* Hæc ille,& alia.

P. Granado.

Vides quam sit verum, quod initio huius adnotationis idem Pater Granado dicebat? Vix esse aliud dogma diffinitum ab Ecclesia, quod ante diffinitionem tantâ acclamatione receptum fuerit: Benè ergo ipse inferebat hunc Christiani populi consensum suo, quasi iure diffinitionem postulare: Et quidem minime hìc locum habet, quod rigidus censor Cano interuertens mentem V. Valdensis dicebat ineptissimum esse, vt imperitum vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus cõsulatur: hæc enim verba, vt abiona, & à viro cano aliena, ita extra chorum sãltantis sunt: nunquam enim moris Ecclesiæ fuit, ad firmãda dogmata, siue traditiones, & probas consuetudines retinendas sutores indoctos, garrulam anum, aut delirum senem consulere, sed ad cõcordem omnium fidelium sententiam, quæ in aliquid pium, & religiosum quodam velut impetũ fertur, & rapi se sentit, maturè & sapienter attẽdere minimè ignara concordem vocem laudantium Deiparam, Dei vocem esse,& à Dei spiritu intus piam de Mariæ immunitate opinionem inspirante,& confouente proficisci. Quod si ij, qui litteris tantum imbuti nobis velint obijcere, vana & inania hæc omnia ad postulandam à Sede Apostolica diffinitionem esse nisi etiam ex Patrum monumentis subsistant, atque nullarum nobis eiusmodi pro piâ opinione suppetere. Hoc vltimum in primis negamus & vnâ negatione minime contenti, iterum negamus, qui tot non obscuris & sacrarum litterarum, & Patrũ testimonijs Mariam immaculatè cõ

VII

ceptam

ceptam adſtruentibus plures iam paginas oppleuimus. Sed vtvt fuerit, Auguſtinus ijs Auctoribus manifeſtè repugnat: dum epiſtol. 86. ad Caſulanum abſolutè inquit: *In bis rebus, de quibus nihil certò ſtatuit Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Vt videris, quantum populi ſenſui tribuat Auguſtinus, dum illum pro lege, & norma cenſet retinendum: minime dubius non niſi a diuino ſpiritu ipſum proficiſci. Quod ſi litteris tantum, & libris innitēdum eſſe inſiſtat Canus: audiat hac de re Tertullianum, audiat, & Magnum illum Antonium, vt eremi cultorem, ita & auditorem ſcholæ paradiſi: ſic enim Tertullian. libr. de teſtimonio animæ, cap. 5. *Certè prior anima, quā littera, & prior ſermo, quam liber, & prior ſenſus, quam ſtylus, & prior homo ipſe, quam philoſophus, & poeta:* vt dixerit, fortiſsimum à communi ſenſu populi, quaſi ab ipſa natura rationali Dei ſpiritu animata, & informata ad veritatem indagandam deſumi argumentum, Deo ſcilicet qui lux eſt illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ipſam ſuo lumine perfundente: Similiter Antonius hanc omninò argumētationem aduerſus Philoſophos cōficiens, vt auctor eſt magnus Athanaſius in eius vita his verbis: *Reſpondete mihi. Quid prius? ſenſus, an litteræ? & quid cuiuſque exordium? ſenſus ex litteris, aut litteræ oriuntur ex ſenſu illis afferentibus, quia ſenſus eſſet auctor, atque inuentor litterarū, ait. Igitur, ſi cui ſenſus incolumis eſt, hic litteras non requirit.* Hæc ille. Quæ piæ opinionis ſectatoribus sic aptamus, vt illis præter omnimodā litterarum ſuppellectilem, quæ pro Mariæ immunitate ſupperit, ſenſus incolumis ſit, itidemque, & communis Chriſtiani populi conſenſus, cuius teſtimonium Eccleſia (vt dicebat Thomas VValdenſis) *cuius eſt determinare doctrinam fidei*, non excludit, ſed includit.

Auguſ. Tertull. Athan.

His illud tandem pro coronide addēdū iā non immerito dici poſſe peculiari curæ Sedi Apoſtolicæ eſſe hunc Chriſtiani populi de Mariæ immaculatè cōcepta ſenſū, atq; cōſenſum nutrire, fouere, atque indeſinēter curare, vt in omnium fidelium animis altiores radices agat, cum nouerimus (vt in adnotation. de Summis Pontificibus piæ opinioni adfauentibus iam vidimus) in Catheciſmo Fidei ad pueros, & rudes in ortodoxa Fide erudiendos ab Eminentiſſimo, & Sapientiſsimo Card. Roberto Bellarmino iuſſu Clemētis VIII. Pontif. Max. compoſito, quem & ipſe Pontifex ſuo Diplomate probauit, firmauit, & Eccleſiæ Catholicæ legendum dedit, ſignatè præſcribēs vt ipſo deinceps ad puerorū inſtitutionem parochi vti debeant: hanc piam opinionem, quæ à Mariæ Cōceptione omnem labem remouet, pueris cum lacte bibendam omninò propinari. Nempè in expoſitione ſalutationis Angelicæ ea verba, *gratia plena*, hunc in modum accipiuntur, vt Maria primarium gratiæ effectum, qui cum peccato pugnat, perinde in ſe ſuſceperit, vt ab omni ſiue actuali, ſiue originali labe ſemper fuerit immunis: cum verò iſtud doctrinæ Chriſtianæ compendium, ſiue Chatheciſmum, tùm à Romano Pontifice, tùm etiam à Congregatione de Reformatione ad pueros in doctrina Chriſtiana erudiendos per totum terrarum orbem diffundi, iuſſum ſit, quis non videat, tùm Sedis Apoſtolicæ mentem eſſe vt omnes pia hac opinione imbuantur, vt vnanimes vno ore honorificent Deum, & Mariam immaculatè conceptam, tùm etiam hoc fœliciſsime euenisſe, cum iam fideles à teneris vnguiculis vſque ad ſenectam, & ſenium Mariæ immunitatem ſpirent?

VIII

Catheciſ.

Tota

Tota Hiſpania vt in MARIÆ immunitate colenda, prædicanda, & modis omnibus celebranda, & vſque ad ſanguinis effuſionē defendenda, tota eſt: ita huius veritatis diffinitionem à Summo Chriſti Vicario obtinere nititur.

A

B

ADNOTATIO IX.

I

NEfas quidem putarem, ſi cum totum orbem terrarum Mariam immaculatè conceptam profitentem in medium protuli, Regnorum Hiſpanię, quæ vt à Deipara maioribus ſemper fuere beneficijs cumulata, ita ipſius immunitati celebrandæ ſignatiſsimè addicta, & mancipata ſunt, peculiarem mentionem, Hiſpanus homo non facerem, cum vel ipſi exteri eam, non ſolum terris omnibus fœliciorem, ſed etiam alterum orbē appellauerint. Enim verò noſtrum illum Imperatorem Theodoſium æquæ fœlicem, ac Religioſum Latinius Pacatus in Panegyrico elegãter demulcebat, quòd ab Hiſpania terrarum omniũ optima, & fortunatiſsima orbis portione ortum duceret, hunc in modum locutus. *Nam primum tibi mater Hiſpania eſt terris omnibus terra fœlicior: cui excolendæ, atquè adeò ditandæ impenſius, quam cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit, quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubiecta frigoribus, media fouetur axis vtriuſque temperie, quæ hinc Pyrinæis montibus: illinc Occeani æſtibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata naturæ ſolertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias ciuitates: Adde culta, inculta quæ omnia, vel fructibus plenæ, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum: adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas aliqua non aullis gentibus attribuiſſe miracula, quæ dum ſint vera, ſint ſingula, nec iam excutio veritatem, ſint, vt ſcribitur Gargara prouētu læta triticeo, Meuania memoretur armento, Campania cenſeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hiſpaniæ vni quidquid laudatur, aſſurgat. Hæc duriſsimos milites, hæc expertiſsimos Duces: hæc facundiſsimos Oratores, hæc clariſsimos Vates parit, hæc iudicum Mater, hæc Principum eſt.* Hæc omnia ille, & plura. Verum enim vero, inde nos potiſsimum Hiſpaniam noſtram terris omnibus fœliciorem, & fortunatiorem exiſtimamus, quòd eatenus ipſi excolendæ, atque adeò ditandæ impẽſius, quam cæteris gentibus ſupernus ille fabricator indulſerit, quatenus eximio, & inæſtimabili dono conceſsit, ſanctiſsimæ Virginis patrocinio, & aduocatione ſupra omnes orbis nationes ſignatiſsimè frui, ac proinde totam Hiſpanam gentem ardentiſsimo amore, & reuerentiſsimo obſequio intimo cordis affectu & tenerrimo animi impetu eidem eſſe deuotam, ſignatiſsimè verò illibatam ipſius Conceptionem conſtantiſsimè profiteri. Hæc inuicta Hiſpaniæ arma, hæc penitiſsima ſapientia, hæc vera radiantium metalla gemmarum, & ditiſsimæ auriferorum opes fluminum: hæc tranquiliſsima cœli temperies, ab eâ præſertim fœliciſsima hora ex qua diuinis pedibus illam Deipara conſecrare dignata eſt, cum cœleſti ſatellitio comitata Cæſar Auguſtam Iacobum

C

D

E

Pacatus

ſalu-

salutatura, & doctrinis cœlestibus edoctura aduentauit: Abhinc Hispania tantam patronam auspicata, & eius sese obsequio totam mancipauit, & omnimodam ab originali labe immunitatem colere, & prædicare cœpit. Sic iam à nobis in superioribus adductus Flauius Dexter dicebat. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispaniâ festum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ*: Quorum occasione verborum eximius, & accuratissimus nostrarum rerum Scriptor Rodericus Caro sapienter intulit: *Ergo illibatæ Cõceptionis arcanũ plausibiliter celebrandi Hispanica pietas primas suo sibi iure vẽdicat. Necnuper', aut nouitius hodiernæ deuotionis æstus.* Vt verò hâc velut necessaria ratione ducti, siue adacti Hispani homines, quod à Christianæ Hispaniæ infantiâ tam prædulci, & puro lacte è Iacobi mamillâ hausto fuerint enutriti, illibatæ Conceptionis cultum susceperunt; ita dubio procul est in hoc iustissimo obsequio perpetuo fore duraturos, cum non tam prouerbium, quam oraculum sit, omne quod in lacte exugitur, vsque ad sepulchrum immobiliter permanere.

Fl. Dexter. *Roderic. Caro.*

II

Sanè præclarum istud Regnorum Hispaniæ in Deiparæ immunitatem obsequium, & firmissimam animorum deuotionem, iam dudum à Regio Psalte fuisse prænunciatam illis in verbis Psal. 44. vers. 13. *Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*: pulchrè euincit P. Petrus de Ojeda *in informatione Ecclesiastica pro Deiparæ immunitate*, cap vltimo. Nimirum hæc verba ad sanctissimam Virginem fore referenda, vt eius faciè diuites plebis supplices venerẽtur, auctores sunt Gregorius PP. in epistol. ad germanum, quæ habetur in 7. Synodo act. 4. Athanas. serm. de Deipara, Damascenus oratio. 1. de Natiuit. Andræas Cretensis orat. 1. de Dormitione, Bernard. serm. 3. super Salue: Deinde verò ad rem: obserua Varem cum præmisisset peculiare illud de B. Virginis immunitate testimonium: *Audi filia, & vide & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, &c.* quæ perinde dicta esse videntur (vt Imperator Leo & Crysippus Hierosolymitanus explicant) ac si moneatur, siue potius prænuncietur, Deiparam à paterna Adæ labe longius abituram, opportunè subiecisse, celsissimam istâ Mariæ excellentiam à filia, siue à filijs Tyri quæsitissimo studio colendam & celebrandam fore: Vbi si attendis, in textu Hebræo, & in Psalterio Neuiensi, & Æthiopico, & à Hieronymo in epist. *ad Principiam*, legitur in singulari. *Filia Tyri*, phrasi apud Hebræos, & Latinos vsitata, qua appellatur filia, siue soboles alicuius insignis vrbis, quæ caput regni fuerit, velut Roma, Hierusalem, aut Babylon, prouincia ab illa denuo fundata, siue populi seu coloniæ ab ea deducti; Vndè planum fit, filiã Tyri sensu omninò germano, & litterali significare Hispaniam, quæ à Tyrijs eductis colonijs insigniter populata fuit. Quod quidem tã Pomponius Mella quam Strabo, & Solinus apud Ojedam apertè docent signatè indicãtes vrbes, quæ à Tyrijs fundatæ fuere: & verò vt generaliter de Hispania à Tyrijs, siue Phœnicibus occupata hæc inquit Strabo lib. 3. *Herculis, & Phœnicum expeditio hùc progressa significauit Homero opes, & socordiam hominum, ita enim in potestatem Phœnicum venerunt, vt pleræque Turditanæ vrbes, & vicinia ab his nunc habitentur*, & paulo post, *Phœnices porrò hartã ego rerum fuisse iudices dico, qui ante Homeri ætatẽ optima Africæ, & Hispaniæ tenuerunt, & domini eorum fuere locorum*: ita quidem Plinius nobilis Hispaniæ partis originem Pœnis, qui à Phœnicibus orti sunt se

Bernar. *Pf. 44. vers. 13.* *Pomp. Mella. Strabo. Solinus.* *Gregor. Athan. Damas. Andr. Cret.*

attribuit:

attribuit: *Margis Bæticæ finis oram eam vniuersam originis Pœnorũ existimauit M. Agrippa*: ita ille lib. 3. cap. 1. & lib 4. cap. 22. & lib. 5. c. 19. & ad eius gustum Diodorus lib. 6. cap. 7. Pomponius Mella libr. 3. cap. 6. Solinus cap. 26. Dionys. Alexandr. vers. 45. canens.

Plinius. Diodor. Dionys.

Nempe in medio occiduarum columnarum.

Extremæ Gades apparent hominibus,

Insula incircumflua in finibus Oceani,

Venerantes magni Iouis filium Herculem,

Atque hanc quidem incolæ ætate priscorum hominum

Dictam Continusam vocarunt Gades.

Ecce tibi *filiam Tyri*, Hispania m
III *in muneribus* Deiparæ vultum, siue faciem summopere venerantem, illibatam scilicet eius Conceptionẽ, quam in facie signatè splendere iã dudum obseruauimus ex illis verbis Canticor. 2. vers. 14. *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni, &c. Ostende mihi faciem tuã*, quippe hæc de primo in mundum Mariæ ingressu, id est de Conceptione, sic capiebat Rupertus: *Sic accipite, tãquam verba desiderantis, tamquam festinantis, & optantis iã adesse materiam tantæ salutis, scilicet Virginẽ, cuius caro illi materia foret assumendæ carnis*: vt opportunè ex illo Mariæ Conceptio in prima faciei ostẽsione seucõspectu significetur, quod primæua, & originalis hominis iustitia in faciei (internæ quidem) pulchritudine appareat, sicut originale peccatum ex habitu dissimilitudinis ad Deum (vt docet Dionysius Areopagita) pensitetur: vndè rursũ premẽs hæc verba Rupertus ex personâ Domini, inquit; *Ac si ab illo dicatur: Ostendendo corrige, quod Eua peccauit*: perfectum, videlicet Diuinæ similitudinis, & viuum, ac spirans Diuinitatis simulachrum, à quo Eua per peccatum decidit, in facie tuâ iustitiâ, & sanctitate prædita repræsentans. Ecce iam denuo filiam Tyri Hispaniam à Dauidica pranũciatione, & vaticinio Mariæ immunitatem religiosissimo colentẽ obsequio: nimirum ipla non secus, ac anima, quæ tota in toto, & tota in singulis partibus est, siuè in comitijs generalibus cum Regnorum personam præferens, siue in singulis celeberrimis ciuitatibus, & earum Ecclesijs, Academijs, & ordinibus, toto animi studio, & totâ mentis deuotione, & impetu Mariam immaculatè conceptam spirat, loquitur, & festiuissimis gaudijs solenniter celebrat: Huic templa consecrat, aras erigit; pulcherrimas imagines, egregium triumphum de peccato originali repræsentantes depingit, aduorãdasque statuit, platearum exitus, vias publicas, compita, templorum frontes, Principum domorum valuas hoc obsignat elogio, *Maria sine peccato originali concepta*. Hæc vna Hispaniæ vox hic sensus, hic ciuitatum, & populorum contensus, & concentus, atquè pro hâc veritate tamquam pro aris, & focis pugnat: & tandem omni ratione, & modo à Summo Pontifice eius diffinitionẽ procurare, & obtinere nititur.

Ita quidem primum Castellæ, & IV
Legionis Regna, quæ tum alia Hispaniæ Regna, vt Toletanum, Hispalense, Cordubense, Granatẽse, Murcianum, Algarbiense, & egregias illas ciuitates Pacato decantatas cõcomplectũtur, in comitijs generalibus coacta in Regia Curia Matritẽse die XXI. Nouembris anno Christiano 1621. coram Philippo IV. Rege Catholico, & Regum maximo, & Sereniſsimis Castellæ Infantibus, per procuratores suos ad hoc munus obeundum specialiter designatos, sese ad Mariæ ab originali pecto immunitatem perpetuo colendã

& solenni ritu quotannis celebrãdam huiusmodi emisso iuramento, læti, & alacres obstrinxerunt. *Nos ciuitatum horum Regnorum viri nobiles, qui cum ipsarum Procuratores simus, totum repræsentamus Regnũ virtute facultatis à nostris Ciuitatibus ad functionis præsentis effectum singillatim factæ, tam Regni totius, quam nostro, & nostrorum successorũ nomine promittimus Sanctissimæ Trinitati, necnõ Beatissimæ Virgini Mariæ Deiparæ, & Dominæ Nostræ, ab hâc in perpetuum die profiteri, colere, & reuereri mysterium purissimæ Cõceptionis eius, in quâ ab omni originaria labe præseruata fuit: itidẽque promittimus, tam nos, quam futuros pro tempore Regni Procuratores, in formâ Regni, & Regnum repræsentantes quotannis solenne festum in ipsius honorem cum octauâ iuxta regulas Missalis, & Breuiarij Romani in perpetuum celebraturos. Sic vouemus, promittimus, & iuramus. Ita Deus nos adiuuet, & hæc sancta Euangelia, quæ in horum fidem manibus nostris contrectamus.* Hæc vt tũc solenni pompa, & communi Regis, Procerum, & omnium adstantium plausu acta, & promissa, ita summa in posterum religione obseruantur: Sed & illud eximiæ pietatis in Deiparæ immunitatem argumentum, anno 1644. eadem Hispaniæ Regna in Comitijs generalibus coacta præstiterunt, nam cum Regem Catholicum exorarẽt, vt à Christo Vicario huius mysterij diffinitionem impetrare curaret: hæc inter alia verba Maiestati suæ suggessere: *Cum nihil omninò esse, aut excogitari possit, quod animos Hispanos à proposito colendæ immunitatis Mariæ dimouere valeat, qui ad sanguinem, & vitã profundendam sunt paratissimi, antequam immaculatam Mariæ Conceptionem corde, verbo, & scriptis credere, & profiteri desinãt, &c.* O voces verè Christianas! vere Hispanas! tam ab illâ a Iacobo Apostolo acceptâ, altiusque imbibita pietate in Mariam, quam ab antiqua, & auitâ nobilitate Hispanâ profectas! O equites fœliciss imos! quibus posteritas Hispanæ plurimum debet! Religio debet, veritas debet, & (quod maius, & excelsius dici nihil potest) Maria debet: debet quidẽ, sed quæ cum ingenti gratiarum fœnore persoluta est.

A

B

C

D

E

Sed quî dixerim? Sanctissimam Mariam Regnis Hispaniæ ob eximium hoc tuendæ immunitatis eius studium debitricem esse, cum potius ipsa tamquam benissima misericordiæ Mater, vt Hispaniam suam diuino beneficio afficeret, huius mysterij arcanum, itidemque ingentem in illum ardorem Hispanorum animis, instillauerit: De quo insigne quidẽ extat monumentum apud Ioannem Alanum Doctorem Parisiensem in prologo Defensorij de Conceptione, quod constat fuisse conscriptum anno 1392. eiusque meminit Armamentarium Seraphicum in Regesto fol. 563. col. 1. Inibi enim ab Alano inducitur Beatissima Virgo hunc in modum locuta. *Occidentalem olim Hesperiam amore prospiciens, Præsuli Toletano amico meo charissimo Alphõso, me sordes primæ originis, mortisque veteris minime contraxisse reserauit fideliter: cæsulam meæ gloriæ pignus donans in testimonium veritatis.* Ita ibi: Obserua, & osculare reuerenter verba illa: *Occidentalem Hesperiam amore prospiciens*, & dum audis Deiparam, quod benignioribus oculis Hispaniam respiceret, & ipsam vndequaque fœlicem redderet immunitatem suam ei reseraſſe, facile videris Hispaniam quidem Mariæ hoc tam solidum, atque diuinum debere beneficium Sed enim bene est vtrumque subsistere: & Hispaniã Mariæ, & Mariam Hispaniæ debitricem esse, cum Deiparæ debitũ persoluere, fœnus sit: pulchrè dicente

V

Alan.

S. Bz-

S. Basil. Seleuc. S.Basilio Seleucienſi oration.39. *Cum multa nobis bona, quæ nullius oratio poſsit aßequi, Deiparæ operâ nobis contingant, eam benemerenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur*: quaſi à debiti ſolutione, creditores in MARIAM ſimus noua ab illa beneficia recepturi. A

VI Nec ſolum Caſtellæ, & Legionis Regna, ſed cuncta etiam, quæ ſub Hiſpano nomine, & ditione continentur Immaculatam Deiparæ Conceptionem profitentur, & peculiari affectu venerantur, & ſub eius protectione conquieſcunt: Ita quidem in Aragoniæ Regno publico ſtatuto, & lege facta à Ioanne Secundo Rege anno 1461. cautum eſt, vt feſtum CONCEPTIONIS illibatæ ſolenniter celebretur, vt manifeſte conſtat ex mo- C ribus, & Conſtitutionibus Regni ſub titulo: *TROPHAE ARAGONVM*: itidemque in Principatu Catalumniæ in comitijs generalibus habitis anno 1451. ſub eodem Ioanne tunc Nauarrę Rege, & fratris ſui Alphõſi IV. locum tenente, eadem lex lata eſt: Nec minus eminet Regni Valentiæ in Deiparæ immunitatem pietas anno 1440. vt latè ſcribit Eſ- D colanus tomo 1. hiſtoriæ Valentinæ lib.5.capit.20. Simile ſtudium perpetuo ſplenduit in Regno Luſitaniæ, quod iterum, atque iterum diffinitionem huius myſterij à Sede Apoſtolicâ exorauit: Sed celebrandæ Deiparæ immunitatis Maioricenſe Regnum ſtudioſiſsimum eſſe, nos teſtes ſumus: Nam E præter ea, quæ de illuſtriſsima illius Epiſcopali Eccleſia ſuo loco diximus: ipſummet Regnum, quod ſanè, & litteris, & armis maximè floret, Immaculatam MARIÆ Conceptionem Patronam, & Aduocatam habet, & ſub ipſius patrocinio conquieſcere ſignatè gloriatur: Vndè in ipſo et Regni limine, quà à portu Vrbs intrantes excipit, illuſtris eſt MARIÆ Immaculatè Conceptæ imago ſtatuta, cũ hâc inſcriptione. *SVB VMBRA, ET PROTECTIONE CONCEPTIONIS DOMINAE NOSTRAE*, vt quotquot ſiue Regni Incolæ inhabitant, ſiue aduenæ aduenium, admoneantur omnes, & Deiparæ immunitatem pro nos eſſe debere, & ſub tanto illius patrocinio omnia læta, ac fauſta ſperare poſſe. B

Hæc iam ſub prælo habebamus, VII cum illibatæ MARIÆ Conceptioni recentiſsimi auxilij ſplendorem acceſsiſſe vidimus: Nam omnibus copijs pro ipſa certatura Hiſpania, inſeſtamque opinionem penitus delectura electiſsimos tandem ad ſua vexilla milites traxit; Iuſtiſsima bella cientem pietatem ſequutum eſt ſummum decus, flos nobilitatis Hiſpanæ: Tres nempè illuſtriſsimæ militiæ clariſsimi Ordines: IACOBÆVS, qui ad latus rubrum enſem Maurorum ſanguine fulgentem geſtat, Calatrauenſis, & Alcantarenſis, quo ternario nihil vnquam Orbis eo in genere ſublimius vidit. Vt enim cœli Auguſtam priuati cultus obſequio venerantur, ſuoſe muneri defuturos putarunt: ſi erecta Hiſpania tota ad eius immunitatem venerandam, & prædicandam, ipſi ſilerent. Itaque ſacro quodam Marte concitati MARIÆ ſacramento ſe obvinxere pro Parentis optimæ cauſſâ exerto ferro pugnaturi. Ac nè ſuſpicari poſſet, ſubitæ pietatietatis functorium eſſe illud officiũ, nõ modo operoſo ſplẽdore celeberrimos in myſterij huius honorẽ egère dies, ſed etiã in poſterum eiſdẽ ſolẽnijs anniuerſarias luces decreuere. Illud enim verò initi fœderis vires maximè ſtabilit, quod ſanctiſsimo ſcito cautum eſt, nè quis nobilis militię authoramẽto

donetur, nisi prius concepto ritè voto fidem obstringat Numini, gladio se, et si opus sit, cruore defensurum Virginei Conceptus candorem. O pulcherrimam conspirationem! O plenum sapientiâ consilium! Qui enim aptius, acriusque Deiparæ munditiam tutarentur, quam illi, in quorum venis vibrat sanguis purissimus? Qui vel à minima maculâ abhorent, quid ni eam à Diua, quam adorant, amoliri contendant.

VIII Hactenus quidem Reginæ nostræ honori, altera duntaxat ancillata est Hispana Miuerua, illa nimirum, quæ in scholis, & suggestis vocali prælio decernit, in scriptisque stylum stringit omnibus Academijs earumque Doctoribus, Scriptoribus, Concionatoribus MARIAM immaculatè conceptam docentibus, & prædicantibus. Iam autem altera quoque nunc robur suum, & arma, quibus valet MARIÆ gestit consecrare, vt vtriusque Mineruæ commissis viribus, cedat tandem quidquid hostile est coniuratæ pietatis optato trophæo.

IHS

DISSERTATIO IV.

DE INEFFICACITATE OPINIONIS minus piæ aduersus prædicta, tam firma, & solida fundamenta.

PRÆ AVCTORITATE, ET PONDERE PIÆ de MARIA immaculatè conceptæ opinionis, leuissimũ in statera recti iudicij momentum opinioni minus piæ subesse.

ADNOTATIO I.

I PRæfatæ à communi sensu Pontificum, Romanæ Ecclesię, Ecclesiarum totius Orbis, Sacrorum Ordinum, Antistitum omnium, cunctorumque Scriptorum confectæ argumentationi

A

B pro Mariæ immunitate, quam vt murum ahæneum nulli telo traijciendũ opponimus, hùc illa verba S. Paciani ad Simpronianũ aduocãtes. *Contẽplare quot nostros vn' aspicias, quot meorũ populis solus occurras. Nonne vt stillicidia fontibus magnis? nõne vt ab Oceano quæ dãgutta sorberis?* Ecce *S. Pacianus.*

contra-

contrariæ opinionis Doctores in libello ſupplici, quem eminentiſsimis Cardinalibus nuper obtulerunt, ſic omninò infracti reſpondent. *Vniuerſitatum Doctorum, aliorumque opinantium obijcitur multitudo: Sed vota ponderanda ſunt, non numeranda.* Quæ ſanè verba cum primum legi, pœne fui, vt exiſtimauerim ſanum quidem, ac tutum ipſos cepiſſe conſilium, ſi animũ inducerẽ, vt crederẽ politioris illos litteraturæ eſſe aprimè gnaros: quippe apud Ariſtophanem poeta Euripides, & Æſchylus de pondere, & grauitate elocutionum ſub Baccho iudice decertãtes, ab ipſo iuſsi ſunt ſtateram afferre, & ſingulos in vnaquaque libræ lance ſelectiſsimum è ſuis carmẽ imponere, vt ei, in cuius lancem libra propenderet: grauitatis & ponderis palma tribueretur: cumque Euripides verſum illum impoſuiſſet.

Ariſtophanes. *Non eſt fanum Suadæ, niſi bona oratio.*

Æſchilus verò hunc.

Mors ex dijs ſola haud capit data munera.

Iſto audito ſtatim iudex exclamauit: *Inclinat Æſchili lanx: nã mortem impoſuit malum grauiſsimum:* Etenim ſi hunc in modum ſuffragia ponderanda eſſent, inclinaret quidẽ opinionis minus piæ lanx: nam *mortem* (hoc enim eſt originale peccatum) *impoſuit malum grauiſsimum:* At enim verò, quî poſsim credere hoſce DD. Ariſtophanem, aut politiores Muſas, vel à limine ſalutaſſe, qui vocem *vota* pro ſuffragijs tota Latinitatis elegantia refragante ſubſtituunt?

II Miramur igitur primum, viros æquè doctos, ac pios vim verborum quibus ipſi reſpondent, aut non percallere, aut deludere volũiſſe: Nimirum illis non opponimus nunc rudis vulgi multitudinem, aut populorum omnium, ſiue cunctarum gentium conſenſum, illum ſcilicet, qui Auguſtinum in Eccleſiæ Catholicæ gremio retinebat, dicente ipſo lib. contra epiſtol. Manichæi. *Multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſsimè teneant. Tenet conſenſus populorum, atque gentium,* vt cum eodem Auguſtino itidem illis dicamus, quod ipſe Iuliano lib. 1. contra Iulianum capit. 2. *Non tibi ſicut calumniaris ſolũ populi murmur opponimus, quamquam & ipſe populus aduerſum vos propterea murmuret: quia non eſt talis quæſtio, quæ poſsit etiam cognitionem populi effugere:* de quo in ſeqq. redibit ſermo. Sed priuato paucorum DD. ſenſui modo opponimus infractam vim, & pondus cunctarum Vniuerſitatum, quæ omnium ſcientiarum Principes merito dicuntur, quob ab ipſarum patera bibant, quotquot ſapientiæ laude excellũt: opponimus præter Romanæ Eccleſiæ auctoritatem cunctas per totum terrarum orbem ſparſas Eccleſias, quas tot doctiſsimorum pariter, ac ſanctiſsimorum cœtus illuſtrat: opponimus omnes Eccleſiæ Antiſtites, quos totidem ſanctæ Eccleſiæ lumina nouimus: opponimus omnes omninò ſacros ordines, & religioſas familias, quarum ſingulas cum firmamento cœleſtibus ſapientiæ, & ſanctitatis luminibus collucenti iure compoſueris: opponimus innumeros Scriptores Theologos doctrina, & eruditione præſtantiſsimos. Hæc tot, tantique ponderis ſuffragia cum opponimus, & in ſtatera appendimus, non immerito exiſtimantes nihil diſtare, hanc libram ab illa Critolai, de quâ M. Tullius Tuſculanâ 5, ait: *Tantum propendere illam putat, vt terram, & maria deprimat:* Viderint iam an opportunè reſpondeãt: *Vota non ſunt numeranda, ſed ponderanda:* Vix enim credi poteſt: homines prudentes, & benè moratos tantum ſibi arrogaturos: vt omnes omninò prę-

Auguſt.

M. Tullius.

terse ipsos, quasi stillam situlæ, & tâquam momentũ in statera reputare velint, non dubitantes se aduersus tam insuperabilem tot strenuorum militum phalangem posse repugnare. Verum enim verò (tædet dicere) hæc omnia præ oculis habentes, & vim verborum percallentes absolutissime respondent: *Sed vota, non sunt numeranda, sed ponderanda*: vt videlicet Lanx Æschylitin quâ mors, idest peccatum originale ab his DD. imponitur: maius pondus, & auctoritatem habeat, quam illa, in quâ Vniuersitates, Ecclesiæ, sacri Ordines, Episcopi, & cuncti fideles vitam; hoc est immunitatem MARIÆ constituunt; esse verò istam horum DD. mentem manifestè ostendunt illa, quæ subijciunt: *Nec populorum consensus diffinitiones fidei facit*: & statim explicatius (vt de ipsorum mente nullus sit ambigendi locus) hæc nobis valde pia adijciunt exempla. *Ariana hæresis ferè in omnes inualuit, & teste S. Hieronymo*: ingemiscens orbis terrarum se Arianum esse miratus est: *Sub Pontifice B. Stephano fere Ecclesiæ duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus in Anabaptismum abijt, quia tamẽ non adfuit Summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis priuilegium residet, Ecclesia non erranit*. Hæc ibi. In quibus (mirum dictu) fœliciſsima, & pacatissima nostra tempora, in quibus Catholica Religio viget, & regnat cum turbulentissimis illis sæculis, sic videntur cõponere, vt ex ijs (si Deo placet) normam præsentibus faciãt, vt quemadmodum duo illi, aut tres Episcopi plus ponderis in Ecclesiâ, quam cæteri omnes Episcopi, ac Doctores habuerunt, ita in disceptatione de Maria immacula è concepta potius deferendum sit paucorũ horum Doctorum auctoritati, quâ cunctis Vniuersitatibus, Ecclesiis, Religionibus, & Scriptoribus numero infinitis (vt ipsemet Caietanus fatetur) quin tantorum testium multitudo caussæ pondus, aut momentum addat.

III

Nec recens quidem hæc istorum Auctorum mens est, sed peruetusta, quæ iam diu ipsorum animis insedit, & in ipsorum ore natat, vt domesticus testis, isque omni exceptione maior Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Minorien sis in disputatione *de Immaculata Conceptione ad Concilium Tridentinum*, part. 2. hunc in modum affirmat: *Mitto nunc quæ aliquando in patriâ meâ quidam ausi sunt mihi respondere, cum ego ad hanc celebritatem recipiendam eos sedulo adhortarer, obijciens Romanæ Ecclesiæ morem, cui adhærendum esse populus ille flagitabat: Dixerunt enim se viros esse veritatis, & Ordinem Prædicatorum esse maximam, & nobilissimam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem*: Cuius sententiæ nucleum, sic excutit Catharinus: *Quod, si verum est, ipsi ergo sunt caput, cæteri membra: nam maxima, & nobilissima cuiusque Ecclesiæ pars, caput est: & ad ipsum pertinet membrorum omnium direction*: Ex quâ quidem ratiocinatione illud planè mihi subinferri videtur, quod alio intentus dixit Hormisda Papa in epistola *ad Possessorem Episcopum*, nam cum præmisisset. *Vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere*, subijcit: *Vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium*: Pergit verò Catharinus plus æquo indignabundus: *Verùm de his, qui tam peruersa loquuntur, illud solum considerandum est, sint nè potius miseratione digni ob corruptam affectionem, quam animaduersione ob insolẽtiam, & arrogantiam*: tamdemque cõcludit: *Respõsione proculdubio tales tam digni non sunt*. Hæc Catharinus ibi: A quo non abit, quod idemmet Catharinus eodem libr.

Cathar.

Hormisda PP.

pag.49.de Caietano refert hunc in modum: *Quod etiam addit idem Caietanus, quod iste concursus, & cõsensus Vniuersitatum, & populorum nihil habet probabilitatis*, nisi apud indoctos, quod *merentur pro responso, alij viderint. Hæc enim verba latè significant, quod Vniuersitates, & quicumque in hanc sententiam conueniunt indocti sunt, & illi soli sapiũt, qui contra tenent. Sed hoc effutire est, non probare*: ita ille. Sed enim ego contra sentio, hos DD. etsi suarum partium plus fortè amantiores sint, quam par est, at procul ab ipsis, vt à viris maximè religiosis insolentiã, & arrogantiam ab esse, ac proinde ipsis omninò respondere, & rationibus, quas afferunt satisfacere esse operæ pretium: præsertim cum id facile, & promptum sit, etsi vno tantũ verbo decidenda res sit: mathematica demonstratione occurrat Augustinus lib.2.contra Donatistas cap. 9.inquiens: *Vniuersum partibus iure optimo præponitur.*

IV Sed age, & rem à fundamentis penitius consideremus, & quãdo cum *viris veritatis* (vt ipsi modo aiebãt) agimus: in primis hæc illorum verba: *Sed vota non sunt numeranda, sed ponderanda* omninò assonant ijs, quibus Augustino multitudinẽ Doctorum in suæ sententiæ confirmationem afferenti occurret Crescon. Grammaticus inquiens: *In paucis frequenter est veritas: errare, multorum est*: quam responsionem sic repellebat Augustinus. *Si ergo verum est, quod asserunt, & in paucis frequenter sit veritas, & multorum sit errare: permittant, vt nostri Doctores, quanto suis Doctoribus sunt impares paucitate, tanto eos superent veritate*: Sic Augustinus. Quod si huius sententiæ rationem desideres vt quanto Doctores sunt impares paucitate, tanto superent alios veritate, perplacet eam reddere ex eodem Augustino alibi docente id esse Diuini ingenij proprium, veritatem communem facere; quin à quoquam priuatè circumcludatur, quasi vnius propria, & non potius plurium sit: Sic enim ille libr. 12.Confessionum cap.25. *Veritas tua Domine, nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens, vt nolimus eam habere priuatam, nè priuemur eâ.* Subijcit statim. *Nam quisquis id quod tu faciendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult, quod omnium est, à communi propellitur ad sua, id est à veritate ad mendacium*: Hæc Augustinus, quæ in eum sensum inflectimus, vt nolit quis suæ peculiari sententiæ, adeò firmiter adhærere, vt illam multorum sensui anteferat, quasi ipse solum scopum collimauerit, *& in paucis veritas sit, & multorum sit errare*: vt hæc Augustini mens sensum habeat communem, cum illo Sapientis monito. *Nè innitaris prudentiæ tuæ.* Prouerbiorum 3.versicul.25.vbi Hebræa Lectio ad verbum habet: *Nè prudentiæ tuæ baculo innitaris*: siue vt legit Theodozion: *Nè gradum offirmes in tuâ prudentiâ*: tantum non monens propriam cuiusque prudentiam, quæ se à communi cæterorum prudentiâ secernit: baculum esse arundineum, debilem, & fragilem, cui non tutò inniti valeas. In quem sensum opportunè explicauit arcano sensu Philo libr.1. *Allegoriarum*, verba Geneseos 1.versicul. 12.quibus fluuius Hebilath dicitur irrigare *terram, vbi nascitur aurum optimum*, siue *bonum*, vt ipse legit: etenim cum ipse prius composuisset aurum cum prudentia, statim premens epitetum *bonum* obseruat iure posse aliquem ambigere, qua ratione illius terræ aurum, quod prudentia adumbrat, signatè bonum esse dicatur, quasi sit aliquod aliud

Prou.3. vers.25. Hebr. Lectio. Theod.

Genes.1 vers.12. Philo.

Augus. *Idem.*

aurum, siue prudentia, quæ bona nõ sit, sed tamen ad manũ esse dubij huius expeditam solutionem; eam videlicet prudentiam omnino bonam censendam, quæ communi sapientium calculo probatur: illam vero bonam nõ esse, quæ è proprio alicuius cerebro proficiscitur, & singularis est: *Nam duo* (inquit Philo) *Philo.* *sunt genera prudentiæ: alterum vniuersale: alterum particulare: vniuersalis illa, quæ Dei sapientiam inhabitat ceu domicilium, bona est: itaque prudentia mea, cum sit particularis, non est bona*: Ita Philo opportunè.

V Apta hæc viris Veritatis, qui sibi persuadentes in paucioribus veritatem inueniri, prudentiæ suæ sic omnino innixi volunt, vt plus ponderis suæ opinionis libram habere affirment, quam habet vniuersalis illa prudentia, quæ vt bona, & optima, omnium Vniuersitatum, Ecclesiarum, Religionum, & Scriptorum iudicio probata est: & cum inquiunt: *Sed vota non sunt numeranda, sed põderãda*: itidẽ illos cũ Salomone Prouer. 23. vers. 4. admone: *Noli laborare, vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum*: dum hæc verba in Biblia Regià, & Complutensi leguntur: *Ne contendas cum sis pauper cum diuite*, siue vt LXX. habent. *Ne extendas te* (Græcum verbum omninò est *coextendas*) *cum sis pauper ad diuitem*, vt ex mente sapientis, cuius sensus est: nosce te ipsum, & si res angusta sit domi, & pertenuem censum numeras, noli te ipsum, ita distendere, vt diuiti æqualem in sumptibus te exhibeas, & cum ipso de splendore certes, sed intra tuam te pelliculam contine, & primas illi in splendore partes defer: commoneantur opinionis minus piæ Auctores fastum tantisper deprimere: cũ æquũ minime sit, vt opinio quę vt pauper splẽdore destituta est, ac pertenuem cẽsum Auctorum pro se numerat, se ipsam conetur erigere, & ad ditissimã & splendidissimam opinionem, quę in censum suum cunctas Vniuersitates, Ecclesias, Scriptores, itidẽque Pietatem, & deuotissimum in Deiparam obsequium fideli ratione, & calculo numerat, se ipsam coextendere, vt parem in auctoritate, & põdere se ostendat: quod perinde fuerit, ac si in vocis claritate, & magnitudine velit infans Stentorem æquare: vt merito ei obijciatur. *Quid miser exclamas? Stentora vincere potes?* *Iuuenal.* Nec omiserim venustam imaginẽ, nec non apposita Chrysostomi verba quibus P. Salazarius litteralem Salomonis sensum illustrat: sic enim ille primum imaginem depingit: *Nã quemadmodum si quis perbreuem hominem contentis neruis alteri vastæ magnitudinis viro exæquare velit, eũ acerbissimè cruciari, aut discerpi necesse est, cuius nerui, & membra laxantur: non aliter etiam de illo cogitandum, qui cum pauper sit, ad ditissimi cuiuspiam hominis conditionem, ac sumptus adspirat*: Deinde vero vt miselli istius pauperis ambulantis in magnis, & mirabilibus super se cruciatus, & dolores describat, dum plurimum illi stat sese diuiti adæquare, Chrysostomum in homilia. *Quod nemo lædatur, nisi à se ipso*, sic loquentem inducit: *Pauperes, dum cupiunt diuitibus exæquari, insanabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt: nam idem morbus diuersos singulis generat langores*: Hæc & ex Chrysostomo, & de suo Salazarius, non omninò quidem, at tamen ex parte Auctoribus opinionis minus piæ aptanda, qui quidem dum neruos contendunt, vt Doctoribus pię opinionis suppares videantur, acerbissimè cruciari, aut discerpi necesse est, vel vide vt sese discruciet, & distorqueat Vincentius Bandellus, cum auctores, & PP. pro suâ sententia numerat: nam eos sæpe sapius producit, qui numquam fuere, & ea

Prou. 23 vers. 4.

Bibl. Reg. Complut. LXX.

Salazar

Chrysost.

scripta,

scripta, quæ lucem numquam videre, quæ autem verè scripta fuere additionibus, mutilationibus, suppositionibus, inuersionibus deprauat, mutilat, secat, dissecat, truncat, quoad tandem, quod ille vult, palam dicatur, non secus, ac ille qui: *facta & infecta canebat*, & generali oratione tam de Bandello, quam de alijs eius assectis Ambrosius Catharinus lib. 2. §. *non eò inficias*, hæc pronunciat. *Ipsi primò numerant Auctores suos, & quidem ad ducentos circiter: alij etiam fermè ad trecentos extendunt Caietanus vltimo ad quindecim reducit numerum. Nonnulli etiam cogant inuitos, vt sibi adstipulentur, qui vel non probant, quod ipsi volunt, vel etiam contrarium potius docuere: ita vt Scotum etiam ad se trahant, vt ex hoc vno quid ausi fuerint de alijs, facile valeas conijcere.* Hæc Catharinus. Est nè hoc extendere te, cum sis pauper ad diuitem?

Cathar.

VI Ad hæc: (vt ijs *viris veritatis*, qui ipsam in paucis esse volunt denuo occurramus à pauperis imagine nõ discedentes) si verè æstimas Deus pauper non est, cui tam angusta res domi sit, vt oues suas, siue Doctores quos illuminat, per digitos numeret: scitè quippe dixit Seneca epistola 33. *Pauperis est, numerare pecus*: Qua sanè argumentatione S. Irenæus *lib. 3. aduersus hæreses*, cap. 3. eos, qui solam Pauli doctrinam non habitâ ratione aliorum Apostolorũ suscipiebant, hunc in modum confutabat: *Non vt solum Paulum saluaret, venit Dominus noster: nec ita est pauper Deus, vt vnum solum habeat Apostolum:* Ita Irenæus, ad cuius quidem gustum possumus, & nos asserere, Ecclesiam Dei non adeo pauperem esse, vt vnum solum ordinem siue vnum omninò cœtum, aut gymnasium habeat; cui omninò veritatis lumen splendeat. Quâ de re iterum S. Pacianus præfata epist. 3. ad Sempronianum cum adductis ver-

Irenæus.

Pacian.

bis Psalm. 44. vers. 11. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, dixisset: *Vides ergo Ecclesiam esse Reginam, in veste auratâ, & variegatâ multorum vtique corporum, multorũque populorum varietate compositam*, opportunè subijcit: *Non est coloris vnius ista pictura, nec in vno habitu emicat tanta diuersitas:* & indidem Ecclesiæ amplitudinem describens, atque diffundens, vt ab ipsa plurium consensione certitudinem doctrinæ inferat, hæc habet. *Ecclesia est Corpus Christi, corpus vtique, non membrum, corpus in vnum partibus, membrisque collectum, sicut ait Apostolus:* Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa (1. *ad Corinth.* 12. vers. 14.) *Ergo Ecclesia plenũ est corpus, & corpus solidum toto iam orbe diffusum, non quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, & à reliquo corpore separatum.* Hæc ille. Ex quibus verbis proportione seruata, mutatisque mutandis facilè occurras dicenti. *Vota non sunt numeranda, sed ponderanda*, quia quamuis in lance opinionis piæ Vniuersitates & Ecclesiæ, & Episcopi, & sacri ordines sint, plus tamen ponderis habeat opinio minus pia, quod *ordo Prædicatorum maxima, & nobilissima Ecclesiæ pars sit:* quippe hæc ratio minime subsistit: cum potius Ecclesiam referant tot, tamque præclara eius corporis membra, vero ipsis Capite annuente, quam quędã portiuncula (etsi ipsa præclara, quod inficiari non potest) in hac disceptatione de immunitate Mariæ à reliquo corpore separata. *Non est enim coloris vnius ista pictura, nec in vno habitu emicat tanta diuersitas*, vt stateram momentare, hoc est ad æqualitatem redigere possit: immò verò (quod Seneca alibi à nobis adductus dicebat) *non potest in tantâ claritate Solis scintilla habere momentum*, & quod inibi Sempronia-

Cor. 12 vers. 14.

Seneca.

S.Paci. no magna cum emphasi obijciebat S Pacianus. *Contemplare, quot nostros vnus aspicias? quot meorum populis solus occurras? Nonne vt stillicidia à fontibus magnis? nonne vt ab Oceano quædam gutta sorberis?*

VII A Atqui filij hominum mendaces in stateris (vt ait Dauid Psalm. 61. vers. 9) non habeantur, qui libram opinionis piæ, tam immenso ponderegrauem, cum leuidensi paucorum Doctorum lance velint componere? Cum hoc in loco verissimum sit, quod alio intentus dixit Seneca epist. 102. de nominis claritate: *Claritas ista, bonorum virorum secunda* (amica, & fauens) *opinio est. Nam quomodo fama non est vnius sermo, nec infamia, vnius mala existimatio: sic nec claritas vni bono placuisse. Cõsentire in hoc plures insignes, & præstantes viri debent, vt claritas sit. Hæc autem ex iudicijs plurium efficitur.* Vnde post nonnulla subijcit: *Ad gloriam, & famam non est satis vnius opinio:* & iterum *gloria multorum iudicijs constat.* Quæ opportunè nostro instituto aptaueris, ex illis facilè euincens leuidensem, & in gloriam opinionis minus piç librã, cum ad gloriam, & famam, non sit satis vnius familiæ, siue vnius ordinis opinio cunctis illi ordinibus, & vniuersitatibus, & Ecclesijs obsistẽtibus: contra vero totum gloriæ, & claritatis põdus opinioni piæ de Mariæ immunitate subesse, in quam cõsentiunt plures insignes, & præstantes viri, & multorum iudicijs constat: Et verò vt hinc eam tandem videris nullam ponderis proportionẽ inter vnam, & aliam libram, sed immensum discrimen esse, quod pia opinio multorum iudicijs constet, cõtraria verò vnius tantum familiæ sit: audi quam aliter de vnius, & de binarij numero censuerit Moyses cũ in Cantico dixit: *Quomodo si persequatur vnus mille, aut duo fugarent decem millia,* Deuteron. 32. vers. 30

Seneca. B

Deuter. 32. v. 30

Vbi si attendis, cum vni mille dederit, non fuit contentus binario duo mille dedisse, quod Arithmetica exigebat proportio: vt duplo esset maior: sed Geometrica proportione, & pœne infinito excellentiæ discrimine decẽ millia illi attribuit, quod concors plurium sententia longissimo interuallo antecellat opinioni paucorum, non quidem solum à maiori numero, sed etiam à peculiari vi, & pondere, quod singulis iudicijs à concordia, & consensione adhæret: tunc enim singuli vniti, non sinsinguli, aut bini, terni ve, sed Geometrice excrescente numero decẽ esse censentur: id adnotante Chrysostomo hom. 1. *de dilectione,* hunc in modum. *Nihil cum concordia comparãdum dilectissimi: sic enim singuli multorum instar erunt: si enim vnanimes fuerint duo, aut decem; iam vnus non est vnus, sed singuli eorum, quasi decẽ fiunt, ac si inimicum habeant, qui illorum vnum inuadat; ille non secus, ac si decem adorsus esset, capitur,* Hæc Chrysostomus.

C

VIII Quæ sanè perpetua Patrum in cõcertationibus cũ hæreticis mens, & consuetudo fuit, vnanimem Doctorum consensum aduersus paucos vrgere; minime dubitantes communem, & vniuersalem assensum particu'ari dissensui præponendum fore, atque idcirco initio adnotationis citatus Augustinus lib. 2. contra Donatistas cap. 6. dicebat: *Vniuersum partibus semper iure optimo præponitur:* Et quidem ipsemet Augustinus, non modo vrget hanc rationẽ aduersus Iulianum; sed etiam ex illa grauius eum obiurgat; quasi tot præstãtibus Ecclesiæ viris iniurius esset, cum se ab vnanimi ipsorum iudicio discerneret, ita enim ipse lib. 1. *contra Iulianum,* cap. 4. *Iterum te admoneo: iterum te rogo, aspice tot, ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores, atque Rectores, vide quibus tam grauem, tamque nefariam irrogaris iniuriam:*

Augus.

D

E

Sic

Sic ille: Sed quam ob cauſſam? Sanè, quod magno Sapientum numero à paruo plurimum deferri debeat et ſi ſecus fiat, non leuis ipſis videatur irrogari iniuria, dum pauciores ſuam auctoritatem pluris faciendã eſſe contendant: In quam rem placet expendere peculiare Eliæ Prophetæ, erga multitudinem peſsimorum Sacerdotum Baal reuerentiæ ſignum, notanter deſignatum lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 25. Nempè ſolus ille cum quadraginta, & quinquaginta Sacerdotibus de Dei cultu diſceptabat, vt certo aliquo conſtaret experimento quis eſſet verus Deus, quæ ſancta, atque probata religio: & cum non aliunde, quam è cœlo diuinitus petendum foret teſtimonium, illud à Propheta propoſitum, & omnium conſenſione probatum eſt, vt ille verus exiſtimaretur Deus, qui à ſuis cultoribus imploratus miſſo deſuper igne oblatũ ſibi bouem in ſacrificium conſumeret: Eo igitur pacto inito, Eliæ vrbanitatem audi. *Dixit ergo Elias Prophetis Baal: eligite vobis bouem vnũ, & facite primi*: At, ò bone tu qui cauſſam veri Dei agis, cur prophanis falſi Dei Sacerdotibus primum locum concedis? Reſpondet Theodoretus ibi quæſt. 56. *Iuſsit primos peragere ſacrificium, nè pudore affecti miniſtri mendacij dicerent, ægrè ferre Baal, non prius accipere munus.* Bene quidem, ſed non eſt, cur patente via, quæramus ſemitam, ipſo videlicet Propheta peremptoriam rationem ſic reddente: *Facite primi, quia vos plures eſtis.* Nimirum Prophera qui in re Religionis, & veri Dei cultus nihil omninò illis, quotquot ipſi tandem fuiſſent, tribuere poterat: in externa tamen comitate primas partes ob eorum multitudinem concedere non renuit, quaſi tot hominum multitudini in ijs, quæ licerent, aliquis honor & reuerentia à paucioribus deferri deberet.

3. Reg. 17. v. 25

Theodor

Quod ſi id in ſacerdotibus Baal locum habuit, quia plures erant, quãto magis in tot, tantiſque veri Dei Sacerdotibus, Epiſcopis, Doctoribusque locum habere debet, vt quò plures ſunt, eò magis primi habeantur, nec leuis ipſis iniuria irrogari credatur, à paucis religioſi cœtus viris, ſi ſe veriùs illi ſentire profiteantur. Non ergo opportunè, & reuerẽter dicitur: *Vota non ſunt numeranda ſed ponderanda.*

Paucos opinionis minus piæ DD. non poſſe præiudicium facere tot, tantiſque Eccleſijs, Vniuerſitatibus, Ordinibus, & Regnis pro MARIA immaculatè concepta ſtantibus.

ADNOTATIO II.

PErſtamus in adornanda libra piæ opinionis de Mariæ immunitate, & cõtrariæ opinionis lãce eleuãda. Et vero quoniã eò ventũ eſt, vt noſtrę ſit diſputationis ſcopº euincere, piã opinionẽ ad proximę diffinibilitatis ſcopũ iã peruenisse: id vt præſtemus, plumbeos mucrones dimittere, & ad acuta venientes inſuperabilibus firmiorum argumentorum telis vti erit operæ pretium: Ergo vt firmiter euertamus, ſiue traducamus præfatam theſim: *Vota non ſunt numeranda, ſed põderanda:* tutiſsimè argumentabimur ſi totum Concilij Calchedonenſis pondus illi objecerimus, quod & lãcem opinionis minus piæ omninò eleuet, & noſtram infinito interuallo propendentem faciat. Ergo in

Concilio Calcedonensi, cum sexcenti Patres legitimè Congregati concorditer,& libenter subscripsissent Sancti Leonis Pontificis epistolæ per Sedis Apostolicæ legatos Cõcilio missæ: decem vero Episcopi Ægyptij inconsulto Patriarcha Alexandrino ei epistolæ similiter subscribere recusarent; primum Acacius Episcopus fidenter,& animosè illis obstitit dicens: *Ecclesia Dei prouinciâ Ægypti maior est, & fide dignior:* Deinde verò Apostolicæ Sedis legati magna verborum grauitate cunctis PP. annuentibus dixerũt: *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporũ*: sic habetur Actione 4. illius Concilij paginâ mihi 235. Nec noua quidem, nec postrema eâ Calcedonensis Cõcilij determinatio fuit; cum & ei præiuerit Concilium Nicænum regul. 6. quam idemmet Cõcilium Calcedonense Actione 16. sic transcribit,& firmat: *Si communi omnium consensui rationabiliter probato, & secundum Ecclesiasticam regulam statuto, duo alij, vel tres per cõtentionem suam contradicunt, definitio obtineat plurimorum*: & postea Concilium Toletanum octauum capit. 11. communem sensum, cum PP. horum Conciliorum se habere, sic planum fecerit: *Cum quælibet Sancta Synodus agitur, aut pacifice inter Põtifices, quidpiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem forte dissentiant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant; aut excommunicationis annuæ sentẽtiam luant.* Porrò veterum Conciliorum vestigia itidem presit Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. part. 14. Can. 17. hunc in modum: *Si communi omnium consensui rationabiliter comprobato secundum Ecclesiasticam regulam duo, vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.* Hæc ex Concilijs, quæ nostro instituto facta siue dicta à PP. esse videntur.

Concil. Calced. *Concil. Nicen.* *Concil. Tolet.* *Concil. Colon.*

A B C D E

II *Manuali Dominicanum*

Et vero cum tam ex superius dictis,& inferius dicendis, quam ex ore Patrum Dominicanorum in Manuali sui Ordinis sæpius à nobis citato ferè liquido constet in Mariæ immunitatem Ecclesiæ sensum conspirare: etenim cum ibi illi PP. dixissent: *Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali. Sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa:* subijciunt: *Præsertim cum tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & auctoritas secundum B. Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuscunque alterius Doctoris, iam asserat, quod fuit præseruata:* Iure optimo Dominicano Ordini renuenti modò, & à præscripto sibi sensu, pedem referenti (si tamen totus ille sanctissimus ordo renuit, & pedem refert, quod minimè credere volumus) dicere primum possumus: *Ecclesia Dei Ordine Dominicano maior est, & fide dignior:* Nam ad oculum demonstratur, quod dicebat adnot. præceden. Augustinus. *Vniuersum partibus iure optimo præponitur*: deinde verò fidenter pro nostræ controuersiæ statu, ea verba vsurpamus: *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum.* Nimirum hęc verba pro pia opinione sic adornamus: vt supputato numero Auctorum vtriusque opinionis, ijsque interse compositis, extra omnem dubitationem sit: Cuilibet Auctori opinionis minus piæ, mille ad minus Doctores Opinionis Mariæ immunitati fauentes respondere: ac proinde maius discrimen esse inter vtrosque Auctores, quam inter decem illos homines, & sexcentos Synodi Calcedonensis Episcopos. Nec omittimus expendere Opinionis piæ Doctores, si non sapiẽtia, & sanctitate, de quo non contẽdimus:

dimus: nam *spirituum ponderator est Dominus*, Prou. 16. vers. 2. at dignitatis pondere contrariæ sententiæ auctoribus omninò excellere: cum non committamus vnum simpliciter vni: sed priuatis religiosi cœtus personis Pontifices, Cardinales, Episcopos, Ecclesias, Vniuersitates, Religiones, Ciuitates, & Regna opponamus; ita vt pœne singulis opinionis minus piæ militibus, integræ cohortes, siue phalanges obuiæ eât. Et, si verum æstimas, tum vnanimis hæc sententiarum in singulis istis cœtibus conspiratio (quod præced. adnot. num. 7. vidimus) tum etiã præstans personarum dignitas peculiare robur, & pondus in ferendo testimonio opinioni piæ adducit.

Prouer. 16. v. 2.

III

Sed ad verba Patrum Cõcilij reuertentes expende ipsorum vim, atque efficacitatem à nostro instituto minimè aberrantem: vt appositè componas illa cum ijs, quæ in manibus habemus: *Vota nõ sunt numerãda, sed ponderanda*: Ergo cum Legati Pontificis ex ore cæterorum Patrum dixere: *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum*: perinde fuit ac dicere: Nullum omninò pondus hâc in re subest decem hominibus, vt possint obsistere sexcentis Episcopis, quoniam sicut momentum in statera, aut sicut stilla situlę præ illis reputati sunt: Nam si vos (inquiunt) Episcopi: sumus etiam & nos Episcopi: si vos litterati, itidem (si Deo placet) & nos: si vos in rebus, & litteris diuinis exercitati: & nos etiam, vt credimus non omninò indiligentẽ sacris litteris operam nauauimus: si veteres PP. vos euoluistis: & nos quidem non minus accuratè euolui mus. Quid iam verò decem homines fuerint? Quale ve eorum iudicium, vt cum sexcentis Episcopis vnanimi sensu in idem conspirantibus cõponi in statera posint? Quid ve pro rei certitudine, & pro iudicio de ea ferendo interest à sexcentis decem dissidere? Sane hisce verbis: *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum*: idem videtur aculeus subesse, ac ei ratiocinationi, quam amicos suos pungens conficiebat Iob c. 12. vers. 2. *Ergo vos estis soli homines: & vobiscum morietur sapientia*: id est, vt hęc verba paraphrastice effert P. Pineda. *Vobis tantum cœli, aut syderũ conspectum diuinæque prouidentiæ cognitionem arrogatis, atque putatis vos solos erectos ad sydera tollere vultus?* Plusplus acuentibus aciem huius locutionis translationibus Tigurina, & Vatabli: dum illa pro *soli homines*: reponit: *Vos estis hominum vniuersitas?* hæc vero. *Putatis, quod vos estis specimen totius orbis*, vt non abeat hic sensus amicorum Iob ab eo illius, qui dicebat. *Non sum sicut cæteri homines*, Lucæ 18. vers. 12. sic premente illum S. Basilio Seleuciẽsi oration. 31. *Se omnium loco statuit & omnes partis alicuius, & reliquiarum numero habet*: Porrò tam istã Iobi aduersus amicos suos caussam, quam illam sexcentorum Episcoporum aduersus decem peroras se videntur S. Bernard. & Venerabilis Galfridus: dum ille nescio quem cæterorum sententiæ sese opponentem ità traducebat epist. 190. *Non nè omnium meritò in se prouocat manus, cuius manus contra omnes: Omnes (inquit) sic, sed ego non sic? Quid ergo tum? Quid melius affers? Quid subtilius? Quod secretum tibi reuelatum iactas, quod tot effugerit sapientes! præterierit Sanctos?* Galfridus verò in allegorijs Gotfridi Tilmani ad cap. 21. Ioannis Thomam Apostolum in suo tunc sensu abundantem, atque proclamantem: *Nisi videro non credam*, Ioann. 21. vers. 25. hunc in modum refutabat. *Scilicet id curandum magnopere: id omnimodis prouidendum*: Nisi videro hoc, non credam. *Grauissimum scilicet*

Iob 12. vers. 2. Pineda.

Lect. Tigur. Vatab.

Luc. 18. vers. 12. Basil. Sel.

Bernar.

Ioan. 21. Galfrid.

damnum irreparabilisque iactura: quasi verò, vel tota mundi fabrica te, non credente solueretur, vel Angelorum curia turbaretur, vel Filio Dei Patris confessio negaretur, vel intolerabile quidpiam proueniret. Ita Galfridus: Tam vero his, quam illis Bernardi verbis opportunè castigatur decem illorum hominum sensus, qui aliquod in statera momentum habere, aut præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporũ volebãt: quasi ipsi melius aliquid afferre, aut subtilius inuenire valerent, aut illis secretum aliquod reuelatum fuisset, quod tot sapientes latuerit, tot Sanctos effugerit itidẽque quasi de singulari hominum sententiâ magnopere curandum esset, tot tantisque Episcopis communi sensu in cõtrarium abeuntibus: *grauissimum scilicet damnum: irreparabilisque iactura.*

IV Iam verò vt eò vnde digressi sumus, reuertamur: et si hæc non sint vndequaque Auctoribus opinionis minus piæ accommodanda, at ex illis omnino euincitur: præfata verba: *Vota non sunt numeranda, sed põderanda*: tùm rationi dissona, tùm Ecclesiæ consuetudini, & statutis ab ipsa regulis, immò & iuri ipsi siue Canonico, siue Cæsareo minimè esse consentanea: Cum in Concilijs, & quotiescumque sapientes ad deliberandum, siue decernendum concurrunt, maior omninò prævaleat, vt num. 1. vidimus ex Concilio Nicæno, & Colonienſi, immò verò cum numerus Patrum nimium excedit, pauci qui obsistunt, non omninò impunes abeant: Id enim sibi volunt verba illa Concilij Toletani: *Si pauciores per nescientiam, aut contentionem fortè dissentiant, aut ab eorum cætu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant*: De perpetuâ autẽ eiusmodi Ecclesiæ consuetudine egregium est S. Ioannis Damasceni testimonium orat. 1. *de imaginibus*, paucorum sensum ita respuentis: *Quod à paucis, raròque fit, non est in Ecclesiâ tamquam lex obseruandum: neque vna hirundo, vt Gregorio etiam illi Theologo placet, & veritas ipsa confirmat, facit ver, neque vnius oratio tanti ponderis est, vt totius Ecclesiæ ab ortu, vsque ad occasum Solis propagatæ morem, & instituta possit euertere*: vndè, ita concludit: *Præclarorum igitur, & spiritualium institutorum multitudinẽ suscipe.* Hæc Damascenus. Quod si afferri debẽt leges, & iura, citari omninò debet Imperatorum Theodosij, & Valentiniani responsum lege 1. titul. 4. lib. 6. Codicis Theodosiani, vbi cum de veterum Iure Consultorum responsis, sic primum Imperatores statuissent. *Papiniani, Pauli, Gaij, Vlpiani, atque Modestini scripta vniuersa firmamus, ita vt Gaium, atque Paulum, Vlpianum, & cæteros comitetur auctoritas lectionis*: Deinde ad dirimendam discrepantium opinionum litem siue controuersiam ita decernunt. *Vbi autẽ diuersæ sententiæ proferuntur, potior numerus vincat Auctorum*: Hæc Impp. Vt appareat: non tantum ponderãda, sed etiam numeranda esse Auctorum suffragia: Quod si maiori Auctorum numero, maius etiam pondus auctoritatis accedat: dum Vniuersitates, Ecclesiæ sacri Ordines, Ciuitates, & Regna numerantur: quis non viderit à rationis præscripto aberrare, qui & numero, & ponderi sic velit obsistere, vt totum sibi stateræ momentum arroget: vt videlicet sint *sine pondere habentia pondus*: Ergo absolutè iam, & peremptoriè Auctoribus opinionis minus piæ dicimus: Non possunt decem homines præiudicium facere sexcentis Episcopis: sexcentis Ecclesijs, infinitis Scriptoribus, & cunctis Academijs, quotquot in Hispania, Germania, Gallia & India florent.

Damas.

Impp. Theodo. & Valent.

Nec

V Nec pigebit hoc in loco hanc argumentationem vrgere ijsdem omninò verbis quibus hoc institutum pertractauit sapientissimus vir animo optimus, ac viuēdi ratione perfectissimus, quo nemo mihi, aut carior, aut cultior inter mortales fuit P. Laurentius Aponte ordinis Clericorum Regularium decus eruditissimis in librum sapientiæ commentarijs ad cap. 1. vers. 4. digressione 2. à num. 79. vbi cum ex Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiarum, ac Pontificum, & Scholasticorum, & Religiosorum ordinum consensione adstruxisset, immunitatem Deiparæ in omnium animis, & mentibus esse, vt hoc argumento vteretur ad probādum, piam opinionem in statu diffinitioni proximo subsistere, eam rationem assumpsit, quâ S. Bernardus Rogerium Siciliæ Regem in schismate Petri Leonis Pseudo Pontificis contra legitimum Pontificem Innocentium à sententiâ deterruit, sic referēte Bernardo Bonæuallis in vita S. Bernardi cap. 7. *Vna est Fides, vnus Dominus, vnum Baptisma: nos neque duos Dominos: neque geminam fidem, nec duo Baptismata nouimus, & vt ab antiquis ordiar, vna Arca tempore diluuij fuit, in hâc octo animæ cæteris omnibus percuntibus euaserunt: & quotquot extra arcam inuenti sunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Ecclesiæ nemo est, qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est, & cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est, vt arca, quam regit Innocentius obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania. Iberi, Angli, & Barbara Regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldulēsis, & Carthusiensis, & Grandimontensis, & Cisterciensis, & Præmostratensis, aliaque innumerabilia seruorum, & ancillarum Dei Collegia necesse est, vt sub vno turbine corruant in abyssum, Episcopos, & Abbates, & reliquos Ecclesiæ Principes collo præcipiti molâ asinariâ ligata pelagus vorax excipiet, solus ex Principibus mundi arcam Petri intrauit ille Rogerius, & cæteris omnibus enecatis solus ipse saluabitur: absit vt totius mundi Religio pereat, & ambitio Petri Regnum Cœlorum obtineat.* Sic Sanct. Bernardus. Vt verò ex his verbis argumentationem subinde conficiat P. Aponte sic prudenter præmittit. *Ex cuius* (Bernardi scilicet) *doctrinâ antequam argumentum desumam, oportet te recolere quæstionem, de quâ nobis est sermo: nempè de diffinitione huius articuli, vt nunc stat, & vt nunc in sensu reperitur Ecclesiæ, vnico scilicet, & vniuersali omnem illam penitus amplectentem, quod nullo modo nunc tergiuersari potest: quod vsque huc non sic extabat, ideóque nec de illâ in Concilijs actum in ordine ad diffinitionem:* Subijcit statim verè, & opportune. *In quâ re admirabilis Dei prouidentiæ suauitas admirari libet, nunquam scilicet, antea in cordibus indidisse humanis huius diffinitionis articuli efficax desiderium, quam in eum toti sint animi: totusque Ecclesiæ sensus.*

A B C D E

Bernar. Bonæu. *P. Laur. Aponte*

VI Iam verò hinc ad formandam argumentationem, sic pergit: *Vna istius articuli est veritas: hanc nostram piè nunc tenet Ecclesia præter paucos: ergo aut in naui Petri, quæ infallibilem continet veritatem, nunc tantum modo illi pauci sunt, totaque extra illam Ecclesia: aut hæc in illa, foraſque pauci illi. Maior est certa: minor ex dictis euidens ergo consequentia necessaria.* Abſit ergo (vt cū Bernardo dicam) vt totius mūdi religio pereat, pauciq; rātū saluentur. Hîc sisto. *Nā quæ ex his colligere possem, quāq; admirari, vt adsit nūc, qui oppositū sustinere audeat, ob sultò præ-*

termitto, non enim mihi in animo est, nisi de omnibus bene sentire: solũ addam, quod sicut audito Bernardo (vt inquit idem Auctor) vltra non se poterant, qui præsentes aderant, cohibere, sed abominati sunt, & vitã Petri, & causſam: *ego et si contrariorum vitam nõ abominer, quia sancta, causſam tamen recuſo.* Hactenus P. Laurentius Aponte, Quæ sanè, vt feruẽtiori zelo dicta: ita tantisper mitigãda sunt, nè videatur optimus Auctor loqui de piâ opinione ad eùm modum, quo de naui Ecclesiæ loquebatur Bernardus, quasi piæ opinionis veritas ad fidei dogmata iam pertineãt, vt qui ei modo assensum non præbuerit extra Petri nauem fuerit: cum tamen mens nostra, sicut & P. Laurentij, non sit ante tempus iudicare, donec veniat ipse Dominus, sed solummodo àsserere tantum pię opinioni ab Ecclesia auctoritate, & à communi Ecclesiarum Episcoporum, Vniuersitatum Religiosorũ ordinum, & pœnè infinitorum Scriptorum robur adesse, vt omninò mirandum sit, fore aliquẽ *nunc, qui oppositum sustinere audeat.* Et vero vt hoc placitum vndequaque subsistat, oppositis argumentatiunculis obuiam ire, simul penitus cognoscere, quam ruinoso fundamento præfati DD. innitantur: fuerit operæ pretium.

EIVSDEM ARGVMENTI.

Ineuitabile telũ, & murũ ahenæum esse cõmunem Ecclesiæ sensum pro Deiparę immunitate.

ADNOTATIO IV.

ERgo cum opinionis minus piæ Auctores, vt sese his opponãt, & probent posse huiusmodi vniuersali, siue communiori sensui subesse falsitatẽ, duo illa nobis obtrudant exẽpla de toto orbe ob Arianam hæresim ingemiscente, & Ecclesia sub Pontifice Stephano duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus in Anabaptismum abeunte: nè de tanta erga Ecclesiam irreuerentia, cum tanta ignoratione coniuncta sibi impunè plaudant placet in ijs immorari, & commonstrare illos, tùm de illo Ecclesiæ statu perperam fuisse locutos: & in grauioribus rebus occupatos multa (de more) in historia peccare, tùm etiã ipsos veteres PP. his de rebus loquẽtes minimè vidisse, vt vel ex his quę suboculos cadũt liquidò cõstet, quã firma sint argumentorũ arma, quæ in hoc de Mariæ immunitate certamine tractare soleant: ergo vt confirment. *Vota non esse numeranda, sed ponderanda*: & vt auctoritatẽ Ecclesiarum, Vniuersitatum, Ordinum, Episcoporum, & Scriptorum cui nos maximè innitimur, eludant: subijciunt: *Ariana hæresis ferè in omnes inualuit, & testes. Hieronymo* ingemiscens totus terrarum orbis, Arianum se esse miratus est. *Sub Pontifice B. Stephano tota ferè Ecclesia in Anabaptismũ abijt. Quia tamen nõ adfuit Sũmi Põtificis cõsensus, in quo infallibilitatis priuilegiũ residet, Ecclesia nõ errauit.* Hæc ibi, subiecta ad marginẽ citatione Baronij ad annũ 359. n. 42, & 49. vt nihil omninò sit, quod cũ historię veritate nõ pugnet: & vt ab orbe ingemiscẽte, & admirãte se Arianũ esse, incipiã: crediderim nihil insulsius, aut formãdæ argumẽtationi inepti⁹ à viro docto afferri potuisse: nã quis primũ nõ videat ingẽtẽ his Hieron. verbis subesse hyperbolẽ, quæ ad cõficiẽdũ argumẽtũ importuna semper fuit, cũ ea sit figura, cum sentẽtia aliqua fidem excedit

cedit augendæ rei gratia: sic dixit
M. Tullius. M. Tullius in topicis: *In hoc genere Oratoribus, & Philosophis concessum est, vt muta etiam loquantur, vt mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit augendæ rei gratiâ dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur.* Et vero vt inter hyperbolicas locutiones nulla frequentior, quam cũ ad multitudinem significandam totus mũdus aliquid videns, sciens, faciens inducitur; ita nulla inefficacior ad exprimendum verborum sonum: sic apud Ioan. 12. vers. 13. dicebant ludæi de turba discipulorum, siue auditorum Christi: *Ecce totus mundus post eum abit:* cum solum esset sermo de ijs qui erant in Hierusalem; inde ergo argumentare, Hierusalem totũ mundum esse: sicut cum de Ænea à Sicilia in Italiam nauigante, & vi vẽtorum in illam appellere prohibito dixit poeta.

Ioan. 12 vers. 13.

Virgilius.

Quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum claudi tur orbis.

Dicito etiam intra Siciliam, & Romam cunctum terrarum orbem esse concluſum: cuius coloris plura sunt sunt obuia: à quibus nec hilũ distat, hic orbis terrarum ingemiscens se Arianum esse, cum solum sit sermo de aliqua parte Orientalis Imperij sub immani potentia, siue sub dira hasta Ariani Principis gemẽte: quippe tunc temporis, & in Occidẽte orbis terrarum non ingemiscebat, pacatis vndequaque rebus, & fide Catholica multum prouecta, & florescente, & in ipsomet Oriẽte innumerabiles erant Catholicæ fidei sectatores Constantio Imperatori obnitentes, & consubstantialitatẽ Fidei accerrimè propugnantes: cũ præterea tota tunc Ægyptus, velut hortus irriguus, & paradisus voluptatis millia milliũ sanctissimorũ Anachoretarũ examina, velut cœlestes plantationes germinaret: Videlicẽt vt subsistat præfata propositio. *Ariana hæresis in omnes inualuit,* & totũ terrarum orbem Arianum fuisse.

Ad hæc: quantũ interest inter verba Hieronymi, *ingemiscens totus terrarũ orbis Arianum se esse miratus est,* & sensũ illis adhibitũ ab his Auctoribus, quasi totus terrarum orbis Arianus esset? de quo optimè agũt recentiores huius libelli confutatores, signatè vero per illustris D. D. Antonius Calderon summæ eruditionis, & limatissimi ingenij vir, & quæ ingens eius humanitas est, mihi iã dudũ amicissimus: Sanè qui se Arianum esse mirabatur, Arianus quidẽ non fuerat, & qui de Arianismo ingemiscebat, Arianus esse omninò nolebat: nemo enim admiratur se hominẽ esse: aut de eo ingemiscit, quod amat, atque cõplectitur: ergo qui oculos habuerit, facile viderit, aliã fuisse Hieronymi mentẽ: & aliò ire illũ gemitũ, & admirationem orbis: nempe quod ille aliquam ansã, siue occasionem imprudenter, & inuitus dederit, qua apud nonnullos videretur, quod non erat hoc est Arianis consentiens: dũ ab illis maximè dissideret; Hæc qui omninò scire volet, adeat locum Baronij, ab ijs Auctoribus pro sua impostura citatũ, ibique accuratè tractatum inueniet, quo modo hæc res se habuerit, is enim cãdor animi ipsorũ fuit, vt qui scrupulũ iniecerunt, scrupulũ no bis eiecerint, data in manus claue ad eãmet aperiendũ seram, quã ipsi no bis occluserant: Summa rei est: post Concilium Nicænum, in quo Filij Dei consubstantialitas mirũ in modum propugnata, & definita fuit, Ariani dãnati, sed nõ victi nouas procellas ciere nõ destiterunt: subdolè tamẽ, & latẽter: dũ sub pacis prætextu coacta Synodo Ariminẽsi ea fidei formula à Valẽte Ariano proposita est, in qua vocib⁹ *cõsubstãtialis,* & *cõsubstãtialitatis* silẽtio cõtectis Christus Dei Filius, Deus de Deo Pa-

treante lęcula genit⁹ dicebatur: Quę quidē formula Ariminensis Concilij PP. vt Catholica, sicut re apse erat, & vt ipsi animū sincerū, & candidū ad eam accipiendam gerebant, omninò placuit, non animaduertentes in ipsa nullam *consubstantialitatis* A mentionem fieri, cum tamen in eo cardine tota Catholicorū cū Arianis contentio, & ab illis dissidium verteretur: Quod fuit in caussa, tùm vt Ariminēses PP. Arianis fauisse viderentur iactāte hâc occasione Valente nihil Arianæ hæresi contrariū ibi fuisse diffinitum: tùm etiam vt di B xerit Hieronymus, & Nicænam Synodum eo in Concilio conclamatâ fuisse: & orbem terrarum ingemiscē tem, se Arianum miratum esse: cum tamen illi PP. minime cēseri debuerint Ariani, nec formula ipsis proposita (si dolū excipias) aliquid Catholicæ fidei dissonum contineret: hæc omnia dissertissimè affirmante Card Baronio loco à præfatis Au-

Baroni⁹ ctoribus citato hūc in modū. *Quod* C *igitur ait S. Hieronymus Orbē ingemuisse, seque Arianum esse miratū, haud sic accipiendum est, vt quā adrò detestati erant, atque hactenus abominarentur Arianam hæresim, crederent se inuitos, dolentesque esse cōplexos: cum tamen non nisi volēs quis, effici possit hæreticus, sed quod in nouâ Fidei regulâ* consubstantialitatis *nomine prætermisso. atque* substantiæ *pariter ablegato, patefacto eam ob caussam Arianis aditu ad inuadendam Catholicam fidem ijdem visi essent Nicænæ fidei proditores:* Pergit D Baronius, & iterū pro illis PP. quos Arianos hi Auctores faciunt ita fideiubet: *Nam quia Valens in hæreticum sensum verba illa detorsit, fiet, vt quadraginti Episcopi in optimam, potioremque significationem eā sentētiam interpretati, euaserint hæretici ex Catholicis?. Absit: cum præsertim noscatur, quod explicatio illa Valētis fuerit subdola potius cauillatio, quā* E *quæ posset ex regula illâ fidei interpretatio germana deduci:* Hactenus ex Baronio ibi n. 43. qui seqq. numeris plura in eandem sententiam habet ex diametro opposita ijs pro quibus hi DD. ipsum afferunt, vt inde appareat eorum sensus, atque citationes Græcà fide constare, & alienissimum à veritate esse Arianam hæresim fere in omnes inualuisse,

Certat autē de Græca, & mala fi- III de cum hoc de Arianâ hæresi exemplo alterum, quod subijciunt: *Sub Pontifice Stephano totam fere Ecclesiam duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus in Anabaptismum abijsse:* quo vt nihil in Ecclesiā Dei contumelioſius, i a nihil falsius, & quod scriptis Patrum illius æui magis aduersetur, dici potuit cum id nec fando auditum, neque scribendo lectum fuerit, vt iam supra omnē admirationem sit hæc ab ijs Auctoribus non pueris alphabetarijs, aut viris mediocriter doctis in angulo aliquo residentibus, sed Summo Pō tifici, qui Ecclesiæ, & scientiæ culmen, & columen est, eminentissimis Cardinalibus tanta doctrina, & eruditione pollentibus in ipsis oculis solis huius, ideſt in ipsa Vrbe Româ in concertatione cum Doctoribus Theologicè, & historicè apprimè instructis ingesta fuisse: Tantum enim abest, vt tota ferè Ecclesia dēptis duobus, aut tribus Episcopis in Anabaptismum abierit (vt isti confingunt) vt potius extra Africā vbi auctoritas S. Cypriani bona fide errantis nōnullos abripuit, vix tres, quatuor ve alicuius nominis Antistites, vt Firmilianus Cappadox, & Dionysius Alexandrinus Sancto Cypriano adhæserint: multaque Episcoporum millia, vt hâc met locutione vsus S. Augusſt. (quē nō vidisse homines, qui sese doctos iactāt maximè pudere debet) dissertissime affirmat lib. 3. *cōtra Cresconiū*, c. 1. 2. & 3. his verbis. *Proinde si omninò iam*

creden-

credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit: Sic Auguſtinus. ex quo compone ſi placet hæc tot millia Epiſcoporum cum illis duobus tantum, vel tribus reſiſtentibus: vt videris quantum ea inter ſe diſtent. Sed & idem Auguſtinus inibi vrgens Donatiſtas materiali S. Cypriani errore abutentes, vt cum reliqua Eccleſia toto orbe diffuſa cõſentirent, infinities cõteſtatur. Quin etiam multi Antiſtites Africani ex eodem Auguſtino eodem in loco adhærere S. Cypriano renuerant: additque etiam Hieronymus libr. contra Luciferianos, illos ipſos, qui ei primùm adhæſerant, breui, contrario edito decreto reſciuiſſe, quod cum eo de Anabaptiſmo ſenſerant.

Hieron.

IV

Sed iam, nè aliquid in apologia pro bono Eccleſiæ nomine, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fide deſideretur, rem totam à Vincentio Lyrinẽſi audire fuerit operę pretium. Is ergo in lib. *aduerſus prophanas hæreticorum nouitates*, cap. 9. cum Anabaptiſmi originem ſic retuliſſet. *Quondã igitur Venerabilis memoriæ Agripinus Carthaginenſis Epiſcopus primus omnium mortalium contra diuinum Canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morẽ, atque inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali inuexit, vt non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiã quibuſdam Catholicis occaſionẽ præbuerit erroris*, pergit ſtatim affirmare, quam conſtanter huic errori omnes quaquà verſum Sacerdotes reſtiterint: *Cum ergo ad nouitatem rei cuncti reclamarẽt: atque omnes quàquà verſum Sacerdotes pro ſuo quiſq; ſtudio reniteretur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes cum cæteris quidẽ collegis ſuis, ſed tamẽ præcæteris reſtitit, dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat.* Hactenus Vincentius velut præſcius, non neminem fore futurũ qui de cerebro ſuo confingeret, *Eccleſiam duobus, vel tribus tantum Epiſcopis reſiſtentibus in Anabaptiſmum abiiſſe*, de induſtriâ iteratis his locutionibus vſus: *Cuncti reclamarent, & omnes quaquà verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniteretur, & Stephanus cum cæteris collegis ſuis reſtitit*: vt abunde, & firmiter pro tota Eccleſia Dei Anabaptiſmum reſpuente fideiuberet aduerſus eos, quorum vbique cura in re hiſtoricâ paulò ſolertior deſideratur; vt vel hinc aperto capite totam Senecæ ſententiam alibi tantum inſinuatam proferre liceat: quippe ille lib. 4. qq. *naturalium*, illam ſibi in credendo conſuetudinem ineſſe dicebat, vt leuia figmenta facilius deuoraret, grauiora verò non itidem: *Qui me* (inquit) *vſque ad mendacia hæc leuiora, in quibus os præcidi, non oculi erui ſolent, credulum præſto*, certe et ſi alijs in rebus os præcidi facile patiemur, at in cauſſa totius Eccleſiæ, *oculos erui* ferre non poſſumus.

Vincent. Lyrin.

Seneca.

V

Nec hoc in loco, nè paritas, quã nobis Aduerſarij obtrudũt, vllo modo ſubſiſtat (præter dicta de vnanimi conſenſu PP. in exactiſsima Fidei regulâ aduerſus Arianiſmum, & Anabaptiſmum) obſeruare omiſerim, multum quidem intereſſe, vtrum Eccleſia, quæ velut corpus ſpiritu Dei animatum membris Epiſcoporum Eccleſiarum, Academicarum, ſacrorũ ordinum, Doctorũ, & ſcriptorum cõſtat per diuturna ſæculorũ ſpatia piã aliquã opinionẽ, ſiue doctrinam conſtanter retinuerit, ipſo potiſsimũ Romano Pontifice annuente: an verò breui tẽporis ſpatio aliquâ nubecula in aliquâ orbis plaga

tantùm per obumbretur: cùm ipsi, nè de firmitate suâ æternum duraturâ desponderet animum, fuerit iã olim à Deo prænunciatum: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui:* Isaiæ 54. *Isai. 54. vers. 8.* vers. 8. & apud eum Vatem velut rationem huius Dei nomine reddentem: *Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te, in camino paupertatis: propter me faciam, vt non blasphemes, & gloriam meam alteri non dabo,* Isaiæ 48. vers. 10. quibus manifestè signi ficatur: consultissima Deũ attentione semper prouidere, nè *Isai. 48. vers. 10.* persecutiones, siue tribulationes in Ecclesiam siue à tyranis, siue ab hæreticis commotæ, diuturniores, aut grauiores sint, quam vt ipsa, salua auctoritate, & maiestate sua ferre possit, vt argumento fuerit ipsum, non cædem, sed probationem, & correctionem intendere, quod imago argenti exacti, & probati satis indicat: sicut & in illâ persecutione Constantij Augusti, & in malignis illis Anabaptismi temporibus appareret: vtraque siquidem vexatio, velut argenti in fornace examinatio parum durauit, vt opportunè de vnaquaque ex persona Domini dici potuerit: *Ad punctum in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te.* Sed enim sapiẽter monuit Augustinus adhuc in hâc probationis fornace exsistente Ecclesia, omninò inter omnes cœtus, & prophanas Religiones altissimè eminere, quin de bona ipsius existimatione, & veritate quidquam imminueretur: sic enim ipse epist. 48 *ad Vincentium*, inquit: *Ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum: quando peccatores intendunt arcum, vt sagittent in obscuro rectos corde: Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.* Sic ille apud quem obserua hæc: *tunc in suis firmissimis eminet,* *Augus.*

A quibus affirmat, Ecclesiam adhuc, quandò obscuratur, sic in firmissimis suis, quibus innititur, eminere, vt nihil de pristino statu, & maiestate deponat quin in mediâ tribulatione, tamquam Regina eminenter cõsistat: Ad quem modum P. Gregorius de Valentia *in Analysi Fidei Catholicæ* lib. 6. cap. 4. post medium cum adduxisset Hilariũ lib. 1. *cõtra Auxentium* de temporibus persecutionis Cõstantij (cum illẽ *terroribus bonorum spoliatione, exilio, & omni crudelitate Catholicos vexaret,*) affirmantem, Ecclesiam tunc temporis non in tectis, & exteriori põpa, sed in carceribus, & spelunc is fuisse quærendam, sapienter ait: adhuc illo met tempore facile deprehendi potuisse à prudentibus rerum æstimatoribus potius apud afflictos, & oppressos, quam apud florentes, & Principes rerum Dominos veram fidem permansisse: quod illi qui tunc premebantur, omninò consectari viderentur, quod priores Ecclesiæ PP. & fideles magno consensu per diuturna temporum spatia tenuerunt. *Valẽtia.*

VI Subsistit ergo inuicta, & ineluctabilis, præfata ab Ecclesiarum, Vniuersitatum, Episcoporum, & sacrorum Ordinum auctoritate confecta argumentatio: itidemque ratio in eius gratiam adducta ex Concilio Calcedonensi. *Non possunt decem homines præiudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum;* quin opinionis minus piæ Auctores allatis exemplis, vel hilum proficiant: tùm quod planum fecerimus illa ab ipsis perperam, & tota historiæ fide reclamãte fuisse adducta, tùm vel maximè, quod inter ratiocinationem, vel ab illis, vel à nobis factam immensum intercedat discrimen: cum nos, dum Ecclesias, Vniuersitates, Episcopos, & ordines pro pia opinione allegamus, non vtamur hyperbolicis locutionibus, nec totum orbem terrarum pro exigua eius

portione

portione ponamus, nec paucas Africæ Ecclesias totam Ecclesiam appellemus, nec millenarium numerũ binariũ, vel ternarium faciamus, tot videlicet Episcoporũ millia, quorum meminit Augustinus, duos aut tres omninò fuisse affirmantes: nè nobis iure obiecerit Iob c. 13. vers. 17. *Num Deus indiget vestro mendacio?* Sed potius cum asserimus Cunctas Ecclesias, Vniuersitates, &c, singillatim illas in censum redigimus numerantes in Hispaniâ Salmanticensem omnium scientiarum Principem, Complutensem, Vallisoletanam, Valentinam, Cæsaraugustanã, Barcinonensem, Hispalensem, Toletanam, Granatensem, Saguntinam, Oscensem, Ouetensem, Compostellanam, Ossunensem, Oñatensem, Baezanam, & in Indijs Occidentalibus Limensem, Mexicanã: In Germaniâ, & Gallia, & alijs Prouincijs Colonien sem, Moguntinam, Parisiensem, Tolossanam, Louaniẽsem, Bononiensem, Cantabrigensem, Oxonien sem, & alias superius allatas. Ad quem itidem modum Ecclesias, Ciuitates, & earum Præsules singillatim numeramus: nec numerasse cõtenti, monumenta, & scripta, quibus conceptis verbis Mariam immaculatè conceptam perpetuo veneratu ros sese iureiurando constringunt, in medium proferimus: & cum omnes sacros Ordines immunitati Mariæ addictos referimus, singulos de proprijs nominibus, & characteribus designamus. Adhæc, quod caput est omnia hæc Ecclesiæ membra inuicẽ connexa inde firmius consistere affirmamus, quod suo Capiti, sedi videlicet Apostolicæ in caussa immunitatis Mariæ coniunctissima spiritum, & vigorem ab ipsa accipiant: Quis enim nõ videat, tũ quã sit prona Romana Ecclesia in Mariam immaculate conceptam? quæ de ea Festum solenniter celebrat? Quæ in eius fauorem benigna diplomata quotidie largitur? quæ indulgentias & gratias colentibus Deiparæ immunitatem tribuit? quæ contrarium opinantibus silentium serio indicit, ne quod animo gerũt exterius profiteantur? Tum etiam ab Ecclesiæ Romanæ auctoritate præclaram hãc membrorum omnium Ecclesiæ in Mariæ immunitatem affectionẽ signatè promanasse: benè id obseruãte Ferreolo Locrio lib. 6. cap. 1. his verbis: *Ecclesiæ Romanæ auctoritate accedente non modo in Lugdunensi Ecclesia, sed Gallia, sed Germania, sed Italia, Hispania, Europa ipsa deniquetota, immõ integro Christiano orbe eiusmodi solennitas Conceptionis B. Virginis obseruari cæpta est: & hactenus perseuerat.* Hæc ille: vt hinc nobis omninò affirmare liceat, cum Augustino lib. 7. *aduersus Donatistas*, cap. 53. *Nobis tutum est fiduciâ securæ vocis asserere, quod in gubernatione Dei, & Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est:* Iam ergo habentes tantam nubem testium itidem tutum erit fiducia securæ vocis asserere: *Non possunt decem homines præiudiciũ facere sexcẽtis Episcopis, Ecclesijs, Vniuersitatibus, & vniuersis sacris ordinibus, in quibus Ecclesia Dei, vt in firmissimis eminet.*

Iob 13. vers. 17.

Aug.

Opinionem minus piam diffinibilem non esse.

ADNOTATIO IV.

CVM nonnisi vna ex opinionibus, quæ Mariam immaculatè conceptam, aut affirmat, aut negat, inter fidei dogmata censeri valeat: facile quidem liquet ex tot, tantisque fundamen-

I

tis, quibus opinio pia innititur; cõtrariam nulla ratione esse diffinibilem quippè quæ à veritate, & à cõmuni sensu Ecclesię longius ti: Quare non pigebit vtramque opinionẽ ex grauissimorum Doctorum, qui hodierna tempestate florent, sentẽtia denuo pensitare, & vnam cum altera conferre: vt *purpura iuxta purpurã* melius iudicetur: vt est in prouerbio desumpto ex his Flauij Vopisci *in Aureliano*, verbis: *Meministis fuisse in templo Iouis Optim. Max. Capitolini pallium breue, purpureum lanestre, ad quod cum matronæ, atque ipse Aurelianus iungeret purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cæteræ, diuini comparatione fulgoris*: Nimirum si ad Regiam opinionis piæ purpuram ad eius inquam fundamenta ab Scriptura à Festi celebratione ab Ecclesia Romana inducti, à Concilio Tridẽtino, a PP. Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, ab Ecclesijs priuatis, & eorum Episcopis, ab Vniuersitatibus totius orbis, à cunctis sacris Ordinibus: & ab omnibus omninò huius ætatis Scriptoribus, & à communi sensu, & voce totius populi Christiani petita adiunxeris contrariæ opinionis rationes: adeò debiles, & leuidenses videbuntur, vt cineris specie decolorentur diuini comparatione fulgoris.

II

Enimvero sub hoc sensu opportunè capies, quæ de Deiparæ ornamentis dicuntur ab Sponso cœlesti illis in verbis Cant. 1. vers. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: nam à Ruperto ibi hũc in modum explicantur: *Idest ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo, & gratias agẽto Deo, quod sic fecit tibi, ita vt non sit locus, vbi vox laudis huius nõ audiatur*. Quæ ad celebrationẽ, & laudationẽ immunitatis à peccato originali relata pulchram habent epitasim in materia auri, & argenti, qua hæc laudationis ornamenta constãt: quippe aurum, & argentum inter cætera metalla maximè excellunt, quin à debita æstimatione, quę illis intrinseca est, vnquam cadant, & de auro signate dixit Plinius lib. 33. cap. 3. *Rerum vni nihil igne deperit, tuto etiam in incendijs, rogis durãte materia: quin imo quò sæpius arsit, proficit ad bonitatem*: quod plane alijs metallis non inest: vt hinc nõ importunè deprehendatur discrimen, quod inter vtramque de Deiparæ immunitate intercedit, opinione pia non modo a debita æstimatione nunquam cadente, sed etiã quotidie mirum in modum excellẽter crescente, & quò sæpius in disputationibus, & controuersijs, immo & in contradictionibus, & obiectionibus arsit, plus proficiat ad bonitatem, & plausum: Contra verò, opinione minus pia semper cadente, non secus ac eius metalli moneta, cui intrinsecus valor non subest, sed ab externo sigillo, siue figura impressa æstimationem habet, quæ quotidie in pretio decrescit, & sub eo ictu est, vt interdici timeat. Quod planè iudicium de vtraque opinione iam dudum tulit P Francisc. Suarez to. 2. in 3. part. disput. 3. sect. 6. hunc in modum. *Dico quarto, sentẽtiam asserentem B. Virginem fuisse immunem ab originali culpa consentaneam magis esse non solum rationi, sed etiã Sanctorum PP. doctrinæ, & Ecclesiæ auctoritati, &c. Quo circa iam hoc tempore existimo, sententiam hanc tã esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse potest. Quia re vera Xistus IV. plurimum illi fauet, cuius decretum Concilium Tridentinum approbat, & tota Ecclesia in illam vehementer inclinat. Quò fit, vt contraria nullo, vel firmo, vel satis apparenti fundamento iam niti possit.* Hæc Suarez.

Sed hæc mitiora, & indulgẽtiora sunt, si componantur cum ijs, quæ

III

hodierna

Vopisc.

Cant. 1. vers. 10. Rupert.

Plinius.

P. Suar.

hodiernâ die frequens grauiorum DD. sensus fert: Nã in primis DD. Petrus Perea Antistes Arequipensis à nobis adductus dissertat. 3. adnotat. 4. num. 8. omninò censet, opinionem piam adeò esse certam, & indubitatam, vt opposita iam nullâ ratione defendi possit: Deinde verò P. Iacobus Granado disput. 3. sect. 30. num. 343. probatus P. Ferdinando de Salazar cap. 43. §. 2. & alijs DD. absolutè affirmat, piâ de Deiparæ immunitate opinionem esse moraliter certam, & euidentem, ac proinde de eâ etiam enunciari posse: *Moraliter impossibile esse, vt falsa existat*: sicut è contrà de opinione minus piâ dici posse. *Moraliter impossibile esse, vt vera sit.* Quod rationum, & probationum momẽta, quæ piam opinionem suadent, talia, ac tanta sint, vt moraliter videatur impossibile ei doctrinæ, quæ tot tamque firmis fundamentis innititur veritatem non inesse. Nec contentus Pat. Salazar id inibi probasse; tandem ad calcem, §. 6. omninò affirmat, piam opinionem, ita esse certam, vt non solum moraliter, sed etiam physicè nequeat illi subesse falsitas. Vndè opportune Pat. Emanuel Rodriguez tom. 1. qq. regular. quæst. 57. art. 2. affirmat indiscretè agere Concionatores, qui cũ suggestu ad populum verba faciunt, illam appellant opinionem, cum potius *vera sententia, & verum dogma appellari debeat.*

Perea. Granad. Salazar

Eman. Roder.

IV Vides *Murenulas aureas vermiculatas argento?* quotidie magis politas, cultas, & pretiosas? audi iam quid de opinione minus piâ decernat P. Granado præfato loco num. 346. nempè illã ad eum iam statum deueniisse, vt nec opinionis nomen mereatur: tùm quia vt ea doctrina tempore S. Thomæ opinio re vera fuerit, & quamdiu non ita inuaserat omnium fere fidelium animis veritas immaculatæ Conceptionis, at modo in tanta claritatis luce, quæ nunc in Ecclesia eam celebrante clarescit, tam Auctores illius, quam eorum rationes exigua scintilla sint: & quidem teste Seneca *in tantâ claritate solis scintilla, non potest habere momentum*: tùm etiam quia, et si id opinio dici soleat, quod aliquibus viris doctis probabile videtur, & eo sensu opinio minus pia dici possit opinio: at enim illud potius appellari debet opinio, quod generaliter, & in plurimum censetur doctrina probabilis, eò quod non sint pro parte contraria vrgentissima argumenta, quæ multos conuincant, aut omninò ad illam affirmandam trahant. Quod planè in opinione minus pia minimè locum habet. Vndè Franciscus Suarez citato loco con. 3. inquit: *Vbi obseruandum est falsò Medinam docere Ecclesiam, vel Pontifices tradere, hanc opinionem esse probabilem, nusquam enim hoc dicunt, sed non esse erroneam, neque esse peccatũ mortale illam asserere. Quod valde diuersum est*: subijcit. *Adde, quod in vno tempore est probabile, discursu tẽporis posse improbabile fieri.* Hæc P. Suarez.

Seneca.

Suarez.

V Pro quâ PP. Suarez, & Granado sententiâ egregiè fideiubet ratiocinatio clarissimi Scriptoris D. D. Antonij Calderon *pro titulo immaculatæ Conceptionis*, cap. 5. §. 2. quam vide, illud vero addit Granado, quod minime prætereundũ est, Doctores, qui nostro sęculo docent Cõceptionem maculatam paucissimos esse; præsertim comparati cum vniuersâ fere Ecclesiâ, atque ei opinioni, siue placito ea propter adhærere, nè recedant à S. Thomâ, eo quod eius doctrinæ omninò, & in omnibus subscribere decreuerint. Quo in loco oportet meminisse doctrinæ illius Senecæ epist 33. lib. 3. dissert. 4. adnot. 4. num. 4. à nobis appictæ: *Omnes istos nunquam auctores, semper interpretes, sub alienâ vm*

D. Anton. Calderon.

Seneca.

brâ

brâ latitantes nihil puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere, quod didicerunt. Memoriã in alienis exercuerũt, aliud est meminisse, aliud est scire: meminisse est, rem commissam memoriæ custodire: at contra scire est: & sua facere quæque, nec ab exẽplari pendere, & toties ad magistrũ respicere. Hoc dixit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid intersit inter te, & librum. Quousque disces? iam & præcipe. Hæc ibi, sed illud opportuni⁹, quod subijcit. *Adijce nunc, quod isti, qui nunquam tutelæ suæ fiunt, primum in eà re sequuntur priores, in qua nemo non à priore desciuit.*

VI Vt hinc planum fiat opinionem minus piam à paucissimis vni tantũ S. Thomæ, aduersus tot, tamque efficacia argumenta, innitentibus, probabilem non esse, quod non tã paucissimi, quam vnus dici debeant: Non quidem quod vnus Angelicus Doctor ad opinionem probabilem immò & certam reddendam, nõ sufficiat, sed quod ea tempestate id scripserit (si tamen scripsit) cum *Ecclesia Romana oppositam sententiam non probabat* (verba sunt P. Granado num. 344. S. Thomæ addictissimi) *quando festum immaculatæ Conceptionis, non celebrabat, quando non cernebatur communis populi Christiani plausus, qui modo cernitur, & quando inuenta non erant, nec debito modo expensa tot Patrum illustrissima testimonia pro immaculata Conceptione.* Vndè quidem fit, opinionem à S. Thoma tunc probabilem, modo à diuersa rerum facie probabilitate destitutam: Quæ ratiocinatio opportuna instantia confirmari potest ex probabili olim opinione S. Thomæ 1. part. quæst. 102. art. 2. clarissimè affirmãtis cũ Aristotele torridam zonam pertransiri non posse, nullosque vltrra illam humani generis habitatores esse in America, quod planè mirandum non est tunc S. Thomam sensisse, quando Hispanorum industria, & propagandæ Religionis Christianæ zelus nondum quæsitissima nauigatione Oceani claustra reserauerant. Iam verò quis ambigat? nihil adeò improbabile esse, cum omninò repugnet apertissimæ veritati, non solum experientia innixæ, sed etiam diffinitionibus & litteris Summorum Pontificum, circa Ecclesias noui orbis, & earum Episcopos & ministros, necnon circa veram, & rationalem naturam Indorum: ergo quemadmodum tunc temporis S. Thomas Aristoteli adhærens probabiliter sensit, torridam zonam impenetrabilem esse, quod nunc nullam habet probabilitatem ingenti rerum, & experientiarũ mutatione facta: ita planè vt senserit (si tamen sensit) B. Virginem origi nali labi fuisse obnoxiam, modo versa rerum facie, & tot tamque firmis ab Ecclesia Romana, & Pontificum diplomatibus, & totius Christiani populi consensu fundamentis contrarium suadentibus, eius opinio firma & constanti probabilitate destituta videtur, quin tamen ideò S. Doctoris auctoritati aliquid depereat, qui si hodie in viuis esset, sententiam fore mutaturum pro egregia animi, & ingenij indole minimè dubitamus. vt iam in superioribus obseruauimus.

Granad.

S. Thom

Aristo.

VII Quibus sic constitutis, facilè apparet certum esse, quod proposuimus opinionem minus piam diffiniri ab Ecclesia non posse: quippè quę (vt dicebat P. Suarez) *nullo vel firmo, vel satis apparenti fundamento iam niti possit*: necnon, quæ (vt docebat illustriss. Episcopus Arequipensis) *nullà iam ratione defendi possit*, itidemque, quæ (vt P. Iacobus Granado P. Salazar, & alij affirmant) *impossibile est, vt moraliter non sit falsa*: tandemque, quæ ea probabilitate careat, à qua propria opinionis acceptio, & nomen sumitur, vt modo adstruximus. Nimirum cum à

Eccle-

Ecclesia cui Spiritus Sanctus (qui Spiritus sapientiæ est) adsistit, nunquã diffinierit, nisi quod verum est, aut quod apud homines sapientes, magis probabile, aut sin minus probabile est, qûi credi possit? ipsam fore inter dogmata fidei modo relaturã, quod apud sapientes viros nullo, vel firmo fundamento innititur, nec probabile videtur, & quod moraliter impossibile est, vt nõ sit falsum: Benè quidẽ hucintẽtus de Apostolicæ sedis determinatione, & iudicio in dubijs ferendo dicebat Gregorius Magnus relatus à Gratiano distinct. 35. quæst. 9. *Apostolitæ Sedis sententia semper consilij moderatione concipitur, patientiæ maturitate decoquitur, & deliberationis grauitate profertur.* Quâ ergo consilij moderatione conceptum, aut maturitate decoctum, aut grauitate prolatum videretur, quod moraliter impossibile existimatur, vt non sit falsum?

S. Greg.

VIII

Quidquod? ad consilij moderationem, & patientiæ maturitatem, nec non ad deliberationis grauitatem non modo pertinet, ea improbare, quæ speculatiuè, & ad leges Theologicas improbabilia videntur, sed illa præsertim, quæ prudentiæ, & œconomiæ practicæ iuxta prudentum hominum sententiam aduersantur. Quid autem huic Prudentiæ minus foret consentaneum, quam MARIAM maculatè conceptam Ecclesiæ proponere, vix videro, Ecclesiâ ipsa Mariam immaculate conceptã celebrante, & totum terrarum orbe *sapientibus, & insipientibus* (quibus Apostolus debitorem se esse profitebatur ad Rom. 1. vers. 14.) pleno applaudente, & in hanc sententiam pedibus, & manibus (vt dicitur) eũte, & contrarię exsibilante. Vel mihi dicito, quid nobis posset accidere, vel magis nouum, & insolens, vel quod fidelium animos, & viscera atrocius lancinaret? quam sentire reuulsam à nostris cordibus pietatem erga Deiparæ immunitatem? videre sublatam è fastis Ecclesiæ illibatę Conceptionis festiuitatem? abolita templa illi dicata? diruta Altaria? amotas imagines trophæum Virginis de peccato originali repræsentãtes? abrogatam fidem Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, & S. Mechtildis & alijs ab Ecclesiâ Romanâ, & ipsius Pontificibus probatis, & nostris animis altius imbibitis? irritas supplicationes, & preces per tot annos eontinuatâ pietate Pontificibus summis factas, vt de fide decerneret, Deiparam ab omni labe fuisse immunem? Audi quid hâc de re sentire visus sit Augustinus epist. 118. ad finẽ tom. 2. vbi cum præmisisset. *Faciat ergo quisque, quod in eâ Ecclesia, in quam venit, inuenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem sit, aut contra mores huius, vel inde meliores. His enim causis, id est aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel instituì, quod non fiebat:* subijcit opportunè: *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est perturbatione infructuosa, cõsequenter noxia est.* Ita Augustinus. Quæ ergo, si attendis, maior posset in Ecclesia perturbatio excogitari, quam ea quæ ad obsequium immunitatis Deiparæ spectant, quibus plenus est mũdus, sursum deorsum verti?

Rom. 1. vers. 14.

Augus.

IX

Non equidem ego illum de Diuina prouidentia in bonitate sentire crediderim, qui animum suum induxerit, vt credat accidere id posse: cũ vix dubitari queat, Diuinæ prouidentiæ, & Sancti Spiritus opus fuisse, piam de Mariâ immaculatè conceptâ opinionem adeò promouere, & fidelium animis ingerere, vt totus in eam mundus omnino pronus sit. Quis enim efficere potuisset, vt tot prouinciæ, tot Regna, tot nationes ingenijs moribusque diuersæ, multi-

tudine infinitæ locis,& temporibus distantes;& tot Scriptores, qui ad numerũ vix referri possunt, quique in alijs doctrinis,quæ ad fidem non pertinent interse valde dissentiunt, tantâ animorum consensione in hãc sententiam coirent;nisi diuinus ille spiritus cuius munus est dispersa colligere disiuncta connectere: quippe *quod est anima corpori*(inquit Augustinus serm.2.de feria 2.Pentecost.) *hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi,quod est Ecclesia:hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus mẽbris vnius corporis*. Vndè Tertullianus siue Nouatianus lib.de *Trinitate* de ipso scitè inquit:*Charitates nectit, affectiones constringit,sectas repellit*: Sic quidẽ ad rem nostram dicebat Gabriel Vazquez dissert.3.adnot.8.num.5. adductus.*Sanè hanc communem vocem totius populi,non sine Dei nutu, & peculiari prouidentia percrebuisse quis dubitet?*Nec aliter P. Francisc. Suarez præfata sectio. 6. conclus.1. hunc in modum.*Ad hæc vniuersali Ecclesiæ consensione paulatim recipitur,non sine magno animarũ fructu, nec sine motione(vt creditur) Spiritus Sancti,qui plenitudinem gratiæ Virginis,ita esse intelligendam sensim Ecclesiam docet*: De quo vide, quæ diximus prædicta adnot.8.Iam ergo, quî credi,aut excogitari possit? Diuinum Spiritum,qui per plura sæcula in hanc existimationem cunctos fideles,immo Ecclesiam ipsam induxit,atque perduxit; modo prorâ in contrariam partem versa oppositam opinionem tenendam,fore decreturum:Nonnè hîc locum omninò habebit,quod dissertissimus poeta dixit:

Quis putet,agricolam falces æstate parare.
Si ante velit, segetes igne perire suas?

Concludo si dixero commune Doctorum nostræ ætatis placitum esse, post institutam à Pontifice Summo festiuitatem de B. Virginis Conceptione,posse quidem Ecclesiã subsistere, quin piam opinionem diffiniat,at opinionem minus piam esse diffinituram nullatenus fore credẽdum.

A silentio imposito a Pontifice opinioni neganti Mariæ immunitatem,validum desumi argumentum: Ecclesiam pro ea opinione iudicium nunquã fore laturam.

ADNOTATIO V.

EST adhuc præter ea, quæ de silentio opinioni minus piæ imposito in superioribus diximus, maius aliquid in illo omni obseruatione dignum, quod vt MARIÆ immunitati maximè fauet,ita opinioni minus piæ omninò infensum est:nempè ex hoc silentio non vtrique opinioni,sed solummodo opinioni minus piæ indicto,libera facultate vocis facta opinioni piæ,satis opportunâ,& efficaci argumentatione concludi:opinionẽ minus piam ab eo charactere, quo Fidei veritates,& articuli insigniũtur abire;ac proinde non esse;cur ipsius DD.possint sibi iure polliceri, ad eum certitudinis gradum ipsam aliquando peruenturam,aut peruenire posse,vt inter Fidei veritates numeranda sit:immò verò sed potius si verè sapiant,certo sibi persuadere debent illam propediem à Romano Pontifice læthali theta fore inscribendam,quod non alium huius

belli

belli exitum hoc silentium portendat, atq; ominetur. Id vt efficacius probem, rem altius repetens præmitto (quod nemini dubium est) Ecclesiam non condere de nouo fidei articulos, seu veritates, quæ antea à Christo Dei Filio Apostolis reuelatæ non fuerint, cum ille ipsis quæcumque Ecclesiæ necessaria, & profutura arcana erant, differre manifestauerit: vti apud Ioannem cap. 15. versic. 15. sic protestatus dicitur: *Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* Quo opportunè facit Tertulliani sententia lib. *de præscriptionibus aduersus hæreticos*, cap. 21. vbi cum præmisisset. *Hanc igitur dirigimus præscriptionem. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum: alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit: quia nec alius Patrem nouit, nisi Filius, & cui Filius reuelauit, nec alijs videtur reuelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit.* Subijcit post nonnulla a nobis suo loco appingenda: *Solent dicere non omnia Apostolos scisse: eâdem agitati dementiâ, quâ rursus cõuertunt: omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse in vtroque Christum reprehensioni subijcientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integræ mentis credere potest? Aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, conuicta, quibus obscura quæque seorsim differebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret?* Hæc ille. Ex quibus manifestè euincitur, Ecclesiam dogmatum fidei fabricatricem non esse, sed reuelatricem, quæ alias a Deo reuelationes, non habet, quam quæ ab Apostolis accepit, quin credendum sit, plus à nobis à Deo reuelanda fore, quam quæ iam tunc illis manifesta fecit: Ergo hoc tantum ad Ecclesiam, & Romanum Pontificem Christi Vicarium spectat, vt fidelibus declarer, quid de Fide sit: hoc est, quid siue in sacrâ paginâ, siue in Apostolorum traditionibus cõtineatur. Vndè quidem certum apud DD. est præeunte S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. ea quæ ab Ecclesia pro tempore de Fide esse diffiniuntur: semper de Fide fuisse, quâuis ad sui assensum vsque ad id tempus fideles non obligauerint, quod non fuissent ab Ecclesia proposita, tamquam dogmata Fidei necessariò tenenda.

Ioan. 15 vers. 15.

Tertull.

S. Thom

II

Ex hâc ergo doctrina, quemadmodum planum fit, non posse alterutram ex opinionibus, quæ Mariæ immunitatẽ, aut defendit, aut negat inter dogmata fidei cẽseri, & de Fide esse absolute diffiniri, quin simul decernatur, ita nũc de fide esse, vt de fide etiâ semper fuerit, quãuis potuerit hactenus non credi, tamquã dogma fidei, quod ab Ecclesia inter fidei veritates non fuerit proposita: ita etiam ex silẽtio opinioni minus piæ à Pontificibus in dicto, animum non sine caussa inducimus, vt credamus, ipsam ad Fidei veritates minime pertinere, ea potissimum ratione permoti, quod à sæculo non est auditum, simile vnquam silentium à Pontificibus impositum fuisse alicui veritati Fidei, quamuis ab Ecclesia tunc nondum propositæ, aut receptæ, quo à publica luce exul facta silentij tenebris, nè dicã carceri fuerit addicta, quippe id nihil aliud esse videtur, quam proprium veritatis Fidei characterem, & natiuum splendorem dogmatum Ecclesiæ, qui in voce, & sermone maxime censetur (vt statim videro) ei adimere simulque non leuem ipsi pudorẽ, & timorem injcere: vt illa Ieremiæ verba satis aperte denunciãt cap. 8. vers. 14. *Sileamus ibi, quia Dominus silere nos fecit, & potum dedit nobis*

Ier. 8. vers. 14.

Pagnin. Vatabl. *aquam fellis.* vbi Pagninus,& Vatablus pro prioribus verbis reponebant *moriamur, & pereamus ibi.*

Cornel. LXX. Cornelius verò,& alij: *Expectemus anxij,& mæsti,* pro illis verò: *quia Dominus silere nos fecit,* LXX. legentibus: *quia Dominus abiecit nos,* & Paraphrasi Chaldaicâ: *Dominus pa defecit nos:* Quomodo enim non dicatur pudore affecta opinio minus pia, cui in iudicio litiganti silentiũ à iudice impositum fuit?

Tertull. cum *veritas nihil erubesceat* (vt dicebat Tertullianus in præced. adnot. adductus) *nisi solummodo abscondi*: quomodo non dicatur abiecta, quæ ad silentij tenebras relegata est? Domino præscribente, vt Fidei veritates in tenebris aliquando dictæ in publicam lucem excelsâ prædicatione, & voce grãdiore proferantur:

Matth. 10. v. 27 *Quod dico vobis in tenebris* (inquit apud Matthæum cap. 10. vers. 27.) *dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta,* idest (vt explicat Hilarius Canone 20. in Matthæum) *excelso loquentium præconio audiantur*: Sanè quia à charactere veritatis Fidei abire videtur, quod in tenebris delitescit: Pergit siquidem Hilarius.

Hilar. *Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prædicationis Apostolicæ reuelandum.*

III Hæc vt efficacissimè firmẽ; mõstrans quanti apud Romanam Ecclesiam fiat sermo,& facultas loquẽdi: itidemque quantum dedeceat Fidei dogmata silentium: peculiare quidem & egregiũ, atque per opportunũ Lectori exhibemus monumẽtum ex Concilio Lateranensi sub Martino I. depromptum: eodem S.

Concil. Later. Pontifice rẽ totam referẽte *consultatione primâ,* quę est eiusmodi: Vigente tũc temporis controuersiâ de vna, duabusve Christi operationibus, Paulus Patriarcha Constantinopolitanus parti nõ sanę addictus, cũ eam firmiter propugnare non valeret, vt suam infirmitatem commodius dissimularet, siue contegeret Imperatori Constanti persuasit, vt Typum, hoc est formulam fidei proponeret, quin vllam in illa, siue vnius, siue duarum operationũ Christi mentionem faceret, sed silentio vtrique parti indicto excitatã cõtrouersiam taciturnitate premi imperaret, vt eâ ratione publicæ paci consuleret. Quod re ipsa ab Imperatore præstitum fuit: & quidẽ (vt indidẽ S. Martinus PP. refert) præiuit Paulo Patriarchæ in eo consilio Imperatori dando Sergius eius prædecessor, qui itidem Heraclium Imperatorem impulit ad condendam *Ecthesim,* & silẽtij legem pro rixâ inter Catholicos, & Monotelitas cõponẽda, sed enim cũ res hęc ad Romanũ Pontificẽ tamquam ad Christi Vicarium, & supremum controuersiarum Fidei iudicem esset delata; tam ei, quam Catholicæ Ecclesiæ in Concilio Lateranensi legitimè congregatæ ea silentij lex vehemẽter displicuit, quòd vt paci Ecclesiæ maximè studerent, iniquam tamen pacis conditionem, siue coemptionem reputarent, veritatem silentio premere, quin in lumine, & super tecta diceretur, atque ideò in præfata Synodo Romana sub S. Martino *secretario* 5. *Canone* 17. à Pontifice, & PP. ita fuit præscriptum: *Scelerosus typus taciturnitate constringi mandans res nostras improbatur.*

Concil. Roman.

Hunc autem Romanæ Ecclesiæ sensum egregie ibi exposuit S. Maximus Monachus, & Martyr *in collatione, cum Principibus in Secretario.* Cum enim quidam Gregorius filius Photini Sanctum Maximum Romæ visisset, eique dixisset se ab Imperatore Constante de Ecclesiarum pace sollicito directum fuisse ad Romanum Pontificem cum muneribus, vt eum cum Præsule Constantinopolitano fœderaret, proposito typo, quo silẽtiũ

IV

vtrique

V

utrique parti de quæstione motâ indicebatur, Sanct. Maximus sic subintulit. *Impossibile, vt opinor, est hoc. Non enim patiuntur Romani auferri vnâ cum impuris hæreticorum vocibus luciferas Patrum voces, vel simul cum mendacio veritatem extingui, aut cum tenebris lumen pariter dissipari. Nihil nobis, quod adoretur, erit, si diuinitus ostensoram fiat verborum ablatio.* Respondente autem Gregorio. *Non ablationem sacrarum Typus efficit vocum, sed taciturnitatem, vt dispensemus pacem.* Sanctus Maximus sic illi obuiam iuit. *Est apud Diuinam Scripturam taciturnitas etiam demptio, Deus enim per Dauid dixit.* Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum Psalm. 18. versicul. 3. *Ergo nisi dicantur, & audiantur sermones, qui de Deo sunt, nec omninò sunt, secundum Scripturam:* Ita Sanctus Maximus. Et verò cum subinde Troilus Patricius, & Sergius Euphradas, itidemque Theodosius Episcopus argumentationibus Maximi duas Christi operationes adstruentibus conuicti, se eius sententiæ subscripturos profiterentur vnum tantummodo ab ipso exposcentes, *silentium vt omnes omninò pace mutuâ fruerentur:* Sanct. Maximus repetitis denuo ijsdem ex Vate verbis ad eorum dicta reposuit. *Silentium verborum, interemptio est verborum. Per Prophetam enim dicit Spiritus Sanctus.* Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; *Ergo sermo, qui locutione, non prædicatur, nullatenus est:* Subinferenti autem statim Troilo, atque dicenti: *Habe in corde tuo, vt vis: nemo te prohibet.* Maximus generosè respondit. *Sed non circumcluſit Deus corde totam salutem* Hæc omnia è Concilio Lateranensi sub Martino Primo.

S. Maxim. M

Psal. 18 vers. 3.

A

B

C

D

E

Ex his iam multiplex pro piâ de MARIÆ immunitate opinione conficitur argumentum, cui à Romano Pontifice libera loquendi facultas facta est; contrariæ sententiæ silentio indicto: Nam ex dictis primum obserua, quanti ab Ecclesia Catholica fiat in rebus diuinis liber, & expeditus sermo, & quam malè de silentio censeatur: nimirum præ libera loquendi facultate pacem respicit, pacem, inquam, quam ipsimet Martyrio præferre consueuit, Liberio PP. in epistola, *cum esset in exilio* scribente: *Probono pacis, & concordiæ, quæ Martyrio præponitur, his litteris conuenio vos:* atque ideo in præfato Concilio Sanct. Martinus, & PP. pacem quam Ecclesiæ Romanæ Legata Imperatoris offerebant, omninò despexit: *pacem non pacem* appellans eam, qua silentium, & taciturnitatem veritatem fidei illi homines comparare volebant, cum a silentio illarum splendor, & dignitas peritura foret: quod *nisi dicantur, & audiantur sermones, qui de Deo sunt, non esse videantur.* Certè (si attendis) hoc omninò sensu Paulus egregius veritatis propugnator; vt veteres Philosophos redargueret, quod probè conscij veritatis Dei, ideſt perspectum habentes, non esse deos, qui tales vulgò habebantur, & verum Deum, eiusque inuisibilia per ea, quæ facta sunt intellecta conspicientes: tamen externa specie sese vulgi sensibus accommodabant: prementes altissimo silentio veritatem, quam animo compertam habebant, pulchra imagine veritatis vinculis constrictæ, sic vsus est. *Qui veritatem Dei in iniustitiâ detinent.* Ad Roman. 1. versicul. 18 emphaticè inquiens sapientes illos, verum Deum ex creaturarum pulchritudine, & mundi elegantia cognoscentes, non simisse, hanc veritatem pectoribus ab-

Liberius PP.

Rom. 1. vers. 18.

ditam erumpere, & liberè exſilire, ac publicari, ſed detinuiſſet ipſam compedibus vinctam magnâ cum ipſius veritatis iniuria, atque adeò cum iniuſtitiâ, quòd iniurius in veritatem, & iniuſtus ſit, qui eam ſic alligat, & prodeundi libertate ſpoliat: cum veritas ſit, quid liberrimum, & nobiliſsimum, atque fortiſſimum, quæ prærogatiuæ a captiuitate, & vinculis maximè abhorrent: neque enim par eſt liberum hominem vinciri, & nobilem in neruo gemere, ſicut indignum eſt, & à fortitudine abhorrens vinculis, & compedibus arctari. Capeiam hinc quãtum abeat à charactere dogmatum Fidei opinio minus pia, quæ ſilentij vinculis detinetur, & à Summo Chriſti Vicario foras prodire impeditur. Conijcis nè ipſam nunc è Fidei veritatibus eſſe, quæ aliquando ab Eccleſia reuelanda ſit? Apage id in mentem alicui venerit, qui nullum in ipſâ veſtigium lucis, & vocis videre poteſt: *Cum ſermo, qui locutione, non prædicatur nullatenus ſit.*

VI *S. Maximus.* Sed deinde obſerua pulchra illa verba quibus Troilo dicenti. *Habe in corde tuo, vt vis*, S. Maximus occurrit: *Sed non concluſit Deus corde totam ſalutem.* vt dixerit, à ratione veritatis Fidei alienum eſſe: in corde circumcludi, cum de ipſius natura, & conditione ſit foras exire, & prædicari in lumine, aliter vinculis conſtrictam, nec pro nobilitate, & ingenuitate ſua tractatã cẽſeri. Quo mire faciunt tum Dauidis verba *Pſal.42 verſ.3.* Pſalm. 42. verſ. 3. *Emitte lucem tuã:* in quibus manifeſtus lucis, & veritatis nexus elucet, tùm egregium Põtificis ornamentum: quod erat Rationale pectori illius impoſitum: cui duo illa inſculpta erant. *Vrim, & Thumim*, hoc eſt *illuminatio, & veritas*, Exodi 28. v. 30. *Exo.28. verſ.30.* ſiue vt LXX. transferunt *manifeſtatio, & veritas*, vt argumento foret, non ſatis eſſe, veritatem in corde Pontificis circumcluſam haberi, ſed debere publicum exquirere, & externa illuminatione manifeſtari. Vbi non omiſerim obſeruare, ab hoc Hebræi Pontificis ornamento per ſolenne rituum ſacrorum ab Æthnicis adulterium (de quo Tertullianus, Iulius Firmicus Arnobius, & alij PP. ſæpe expoſtulant) videri dimanaſſe Perſarum Oreimaſdem ex veritate tamquam anima, & luce, tamquam corpore compactum: ſic enim Oreimaſdis illius in Perſicis commentarijs celeberrimi compagem exhibet Ioannes Stobæus ſermone 9. Et quidem Veritati habenti rationem animæ aptè circumfunditur lux pro corpore, tùm vt præferat imaginem eius, qui de ſe ipſo dixit: *Ego ſum veritas*, Ioan. 14. verſ. 6. qui apud Vatem dicitur: *Amictus lumine, ſicut veſtimento*, Pſalm. 103. verſ. 2. tum etiam vt ſignificetur oportere veritatem clauſam, ſiue in corde circumcluſam non eſſe, ſed amictam lumine ſicut veſtimento, vndequaque conſpicuam elucere, & manifeſtari, quandò quidem *omne quod manifeſtatur, lumen eſt.* Ad Epheſ. 5. verſic. 13. Quæ ſanè manifeſtatio congruenter adumbratur ſymbolo corporis, quod foris apparet, indeque non abs re elicitur, veritatem ſilentij vinculis, ſiue tenebris detentam ad inſtar ſpectri eſſe: cum quãdiù in viuis ſumus, ſi anima corpore nudata inter nos verſaretur, haberetur proſpectro, atque hac de cauſſa opportunè compoſuiſſe Ambroſium lib. *de Noe, & arcâ*, cap. 19. vt in ſuperioribus vidimus ſapientiam & veritatem cũ columba ramũ viridis oliuæ ore præferente Gen. 8. v. 11. *Eo quòd virtus, & ſapientia in ſermone ſui habeat claritatẽ*, nec importunè accómodari opinioni minº piæ illud Iob 13. v. 19. *Tacẽs cõſumor:* ſiue vt LXX. *Nunc obmuteſcam, & deficiam*, vel vt habet Pagninus *moriar:*

Epheſ.5. verſ. 13.

Genes.8. verſ.11. Iob 13. verſ.19. LXX. Pagnin.

Stobæus

Ioan.14 verſ.6. Pſ. 103. verſ.2.

riar: nempè vt lucis, & veritatis, ita silentij, & mortis nexus est.

VII Certè in eo, qui de se dixit: *Ego sum veritas*, quique *amictus* apparuit *lumine sicut vestimento* certatim omnes Euangelistæ obseruarunt, nõ aliter amictum carnis exuisse, quam sublatissimã vocem daret, atque inde ipsius Centurioni velut de facie innotuisse: sic enim Marcus cap. 15. *Marc.* 15. v. 39 vers. 39. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quod sic clamãs expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat*: Quod factum, & eam de ipso Centurionis vocẽ, sic extulit Theophylactus, ibi: *Theoph.* *Videns autem Centurio, quod tam potenter, & tamquam Dominus mortis expirasset*: ab elatâ & clarioni Christi voce eius potentiam, dominium, & maiestatem subinferens. Pergit verò Hieronymus; & vt à voce morientis, Domini Diuinitatem, ita a taciturnitate moriẽtium, eorum infirmitatem sic arguit *Infirmatâ carne mox virtus diuina inualuit, quæ dicit* Aperite mihi portas iustitiæ: *Psalm.* 117. *Nos autem cum nullâ voce morimur, qui de terrâ sumus: ille autem cum exaltata voce expiranit, qui de cœlo descendit*: Hæc ille. Quæ per accommodationem elatæ piæ opinionis voci, & silentio opinionis minus piæ opportuna sunt: dum illa cui character, & specimen veritatis inesse videtur, *Hieron.* vocem magnam, & elatam habet hæc verò, quæ terræ inhæret, & terram sapit. *Cum nullâ voce moritur.* Cui cogitationi iuuat adiungere Ambrosium sermon. 19. in Psalm. *Ambr.* 118. appositè elucidantem ea Vatis verba. *Clamaui in toto corde meo*, quasi iustitiæ, & veritati adeò magna vox insit, vt ipsimet mortui vociferentur, & clamẽt: eorumque sermo sublimis, & excelsus sit. Audi. *Magna vox iustitiæ: magna est vox Castitatis, per quam, & mortui loquuntur, nec solum loquuntur, sed etiam sicut Abel clamant*: post quæ verba subditum aliorum vocibus nihil inueniri *sublime, nihil magnificũ, quale eorum, quorum sonus in omnem terram exiuit, & verba in fines orbis terrarum.* Hæc, & plura Ambrosius ibi, ac si indice designaret opinionem piam de Mariæ immunitate, cuius sonus in omnem terram exiuit, atque eã ab opinione minus piâ discriminaret, in quâ nihil sublime, nihil magnificum est: eâque de causâ *cum nullâ voce moritur* in corde circumclusa.

Sed vt reuertar vnde sum tantisper digressus: vt videris opinionem minus piam non habere eum characterem, & notam veritatum Fidei, qualem in opinione piâ planè videmus; obserua in Pontificis Hebræi vmbrâ *Vrim, & Thummim*, siue illuminationem, & veritatem in pectore gestantes, Romani Pontificis personam veritates Fidei reuelantis, & Ecclesiæ manifestantis, & sapientiæ Diuinæ vicariam vocem, & potestatem habentis: & vero cũ de Diuina sapientia sæpesæpius dicatur: *Foris prædicare, in plateis dare vocem suam in capite turbarum clamitare, in foribus portarum vrbis proferre verba sua.* Prou. 1. vers. 20. & c. 8. vers. 1. simul etiam dicitur, cum hâc vocis elatione coniungere manus extensionem. Prou. 1. vers. 24. *Vocaui, & renuistis, extendi manum meã*: qui quidem gestus, eius omninò est, vt ibi ex Scripturæ locis monet P. Salazar num. 155. qui silentium imperat, vt Actuum 2. vers. 17. de Petro dicitur: *Annuens autem eis manu, vt tacerent*, & cap. 13. vers. 16. *Surgens autem Paulus, & manu silẽtium indicens*, & cap. 19. vers. 33. *Et manu silentio postulato*: Quæ omnia ad viuum exprimunt Pontificem Summum vnâ ex parte facultatem faciẽtem, vt opinio pia foris prædicet, in plateis det vocẽ suã, in capite turbarũ clamitet in foribus portarũ vrbis proferat verba sua: ex alia vero silẽ

VIII

Prou. 1. *ver.* 20. *& c.* 8. 1.

Prou. 1, 24.

Salazar Act. 2. 17. *& c.* 13. 16

tium opinioni minus piæ imperantẽ & publicam ipsi vocem adimentẽ, & in silentij tenebras ablegantem: vt inde facilè de singularum opinionum charectere, quæ nam scilicet è duabus existimetur inter dogmata Fidei censenda, coniectura sumatur, quin nulla nobis de re superſit dubitatio, eam tandem veritatem manifestandam, quæ nunc manifesta, & manifestata est, quæ dicitur in lumine, & prædicatur super tecta, itidẽque opinionem minus piam nũquã inter Fidei veritates censendam, cui Romanus Pontifex, qui in pectore gerit manifestationem, & veritatem ductorem habens Spiritum Sanctũ vocem ademit, absoluteque præscripsit nè diceretur in lumine, nec prædicaretur super tecta; ipsamque ad silentij tenebras, & squalorem remisit: *Cum silentium verborum interemptio sit verborum, & sermo qui locutione, non prædicatur nullatenus sit*: vt ex Romano Concilio, iam vidimus.

A

IHS

DISSERTATIO VLT.

DE PRÆSENTI MATVRITATE, & opportunitate diffinitionis opinionis piæ.

SVMMVM PONTIFICEM ABSQVE CONCILIO Generali, validè, piè ſapienter, atque prudenter poſt tã diutur num tamque accuratum examen, iam adhibitum poſſe hodierna die diffinire, Piam opinionem de Deipara immunitate ad Fidem pertinere.

ADNOTATIO I.

1 POntificem Summũ, verbi gratia SS. D.N. Innocentiũ quem Deus Opt. Max. annos Petri incolumem videre A faciat: ſe ſolo ſine Concilio generali in doctrinâ fidei populo Chriſtiano tradenda errare non poſſe, inter Catholicos, extra omnem controuerſiam eſt, quippe cui claues ſapiẽtiæ, & ſcientiæ tamquam Petri in Cãthedrâ ſucceſſori, & Chriſto Sapientiæ Patris Vicario traditæ ſunt. De quo DD. ſignatè vero quotquot de B fidei rebus controuerſias, & quæſtiones conſcripſere, multi ſunt: videſis S. Thomam 2.2.q.1.art 10. & *S. Thom* eius Commentatores Caietanum, *Caietan.* Valentiam Banez, Aragonium, & *Banez.* alios: itidemque Cardin. Bellarm. *Valent.* lib.4.de Summo Pontifice cap.3.P. *Arag.* Franciſc. Suarez de fide diſput.5.ſe- *Bellar.* ction.3.P.Iacob.Granado contro- uerſ.1.de *Fide*, tract.7. diſp.2.ſect. 2.P. Caſtro Palao tom.1. tract.4. diſput.1.puncto 5.§ 2. Apud quos DD. duæ huius doctrinæ rationes frequentiores ſunt: altera: Petro & eius ſucceſſoribus promiſſam Diuini Spiritus aſsiſtentiam, nè in fide deficiant; necnon, nè Eccleſiæ niſi quod verum fuerit, credẽdum proponant: altera Pontificem ſuperiorem Concilio generali, ſiue ſupra illum eſſe (quod ſatis oſtendit Bellarmin. lib.2.de auctoritate Concil.c. 23.& P.Granado citato loco diſp. 5.) Quare cum Concilium generale poſsit decernere, quid ad Fidẽ pertineat, quid non: manifeſtè euincitur, Pontificem, qui Concilio ſuperior eſt, potiori ratione id poſſe determinare. Vndè Leo X. Lutherum merito damnauit, quod de Pontificia poteſtate ſecus ſenſerit: vt conſtat ex eius Bulla, quæ habetur tom. 5. Conciliorum: Quæ optimè con- *Suarez. Granad. Caſtro Palao.*

firmant

S. Anastas. firmant S. Anastasij verba Nicolao Pōtifici scripta, & à nobis in procemio huius libri adducta: Nam cum præmisisset. *Neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque clauigero cœli, absque curru, & aurigâ spiritualis Israelis, absque Vniuersitatis Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium Arbitro aliquid consummetur, aut diuulgetur:* omninò ad rem subijcit. *Tu enim tenes claues Dauid: tu accepisti claues scientiæ. In Arcâ quippe pectoris tui Tabulæ testamenti, & manna cœlestis requiescunt. Tu enim, quod ligas, nemo soluit, quod soluis nemo ligat: qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei.* Hæc ille.

II Sed & illud etiam certum est (vt hoc eodem lib. differt. 1. adnotat. 1. num. 8. ostendimus) Adhoc vt à Pōtifice diffiniatur: doctrinam aliquam ad fidem pertinere, illud exigi, vt veritas supernaturalis sit, quæ ad Ecclesiæ vtilitatem spectet, ac fideliū pietatem fouere valeat: quæque vel in Scripturis, vel in traditionibus Ecclesiasticis contineatur, & frequentiori Doctorum sensu probetur, cōmunique Christiani populi plausu excipi videatur: præsertim si vel cœlestes Reuelationes pijs personis factæ, vel miracula ijs ad quos pertinet, probata supradictis accedant, quin sit necesse, vt hæc omnia simul concurrant, sed satisfuerit, vt præcipua ex ijs adsint: Nam de Scripturæ testimonijs, nullus ambigendi locus est: de traditionibus vero absolutissimè dixit Chrysostomus hom. 4. in epist. 2. ad Thessalonicens. *Est traditio? Nihil quæras amplius:* Reuelationes autem viris sanctis factæ tā tū habere momentū, inde constat, quod Pius Pōtifex primus celebrationē Paschæ de quâ ingēs inter Patres fuerat concertatio, reuelationi Hermeti factæ innixus induxit, vt

Chrysost.

præter alios affirmat Ambrosius Catharinus lib. 4. contr. Caietanum vbi cum dixisset: *Emergunt aliquādo in Ecclesia aliæ quæstiones inter Catholicos, quæ aut non habent Scripturarum testimonium pro quâuis parte, aut licet habeant, propter variè opinantes, & rem non valde apertā, non satis tamen apparet: & nihilominus imminet decidendi necessitas ad sedanda schismata. Cum ergo id accidit nō dubito, quòd præter ea, quæ de Scripturis accipi possunt in argumentum, Pontifex posset ad determinandum alijs momentis impelli: puta à more diuturno Ecclesiæ, vt de baptismo paruulorum,* subijcit: *Item à reuelationibus etiam priuatim factis, seruis tamen, & ancillis Christi, necnon à signis, & miraculis. Quare Pius Pontifex primus illam tam magnam inter Catholicos controuersiam de celebratione Paschæ determinauit, motus procul dubio à Spiritu Sancto, & nihilominus reuelationem induxit factā Hermeti.* Hæc Catharinus. Similiter etiam in Seniorum, ideſt Episcoporum auctoritate, & cōsilio, itidemque in Doctorum Ecclesiæ sententia maximum momentum esse satis superque ostendimus dissertat. 2. adnotat. 5. & 6. præscribente Innocentio PP. I. *Quod si in omnibus his inspectis huius quæstionis qualitas, non lucide inuestigatur, seniores prouinciæ congrega, & eos interroga, &c. Ver° enim repromissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conuenerint super terrā in nomine meo, &c.* dicenteque Magistro Cano. *Quidquid Episcopi fidelem populum docent, quoad Christi fidem attinet, verissimum est:* Ad quem modum tam ipse Canus, quàm P. Gregorius de Valentia inibi philosophantur: sic namque aiebat Valentia *indefiniendis controuersijs fidei concordis etiam sententia Doctorum omnium idcirco haberi ratio debet, quia quod illi vnanimi consensu circa Religionem tra-*

Cathar.

Innocen. PP.

Canus.

Valent.

dunt,

dant, infallibiliter verum est. Pergit multis: De consensu quidem Christiani populi, de quo ea in dissertatione adnotat. 7. singillatim egimus, sic dicebat Benedictus Iustinianus in cap. 1. epist. 1. Ioann. num. 54. *Iustinia.* *Constat olim eiusmodi populi consensum Antistitum auctoritate firmatum viros pietate insignes in Sanctorum numerum retulisse,* & Thomas *VVald.* VValdensis adnot. 8. num. 1. adductus. *Ecclesiam, cuius est determinare doctrinam fidei testimonium commune fidelium non excludere, sed includere.*

VII Ex quibus ita constitutis planum fieri videtur, Summum Ecclesiæ Romanæ Pontificem tutissimè, & magna cum Sapientia, & Prudentia, atque ad veræ pietatis, & Religionis normam, nec non iuxta legitimam, atque perpetuam Ecclesiæ consuetudinem posse hodierna die piam de Deiparæ ab omni labe originali immunitatem inter Fidei articulos collocare, propterea quod (si res verè, & pacato animo æstimetur) vix vllũ reperiatur fidei dogma in quo antequam, vt tale Ecclesiæ proponeretur, maiora auctoritatis præsidia, & grauiora rationum momenta reperta fuerint, quam quæ opinio de Mariæ immunitate pro se habet, cum omnia quæ seorsim sumpta ad doctrinam aliquam diffimendam valeant, in eam collecta concurrãt, vt in toto hoc lib. 5. videre est, & vero præter Scripturæ testimonia, quæ iterum repetere non est opus, à festo Conceptionis ab Ecclesiâ inducto efficax à Pontifice Summo argumẽtum sumi posse, sic adstruit Laurentius Aponte in cap. 1. lib. Sapientiæ *Apont.* vers. 5. hom. 8. num. 120. *Hunc sensum euidenter colligere potest Pontifex ex celebratione festi, quod iam per totam Ecclesiam, sine vllâ tergiuersatione sub titulo immaculatæ Conceptionis celebratur, sicut Gregorius XV. mandat.* Ab Ecclesiarum vero cultu Patres ipsos Concilij Tridentini pœnè fuisse permotos, vt immunitatem Deiparæ ad Fidem referrẽt ita affirmabat Ambrosius Catharinus à nobis allatus dissert. 3. adnot. 4. num. 2. *Cathar.* *Cumque eò iam peruentum esset, vt de peccato originali ageretur, plerique ex PP. admonebant, optimũ esse, atque opportunum speciali Decreto eam sentẽtiam de immaculata Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorsus Ecclesijs celebratur, & colitur, ita probari, ac statui, vt iam vlterius non liceret cuiquam de resecur, vel asserere, vel opinari.* Reuelationes etiã B. Brigittæ de Deiparæ immunitate à Deo factas nemo sine iniuriâ vertat in dubium, cum à tot Pontificum approbatione, & cõfirmatione subsistere, suo loco viderimus. Cõsensum verò populi Christiani, & oculis videmus, & aũribus tractamus. De quo sic aiebat P. Gabriel Vazquez tom. 1. in 3. part. disput. 117. cap. 6. *Vaz.* *Accedit demum cõmunis consensus omnium fideliũ per quorum animos vna demptâ familiâ Dominicanorum, ita hæc opinio peruasit, vt nullus ab eâ dimoueri possit. Dico autem hũc esse sensum totius populi Christiani, non solum rudis, & ignari, sed etiam DD. Academiarũ, vt nulla sit, in quâ opposita sententia vllo modo defendi permittatur.* Et eodem ductu P. Benedictus Iustinianus post verba num. præced. adducta inquiens. *Iustinia.* *In hâc verò re ita fideles afficiũtur, vt si quis aliter sentiat, & loquatur, non leues excitet inter fideles perturbationes, offensiones, & scãdala.*

VIII Firmat id auctо censu P. Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 4. quæstion. 2. puncto 2. hunc in modum, *Valent.* *Quæ cum ita sint, non solum his tam multis nominibus meritò censeri debet Ecclesia Catholica in hanc potius sententiam propendere, sed eò etiam, quod propter hæc præiudicia fideliũ, & maximè Sedis Apostolicæ facil*

limè

limè fieri poteſt, vt tota prorſus Eccleſia fidelium nullis exceptis perſuadeat ſibi, veram eſſe hanc ſententiam, id quod ipſe quidem arbitror aliquando futurum: etiam ſi fortè hæc ſententia expreſſe quidem nunquam ab Eccleſia diffiniretur. Quod ſi accideret, iam eo ipſo redderetur hæc ſententia ſecũdum fidem certa: ſiquidem ex Fide certum eſt, Eccleſiam totam non poſſe errare perſuadendo, ſibi aliquam ſentẽtiam, quæ pertineat ad pietatem, & cultum Religionis, vt docuimus tom. 3. quæſt. 1. de fide puncto 7. §. 16. Pergit ſtatim noſtro inſtituto per opportunus. *Sed nunc quidem ſatis nobis ſit, quod ob has conſiderationes, quas propoſuimus cenſeri poteſt hæc ſententia de Immaculata Virginis Cõceptione eſſe ſententia Eccleſiæ totius in quadam ſaltem potentia proxima.* Hæc ille: In quibus primum omninò obſeruo, ſcripta ab Auctore fuiſſe ante quinquaginta annos in quibus opinionem piam potiſsimum floruiſſe, & maiora in dies incrementa habuiſſe videmus, conſpirantibus nouo ardore in ipſam Epiſcopis, Vniuerſitatibus, Ordinibus, Regibus, & populis, non quidem, vt pridem ſolum, ſed ſignatè noua, & peculiaria pietatis in Mariam immaculatè conceptam argumenta exhibentibus, vt fere dici iam poſsit (quod P. Valentia ſapienter arbitrabatur aliquando futurum) totam prorſus Eccleſiam fidelium nullis exceptis, perſuadere ſibi veram eſſe hanc ſentẽtiam.

V Nec contra hoc fuerit, Dominicanam familiam ab hac ſententia ire: cum in primis non ipſa tota eat, pluribus ex ipſa ijſque ſanctiſsimis nobiſcum ſentientibus, vt lib. 4. diſſert. 9. adnot. 2. vidimus: immò verò imbi ſuo ipſis Manualli admonẽte, vt de opinione minus pia ſuſtinenda iam non curarent, & præterea peculiari Statuto ordini ſub Generali Hieronymo Xauierre præſcribente: *Nè quis audeat in publico prædicare, vel docere, quod B. Virgo fuit concepta in originali peccato propter ſcandalum fidelium*: itidemque P.M. Ioanne de Fenario Dominicani Ordinis Generali affirmãte: *Antiquiores Magiſtros, quanto magis docti, & quanto magis ſancti eſſent, tanto magis piam ſententiã vltro amplexaturos*: Deinde vero, quod vtvt id fuerit, Eccleſia *non eſt coloris vnius iſta pictura, nec in vno habitu emicat tanta diuerſitas*, vt dicebat S. Pacianus diſſertatione præcedenti adnot. 2. adductus, itidemque, quod (vt & decem illis Epiſcopis Ægypti recuſantibus ſubſcribere diffinitioni eiuſdem Concilij Calchedonenſis, non ſine mordaci aceto reſpondit Achatius Epiſcopus, qui Cõcilio aderat: *Eccleſia Dei prouincia Ægypti maior eſt, & fide dignior.* & Concilium ipſum abſolutiſsime indidem pronunciauit: *Non poſſant decem homines præiudicium facere Synodo Sexcentorum Epiſcoporum*) nihil omninò toti fidelium cœtui in immunitatem Deiparæ conſpiranti obſtare, aut præiudicium facere poſſunt decem homines: vt ſatius præfata adnot. 2. expendimus: immò potiùs ſi ad acuta in diffinitione veniẽdum eſt, ſeruari debet Decretum illud Concilij Nicæni regula 6. ab eodem Concilio Calchedonenſi probatum: *Si communi omnium conſenſui rationabiliter probato, & ſecundum Eccleſiaſticam regulam ſtatuto duo alij, vel tres per contentionem ſuã contradicant, diffinitio obtineat plurimorum.*

Sed enim vt vndequaque conſtet, quod initio propoſuimus Pontificẽ Summum ſumma, cum prudentia, & ſecuritate immunitatem Deiparæ ſanctiſsimis almæ fidei placitis adſcripturum, foreque Diuinæ illi ſapientiæ, quæ ex Romana Sede oracula reddere conſueuit maxime cõgruum veritatem iſtam, quæ in Virginis

S. Pacia.

Concil. Nicænũ Concilio Calched.

VI

ginis gloriam tantopere cedit, Orbis Christiani plausibus dare: iuuat eum in modum rationis calculos ponere, vt depositis partim studijs litẽ eò transferamus, vbi subducta oculis altercandi præcipua materiâ nõ de hypotesi, sed de thesi iudicium feratur. Finge ergo, oportere modo, vt aliqua doctrina, quæ componendis moribus idonea sit, ab Ecclesiâ Romanâ supremæ decisionis stabilimento firmetur: Quid tunc fore existimas Pontificij muneris? nè quid nisi sancte, prudenter, & summo cum consilio peragatur? nec sacratissimæ illius cortinæ recessus quos nisi cautissimo pede, multæque speculationis face nefas est adiri, in publicum referentur? Crediderim, cordatum quemque id fore dicturum. Roget Pontifex cunctos Ecclesiarum Antistites, quid de re sentiant: Imperet circumferri quæstionem per Academias omnes, vt eius momenta iustâ disputationum lance librentur: Consulat Religiosorũ sapientissimos cœtus: exploret: an actis retro temporibus, cœlum piam aliquam animam diuinâ circa rem reuelatione erudierit: auscultet tandem Dei vocem: hoc est vocem populi, atque concentũ. Quod si hæc omnia conspirare, quin eorũ nihil discrepet, deprehenderit: si Christianæ Reipublicæ vniuersi status candidis lapillis ei suffragentur doctrinæ, Summus tunc veri Arbiter, in cuius pectoris arcâ tabulæ testamenti, & mannà cœlestis requiescunt, qui tenet claues Dauid, & accepit claues scientiæ, auctoritatem, quâ valet, stringat, indubitatamque illi fidem accersat. At qui prudẽtissimus quisque, ita satis prudentiæ legibus agendum minimè negabit: nam quis sanæ mentis Supremi Iudicis censuram culparet post tam sedulæ, tamque exquisitæ prouidentiæ apparatum? Quis autumaret, immaturo consilio illum actum fuisse ad dirimendam litem impellẽtibus tam robustis, ac solidis testimonijs? Auderet nè aliquis hæsitare? aut iniectâ formidine populorum fidè retardare? nisi ille forte, qui ad morem Caluini crediturum negaret, donec cœleste ei diploma Angelicis manibus exaratũ exhiberetur? Planè, nisi atrociter erro, & me mei digiti fallunt, nemo vllus. Neque enim apparet, quid vltra necessum foret, aut ad permouendum Pontificis animum, aut ad eius consilium probandum: nam si reflectamus oculos ad perpetuam Ecclesiæ consuetudinẽ & verendæ antiquitatis mores (si tamen Concilia generalia excipiamus) plane constabit, Maiorum nostrorum prudentiam nunquam operosius examen ad promenda Fidei asserta expectasse.

Hoc posito redeamus iam ad argumentum nostrum, vt ratiocinatio tacta nemini sano, non probanda simillimæ causæ subseruiat: Ecclesiæ omnes, earumque simul Episcopi: Orbis celeberrimæ Academiæ, Religiosæ omnes familiæ inexperto vnquam conspirationis, & coniurationis ardore in templis, in scholis, in suggestis, in libris immunitati Deiparæ non modo subscribunt, sed plaudunt. Cœlum ipsum sanctissimis animis Mariæ immaculate conceptæ causam se suscepisse illustri reuelationum (quas Ecclesia subinde approbauit) testimonio contestatum est. Idem vbique gẽtium Imperatores, Reges, Principes viri, & populi omnes clamant, pro Dominæ suæ immunitate vsque ad sanguinem certaturi. Quid ergo tutius, sanctius, aut opportunius fuerit, quam hæc tãdem omnia ab Ecclesia probari? Sunt quidem fere omnia hæc è pharetrâ P. Iacobi de Granado deprompta, qui disp. 3. sect. 32. numer. 363. cum adductis pro Deiparæ immunitate omnis eruditionis, & rationum argumentis dixisset: *Veritatem*

VII

tem hanc tam firmis præsidijs iam esse munitam, totque luminibus illustratam, vt si Ecclesia velit, & expedire iudicet, possit nunc nostro etiam sæculo eam diffinire, & damnare cõtrariam, prætatam thesiam ita confirmat: *Posteriorem partem probo referendo doctos Theologos, & diligentes dogmatum Ecclesiæ inuestigatores (qui hanc nostram disputationem fortasse legere voluerint) ad libros scribentium controuersias aduersus hæreticos: ibi enim varia dogmata reperient definita ab Ecclesia satis prudẽti, ac vero iudicio, satis superque firmâ Scripturæ, & Patrum auctoritate. Et nihilominus testimonia sacræ Scripturæ, & Patrum, quibus nixa est Ecclesia ad eorum diffinitionem: non videntur, neque vrgentiora, neque clariora quam, quæ pro immaculatâ Conceptione decertant.* Quod cum ipse statim probasset ex varijs Ecclesiæ diffinitionibus, nempe infantibus infundi gratiã, & alias virtutes physicas in baptismo: characterem physicum imprimi à tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, Beatam Mariam fuisse sanctificatam in vtero: nunquam venialiter peccasse, glorioſam corpore, & animo cœlos ascendisse: subijcit: *Et tamen si Scripturæ, & Patrum testimonia consulantur, non inuenientur clariora, vrgentiora, & numero plura pro prædictis dogmatibus, quam pro immaculata Mariæ Conceptione. Sicut ergo potuit diffinire, & sapientissimè, prædictas veritates, indeque colligimus habuisse fundamentum sufficiens in sacrâ Scripturâ, traditione, & Patribus: ita posset nunc definire immaculatam Conceptionem: indeque colligeremus Sacræ Scripturæ, traditionis, & Patrum testimonia in recursu huius disputationis allata esse firmum fundamentum, vt illis ad prædictam diffinitionem niteretur.* Hactenus ille.

VIII

Quid ergo iam superst? Quid publicam pietatem priuat gaudio iustissimo? Quid totius Orbis clamores retũdit, nè sollicitatas toties Sacratissimi Censoris aures commoueant? Quousque velificantem tot secundis votorum, suspiriorumque ventis, Christianæ Reipublicæ nauim, remora parua tardabit, nè optatum littus attingat? Tanti nè sit dissona paucissimorum vox? Tam exigua nubes adultissimæ veritatis lumen obumbret? Vtinam eam cito dissipent puriores Diuini Spiritus auræ, vt intemerata cœli Aurora nullo læsa tenebrarum confinio, ceu denuò renascens iucundissimo splendore pectora nostra irroret.

AD SANCTISSIMVM D. N. INNOCENTIVM X. PRO OBTINENDA diffinitione immunitatis Deiparæ.

PERORATIO.

I

SVpereſt id modò, vt adoratis oſculo ſupplici Innocentij X. ter Optimi, ter Maximi Pontificis ſacris pedib°, ſanctitati ſuæ commune Chriſtianæ Reipub. ſuſpirium, anxiasque Regũ, & Regnorum preces ſiſtamus, exoremusque demiſsiſsimè, vt velit iam tandem Mariæ Conceptionis priuilegium ſupremæ ſententiæ oraculo ſancire, quandò id non modo ſapiẽtia, atque Religio exoptat, verum etiam ſollicitæ pietatis plauſus inclamat: Atque vt decẽtiori oratione vota noſtra profundamus liceat Innocentium Dominum Noſtrum ijſdem verbis affari, quibus S. Bernardus apud Innocentium ſuum, & ipſum Pontificem Max. modeſtiſsimà contentione ſic quondã agebat.

Bernard epiſ. 180

Iterum ſupplicatio: iterum preces, & decies repetitæ non deſinent. Non deſiſtimus, quia non diffidimus, Bonam cauſſam habemus, & æquum Iudicẽ: pari ſiquidem ratione precari modò non deſiſtimus, quia non diffidimus cur enim comprimamus erumpentes animo preces? aut ſilentium indixerimus flagrantibus votis? aut quid ſpem contrahat noſtram, nè fidenter Sanctitatis veſtræ nutum imploremus? Nempe optima eſt cauſſæ noſtræ conditio: tum verò Iudex æquiſsimus. Quid ni, optima ſit cauſſa innocentiæ Mariæ! ò nomen Auguſtum! ò vocem amabilẽ! quæ vel laxeis pectoribus ſuffragium extorqueat, cũ apud nos miraculoſo experimento etiam linguas infantium fecerit eſſe diſertas. Quis tantæ Reginæ in re tantâ partes agendas non obeat? Litemque illam vſque ad victoriam perſequendam non cẽſeat, quæ eius puritatem ſummæ certitudinis decore affici oportere, contẽdit? Neque vero aliquid Iudice, quẽ appellamus, æquius deſiderare poſſumus, maximè autem cum de innocentia res eſt, cuius ipſi patrociniũ, nomen quod gerit, & moribus rectiſsimis impleꝛ, omninò commendat.

II

Bernard epiſt. 199

Iterum ergo Bernardi ſecutus veſtigia cum ipſo clamorem illum ad Innocentium Pontificem denuo ſuſcito: *Vſque quò Innocentia tanta vexatur? & hoc viuo Innocentio?* Proh dolor! Mariæ Deiparæ innocentia infeſtæ opinionis obfirmatâ renitẽtiâ oppugnatur, nec ad ſedum valet emergere ſub malignâ dubitationis luce compreſſa, *& hoc viuo Innocentio?* Re quidem ipſâ nulla vnquam paſſa eſt tenebrarum confinia, verũ vt aſtra luminibus noſtris caligare videntur intercluſis ſcilicet radijs opacitate obiecta, quin verò illa ſuus nitor defecerit: ita certè nonnullis ceu quodam deliquio Mariæ innocentia laborat, quamquam ſanè diuina hæc Luna pleno ſemper orbe radiauerit. Ergo quis nõ doleat indigno næuo Deiparæ decus infici, vexarique immeritam, ſecundam à Numine innocentiam? *Et hoc viuo,* ac regnante *Innocentio?* Ferat igitur ſuppetias S. V. Aſtro non ſuis tenebris laboranti, ſed alienæ contentionis

Bernar. ep. 198. tionis nubilo: *Nulla meo iudicio* (pergit Innocētio ingerere Bernardus) *in coronâ vestrâ pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consueuistis oppressis.* Plures quidem virtutū vniones tergeminum Sanctitatis vestræ diadema opulentâ cælaturâ expoliunt, sed nihil in eo pretiosiore luce vibrat gratiusque oculos subiecti orbis demulcet, quam illa cura, quâ arctis in rebus constitutos instar parentis amantissimi fouet S. V. Spōte id profiteantur quotquot gētes ambit immensitas imperij vestri inter quas S. V. benignitatem suam, ac patrocinium summâ cum laude dispensat. Nec certè alio propius accedit ad Numen cuius potestatem vicariam procurat, quam tam liberali pietate. Ergo nè, quod in omnes diffunditur, vnius Deiparæ causam non contingat, quin purissimam eius lucem redimat ab immeritâ nube vestra protectio? quamdiu illius innocentia conflictabitur, quam ab omni prorsus nævo immunem, atque immaculatam esse oportebat, quæ in summi Patris Filiam, vt proinde. *Filia vitæ* à S. Dionysio Alexan. nuncupatur, & in Vnigeniti Dei Matrē *rebus omnibus creatis superiorem*, vt inquit S. Theocteristus: & in Diuini spiritus sponsam, atquè idcirco immaculatam vt dicitur a S. Gregorio Næocesarienſi electa est. Enim vero hisce pœnè necessarijs rationibus iam sibi reliquorū omnium studia, & calculos Mariæ causſa propitiauit, nisi tamen Apostolica Sanctitatis V. sententia supremam illi manum imponat nunquam se victricem, & sincerè fœlicē putabit.

S. Dion. Alexa. in ep. cōtra Paul. Samo. S. Theocteris. in Mæn. Græc. S. Greg. Næoc. ser. 1. de Annū.

III Sed & inde etiam, Beatissime Pater, *bonam causſam, & æquum Iudicem* nos habere potissimum euincitur, quod Ecclesiæ Romanæ partes signatè propugnamus, cui dudū solenne fuit, amoliri à Deiparâ omne prorsus originariæ labis vestigium.

Et quidem Xistus IV. Pōt. Max. post longum, ac publicum altercantis sapientiæ examen Conceptionis festum instituit, ipsamque Miræ, & Immaculatæ titulis exornauit. Institere Xisti vestigijs Alexand. VI. Innocentius VIII. Iulius II. Leo X. Adrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Iulius III. Paulus IV. Pius IV. Pius V. qui omnes Immunitatem Mariæ diplomatibus, edictisque suis asserendā suadēdāq; ita suscepisse videtur, vt vel hâc ratione vix Deiparæ, ac Apostolicæ Sedis causâ posit secerni. Xistus enim verò, non tantum Conceptionem Deiparæ celebrauit immunem, sed studio suo vlterius producto, tùm pretiosiorē Christiani ærarij partem in eos dispendit, qui illam colerent, tùm etiam seueritatem suam in illos strinxit, qui germanum huius mysterij sensū ex fastis suis expunxerant, vel minus propitia sententia de eius cultoribus fuerant opinati. Nouo robore id ipsum conualuit in Pontificatu Alexandri VI, qui in sinistros Constitutionum Xisti interpretes anathematis fulmen contorsit. Accessit item post Innocentium VIII. de quo nobis statim grandis sermo, Iulij II. confirmatio: nam is Pontifex ordinem Monialium Immaculatæ Conceptionis denuo confirmauit, & Moniales præsertim cohortatus est, vt peculiaria religionis obsequia illibatæ Conceptioni Mariæ impenderent. Leo X. hunc etiam cultum ad modum promouit, vtque fidelium animis ardentius studium inijceret, plurima beneficia illis indulsit, qui Mariam immaculatè conceptam sacris insculptam numismatis gestarent: immò & eum fauorem in eos voluit protendi, qui eas imagines religiosis, & pijs luminibus aspicerēt. Adrianus VI. suscepit Sodalitium Toletanum purissimæ Conceptioni sacrum illudque per totam Hispaniam propagari concessit. Cle-

Xistus IV.

Alex. VI.

Iuli⁹ II.

Leo X.

Adria. VI.

mens

Clem. VII. mens VII. officium Immaculatæ Conceptionis à Cardinali Quignonio concinnatum proprio diplomate confirmauit, atque inter Romanas preces inseruit. *Paulus III.* Paulus III. subscripsit omnibus priuilegijs, quę Romani Pontifices contulerant in sacras Virgines Immaculatæ Conceptionis titulo nuncupatas additis alijs liberalitate recenti, quod etiam *Iul. III* Iulius III. & Paulus IV. secuti sunt. *Paulus IV.* Pius IV. plenariæ remissionis peccatorum pretiosissimum indultum cūctis impertiuit, qui luce Conceptioni *Pius IV.* MARIÆ dicatà templum S. Frāncisci de Alcannices inuisant: at verò *Pius V.* Pius V. edito diplomate cautus est nè vllum robur excideret Xisti IV. extrauagantibus, quæ ipse Pontifex appellat *saluberrima Decreta*: præterea autem cum recusauerit in Romanæ Ecclesiæ fastos admittere sanctissimæ Virginis Præsentationē, propterea quod eâ tempestate non adeò liquido de eâ constabat, Conceptionis tamen festum præcepto sanxit, quod hactenus agi, vel omitti pro gentium arbitrio poterat, actum illud Breuiario, & Missali Romano in nouâ reformatione adscripsit, eo consilio, vt iam non arbitrario, sed necessario cultu celebraretur vbique, consultoque Responsorio Octauo *Conceptio Sancta* diceretur. *Clemens VIII.* Clemens VIII. auctoritate sua suscepit Catheciſmum Cardin. Bellarmini, in quo conceptissimis verbis asserit, ab originali næuo immunem fuisse Deiparam: *Paul. V.* Paulus V. Antecessorum in Sanctissimam Virginem obsequia trāsgressus, cōtrariæ opinioni publicum silentium imposuit: *Gregor. XV.* Gregorius autem XV. altius eam iussit obmutescere, quando quidem illius asseclas, non modo publicè de ea loqui vetuerit, sed nec permiserit mussitare priuatim.

IV En Beatissime Pater, quam *bonam* nostram *causſam* effecerint tot Summorum Pontificum, tam lucu-

lenta patrocinia. Quod si Sanctitati Vestræ placeat in Pōtifices Innocentios præ cæteris oculos referre: suggeret eorum recordatio vehementiores stimulos MARIÆ immunitatem amandi. Habeat ergo S. V. ob oculos VII. & VIII. Innocentiū, vtrumque in illam non perfunctoriè pronum. Nam prior è Cathedra proscripsit sententias quasdam Ioānis Montesoni aduersus Conceptionis munditiam oblatrantis, eumque palinodiam Parisijs canere, palam coegit. Posterior verò ordinem Monialium Immaculatæ Conceptioni deuotum confirmauit Pontificio diplomate, illisque de industria candidum amictum præscripsit, qui suo candore Mariani Conceptus puritatem, & mūditiam referret. Ipse præterea, vt sensum suum prorsus exponeret, præfato ordini id Breuiarium ad preces designauit, in quo disertissimè pronunciatur Deiparæ Cōceptio *Immaculata: absque labe originali, purissima, præseruata, Sancta, gloriosa, Beata.* Proteget quidē Innocentius Maximus Innocentiorum causſam, suamque itidem aget, si quorum nomen gerit eorum singularem in Deiparæ immunitatem sectetur pietatem. *Hæc nos exempla* (inquiebat Athalaricus Rex apud Cassiodorum) *ſummonendo semper accendunt. Quia magnus verecundiæ ſtimulus eſt, laus parentum, dū illis non patimur eſſe impares, quos gaudemus auctores,* & iterum idemmet Princeps alibi: *Minus cogitāt, qui obſcuris Principibus, & verſatis in mediocri actione ſuccedunt. Nos talis præceſſit, vt exquiſitis virtutibus eius ſequi veſtigia debeamus.* Inclytus Sanè Princeps Alexander Seuerus magnum Antonini nomē, cui maiorū virtus clarissima multū venerationis adiecerat à Senatu minime coacto obsequio sibi oblatum prudentissima modestia recusabat, sapienter existimans ea nuncupa-

Innocē. VII. *Innocē. VIII.*

Cassiod. lib. 9. Variar. ep. 22. & lib. 8. ep. 3.

tione impositum iri sibi onus grauissimum virtutes,& grandia gesta eorum imitandi,quorum augustum nomen referret.Ita aiebat. *Nè quæso P.C. nè me adhanc certaminis necessitatem vocetis,vt ego cogar,tanto nomini satisfacere,cum etiam hoc ipsum,licet peregrinum, tamen graue videatur:hæc enim nomina insignia,onerosa sunt.Quis enim Ciceronem diceret mutum? Quis indoctum Varronem? Quis impiũ Metellum?* Verum enim vero Sanctitatis Vestrę alia conditio,alia fors est, cui certaminis necessitas fugiendi potestatem eripuit,nec recusationi aditus patet.

Albino nanus.

Impositi te alto fortuna, locumque tueri
Iussit honoratum:iam graue perferonus.

Non enim solum Orbi Christiano sanctitatem vestram præfecere, & fors cœlestis,& nostra fœlicitas,sed eo etiam inaugurauit nomine,quod sacrorum heroum egregijs luminibus olim inclaruit, in quibus hæc laus prima emicuit,quod à Deiparæ innocentiâ amouere conati sunt originalis delicti labem,vt proinde ipsos merito dixerimus Innocentios, qui tanto nomini satisfecere. Pergat ergo S.V.sese ab Innocentij nomine.& onere cœlitus dato exoluere:atque ei plenè satisfacere,illã maxime Pontificum Innocentiorũ gloriam vestigando,quam illi à laudabili patrocinio innocentiæ Mariæ consecuti sunt. Nec tamen spebus nostris satisfuerit, Sanctitatem Vestram Innocentiorum nomẽ explere,nisi nouum aliquid eorũ pietati superponat:meminerit que Innocentium se Decimum esse,vt pro numeri istius perfectissima conditione,quod alij Innocentij cæpere, ad fastigium vsque vltimo complemẽto perducat.

V Verum,Sanctissime Pater,vix aliud est,quod magis securitatem nobis faciat de nostræ caussæ conditione existimandi bene, quã quod dum humili prece V. Sanctitatis aures sollicitamus ad decernẽdã Deiparæ immunitatem,aliquid simul inde obtinendum exposcimus,auidioribus etiam,quam Martyrium ipsũ, votis expetendum:pacem nimirum & concordiam,quæ cunctorum fidelium animos amico fœdere connectat.Nè verò cum hæc dicimus ab æquo exerrasse videamur, non ea nostra sententia est, sed sanctissimi Pontificis Liberij,qui paræneſim facturus ad resarciendum non nihil charitatis vinculũ,ita proloquitur. *Liberius PP.*

Pro bono pacis,& concordiæ, quæ Martyrio præponitur , his litteris conuenio vos: Tanti scilicet ducebat Pacem,sanctimonia perinde,ac doctrinâ egregiè ornatus Pontifex.Eã ergo nos quoque cunctis votis auemus,eam Pater Beatissime.gemina tis clamoribus iterum,atque iterum precamur.

Nulla salus bello,pacem te poscimus omnes. *Virgil.*

Patiatur igitur Sanctitas V.ex ingrato belli intestini tumultu,quo tot iã annis in sensu,& sententia de Deiparæ immunitate inquietamur,fideles hoc Pacis publicum votum in conspectum suũ venire,&Orbẽ Christianũ discordibus opinionum motibus concussum ad quietem,quã tãtopere studet,reuocare pergat. Sic erit vt aureũ Pontificatus S.V.æuum pacatissimos orientis Ecclesiæ mores referat:vt sicut priscis fœlicibusque illis tẽporibus dissimiles gentes,varia ingenia, veluti in vnam mentẽ confuderat fœlix concordia , eamdem S.V.animorũ,mentiumque vnionẽ reuehat ad ætatẽ nostrã:quãdo quidem *multitudinis credentiũ erat cor vnũ,& anima vna*, vt inquit Lucas Actuũ 4.v.32.ipse vero Græcè scribẽs(& ab eo Cyprianus) signatè animorum,& sententiarum coniunctionem copulauit reponẽs *Act.4. vers.32. Cypria. lib.3.testimon.*

erat

erat cor vnũ, & vna mẽs, vt inde posteros admoneret ægrè fidelibus tore *cor vnũ*, nisi eadẽ mens eadẽque sententia ineſſet: nã (vt Conſtantino Auguſto ingerebat Nazar.) *profectò nulla vi poſsũt coire, quæ naturali mẽtiũ diuortio diſsidẽt, nec vlla tã fidelis eſt copula, quæ in diuerſum tendẽtia nexa ſuo teneat.* Hinc quidem aduerſæ ſententiæ patroni volũt, Deiparæ Cõceptionẽ obſcuratã fuiſſe originalis noxæ deformiſsimâ nocte, ſeruilis notæ turpes characteres Auguſtiſsimæ Dominę frõtẽ inuſiſſe: Libertatis humanę auſpicẽ habitã à dęmone in vinculis aliquãdo tetri carceris infamiâ limina tetigiſſe, quã ſibi corporatum Numen deſtinauerat in Aulã. Nos verò ex aduerſo cõtendimus, illã in Cõceptione ſuâ intaminatâ niue cãdidiorẽ fuiſſe ſolari puriorẽ radio: liliũ *cãdidiſsimũ in medio ſpinarũ à Dei ſapientiâ inuentũ, cœleſte prodigiũ* a naturæ legibus ſubductũ, Aurora cõſurgentẽ, *in quã Sol iuſtitiæ lucis ſuæ radios copioſiſsimè tranſfudit.* Quæ maior vnquã diſſenſio altercantiũ mortaliũ ingenia diſcreuit? *Poteſt nè in tam diuerſis mentibus pax, aut amicitia eſſe?* vt aiebat Romanus ſcriptor.

VI

Dudum quidem S. V. ſanctiſsimis Maioribus in votis fuit, malo huic mederi. Nã vt ſupra memorauimus Xiſtus IV *graue nimis, & moleſtũ* ſibi eſſe, alio detorqueri feſtũ Cõceptionis à Romanâ ſede inſtitutũ, quã fuiſſet Eccleſiæ mẽs, in nõ bonos interpretes pœnis, ac minis detonuit. Incaſsũ tamẽ. Vndè Alex. VI. iterũ geminatis terroribus illos fulminauit, quin tamẽ ipſos ad mitiora pacis cõſilia adegerit. Idcirco Pius V. grauiſsimè vetuit, nè de Deiparę immunitate vltro, citroq; diſceptaretur vulgari ſermone, & in vtriuſq; ſexus cõcionibus: At etiã fruſtra. Adiecit Paulus V. vt ſilentij frænũ inijceret minus piæ ſentẽtiæ ſectatoribus in publicis cõcionibus, & diſputationibus, vt quoniã hinc diſcordiæ, & rixæ pullulabãt; eâ ratiõne diſ-

Nazar. in Panegyri. ad Conſtãt.

S. Abbas. Dionyſ. Areop. Bernar.

Salluſt. in bello iugo.

Xiſtus IV.

Alexã. VI.

Pius V.

Paul. V

ſenſionũ fibræ amputarẽtur: Sed non fœliciore euentu, quippè qui prohibẽte imperio palã facere verba nõ poterãt, in priuatis colloquijs cõpreſſi animi impetũ omnẽ fundebãt, fortius erũpente incendio inſtar occulti terræ viſceribus ignis. Graſſantẽ in dies licẽtiã ferre nõ potuit Gregor. XV. quare eâ lege ſilentiũ illis iniunxit, vt nec priuatim eos ſermones poſſent vſurpare impune: ſeueroque illos præcepto cõpellens, vt expuncta *Sãctificationis* voce, cuius vmbrã inuenerant ad eius ſenſum cõtegendũ inuolucro vocis incertæ in oppoſitũque vrgentis, *Cõceptionẽ* in diuinis precibus expreſsè nominarent: vt videlicet ſubeodẽ vocabulo vniuerſorũ animi, ſententiæque coirent, ſed omnia tandẽ fruſtra. Quod planè nemo rerũ prudẽs magnopere nõ miretur. Cui enim vel in mentẽ veniret? tot, ac tã robuſtæ auctoritatis cõſilia ad pacẽ poſt limino reducendã, euellendaque rixarũ, ac cõtentionũ ſemina excogitata, euentu fore fraudanda? Quis nõ putaret tã blandis illecebris Põtificiarum curarũ inuitantibus demulcẽdos aduerſæ opinionis Auctores, vel certè flectendos eorũ animos, vt a ſentẽtiâ quã nec ſtylo poterant profiteri, nec ore, quãque nõ vnum impoſiti ſilentij fulmen afflauerat, prudẽti demũ deſperatione diſcederent? Cũ ſolus hic pacis, & cõcordiæ prætextus quondã potuerit obſtinati Neſtorij duritiem frangere, extorquereque nefariæ eius menti diſceſſum à ſententiâ, quâ diù mordicus tenuerat: rem ſic referente Socrate lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 33

Socrates

His rebus ſic tũ perturbatis, & cõfuſis Neſtorius, cũ cõtentionis peſtẽ latius in vulgus emanare intelligeret, pœnitẽtiâ adductus Mariã, Deiparã vocauit, ſic elocutus, Dicatur Maria Deipara, & offenſiones animorũ ſedẽtur.

Gregor. XV.

Porrò Ferdinandus II. Imperator Auguſtus pietate prudentiſsima cõpulſus apud Vrbanũ VIII. S. V. præde-

VII

cessorem proximũ hâc potissimũ ratione vrgebat supremũ hoc de Immunitate Deiparæ iudiciũ, quod tot Sũmorum Pontificũ prouida sedulitas irrito semper conatu tentasset extrema pœne molimina pacis reparandę. Iuuat hic appingere Religiosissimi Principis litteras datas die 3. Ianuarij anno 1624. sunt hæ met. *Sanctitati V. cõstat de intemeratâ Cõceptione Beat. Virginis quæstiones ab annis pœnè trecentis inter Theologos agitatæ quemadmodũ in rixas, & animorũ dissensiones, in scandala, & Religionis Catholicæ ludibriũ abiuerint: neque Summorũ quidẽ Pontificum sapienti iudicio adhibita moderatio, & Priuilegia in fauorẽ illibatæ Cõceptionis ante sesqui sæculũ cõcessa, neq; anniuersaria festiuitas in Ecclesiâ recepta, rituq; solenni peragi solita altercãdi libidinẽ, prout varia sunt hominum ingenia, inhibere potuerit. Supersunt etiã nunc monimenta optimorũ conatuũ quibus S.V. Prædecessores in hoc ipso particulari erga purissimum Spiritus Sancti tabernaculum mentẽ, atque affectionẽ suã declararunt: etsi decisionem, cui velut Diuinæ Vniuersa merito Ecclesia acquiescat, ad perpetuandã fœlicissimi Pontificatus memoriam S.V Oraculo reseruasse videãtur. Quam proinde non perfunctoriè, sed per amorẽ Virginis castissimæ Dei Genitricis Patronæ nostræ singularis quanto possumus affectu rogamus, vt pro auctoritate sibi diuinitus concessâ sanciat, atque determinet, ab originali etiam culpâ omnino fuisse immunẽ, quã purissimã næui omnis expertem Matrem diuinæ gratiæ, & super omnes choros cœlitum exaltatam veneramur.* Quæ cum scripsisset optimus Imperator, ex illis opportunè nostro instituto inferebat: *ita futurum haud dubie, vt disputationum argutiæ, & contentionum feruor subsidat, atque cum omniũ applausu Immaculatæ Cõceptionis celeberrima festiuitas Summi Pontificis iussu, Imperatoris rogatu eâ de hinc solennitate peragatur, nè cui fidelium vlla, vel dubitãdi, vel altercãdi occasio superesse possit.* Hæc quidẽ Sanctiss. Pater, ex verò dicta fuisse ab Imperatore Augusto ipse euentus testatur. Nam, vt modo diximus, post tot curarum impendia quibus Romani Pontifices per longissimã annorum serẽ pacandis fidelium animis incubuerunt, nihilo melius sese res habuerit, sed vt est in Prouerbio, *cũ multum laborauerimus, itidem vt antea sumus* à mentibus videlicet infractis, seu inuictis semper recrudescẽte morbo, quin vlla pacis, & concordiæ spes superfit, nisi quæ S.V. Clemẽtiam suspicientibus statim oboritur.

VIII

His illud maximè accedit, quo Ferdinandus Imperator religiosam Augustissimi pectoris solicitudinem expressit: verendum nempè, nè hæc tam vehemẽs sentẽtiarũ discordia, *nõ modo in rixas, & animorum dissensiones & scandala, sed etiam in Catholicæ Religionis ludibrium abeat,* nisi imminenti malo obuiam eatur maturo diffinitionis consilio. Et quidem in promptu est timoris caussa. Nam cũ vnâ ex parte Assertor Noster mutuã charitatẽ Ecclesiæ, & posteritati suæ ceu quoddam symbolum reliquerit; siue illos admonente: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem,* siue alibi hunc in modum cum Summo Patre loquente: *Non pro eis, rogo tãtum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti:* & post modum: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus:* extrema hæc verba sic exponente Theophylacto. *Nam sicut & Deum admiramur, quia non est seditio, neque pugna in naturâ eius, & maxima ista gloria est, ita & illi (inquit) hoc loco â concordia fiant clari:* priora verò ita diffundente Chrysostomo. *At qui miracula orbem terrarum allexerũt,*

Ioan. 13 *vers.* 35. *Ioan.* 17 *v.* 8. & *vers.* 22. *Theoph.* *Chryso.*

sed

ſed cũ dilectio præceſsiſſet, aliter nulla ſecuta eſſent miracula: hoc enim quam primũ eos, & bonos reddit, & benignos, quod ſcilicet vnus erat animus omnibus: quod ſi variæ fuiſſent ſententiæ omnia perdidiſſent. Ex aliâ vero ſi in fœlices illi, qui cum Eccleſiâ Chriſti bellum gerunt, Chriſtianã gentem ciuilibus diuerſarum ſententiarum armis interſe videant inſtar Cadmęi germinis collidi, enim vero acerbiſsimè in fidem noſtrã ludent, eamque maledico dente proſcindẽt: pergit ſiquidem inibi Chryſoſtomus: *Origen.* *Nã & nũc nihil gentiles ita perturbat, quam quod nulla eſt charitas. Sed & ſigna non fieri accuſant: non tamẽ itidem.* Hoc certè telum in Eccleſiam euibraſſe Celſum acerrimum Religionis hoſtem ex veteriſsimæ auctoritatis ſcriptore Origene conſtat lib. 3 *contra Celſum.* Ille enim cum in Sacrorum noſtrorum primis cultoribus quibus anima vna, & vna mens ſuberat, nihil inueniſſet, quod iure poſſet reprehendere, ad ea tempora ſeſe cõuertit: vbi iam flos ille pietatis, non nihil marceſcebat: Vndè in cunctos Chriſti fideles auſus dicere non erubuit. *Poſtquam autẽ latè ſparſi ſunt, iterum, atque iterum ſciſſos, ſingulis ſuas factiones ſibi parantibus, & vt in multitudine diſſonâ aliis aliosredarguentibus, nec iam quidquam præter nomen ſupereſſe.* Aufim dicere Sanctiſs. Pater hoc Catholicorum in re tantâ diſsidium, non leuem Eccleſiæ hoſtibus lætitiæ materiã offerre, nec alias ipſos nobis mentes optaturos, vti militibus ſuis in diuerſa ſciſsis, ſic *Corn. Tacit. lib. 1 hiſt.* exprobrabat olim Imperator Otho. *Si Vitellio, & eius ſatellitibus eligendi facultas detur, quem nobis animũ? Quas mentes imprecentur? Quid aliud? Quam ſeditionem, & diſcordiam optabunt?*

IX Enim verò, vel hac met de cauſſa ad Sanctitatem Veſtram maximè pertinet huic mentium diſsidio peremptorio remedio prouidere: nam cum Nauem illam, in quâ ſalus mundi vehitur: quippè quam Chriſtus Dominus conſtruxit calcandis tumultuantis vitæ procellis, inſinuandæque gẽti ſuæ in cœli portum, Sanctitas V. accepto à Summo Gubernatore clauo moderetur: niſi inter vectores, & nautas inuicem conueniat, futurum quidem erit, vt potius oneri, ac impedimento, quam adiumento fuerint, vt iam olim probè intellexerat Gregorius ille Nazianzenus orat. 32. vbi acerbiſsimis querelis mutua fidelium diſsidia lamentatus, demum conficit hinc eſſe, vt non adeò fœliciter, & ſecurè comitti prælium, cum fidei hoſtibus poſsit hunc in modum locutus. *Gregor. Nazian* *Quod ſi etiam nauclerus, & quidem peritiſsimus eſſem, atque hinc effuſũ mare in nos ſæuiret, ac circum nauim æſtuaret: hinc graui ſeditione vectores laborarent, alijque de aliâ re contenderent, atque & ſibi ipſis mutuo, & fluctibus obſtreperent, quamdiù tandem ipſe obluctari poſſem ad gubernacula ſedens, vt ſimul, & cum mari, & cum vectoribus pugnarem, atque ex duplici tempeſtate nauim ſine periculo eriperem. Quibus etenim omni ratione connitentibus, & adiuuantibus ſalutem tamen conſequi, difficile eſſet: iiſdem interſe diſsidentibus, & confligentibus, qui tandem fieri poſſet, vt nauis peſſum non iret?* Ita magnus ille Theologus: & quidem rectè Beatiſsime Pater: Nam hùc proculdubio ſpectat gnome illa Salomonis in lib. Sapientiæ, cap. 6. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt:* Græcè ſiquidem *ſtabilimentum* vſurpauit, pro bona conſtitutione, ſeu habitudine, qua corporis robur componitur, tùm etiam expreſsit eius firmitudinem, non ſine concordiæ, & mutuæ inuicem dilectionis neruis poſſe conſiſtere: nimirum Græca vox *dimu* cætum ſignificat, ſeu multitudinem coaleſcentem in vnum, pulcherrimaque amoris confuſione compactam: vt ex Regio præceptore optimam re- *Sapien. 6. v. 26.*

gnandi

gnandi artem cuncti Principes hauri-
rent, discerentque in eum potissimè
scopum collimare suis consilijs, vt
blandis iuxta, ac fortibus, concordiæ
catenis subiectæ sibi gentes connec-
tantur, atque adeò stabili obsequio
dominos suscipiant. A quo plane non
abit prudens monitum quo Mæcenas
fidus Augusti Imperatoris Admini-
ster illius animum imbuebat. *Optimũ*
ambitiosa certamina semper excidere,
atque adeò, nec nomina noua, aut ali-
quid ex quo oriri dissidia possint, per-
mittere.

X Excidat ergo, Pontificia ma-
nus Diuini Spiritus præsidijs munita,
hæc certamina, quæ vt Deiparæ im-
munitati infensa sunt ita Christianam
pacem perturbant: Nec fuerit quidẽ
illis habenda fides, qui vt moras ne-
ctant Deiparæ Immunitatem, non si-
ne Concilio Generali diffiniendam
volunt: Sanè, Beatissime Pater, *tuum*
brachium cum potẽtia. Firmetur ma-
nus tua, & exaltetur dextera tua: iu-
stitia, & iudicium præparatio Sedis
tuæ. Ita quidem Bernardus in re pla-
nè leuiori Innocentium Pontificem
grauiter loquebatur. *Quid vobis vi-*
res minuitis? Quid robur vestrum de
primitis? Quousque retunditis arma
fidelia militantia vobis? Humiliatis
cornua erecta vestræ virtutis, & sa-
lutis? Hæc ille Innocentio suggere-
bat. Eugenio verò itidem Pontifici
Summo, & in ipso Sanctitati Vestræ
brachij potentiam, & summi culmi-
nis auctoritatem ita ipsemet ob ocu-
los ponebat. *Age, indagemus adhuc*
diligentius qui sis, quam geras videli-
cet pro tempore personam in Ecclesia
Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Sum-
mus Pontifex. Tu Princeps Episcopo-
rum: tu hæres Apostolorum: tu pri-
matu Abel: Gubernatu Noe: Patriar-
chatu Abraham: ordine Melchise-
dech: dignitate Aaron: auctoritate
Moyses: iudicatu Samuel: potestate
Petrus: vnctione Christus. Tu es, cui
claues traditæ, cui oues creditæ sunt.
Sunt quidem, & alij cœli ianitores,
& gregum pastores, sed tu tanto glo-
riosius, quanto & differentius præ il-
lis nomen hæreditasti. Habent illi suos
adsignatos greges: singuli singulos, ti-
bi vniuersi crediti vni vnus. Nec mo-
do ouium, sed & pastorum tu vnus om-
nium Pastor, &c. Ergo iusta canones
tuos alij in partem sollicitudinis: tu
in plenitudinem potestatis vocatus
es. Iam vt audiuit S.V. brachij sui po-
tentiam ad excidenda certamina, au
diat etiam Vatem. *Consurge, consur-*
ge: induere fortitudinem brachiũ Do-
mini: itidem & Psaltem indidem. *Do-*
mine in lumine vultus tui ambula-
bunt. Quoniam gloria virtutis eorũ
tu es, & in beneplacito tuo exaltabi-
tur cornu nostrum: Sed & nos dice-
mus: *Beatus populus, qui sciet iubila-*
tionem. Ita enim fiet, vt Ouile, quod
Sanctitatis vestræ regimini Dei Fi-
lius concredidit, pulchram ipsius tes-
seram, & germanum stemma præse-
ferat; & S.V. Christiani Orbis stabili-
mentum, & columen fœlicissimè sit
ad maximam Numinis Diuini
gloriam, & Romanæ Eccle-
siæ perpetuum splendo-
rem, & firmita-
tem.

✣

Psal. 88. vers. 14.

Bernar. ep. 178.

Bernar. lib. 2. de cõsider. ad Eug.

Isai. 51. vers. 9.

OMNIA, ET SINGVLA IN HOC LIBRO SCRIPTA Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio subiecta sunto.

Omnipotenti Deo, & Sanctissimæ Virgini MARIAE absque næuo originali conceptæ, honor, & gloria, nobis autem confusio faciei.

Auctor pro mortis articulo, quem propediem præstolatur MARIAM Immaculatè Conceptam, Verbis S. Damasceni *in Menæis Græcis 9. Martij post Oden 3. de SS. Martyribus Sebastenis*, sic tota cordis deuotione, & animi demissione exorat.

Propter vltimi iudicij recordationem timore perfundor, & ad horribile, quod imminet examen contremisco: anticipitem quoque sententiã horreo, & supplicij magnitudinem pertimesco. Tunc scilicet auxilio mihi adsiste, ò Domina ab omnibus nauis intacta! meique patrocinium, quam ferentissimum suscipe. In te enim omnem spem repositam habeo, quamquam Tuus sim inutilis seruus.

FINIS.

✠ IHS

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVI IN hoc libro peculiariter elucidantur.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam deſignat.

Ex Geneſi.

CAP. 1. verſ. 2. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram, &c. pagin. 45. colum. 1. litter. D & pag. 712. 1. C. & 720. 1. E.*

2. *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, pag. 345. colum. 1. litt. C.*

3. *Fiat lux, & facta eſt lux, pagin. 89. 1. E.*

10. *Et vocauit Dominus aridam terram, 284. 1. D.*

11. *Germinet terra herbam virentem, & lignum, 164. 1. E.*

26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, pag. 20. colum. 1. C. & pagin. 33. colum. 1. A. & pagin. 40. colum. 1. D. & pag. 347. pagin. 1. D. & pagin. 19. colum. 1. D.*

27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, pag. 20. 1. D. & pag. 23. 2. B.*

31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, pagin. 284. colum. 2. A.*

Cap. 2. 7. *Fecit Deus hominem de limo terræ, pagin. 23. colum. 1. D. & pagin. 331. colum. 2. B. & pag. 463. colum. 2. A.*

7. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, pagin. 6. colum. 2. D. & pagin. 227. colum. 1. A. & pag. 348. 1. A.*

17. *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas, 193. 1. B.*

Cap. 3. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, pagin. 368. colum. 1. A. & pagin. 411. 2. B.*

8. *Cum audiſſet vocem deambulantis, &c. pag. 46. colum. 1. A. & pag. 62. 1. B.*

15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, 155.2.C. & 224.2.E. & 247.1.B. & 521.1.E. & 535.1.A.
15. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis*, 117.1.D. & 83.1.C.
16. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, 101.1.A.
16 *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas*, 349.1.B.
17. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes*, 349 1.C.
21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas*, 169.2.B. & 206. 2.A.
4.1. *Quæ concepit, & peperit Cain dicens: Possedi hominem*. 559.1.D.
5.1. *Hic est liber generationis Adam*, 254. 1.E.
6. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum*, 29. 1. C. & 433.1. A.
7.17. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam*, 87.2.D. & 627.2. D.
18. *Arca ferebatur super aquas*, pag. 87.2.A.
8. 11. *Venit ad eum portans ramum Oliuæ virentibus foliis*. 456.2.A.
11.5. *Descendit Dominus, vt videret Ciuitatem, quam*, 488.1.D.
16.3. *Tulit Agar AEgyptiam ancillã suam post annos*, 304.1.E.
21.12s *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, 101.1.B.
23.6. *Princeps Dei est inter nos*, 305.1. C.
26.18. *Rursum fodit alios puteos, &c. & appellauit eos*, 540.1.E.
27.27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni*, 322.2.C.
28.12. *Viditque in somnis scalam stantem, &c.* 116.2.C.
32.24. *Et ecce vir luctabatur, cum eo vsque mane*, 91.1.B.
24. *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora*, 426.2.A.
41.32. *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem*, 285.2.E.

Ex Exodo.

Cap.1.1. *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui, &c.* 98.1.D.
21. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis*, 417.1.B.
3.2. *Apparuitque ei Dominus in flamma*, 40.2.C.
4. *Solue calceamentum de pedibus tuis*, 14. 1.B. & 233.2.B.
7. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi*, 43.2.A.
14. *Ego sum, qui sum*, 42.1.A.
12.5. *Erit autem agnus absque macula*, 278.1.D.
12. *Et transibo per terram AEgypti nocte illa*, 176 2.B.
15.8 *Stetit vnda fluens, congregatæ sunt aquæ*, 85.2.A.
23.2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum*, 781.2.B.
24.10. *Sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini*, 431.1.B.
25.10. *Arcam de lignis setim compingite*, 738.1.B.
18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies*, 739.2.
31.18 *Dedit Dominus Moysi duas tabulas*, 267.2.A.
32.31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis*, 256.2.A.
35. *Mea est vltio, ego retribuam in tempore*, 180.2.E.
33.11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysem*, 481.1.D.
12. *Noui te ex nomine, & inueneisti gratiam* 97.1.E.
13. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo &c.* 376.1.E.
21. *Ecce est locus apud me, & stabis supra petram*, 178.2.A. & 377.2.B.
34.28. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies*, 316.2.B.
30. *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam*, 317.2.C.
35. *Sed operiebat ille rursus faciem suam*, 317.2.C.

36.6. *Nec vir, nec mulier quicquam vltra offerat*, 549.2.*A*.

Ex Leuitico.

Cap.2.12. *Primitias tantum eorum offeretis, ac munera*, 441.1.*A*.
21.11. *Ne super patre, aut matre contaminaretur*, 66.1.*D*.
22.12. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino*, 278.1.*E*.
26.13. *Confregit Dominus catenas ceruicũ nostrarum*, 251.2.*A*.
26. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, &c.* 181.1.*D*.

Ex Numeris.

Cap.11.17. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent*, 481.2.*D*.
19.2. *Præcipe filijs Israel, vt adducant ad te*, 222.2.*B*.
26.10. *Factum est grande miraculum, vt Core*, 83.2.*B*
10. *Aperiens terra os suum deuorauit*, 95.2.*C*.

Ex Deuteronomio.

Cap.4.24. *Deus noster ignis consumens*, 164.1.*B*.
17.12. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio*, 192.2.*B*.
21.12. *Si egressus fueris ad pugnum contra inimicos tuos*, 372.1.*A*.
25.4. *Non alligabis os boui triturãti, &c.* 452.2.*C*.
32.30. *Quomodo si persequatur vnus mille, aut duo fugarent*, 800.1.*E*.
37. *Vbi sunt Dij eorum in quibus habebant, &c.* 182.2.*C*.

Ex Iosuè.

Cap.3.16. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno*, 86.1.*A*.
17. *Omnisque populus per arentem alueũ transibat*, 86.2.*A*.
10.24. *Ite, ponite pedes super colla regum istorum*, 523.1.*D*.

Ex libro Iudicum.

Cap. 14. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, 529.1.*D*.

Ex Ruth.

Cap.4.11. *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel*, 417.1.*D*.

Ex lib.1. Regum.

2.1. Cap.1. *Dilatatum est os meum super inimicos meos*, 503.1.*A*.
8. *Domini enim sunt cardines terræ*, 508.1.*C*.

Ex lib.2. Regum.

Cap.3.1. *Facta est longa concertatio inter domum Saul, &c.* 417.1.*C*.
6.6. *Postquam autem venerunt ad arcã Nachon extendit Oza manum*, 452.1.*C*.
7.18. *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea*, 417.1.*C*.

Ex lib.3. Regum.

Caput. 3.26. *Nec mihi, nec tibi, sed diui datur*, 726.2.*E*.
6.7. *Malleus & securis, & ferramentũ non sunt audita*, 473.1.*D*.
6.33. *In introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos*, 493.2.*D*.
17.25. *Dixit ergo Elias Prophetis Baal: eligite*, 801.1.*C*.
22.34. *Vir quidam tetendit arcum in incertum*, 181.2.*A*.

Ex lib.4. Regum.

Cap.2. 19. *Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliseum: ecce habitatio*, 262.1.*B*.
20. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal*, 409.1.*E*.
21. *Egressus ad fontem aquarum misit in illud sal*, 242.2.*E*.
8.19. *Noluit Dominus disperdere Iudam propter seruum suum*, 402.1.*D*.

Ex lib.1. Esdræ.

Cap.6.11. *A me positum est decretum vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem*, 192.2.*B*.

Ex libro Iudith.

Cap.8.28.*Omnia quæ locuta es vera sunt*, 643.2.*D*.

Ex libro Esther.

Cap.14.11.*Nè tradas Domine sceptrum tuum ijs, qui*, &c.98.2.*B*.

15.13.*Ego frater tuus sum: non pro te, sed pro omnibus*, 196.2.*D*.

Ex libro Iob.

Cap.3.1.*Post hæc autem aperuit Iob os suum*, 470.1.*B*.

3.*Pereat dies in qua natus sum, & nox*, &c.268.1.*E*.& 355.2. *A*. & 375. 1.*B*.

9.*Expectet lucem, & non videat*, 92.2. *D*.& 125.1.*B*.

4.7.*Nã quando recti deleti sunt?* 257.2.*C*

8.*Seminant dolores, & metunt eos*, 70. 1.*C*.

18 *In Angelis suis reperit prauitatem*, 112.2.*C*.

10.11.*Pelle & carnibus vestisti me*, 165. 2.*E*.

12.2.*Ergo vos estis soli homines*, 803.2. *A*.

13.17.*Num Deus indiget vestro mendacio*, 811.1.*A*.

14.4.*Nullus mundus à sorde, nec infans cui vnius diei*.299.2.*B*.

15.14.*Quid est homo vt immaculatus sit* &c.168.1.*E*.

17.1.*Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur*, 462.2.*E*.

18.4.*Moueatur terra, & transferentur rupes de loco suo*, 592.1.*A*.

19.20.*Pelli meæ cõsumptis carnibus adhæsit os meum*, 474.1.*C*.

28.16.*Non conferetur lapidi Sardonycho pretiosissimo*, 329.2.*E*.

31.12.*Vsque ad perditionem deuorans, & vniuersa eradicans*, 315.1.*C*.

32.8.*Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur*, 547.2.*E*.

35.6.*Si peccaueris, quid nocebis ei?* 29.1.*D*

38.7.*Vbi eras cũ me laudarent astra matutina*, 80.2.*B*.& 426.2.*E*.

12.*Nunquid post ortum suum præcepisti diluculo*, 91.2.*D*.

Ex Psalmis.

Cap.2.7.*Filius meus es tu: ego hodie genui te*, 141.1.*B*.& 301.2.*A*.

8.6.*Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, 108.2.*D*.

15.6.*Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas*, 650.2.*D*.

9.*Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit*, 463.2.*E*.

17.8.*Commota est, & contremuit terra: fundamenta*, 423.1.*A*.

16.*Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt*, 423.1.*C*.

18.1.*Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum*, 717.2.*D*.

2.*Dies diei eructat verbum, & nox nocti*, &c.141.1.*D*.

3.*Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur*, 819.1.*B*.

4.*In sole posuit tabernaculum suum*, &c. 143.1.*D*.

14.*Tunc immaculatus ero, & emũdabor à delicto*, 604.2.*B*.

21.17.*Circumdederunt me canes multi: consilium malignantium*, 554.2.*E*.

27.*Edent pauperes, & saturabuntur*, &c.2.1.*A*.

24.11.*Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*.34.1.*D*.

25.8.*Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis*, 345.2.*E*.& 403.1.*D*.

29.8.*Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, 273.2.*D*.

30.16.*In manibus tuis sortes meæ*, 35.2.

32.4.*Omnia opera eius in fide*.40.1.*A*.

13.*De cœlo respexit Dominus, & vidit omnes filios hominum*, 488.1.*C*.

35.10.*In lumine tuo videbimus lumen*, 375.2.*C*.

36.7.*Holocaustum, & pro peccato nõ postulasti*, 43.1.*D*.

18.*Nouit Dominus dies immaculatorum* 604.2.*A*.

38.8.*Veruntamen in imagine pertransit homo*, 23.1.*C*.

39.3.*Et statuit supra petram pedes meos*, 182.1.*A*.

44.1.*Eructauit cor meum verbum bonum* 265.2.*A*.

3. *Speciosus forma præ filijs hominum*, 55. 2. *D.*
10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, 167. 1. *E.* & 364. 1. *E.* & 417. 2. *D.* & 445. 2. *B.*
12. *Audi filia, & vide, & inclina aurē tuam*, 100. 2. *A.* & 204. 2. *B.* & 419. 2. *A.*
13. *Et filij Tyri in muneribus vultum tuū deprecabuntur*, 790. 1. *D.*
46. 4. *Subiecit populos nobis, & gentes subpedibus nostris*, 523. 1. *D.*
47. 2. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ Mons Sion*, 428. 1. *D.*
2. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. 94. 1. *B.* & 249. 1. *A.*
48. 12. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, 98. 2. *A.*
13. *Comparatus est iumentis, & similis factus est illis*, 27. 2. *D.*
50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, 268. 2. *C.* & 339. 2. *A.* & 575. 1. *D.*
54. 22. *Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit*, 734. 1. *E.*
56. 10. *Exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cythara*, 464. 1. *A.*
57. 7. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*, 501. 1. *E.*
67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ*, 123. 2. *D.*
25. *Viderunt ingressus tuos Deus, &c.* 47. 2. *A.*
68. 29. *Deleantur de libro vitæ, & cum iustis, &c.* 254. 1. *B.*
70. 9. *Cum defecerit virtus mea nè derelinquas me*, 180. 2. *B.*
73. 12. *Salutem operetur in medio terræ*, 155. 2. *C.*
77. 69. *Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra*, 422. 1. *D.*
84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam*, 145. 1. *E.*
84. 12. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum*, 145. 2. *A.*
86. 2. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei* 249. 1. *B.* & 541. 1. *C.* & 724. 1. *B.*
5. *Et ipse fundauit eam Altissimus*, 329. 2. *C.*
7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, 291. 2. *A.*
88. 5. *Et ædificabo in generationem sedem tuam*, 10. 1. *E.* & 545. 2. *E.*
90. 3. *Quoniā ipse liberabit me de laqueo venantium*, 500. 2. *B.*
8. *Altissimū posuisti refugiū tuum*, 178. 2. *B.*
10. *Non accedet ad te malum, & flagellū non*, 178. 2. *B.*
13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis*, 523. 1. *D.*
92. 1. *Dominus regnauit, decorē indutus est*, 154. 2. *E.*
7. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem*, 213. 2. *E.*
102. 14. *Dominus in cœlo parauit sedem suam*, 238. 1. *A.*
103. 2. *Confessionem, & decorem induisti* 168. 2. *E.*
28. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur*, 488. 1. *A.*
105. 32. *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerūt*, 459. 2. *A.*
108. 31. *Quia adstitit à dextris pauperis, vt saluum faceret*, 417. 2. *E*
109. 3. *In splēdoribus Sanctorū ex vtero ante luciferū genuite*, 78. 2. *A.* & 95. 2. *E*
113. 5. *Mare vidit, & fugit, & Iordanis conuersus est*, 80. 2. *D.* & 86. 2. *A.*
114. 8. *Qui eripuit animam meā de morte*, 188. 2. *B.*
118. 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine* 716. 1. *C.*
99. *Super omnes docentes me intellexi, quia, &c.* 551. 1. *E.*
126. *Tempus faciendi Domine dissipauerunt, &c.* 92. 2. *E.*
126. 4. *Ecce hæreditas Domini (filij) merces fructus ventris*, 302. 2. *A.*
131. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ*, 452. 2. *A.*
138. 4. *Ecce Domine tu cognouisti omnia*, 45. 1. *B.*
5. *Mirabilis facta est scientia tua*, 2. 1. *D.*
142. 2. *Non iustificabitur in conspectu tuo &c.* 123.
144. 14. *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit*, 189. 2. *E.*

145.8. *Soluit cõpeditos, & illuminat cæcos, &c.* 189.2.*E.*
148.4. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit,* 84.1.*D.*

Ex Prouerbijs.

Cap.1.24. *Vocaui, & renuistis,* 821.2.*D*
3.25. *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* 797.2.*C.*
4.18. *Tamquam lux splendẽs procedit, & crescit vsque in, &c.* 460.2.*D.*
25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant.* 370.1.*A.*
5.2. *Disciplinã labia tua conseruent,* 475.2.*B.*
15. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.* 290.2.*B.*
8.1. *In summis excelsisque verticibus supra viam in medijs,* 455.2.*A.*
12. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum,* 769.1.*B.*
22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* 34.1.*A.* & 52.1.*E.* & 65.2.*D.* & 173.1.*E.* & 558.1.*B.* & 559.1.*C.*
23. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis,* 39.1.*C.* 35.1.*D.*
24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram,* 129.2.*E.*
27. *Quando præparabat Cœlos aderam,* 238.1.*E.*
34. *Audite disciplinam, & estote sapientes, &c.* 493.1.*C.*
9.1. *Sapientia ædificauit sibi domũ,* 416.2.*E.*
10.26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis,* 61.2.*A.*
13.25. *Fortitudo, & decor indumentum eius,* 166.2.*C.*
16.1. *Hominis est animam præparare, & Domini est gubernare linguam,* 460.1 *A.* & 465.2.*E.*
2. *Spirituũ ponderator est Dominus,* 803.1.*A.*
4. *Omnia propter semetipsum operatus est* 41.2.*A.*
21. *Qui dulcis est eloquio maiora percipiet,* 476.1.*A.*
23.4. *Noli laborare, vt diteris, sed prudentiæ,* 798.1.*D.*
32. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquitur,* 370.2.*E.*
25.16. *Mel inueniſti, comede quod sufficit,* 15.2.*D.*
28. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir,* 359.2.*E.*
26.6. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias,* 283.1.*A.*
28.11. *Mala aurea inlectis argẽteis verbũ dictũ.* 144.1.*C.*
30.18. *Viã aquilæ in cœlo, viam colubri super terram,* 205.1.*E.*
31.1. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis,* 385.1.*D.* & 76.1.*E.* & 133.2.*D.* & 322.1.*C.*
28. *Surrexerunt filij eius, & beatissimã prædicauerunt,* 8.2.*B.*

Ex Eccleſiaſte.

Cap.3.7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi,* 465.2.*B.*
7.30. *Deus fecit hominem rectum,* 21.1.*E* & 28.2.*E.*
31. *Ecce hoc inueni vnum, & alterum, vt inuenirem, &c.* 73.1.*D.* & 133.1.*C.* & 213.1.*A.*
12.11. *Verba sapientum, quasi stimuli, & quasi claui,* 753.2.*B.*
12. *His amplius fili mi ne requiras, faciẽdi plures,* 753.2.*E.*

Ex Canticis.

Cap.1.1. *Osculetur me osculo oris sui,* 102.1.*E.*
3. *Oleum effusum nomen tuum, ideò, &c.* 175.1.*E.*
6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas,* 401.1.*B.*
11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas.* 9.2.*E.* & 386.1.*A.* & 812.1.*E*
12. *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit,* 132.1.*A.*
13. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi,* 136.1.*C.* & 137.2.*C.* & 175.1.*C* & 353.1.*B.*
14. *Botrus cypri dilectus meus mihi.* 137.2.*D.*
15. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es,* 378.1.*E.* & 124.1.*B.* & 334.1.*D.* & 397.1.*A.*

2.1. *Ego flos campi, & lilium conuallium*, 120.2.B. & 350.1.E.
2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, 120.2.B. & 137.1.C. & 348.1.D. & 402.1.B.
6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius*, 156.2.C.
10. *Surge propera amica mea columba mea*. 111.2.D. & 120.1.B. & 376.1.A. & 62.1.C.
13. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna*, 178.1.B.
3.6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ sicut virgula*, 187.1.B. & 296.2.B.
7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, 72.1.D. & 241.2.E.
9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani*, 138.1.B.
4.1. *Capilli tui sicut greges caprarũ, quæ ascenderunt de Gallaad*, 342.1.B.
2. *Sicut greges tonsarum quæ ascenderũt de lauacro*, 187.2.A.
3. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuũ dulce*, 465.2.A. 475.2.A
4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est*, 223.1.E. & 522.1.E. & 550.2.D.
6. *Vadam ad montẽ myrrhæ, & ad collẽ thuris*, 353.1.A.
7. *Tota pulchra est amica mea, & macula non*, 102.1.A. & 103.1.D. & 235.2.D. & 354.2.A. & 450.2.A. & 458.2.B. & 569.2.B.
9. *Vulnerasti cor meũ soror mea sponsa vulnerasti cor meũ*, 763.2.D. & 767.2.A.
10. *Odor vnguentorũ tuorũ super omnia aromata*, 101.2.D.
11. *Mel, & lac sub lingua tua*, 433.1.D.
12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, Hortus conclusus*, 289.2.B.
13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, 131.2.D. & 463.2.D.
5.3. *Expoliaui me tunica mea quomodo induar illa*, 207.1.E.
5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ*, 135.1.A. & 195.2.C.
7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeũt ciuitatem*, 562.2.A.
10. *Candidus, & rubicundus electus ex millibus*, 79.2.A.
11. *Caput eius aurum optimum*, 124.1.E. & 56.1.C.
12. *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum*, 124.1.B. & 434.1.D. & 763.2.E.
14. *Venter eius eburneus distinctus saphiris*, 444.1.C.
6.3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora*, 125.2.A. & 354.1.A.
8. *Vna est colũba mea vna est Matri suæ*, 125.2.E & 127.2.B. & 605.2.E.
8. *Vna est matri suæ electa genitrici suæ*, 319.1.A.
9. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens*, 88.2.B. & 112.2.E. & 375.1.E. & 426.2.B. & 438.2.B. & 724.1.E.
9. *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum*, 358.1.A.
12. *Reuertere Sunamitis, reuertere vt intueamur te*, 659.2.B.
7.1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis*, 166.1.C. & 183.2.C. & 187.2.E.
5. *Nassus tuus sicut turris libani, quæ respicit*, 169.1.D. & 226.1.B.
5. *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta*, 266.1.C. & 323.2.A.
6. *Quam pulchra est, & quam decora charissima in delicijs*, 197.2.D.
7. *Statura tua assimilata est palmæ*, 520.2.B.
8.5. *Quæ est ista, quæ ascẽdit de deserto delicijs affluens*, 187.1.B. & 296.1.B. & 79.2.C.
6. *Pone me, & signaculum super cor tuũ*, 406.2.A.

Ex libro Sapientiæ.

Cap.1.4. *In maleuolam animam non intrabit sapientia*. 61.1.E. & 260.1.C. & 749.2.C.
13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione*, 193.1.D. & 327.2.A. & 367.2.B.
14. *Creauit enim, vt essent omnia, & sanabiles fecit*, 148.1.D.
2.25. *Quoniam Deus creauit hominem in exterminabilem*, 327.2.B.

3.6. *Tanquam aurum in fornace probauit illos*, 738.2. *C.*

4.1. *O quam pulchra est casta generatio cũ charitate*, 357.1. *A.*

12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, 372.2. *A.*

6.9. *Cum ergo disciplinæ dilectio, & dilectio custodia*, 288.1. *A.*

26. *Multitudo sapientium est sanitas orbis terrarum*, 650.2. *A.*

7.1. *Sũ quidẽ, & ego mortalis homo similis*, 122.1. *C.* & 261.2. *A.* & 186.1. *A.*

10. *Et proposui pro luce habere illam quoniam*, 319.1. *C.* & 381.1. *C.*

14. *Infinitus est enim thesaurus hominibus, quo qui*, 721.1. *A.*

21. *Quæcunque sunt absconsa, & improuisa didici.* 769.2. *A.*

22. *Est in illa spiritus intelligentia sanctus, vnicus*, 512.2. *B.*

25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio*, 37.1. *A.* & 316.1. *B.* & 379.1. *D.* & 142.1. *A.* & 358.2. *B.* & 442.1. *B.* & 446.2. *D.*

26. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine*, 467.1. *D.* & 79.2. *A.* & 307.2. *A.*

27. *Et cum sit vna omnia potest, & in se permanens*, 550.2. *E.*

29. *Est enim hæc speciosior sole, & super omnem*, 276.1. *C.*

8.1. *Attingit à fine vsque ad finem, &c.* 232.2. *D.*

3. *Sed & omnium Dominus dilexit eam*, 38.2. *C.*

9.1. *Deus patrum meorum, qui fecisti omnia*, 22.1. *E.*

9. *Tecum sapientia tua, quæ nouit*, 35.1. *A.*

15. *Corpus eorum, quod corrumpitur aggrauat animam*, 203.2. *A.*

10.1. *Hæc illum qui primus formatus est â Deo Pater*, 35.1. *A.* & 318. *colum.* 1. *B.*

11.21. *Omnia in mensura numero, & põdere disposuisti*, 60.2. *E.*

12.12. *Quis tibi imputabit si perierint nationes*, 37.2. *A.*

13.3. *Quorum si specie delectati, quanto enim Dominator*, 428.1. *A.*

Ex Ecclesiastico.

Cap.1.8. *Vnus est Altissimus creator omnium omnipotens*, 338.2. *C.*

5.6. *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit*, 476.1. *A.*

14.23. *Vade post illam, quasi inuestigator* 15.2. *D.*

15.14. *Deus abinitio constituit hominem, & reliquit*, 193.2. *B.* & 31.1. *D.*

17.1. *Deus creauit hominem de terra*, 21.1. *E.*

18.6. *Cum consummauerit homo tunc incipiet*, 385.2. *B.*

20. *Ante languorem adhibe medicinam*, 190.2. *A.*

19.4. *Qui cito credit leuis est corde*, 641.1. *A.*

11. *A facie verbi parturit mutus*, 472.1. *E.*

23.28. *Oculi eius multo lucidiores super solem*, 488.1. *E.*

24.5. *Ego exore altissimi prodiui primogenita, &c.* 102.1. *E.* & 131.1. *A.* & 124.1. *B.* & 258.1. *E.* & 331.1. *B.* & 345.2. *E.*

18. *Quasi palma exaltata sum in Cadès*, 521.1. *B.*

18. *Quasi plantatio rosæ in Iericbò*, 741.1. *D.*

19. *Quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas*, 522.2. *C.*

32. *Hæc omnia liber vitæ, & testamentũ altissimi*, 48.1. *A.*

36. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*, 545.2. *D.*

39. *Qui audit me non confundetur*, 9.1. *D.* & 494.2. *E.*

40. *Ego quasi tramens aquæ immensæ*, 611.1. *C.* & 81.1. *E.*

36.1. *Miserere nostri Deus omnium, & respice nos*, 157.1. *E.*

6. *Innoua signa, immuta mirabilia, glorifica*, 157.1. *E.*

38.32. *Figulus sedens ad opus suum conuertens pedibus*, 153.2. *D.*

40.1. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus*, 221.2. *A.*

43.25. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas* 258.1. *A.*

34. *Exaltantes illam replemini virtute*, 15.2.C.
44.22. *Deleui vt nubes iniquitates tuas*, 258.1.A.

Ex Isaia.

Cap.1.6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata*, 175.1.E.
5.6. *Expectaui, vt faceret vbas, fecit autẽ labruscas*, 216.1.B.
20. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum*, 370.1.B. & 575.2.D.
6.1. *Et ea, quæ sub ipso erant replebant tẽplum*, 755.1.C.
6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & dixit*, 460.2.A.
7.15. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum*, 433.2.A.
8.1. *Sume tibi librum grãdem, & scribe in eo stylo hominis*, 252.2.A.
9.6. *Et factus est principatus eius super humerum eius*, 174.2.B.
11.1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de*, 218.1.E.
14.14. *In Cœlum conscendam: Super astra Dei exaltabo*, 140.1.D. & 245.1.E.
15. *Veruntamen in infernum detraberis: in profundum*, 251.2.C.
15.1. *Moab conticuit, quia nocte vastatus est murus*, 462.1.C.
16.1. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*, 424.1.C.
26.1. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur*, 359.1.A.
19. *Ros lucis ros tuus*, 96.2.A.
28.16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem*. 427.1.B.
34.4. *Complicabuntur sicut liber Cœli*, 718.1.E.
42.5. *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens*, 718.1.E.
8. *Gloriam meam alteri, non dabo*, 241.2.A.
43.24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis*, 154.1.A.
46.4. *Ego feci, & ego feram, ego portabo*, 42[illegible].B.
10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, 31.2.A.
48.10. *Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum*, 810.1.A.
49.6. *Dedi te in lucem gentium*, 93.1.B.
51.9. *Consurge, consurge: induere fortitudine brachium tuum*, 154.2.A.
52.5. *Iugiter tota die nomen meum blasphematur*, 30.1.D.
53.4. *Infirmitates nostras sustinuit, & languores nostros*, 191.2.E.
54.8. *In momento indignationis abscondi faciem meam*, 810.1.A.
11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos*, 430.2.D.
55.8. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ*, 34.1.E.
59.1. *Ecce nõ est abbreuiata manus Domini*, 135.1.C.
60.8. *Qui sunt hi, qui vt nubes volant ad fenestras*, 371.2.C.
18. *Non audietur iniquitas in terra tua*, 250.2.B.
61.10. *Gaudens gaudebo in Deo, & exultabo*, 170.1.C. & 212.2.B.
62.2. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod*, 101.2.B.
65.8. *Hæc dicit Dominus: Quomodo si inueniatur*, 402.2.E.

Ex Ieremia.

Cap.2.21. *Ego te plantaui vineam electam*, 216.1.A.
3.15. *Et dabo vobis Pastores iuxta cor meum*, 765.1.B.
8.14. *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem, & sileamus ibi*, 462.1.E. & 726.1.D. & 817.2.E.
9.21. *Intrauit mors per fenestras*, 367.1.E.
17.12. *Solium gloriæ altitudinis à principio*, 398.1.C.
18.2. *Surge & descende in domum figuli*, 152.2.B.
14. *Nunquid deficiet de petra agri nix libani*, 80.1.D.
25.37. *Conticuerunt arua pacis*, 462.1.D
31.21. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga?* 413.1.B.
29. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes*, 412.1.C.
30. *Omnis homo, qui comederit vuam acer*

bam,412.1.*A*.
36.32.*Ieremias autem tulit uolumen aliud*,158.2.*A*.

Ex Threnis.

Cap.3.29.*Ponet in puluere os suum si forte sit spes*, 473.2.*B*.
51.*Oculus meus deprædatus est animam meam*,367.2.*A*.
5.7.*Patres nostri peccauerunt, & nō sunt* 412.1.*D*.

Ex Ezechiele.

1.10.*Similitudo autem vultus eorum*, 786.2.*B*.
12.*Vbi erat impetus spiritus, illuc*, &c. 786.2.*E*.
16.42.*Ecce omnis, qui dicit vulgo prouerbium, in te assumetur*,340.1.*B*.
18.2.*Quid est, quod inter vos parabolam vertitis*,412.1.*D*.
20.*Filius non portabit iniquitatem Patris*,688.2.*A*.
24.26.*In die illa aperietur os tuum*,729.1.*A*.
29.21.*Tibi dabo os apertum in medio eorum*,729.1.*A*.
40.6.*Et mensus est limen portæ calamo vno*,716.1.*D*.

Ex Daniele.

Cap.7.9.*Antiquus dierum sedit, thronus eius flamma*,616.2.*D*.
12.3.*Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi*,717.2.*E*.
4.*Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*,716.2.*B*.& 1.*C*.
13.24.*Et exclamauit voce magnâ Sussana*,731.1.*A*.
35.*Flens suspexit ad Cœlum*,355.1.*B*.
42.*Exclamauit autem voce magnâ Sussana*,355.1.*C*.

Ex Osee.

Cap.4.5.*Nocte tacere feci matrem tuam*, 460.2.*E*.& 462.2.*B*.
5.5.*Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio*,504.1.*A*.
64 *Quasi diluculum præparatus est egressus eius*.91.2.*D*.
14.16.*Quis sapiens, & intelliget ista?* 73.2.*A*.

Ex Ioele.

Cap.3.17.*Erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt*,204.2.*D*.& 205 1.*B*.

Ex Amos.

Cap.5.8.*Qui vocat aquas, & effundit*, 106.2.*A*.
7.7.*Ecce Dominus stans super murum litum*,360.1.*A*.

Ex Abacuc.

Cap.3.18.*Exultabo in Deo IESV meo*, 170.2.*A*.

Ex Aggæo.

Cap.2.11.*Interroga Sacerdotes legem*, 765.1.*D*.

Ex Zacharia.

Cap.2.3.*Sileat omnis caro à facie Dei*. 457.1.*C*.
4.*Absque muro habitabitur Hierusalem* 359.2.*D*.
3.9.*Super lapidem vnum septē oculi sunt* 336.1.*B*.
4.7.*Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam*,424.1.*A*.
6.12.*Vir oriens nomen eius*,101.1.*E*.
10.8.*Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos*,728.1.*B*.

Ex Malachia.

Cap.2.7.*Labia enim Sacerdotis custodiunt legem*,765.1.*B*.

Ex Lib 1.Machabæorum.

Cap.4.45.*Cogitauit de altari holocaustorum, quod profanatum erat*, 404.2. *E*.

Ex Lib.2.Machabæorum.

Cap.6.8.*Decretum exijt in proximas gētilium Ciuitates*,192.2.*A*.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap.1.1.*Liber generationis Iesu Christi*

filij Dauid, filij, 319.1.C.
3. Iudas autem genuit Phares, & Zaran de Thamar, 212.1.D.
16. Iacob autem genuit Ioseph virũ Mariæ, 232.1.A.
18. Christi autem generatio sic erat, cum esset desponsata, 139.2.A. & 361.2.B.
19. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, 362.1.E.
3.16. Baptizatus autem Iesus cõfestim ascendit de aqua, 341.1.E.
5.2. Aperiens os suum docebat eos dicens, 729.1.E.
8. Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut, 355.2.E.
21. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum, 554.2.C.
6.9. Pater noster, qui est in cœlis, 444.2.A.
20. Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, 72.2.D.
21. Vbi est thesaurus tuus ibi est cor tuum, 72.1.B.
10.16. Estote simplices sicut colũbæ, 371.2.A.
24. Non est discipulus super Magistrum, 551.2.C.
27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, 818.1.C.
11.12. Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti, &c. 381.2.C,
29. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati, 222.1.A.
12.5. Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis, 605.2.C.
8. Quod ipse Sabbatho curasset, &c. 84.1.A.
13.33. Simile est Regnum Cœlorum fermẽto, quod, 435.1.A.
46. Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori, 78.1.C. & col.2.B.
15.8. Populus hic labijs me honorat, cor autem, 264.1.E.
32. Misereor super turbam, quia iam triduo, 180.2.A.
16.16. Quem dicunt homines esse filium hominis? 279.2.E. & 324.1.B.
26. Quid prodest homini si vniuersum mũdum lucretur, 392.2.B.
17.27, Vade ad mare, & mitte hamum, 471.1.E.
18.19. Si duo ex vobis consenserint super terram. 763.1.D.
20. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, 650.2.B. & 767.2.B. & 769.1.C.
21. Quoties in me peccauerit frater meus, & dimittam ei, 486.2.C.
22. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, 486.2.C.
21.38. Volumus à te signum videre, 699.1.A.
23.2. Super cathedrã Moysi sederunt scribæ, &c. 770.2.D.
26.10. Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum, 460.1.A.
28.20. Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, 718.2.B.
29.4 Peccaui tradens sanguinem iustum 151.2.D.
18. Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite, 98.1.B.
26. Et milites plectentes coronam de spinis, 267.2.E.

Ex Marco.

Cap.6.21. Et cum dies opportunus accidisset Herodes natalis sui, 592.2.E.
15.15. Volens populo satisfacere dimisit illis Barabbam, 257.1.B.
39. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, 821.1.A.

Ex Luca.

Cap.1.20. Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, 641.1.C.
28. Aue gratia plena Dominus tecum, 85.2.D. & 134.1.A.
30. Ne timeas Maria inuenisti enim gratiam, 57.2.A. & 99.1.A.
32. Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, 417.2.D.
35. Spiritus Sanctus superueniet in te, & 352.1.B. & 108.1.B. & 308.2.A.
35. Ideòque & quod nascetur ex te sanctũ vocabitur Filius Dei, 163.1.D.
42. Benedicta tu in Mulieribus, & benedictus, 145.1.C.
46. Magnificat anima mea Dominum,

170.1.B.& 213 2.C.
47.*Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*,175.1.B.
48.*Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes*,724.1.A.
49 *Quia fecit mihi magna, qui potens est*, 138.1,A.& 234.2.A.& 148.1.E. & 397.1.A.
51.*Fecit potentiã in brachio suo*,154.1.E
61.*Vocabitur Ioannes: dixerunt ad illã*, 100.1.A.
2.23.*Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinũ*,595.2.B.
3.38.*Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*.329,1.E.
6.3.*Nec hoc legistis, quod fecit Dauid cũ esuriret*,147, 2.A.
7.45.*Osculum mihi non dedisti*, 102. 2. A.
8.19.*Mater tua,& fratres tui stant foris volentes*,325.2.A.
9.26.*Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis*,730.1.A.
10.12.*Gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt*,98.1,D.& 267.2.A.
16.*Qui vos audit me audit, & qui vos spernit*,771.1.A.
22.*Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater*, 237.1..A.
38.*Intrauit Iesus in quoddam Castellum, & mulier*,560.2.B.
11.14.*Erat Iesus eijciens dæmonium*,42. 2.D.
27.*Beatus venter, qui te portauit,& vbera*,164.1.C.& 415.2.E.
34.*Si oculus tuus simplex fuerit totũ corpus*,371.2.A.
12.20.*Hac nocte repetent à te animã tuã*, 89.2.C.
27.*Considerate lilia campi, quomodo crescunt*,122.1.C.
15.8.*Quæ mulier habens dracmas decẽ, si perdiderit*,58.2.A.
18 12.*Non sum sicut cæteri homines*,803. 2.C.
20. 34. .*Appropians alligauit vulnera eius infundens*,175.2.A.
23.46.*Pater in manus tuas commẽdo spiritum meum*,127.1.A.
24 23.*Adiudicauit fieri petitionem eorum*,257.1.A.

Ex Ioanne.

Cap.1.1.*In principio erat Verbũ,& Verbum erat apud*,42.2.C.& 415.1..A.
11.*Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem*,30.2.D.
12.*Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*,444.1.B.
14.*Et Verbum caro factum est,& habitauit*,415.1.B.
18.*Vnigenitus qui est in sinu Patris*,29.2 A.& 380.1.A.
31.*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*,278.1.A.
3.1 *Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine*,681.1.E.
34.*Non enim dat Deus spiritum ad mensuram*,482.1.A.& 548.2.A.
4.34.*Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius*,43.2.B.
5.39.*Scrutamini scripturas, quia vos putatis*,75.1.C.
6.4 *Qui manducat me,& ipse viuet propter me*,415.2.C.
27.*Operamini cibum, non qui perit*,36.2. A.
4.2.*Nonne hic est Iesus filius Ioseph*, 361. 1.C.
8.48.*Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus est*,504.2.D.
56.*Abraham pater vester exultauit, vt videret*,93.1.E.& 147.1.B. & 321. 1.C.
9.1.*Præteriens Iesus vidit hominem cæcũ à natiuitate*,334.2. C.
7.*Expuit in terram,& fecit lutum*,44.1. D.& 331.1.D.
34.*In peccatis natus est totus, & tu doces nos?* 335.1.B.
10.2.*Qui autem intrat per ostium pastor est ouium*,418.2.D.
8.*Propterea me diligit Pater, quia ego pono*,37.2.D.
11.33.*Iesus ergo, vt vidit eam plorantem*, 484.2.A.
47.*Hic homo multa signa facit*, 699.1. A.
12.13.*Ecce totus mundus post eum abit*, 807.1.B.

13.30. *Erat autem nox*, 89.2.C.
14.30. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet*, 204.2.B.
15.15. *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, 817.1.B.
23. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo*, 650.2.C.
16.12. *Multa habeo vobis dicere, sed non poteſtis*, 718.1.C.
15. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt*, 79.2.A.
12. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora*, 154.1.D.
18.20. *Ego palam locutus ſum mũdo*, 727 1.D.
37. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni*, 72 7.1.C.
19.16. *Tolle, tolle, crucifige eum, & tradidit illum*, 257.1.A.
19. *Scripſit autem, & titulum Pilatus*, 157.1.A.
38. *Occultus diſcipulus Ieſu propter metũ Iudæorum*, 681.1.E.

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap.2.17. *Annuens autem eis manu, vt tacerent*, 821.2.D.
25. *A dextris eſt mihi nè commoueat*, 100.E.
4.32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, 692.1.E.
10.36. *Hic eſt omnium Dominus*, 106.1.C.
13.16. *Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens*, 821.1.E.
18.20. *Siquidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſsimum*, 641.1.C.
20.28. *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*, 174.2.A.

Ex Epiſtola ad Romanos.

Cap.1.2. *Segregatus in Euangelium Dei quod ante promiſerat*, 541.2.E.
3. *De Filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid*, 309.2.C.
15. *Ita quod in me promptum eſt, & vobis qui Romæ*, 729.2.A.
18. *Qui veritatem Dei in iuſtitia detinẽt*, 819.2.E.
20. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ*, 284.1.B.
2.4. *An diuiuitias bonitatis eius, & patientiæ*, 71.1.A.
15. *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, 395.1.B.
5.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, 274.2.E.
12. *Sicut per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum*, 87.2.C.194.1.E. & 327.2.A. & 348.2.C. & 374.2.E. & 432.1, D. & 711, 1.B.
13. *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo*, 199.2.B.
15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim*, 711.2.A.
20. *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit gratia*, 30,2.C. & 39.1.E.
7.5. *Cum enim eſſemus in carne paſsiones peccatorum*, 208.1.A.
24. *Infœlix ego, quis me liberabit de corpore*, 201.2.B.
8.3. *In ſimilitudinem hominum factus*, 53 1.D.
29. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit*, 28.1.B, & 45.2.D.
10.12. *Diues in omnes, qui inuocant illum* 71.1.A.
11.33. *O altitudo diuitiarum ſapiẽtiæ, & ſcientiæ Dei*, 34.1.E.
12.14. *Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, 211.1.A.
13.11. *Nunc autem propior eſt noſtra ſalus*, 89.2.E.
12. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur*, 169.1.B. & 210.1.B.
15.5. *Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis*, 786.1.A.
9. *Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini*, 412.2.E.
35.10. *Dominus conteret Sathanam ſub pedibus veſtris*, 378.1.B.

Ex Epiſtola 1. Ad Corinthios.

Cap.1.26. *Videte vocationem veſtram. fratres, quia non multi*, 680.2.E.
3.11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere*, 424.2.E.
5.7. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio*, 433.2.C.
6.17. *Qui adhæret Deo vnus ſpiritus ſit cum eo*, 131.1.B.
10.17. *Quoniam vnus panis, vnum cor-*

pus multi sumus,436.2.C.
12.3.*Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in*,106.1.D.
10.*Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio*,642.1.C.
14.*Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa*,799.2.B.
13.9.*Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*,2.1.C.
13.*Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas*,274.2.D.
14.29.*Prophetæ duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent*,514.2.C.& 552.1.A.
15.45.*Factus est Adam in animam viuẽtem, nouissimus*,408.1.A.
47.*Primus homo de terra terrenus, secundus homo*,336.2.E.& 431.1.C.& 64.1.D.& 159.2.D.
49.*Qualis terrenus tales, & terreni*,211.B.& 442.1.E.

Ex Epistola 2. ad Corinthios.

Cap.3.28.*Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes*,278.2.C.
4.6.*Deus qui dixit de tenebris lumen splẽdescere*,734.1.B.
5.8.*Audemus autem, & bonam voluntatem habemus*,456.2.E.
8.21.*Prouidemus bona non solum coram Deo, sed*,356.1.B.
11.2.*Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*,283.2.E.
6.*Nam etsi voluero gloriari non ero insipiens*,384.2.C.
7.*Vir quidem non debet velare caput suũ*,342.1.C.
14.*Ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*,640.2.D.
25.*Nocte & die in profundo maris fui*,892.D.

Ex Epistola ad Galatas.

Cap.3.16.*Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius*,303.1.C.
4.4.*Cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum*,60.2.B.& 53.1.D.& 108.1.D.& 148.1.C.& 148.1.C.& 427.1.D.
22.*Scriptum est, quia Abraham duos filios habuit*,303.1.D.
30.*Sed quid dixit scriptura: Eijce Ancillam*,303.1.D.
5.5.*Vnusquisque onus suum portabit*,501.1.C.

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap.1.4.*Quia elegit nos in ipso ante mũdi*,&c.62.2.A.& 594.2.A.
10.*Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis*,19.1.B.& 53.1.C.& 724.1.A.
2.4.*Deus autem, qui dives est in misericordia*,71.1.B.
10.*Ipsius enim factura sumus in Christo creati*,287.1.E.
20.*Ipso summo angulari lapide Christo Iesu*,427.1.B.
4.11.*Et ipse dedit quosdam autem prophetas, alios vero*,765.1.E.
22.*Deponite vos secundum pristinam cõuersationem*,542.1.E.
24.*Qui creatus est in iustitia, & sanctitate*,21.1.E.& 28.2.D.& 74.2.C.& 211.2.D.& 284.1.A.& 439.1.E.& 559.2.D.
5.8.*Eratis aliquando tenebræ: nunc autẽ lux*,210.1.E.
5.14.*Surge qui dormis, & exurge à mortuis*,341.1.D.
25.*Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit*,458.2.B.& 595.1.A.
6.19.*Vt detur mihi sermo in apertione oris mei*.728.2.C.

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap.1.2.*A Deo Patre nostro Domino Iesu Christo*,105.1.A.
6.*Confidens hoc ipsum, vt qui cœpit in vobis opus*,395.2.C.
9.*Vt charitas vestra magis abundet*,269.2.C.& 396.2.D.
11.*Vt sitis omnibus iustitiæ membris constantes*,287.2.A.
27.*Tantum digne Euangelio Christi conuersamini*,785.1.C.
2.2.*Implete gaudium meum, vt idem sapiatis*,692.2.C.
6.*Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, 27.1.D.& 758.1.A

& 67.1.A.
9.Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit,302.2.D.
11.Quia Dominus Iesus in gloria est,105 1.A.
22.Omnes quæ sua sunt quærunt, 711.1. E.& 772.2.E.
3.20.Nostra autem conuersatio in cœlis est,267.1.E.& 269.1.D. & 381.1. C.& 432.1.A.

Ex Epistola ad Colloſenſes.

Cap.2.14.Et nos cum mortui essemus in delictis,& præputio,191.1.D.
24.Delens quod erat aduersus nos chyrographum,257,2.B.
3.9.Expoliantes vos veterem hominem,cũ actibus,207.2.B.

Ex Epistola 1. Ad Theſſalonicenſes.

Cap.4.3.Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra,21.1.A.
5.19.Spiritum nolite extinguere,prophetias nolite spernere,641.1.A.

Ex Epistola 1. Ad Timotheum.

Cap.6.2.O Thimothee depositum Custodi, 545.1.D.
4.Superbus est,nihil sciens, sed languens circa quæstiones,504.1.D. & 515.1. B.& 692.2.E.

Ex Epistola 2.Ad Timotheum.

Cap.3.9.Habentes speciem pietatis: virtutem autem eius abnegantes, 24.1. E.

Ex Epistola ad Titum.

Cap.1.2.In spem vitæ æternæ,quam promisit,39.2.C.
2.7.Is qui ex aduerso stat, vereatur nihil habens malum,357.2.C.
11.Apparuit benignitas, & humanitas saluatoris,38.2.A.
3.9.Stultas autem quæstiones, & contẽnes, & genealogias deuita, 692.2. E.

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap.1.14.Omnes administratorij spiritus sunt,107.1.B.
7.3.Sine patre,sine matre, sine genealogia,neque,80.colum.2. E.& 140. 1. D.
26.Talis enim decebat,vt nobis esset Pontifex sanctus innocens,&c.67.1.D.& 399.colum.1.B.& 404.1.C.& 593.2. A.
9.11.Christus assistens Pontifex futurorum bonorum peramplius, & perfectius,66.1.B.& 75.2.E.
14.Semetipsum obtulit immaculatum Deo viuenti,604.2.D.
10.5.Ideò ingrediens mundum dicit. Hostiam,& oblationem noluisti,43.1.D. & 142.2.B.& 148.1.B.& 66. 1.E. & 136.2.F.& 165.2.E.
11.38.Quibus dignus non erat mundus, 5.1.B.
13.8.Iesus Christus heri,& hodie ipse, & in sæcula,104.1 C.& 139.2.A.
16.Beneficentiæ,& communionis nolite obliuiſci,482.1.C.

Ex Epistola Iacobi.

Cap.1.4.Vt sitis perfecti,& integri, & in nullo deficientes,287.1.E.
17.Omne datum optimum,& omne donũ perfectum,532.1.A.
17.Apud quem non est transmutatio,nec 143.1.A.& 744.2.B.
3.8.Linguam nullus hominũ domare potest,460.1.A.
17.Quæ autem desursum est sapientia primum quidem pudica.512.2.A.

Ex Epistola 1.Petri.

Cap.1.3.Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem,340.2.A.
19.Sed pretioso sanguine,quasi Agni immaculati,604.2.D.
24.Qui peccata nostra ipse pertulit in cor

pore suo,191.2.*A*.
22.*Quasi modo geniti infantes rationabile, sine dolo*,414.2.*A*.
4.*Per quem maxime, & pretiosa nobis promissa donauit*,315.1.*A*.
6.*Propter quod continet scriptura: ecce in Sion lapidem*,427.1.*C*.
9 *Vos autem gens Sancta populus acquisitionis*,174.1.*E*.
15.*Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere*,365.1.*A*.

Ex Epistola 2.Petri.

Cap.1.19.*Habemus firmiorem propheticum sermonem*,780.1.*D*.
2.2.*Angeli fortitudine, & virtute, cum sint maiores*,499.2.*C*.
4.15.*Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut*,371.1.*A*.

Ex Epistola 1.Ioannis.

Cap.2.16.*Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est*,367.2.*C*.
3.9.*Omnis qui natus est ex Deo, peccatū non facit*,128.1.*E*.
4.1.*Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus*,640.2.*D*.

Ex Epistola 3.Ioannis.

Cap.1.1.*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater*,312.1.*D*.

Ex Epistola Iudæ.

Cap.1.9.*Cum Michael Archangelus, cum diabolo altercaretur*, 499.1.*C*.

Ex Apocalypsi.

Cap.1.5.*Qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*,157.1.*A*. & 175.2.*A*.
16.*Audiui post me vocem magnam, tanquam tubæ*,728.1.*A*.
7.9.*Post hæc vidi turbam magnam, quā dinumerare*,293.2.*A*.
14.*Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt* 168.1.*C*.
15.*Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt*,570.2.*B*.
12.1.*Signum magnum apparuit in Cœlo*, 95.2.*C*.& 317.2.*B*. & 115.2.*C*. & 166.2.*A*.& 178.2.*D*.& 205.2.*E*. & 378.1.*A*.& 424.1.*E*.& 523.1.*B*.
7.*Factum est autem prælium magnum in Cœlo*,240.2.*A*.
14.*Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ*,116.1.*E*.
13.8.*Et data est illi potestas in omnem tribum*,38.2.*E*.
15.15.*Aquæ populi sunt, & gentes linguæ*,262.1.*C*.
19.8.*Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti*,168.2.*A*.
21.18.*Erat structura muri eius ex lapide pretioso*,338.2.*A*.
21.*Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt*,295.1.*C*.& 386.1.*C*.
22.2.*In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum*,381.1.*A*.
16.*Ego sum radix, & genus Dauid*,219.2.*D*.

INDEX RERVM,

QVAE HOC VOLVMINE CONtinentur locupletiſsimus.

Anterior numerus, paginam, poſterior, columnam, littera columnæ locum deſignat.

A

Abyſſus.

MARIA abyſſus gratiarum in exhauſta, 739.1.C.

Academia.

Academia Pariſienſis iuſsit edicto, Profeſſores ſuos ſub iuramẽto Immaculatam Conceptionem tueri cõtra Mauritium, 525.2.B.

Idem iam iuramento confirmant omnes omninò ferè Academiæ, vbi iuramẽti formulæ appoſitæ, 650.651.1.ab A.

Aceruus.

Aceruo tritici Maria ob virtutum largiſſimam ſegetem, comparatur, 298.2.B

Acetum.

Acetum à Chriſto D. guſtatum edocet peccatores homines Chriſti paſsioni communicantes per pœnitentiam fore emundandos, 126.2.A.

Actuale.

Omni prorſus actuali peccato, vel leuiſſimo caruit B.V.Maria, 202.1.D.

AEmulatio contentio.

Maximum peperit ſcientijs ſplendorem contentio, & æmulatio, per integras, pag. 734.735.

Agnus. Agna.

Chriſtus D. Agnus Dei, 278.1.A. Et Maria Dei Agna, ibi.2.D.

Alenſis.

Alenſis morbo coactus faſſurus Mariæ immunitatem compoſuit librum, 450.1.C. 746.2.D.

Alphonſus Rodericius.

Coadiutor Societatis Ieſu miræ ſanctitatis vir officium Conceptionis, cui myſterio addictiſsimus erat conſcripſit, 675.2.E.

Altare.

Maria Panis Diuini Altare, & commune propitiatorium, 404.1.D.&c.

Maria Altare ſemper ſanũ, & incolume, ſicut carnei vulneris, ſic expers curationis, 406.2.C.

Vide *Arca.*

Amictus.

Vide *Veſtis.*

Amor, dilectio.

Amor modum neſcit, 390.1.B.

Diligẽda ſine modo Deipara, ibi.2.B.&c

Qui amat ſentiet benè, ſperabitque de amato, 395.2.D.

Amatores Virginis totas in amando laxãt habenas, & quidquid de ipſa glorioſe, dici, aut cogitari poteſt, credũt, 394.2.B.&c. ad 397.

Vna hæc Mariæ infirmitas, quod lãgueat diuino amore, 406.1.C.

Andræas.

Vide *Apostolus.*

Anima.

De animarum origine à Deo ne; an ab Adamo ortum duxerint, quæstio olim implicatissima, iam à Leone IX. definitâ. Nempe non traduci ex semine, 719.2.A.

Est iam de fide (sic difiniente Benedicto XII.) Iustorum animas ante iudicij diē & corporum resurrectionem Deū (pœna, si qua superstes, purgata) intueri, 720.1.D.

Angeli.

Custodia Angelorum, B.V. Mariæ anima ab omni peccati macula sancta tecta seruata, 72.2.A.

Est B.V. Maria ipsis Angelis naturâ formosior, 108.2.B.&c. 110.2.C.

Dulcissimum Angelis Mariæ nomen, quo vel audito insigni perfunduntur lætitia, 118.2.D.&c.

Et eius præsentiâ singulari beantur gaudio, ibi.

Angeli Cōceptionem festiue in cœlo celebrant, 80.2.B. 118.2.B. 426.1.D.

Angeli inter supremos choros collocati corporis, & animæ Deiparæ custodes erant, Regijque Stipatores à sede sibi paratâ à Domino hostē arcentes, 242.1.A.

Et hoc dum B. Anna Mariam purissimam actiuè conciperet, ibi.2.A.

An sit diffinitum, fuisse ante huius mundi visibilis molitionem, creatos Angelos? 720.2.E.

Ab omni corporea concretione secretos esse in Lateranſi cōcussum, & affirmatum, ibi.B,

Vide. *Canticum.*

Anna.

Officium Ecclesiæ Græcæ pro Cōceptione S Annæ, quæ Deiparā cōcepit, 607 2.A.

Canon Ecclesiasticus in festo S. Annæ Mariam concipientis, 609.1.A.&c.

Apostolus.

Apostoli cœlorum imaginem exprimūt, 717.2.E.

Sunt ſponſæ custodes tollentes pallium, qui a B.V. Maria mysteriorum reuelationes ediscunt, 563.1.D.

Apostolica traditione diē Cōceptioni festum agi, tradunt aliqui, ibi.2.A.

D. Iacobus Domini frater sæpius in suâ liturgia Immaculatam Conceptionem nominat, 569.1.A.

D. Iacobus Conceptionis festum in Hispaniâ celebrauit. 563.2.C,

D. Andræas terram Immaculatam Mariā esse dixit, ibi.E. 565.1.B.&c.

D. Thomas Apostolus idē firmat, ibi.1.A

D. Matthæus, & D. Matthias in eadē laude sunt, 566.1.A.&c.

Totum demum Apostolorum Concilium in nomine Immaculatæ tribuendo Cō ceptioni conspirat, ibi.2.C.

Aquilo.

Quod in Aquilonis lateribus obumbretur Maria, elucet eius intaminatissima Conceptio, 250.1.A.&c.

Arbor.

Arbor Sanctitate procera Maria ab humero, & sursum cunctis sanctis supereminet. 293.1.A.

Salutifera arbor Mariā cibum vitæ maturum progenerans, 412.2.B.

Arca.

Maria, quod Arca fœderis sit, omnis vel originalis culpæ expers adstruitur, 86.1.A.&c. 738.1.A.

Idem quia Noe arcæ figuram præfefert, 87.1.C.&c.

Propitiatorium arcæ, ex mundissimo auro, omnimodam Mariæ SS. puritatem refert 738.1.A.

Vide. *Altare.*

Arrha.

Vide. *Dos.*

Ars.

Quid sit Ars? ex Cicerone, 598.1.A.

Auctores.

Auctores opinionis piæ de Conceptione in scopum veritatis collimant, omniaque syncerè agunt, 598.1.A.&c.

Auguſtiniani.

Familia Auguſtiniana 300. abhinc annis Deiparæ illibatam Conceptionē celebrat, 663. 2. C.

Aurora.

Maria præfulgens Aurora, ex quâ noua mundo lux, alius mundi ortus: quare nec culpæ debito obnoxia, mutuatis à ſole radijs, 88. 2. A. 91. 1. A. &c.

In primo ſuo Conceptu Aurora, quando Diuinus Sol ſe illi clare conſpiciendū dedit, 375. 2. A.

Aurum. Aureus.

Percuſſum aurum ſilet, 125. 1. B.

Quouis probato auro purius Mariæ Corpus, vndè tota nitida eius Conceptio, 165. 1. A. 168. 1. A.

Ex eadem aurea tela Matri, Filioque Dei veſtis conficitur, 167. 2. C.

Aſſumptio.

Aſſumptio in Cœlos Deiparæ ex traditione cenſetur de fide, 712. 2. D.

Auxilia.

Qui Deum nobis auxilia congrua ad opus impertiri aſſeuerāt deſpecta phyſica præmotione non noua, ſed veteri incedunt via, 554. 1. C.

Auxiliator, adiutor, adiutrix.

Quis bonus auxiliator? 180. 1. B.

Non ſolus is eſt, qui ſpontanea opitulatione ſubuenit, ſed qui præuenit, manumque ante caſum porrigit. Talis Deus redimens Mariam, ibi.

Maria à dextris ſui Filij, tanquam adiutrix ſedet, 417. 2. B. 418. 1. C. 54. 1. D. 56. 1. A. 155. 2. A. &c.

B.

Bandellus.

Bandellus in Conceptionem puriſsimam minus pius inſipidè Salomonis locum interpretatur, 73. 2. A. &c.

Quæ Bandellus in Auctores opinionis piæ de Conceptione probra inurbanè effutiat, 506. 1. A. &c.

Bandellus MARIAM originali noxæ obnoxiam faciens malè vniuerſo hominum generi precari videtur, 133. 1. D. &c.

Cuidam eius futili argumento occurritur 232. 2. B.

Baptiſmus.

An ab hæreticis baptizati, rebaptizandi? Pars negans ab Stephano inter fidei dogmata annumerata, 719. 2. C.

Infantibus per Sanctum Baptiſmi lauacrum infundi ſanctitatem à Tridentino diffinitum, ibi. E.

Bartholomæus Spina.

Bartholomæus Spina in Sanctos Tridentini PP. pijſsimam de Cōceptione ſententiam probantes parum pronus, 509. 1. C.

Baſilienſes.

Baſilienſes PP. apertis tibijs Virgineæ ab omni labe immunitati ſubſcripſere, 172. 1. E. 599. 1. B. &c.

Reportata apud ipſos de opinione minus piâ victoria, 526. 1. A.

Baſis.

Maria Eccleſiæ baſis, & inde ab originali procul; nec alia eſſe poterat, quæ deſcendentis de cœlo Eccleſiæ aptū fundamentum foret, 416. 2. D. &c. 423. 2. E. 420. 1. A.

Bellarminus.

Vide *Robertus.*

Bernardinus.

Bernardinus Realinus Societatis IESV inſignis ſanctitudine, & miraculis vir, dum è lectulo ſurgeret ſpecialem pro Immaculatâ Conceptione orationem fundebat, 674. 2. D.

Bernardus.

S. Bernardus opinionem contra Immaculatam Conceptionem iam inter Cœlites collocatus retractaſſe dicitur, 450 2. E.

Bonauentura.

S. Bonauentura opinionem illibatæ Cõceptioni infensam noxiã ferebat, quia nondum in Ecclesia celebris contraria: secus faceret post Xisti IV. constitutiones, 574.2.E.

Bonitas Dei.

Vide *Deus.*

Brigitta.

Quod S. Brigitta reuelationum pondus, & Summorum Pontificum approbatio? 643.1.A.&c.

Quam de eius canonizatione temerè dubius fuerit Caietanus, vt scrupulũ reuelationibus Deiparæ Conceptionis ingerat, 644.2.A.&c.

Reuelat S. Brigittæ D. Ioannes Baptista, vndèquaque purissimam Virginis Cõceptionem, 77.1.D.

Idem reuelat Angelus, & Conceptio, Aurora, horaque aurea compellatur, 92.1.C.&c. 642.2.A.

Deipara ipla reuelat oportere certã Cõceptionis notitiam differri, vt suorum Amatorum zelus patefiat, 237.1.A. 733.1.A.&c.

C.

Calamus. Stylus.

Qualis lethalis calamus, quo per Adæ peccatum diaboli æri, atque rationibus in terra conscripti sumus, 268.1.A.&c.

Alio calamo, ac stylo, nempè Dei viui digito, & Spiritus Sancti calamo Maria in cœlo conscribitur, ibi.

Caietanus.

Quam longe à Theologorum modestia de pia Conceptionis opinione loquatur, eam blateras improbabilem, 508.1.E.&c.

Fallitur atrociter ratus opinionem piam de Conceptione nullius inlustris Doctoris esse, 623.1.A.

Temeritatis ab aliquibus notatur, quod de S. Brigittę canonizatione ambigat, 644.2.A.&c.

Canis.

Canis natura domesticis ad blãdiri, latratibus ignotos asperare. Sic Iudęi nouas Christi doctrinas insequebantur, 555.1.A.

Canisius.

Patris Petri Canisij è Societate IESV Illustris vndique viri elogia, & pius in Marianã Cõceptionẽ affectus, 675.1.B.

Canticum, Hymnodia, poema.

Deipara Cherubini Cãticum, hymnodia Angelorum, & poema venustum, 288.1.A.2.B,

Canus.

Melchior Canus Dominicanus reprehẽditur, quod non satis Canus affirmauerit quæstionem de Conceptione, non earum veritatum esse, quæ vt fidei dogma proponi possit, 709.2.B.

Caprea.

Maria cũ Caprearũ grege cõparata euincitur à peccato originali immunis, 709.2.E.

Carbunculus.

Reperitur carbunculus saphiro mistus typũ gerens Mariæ, Christique filij in vnã Ecclesiæ fundamentalem petrã coeũtium, 431.1.A.

Cardea.

Dea Cardea, siue Cardinea cardini præerat, 136.2.C.

Illi Deipara comparatur, Deo immunitatis suæ myrrhâ ostium adaperiens, nè à peccante natura exasperatus, venire in mundum renueret. ibi.

Carmelitæ.

Ordo Carmelitarum Generalis Capituli decretis mirè adfauit purissimæ Cõceptioni, 664.1.C.&c.

Caro.

Eademmet Matris, Filijque Dei caro, 121.1.D. 440.2.C.

Mariæ carnẽ Dei futurã carnẽ velut digito immaculatè cõceptã ostẽdit. 165.2.A

Virginem carnem assumpsit Christus non quasi carcerẽ, sed vt coronã, 319.2.B.

Est caro Virginis Christi diadema, 2.E.

Nescio quid Diuinum ab Omnipotentia Dei mutuauit, quod eius filio ornamento fuerit, & coronæ, 320.1.D.

In Mariana carne totum Sacramentorum Ecclesiæ decus perficitur, 421.1.B.

Caro Christi de carne Virginea pura, syncera, & non fucata, 442.1.A.

Caro Christi ex Mariana sumpta primordiali creationi respondet, vt sic restitutio fieret in integrum. 441.2.D.

Carolus.

Caroli V. Imperatoris Max. & Regis nostri edictum pro Conceptionis confraternitate, cuius leges diggesit, 635. 2. A

Carolus VI. Francorũ Rex decreuit, nullum Dominicanum suum confessarium esse, quamdiù immunitati Mariæ essent infensi. 694. 1. D.

Catherina Senensis.

S. Catherinæ Senensis reuelatio contra Conceptionem nobis ab Aduersarijs, nullo bono fideiussore dato, obijcitur 647. 1. A. &c.

Si quid in hanc rem in ecstasim elata protulit, non ex proprio sensu, sed vt à Dominicanis PP. edocta loquitur, 648. 1. E. &c.

Character.

Diuinæ electionis charactere Virginis studiosi insigniuntur, 389. 1. A. &c.

Character amatorum Virginis in propugnatione Conceptionis illibatæ signatè splendet, 393. 2. A. &c.

Charta, folium.

Maria limpidissima charta nullius peccati lituræ obnoxia, 199. 1. C. &c.

Sanctimoniæ folium non exaratum, 104. 2. B.

Vide *Liber.*

Vide *Vestis.*

Chartusienses.

Ante Xisti IV. diploma iam Carthusienses illibatam Virginis Conceptionem celebrabant 662. 2. A.

Chirographum.

A chirographo damnationis libera omnino Maria, ideò sine labe concepta, 190. 2. E. 195. 1. A. &c.

Chirographum quid? 192. 1. C. &c.

Decreti chirographum explicatur, 193. 2. A.

Mariæ amictus à damnationis chirographo ipsam procul esse, palam facit. Vide *Vestis.*

Christus.

Ante passionem Christus D. se publicè dici *Dominum*, non permisit, nomen diuinitatem sonãs deuitans, 106. 1. E.

Christus excellior cælis factus, quia à Maria ab omni labe immuni ortus est, 68. 1. C.

Christus à Mariæ carne velut diademate coronatur, 319. 2. E.

Honoris, & ornamenti caussâ perpetuò Virginis filium sese nominabat, 219. 1. A. &c. 320. 2. A.

Vt paternam hæreditatem iure adiret, debuit ab eâ Matre ortũ ducere, quæ originalis labis expers esset, 301. 1. A. & seqq.

Vide. *Filius Dei.*

Cistercienſis.

Deipara Cistercienses de illibata ipsius Conceptione celebrandâ admonet, quod ipsi miro affectu præstant. 662. 1. B.

Ciuitas.

Maria Dei Ciuitas sæpius in Scripturis cõpellatur, 249. 1. B. &c.

Cælum.

Maria cœli nomenclaturâ insignitur, 431. 1. & 2. A. &c.

Est Maria cœlum Dei animatum, non terra, 161. 1, A. &c. & 628. 2. D.

Maria cœlum viuum: mirabile, 296. 1. D.

Maria de cœlo, non de terrâ, aducta, 77. 1. C. 80. 2. E.

Est cœlum eas qualitates impertiẽs, quibus quicquid ab ipsa foret generandũ, sanctum renasceretur. 163. 1. B. &c.

Christus D. cœlis excelsior factus, quia à Matre intaminatissima ortus, 68. 1. C.

Maria in visceribus S. Annæ nouũ cœlum appellatur, 610. 1. D.

Cœlestini.

Cœlestinorum ordo Cõceptionem cum octaua celebrare statuit, quod miro rosæ per annum virentis miraculo approbatur, 662. 2. D. &c.

Collum.

Mariæ collum non tantum à peccati iugo immune, sed mille trophæis, atque victorijs ornatum, 225. 1. E.

Coluber. Serpens.

Colubri vestigium nullum in Virgine petra inuentum, 205. 2. A.

Columba.

Columbæ proprietates, 124.2. C.
Columba Mariæ typus in Conceptione, quòd nil magis horreat, quam cœno inquinari, 63.2.D.
Maria est columba electa deauratis pennis decora, vnde noxæ expers, 123.2. B.&c.
Spiritus Sanctus, qui in columbæ forma ad Iordanem euolauit dicitur Mater Mariæ, quæ *colũba* est, 127.2.D.129. 1.D.
Maria columba ad petræ foramina: nẽpe Passionem in conceptione se recepit, accipitrem fugiens ab originali redimenda, 178.1.B.
Mariæ colũbæ Spiritus Sanctus columba Mater, vndè immaculata, 339.1.D.
Dæmon sub columbæ specie apparere nõ permissus Æuæ, ne forma ab Spiritu Sancto assumenda inuisa hominibus redderetur, quod Mariæ aptatur, 344. 2.B.

Conceptio. Concepta.

Conceptio, siue primus Mariæ in mundũ ingressus discriminis adeo fuit expers, vt idem fuerit illi viuere, ac Deo frui, 381.2.B.
Tota pulchra Maria in suâ Conceptione, 54.2.B.
Purissima Mariæ conceptio, quia vitam naturâ præstantiorem sortiebatur, 69. 2.A.&c.
Et quia non soli ipsi Mariæ, sed totius orbis saluti latura opẽ eligitur, 70.1.A.
Concepta sine labe Maria, quia omnium creatorem ventre suo concluſit, 71. 2.C.
Et quia ex diuinitatis thesauro educta, nec in albo filiorũ Adæ recẽsita, ibi.1.E
Et quia Margaritæ symbolum præferebat 77.1.A.&c.
Conceptio Virginis aurea hora est, 92. 1.C.&c.
Conceptio Deiparæ in gratiâ, & gloria publicitus Salmanticæ propugnata, 534.2.E.
Pynciæ itidem, & vt proxime diffinibilis anno 1649.536.1.A.
Conceptio purissima Nardo suauitatis odorem spiranti comparatur, 132.1.A
Cum Rosa componitur, 741.2.A.
Quanto dignius piâ de conceptione opinio de B. Virgine censeat, quam contraria? 118.1.B.
Conceptionem Deiparæ illibatã esse ad Dei honorem spectat, 231.1.A.&c.
Non omnibus esse reuelatam conceptionem in Mariæ honorẽ vertitur, vt tuẽdi mysterij ardor flammescat, 237.1. C.
Spectat conceptio ad Dei maiestatem, 2.B. &c.
Probatur conceptio, quod imago Dei a Maria crescat, 148.1.E.&c.
Quod eius caro Dei esset futura caro, 165 2.A.
Ex modo quo hunc est ingressa mundum adornatur eius cõceptio, 187.1.A.&c
Conceptionem Deiparæ colere, est Christi generationem commemorare, 301. 1.A.&c.
Conceptio Deiparæ celebrari decreta à Xisto IV. de *Naturali* tantum intelligenda, 574.2.A.575.tota.
Eius verba sinistrè de spirituali capi posse & sic intelligentem egregiè decipi, 576.2.A.
Virginis studiosus conceptionem colit, 389.2 C.
Apostolica traditione celebratur, 563.2. B.
Qui Xisti IV. constitutionem circa conceptionem de spirituali vocem interpretetur aduersatur Pontificibus, & Concilio Tridentino, 577.1.D.
Conceptionis festum omnino pro primo instanti, non pro secundo celebratur, 577.C.&578.& 481.1.A.
Hoc ex varijs Ecclesijs probatur, 587.1. A.&c.
Conceptionis festum non est institutum in gratiarum actionem; nec cum relatione ad sanctitatem futuram, 586 2 E. 587 588.589.
Conceptio à priscis Hispaniæ Regibus, & Imperatoribus culta, & perpetuo celebrata fuit, 680.column.1.A.&c.

Vt Mariæ Conceptio celebrior fiat, vtitur Deus Principibus, non secus atque ad Crucis ignominiã auertẽdam, 682. 2.E.
Conceptio sine labe originali humano generi necessaria, quia cum Dominica Incarnatione cõcatenata, 132.1.E.&c
Conceptionis veritas magis, magisque in dies eluceſcit miraculis, & reuelationibus 724.2.E.
Immaculatæ Conceptioni inficias ire est eximiam faciei Mariæ pulchritudinem obnubilare, 740.2.D.
De Conceptione illibata, aut reuerenter loquendum, aut tacendũ omnino, 463 1.A.&c.
Laudaturi Conceptionem locuturi palã, secus qui faciunt, cogũtur obmutescere, quod S. Petro Rauenati contigit, 457.1.E.&c.
Aliquid non pium contra Conceptionẽ effari volentibus, non tantùm Pontifices Maximi, sed Deus ipse O M fræna silentij injicit. 460.1.D.&c.
Iudicibus sæcularibus Conceptionem illibatam inficiantibus supplicia à Deo infliguntur, 448.1.A.&c.
Quædam hac de re verisimæ narrantur historiæ, 449.1.A. &c.

Concilium.

Apostolorum Concilium à S. Thesypho ne Martyre telatum est pro Cõceptione, 566.2.C.
Concilium Tridentinum. Vide *Tridentinum.*

Complutensis.

Doctores Complutenses à *debito* etiam originalis peccati Deiparam immunem faciunt, 532.1.C.

Consensus. Consentiens.

In medio aliquorum benè consentientium statim Deus adest, 763.2.B.
Consensus populi Christiani opinionem piam diffinibilem facit, 774.2.E. & seqq.

Corpus Christi.

Corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes, 26.1.B.

Creatio.

Mariæ ortus signate creatio dicitur, non generatio, vt immaculata prorsus innuatur, 559.1.E.

Creatura.

Maria noua creatura, quia eo statu concepta quo Adam creatus in iustitiâ, & sanctitate, & à quâ omnia innouantur, & hinc immaculate concepta, 438.2.E.

D.

Damascenus.

S. Damascenus sæpius Conceptioni suffragatur, 628.1.A.

Damasippus.

Damasippus patrimonium dilapidãs suũ; aliorum emolumentis insudabat, 583. 2.A.

Debitum.

Deipara à *debito* originalis labis immunis, 532.1.D.

Decretum.

Decretum quid sit? quo vè differat à chirographo, 192.2.A.

De tra.

Maria non læuâ perinde ac peccatores, sed dextrâ Dei effecta: in purissimæ Conceptionis theſseram, 156. 2. E. &c.

Deus.

Deum respirare, & viuere, & homini vitam dare 37.2.A.&c.69.2 D.&c.
Adeò egregiè Bonus, & naturâ benefi cus, vt ad benefaciendum, velit se constituere debitorem, 40. colum. 1. A 41.1.B.
Deus cum populo afflicto, afflictus, 41 1.B.
Eius Bonitas attributorum fons, & radix. 41.1.D.
Dei laudatores expressissimis verbis locuturi, vel perperam loquentur, 459. 2.A.

Deus Iudex futurus è cœlo inducitur descendens, quasi prope inspecturus ad perfectam causæ cognitionem, 488. 2.A.
Vide *Filius Dei.*

Diadema.

Quid sit? & Mariam pulchritudinis diadema esse, 277.1.E.
Mariana carne velut diademate Filius coronatur: & hinc omnis culpæ defectus signatur, 319.2.E.

Didacus.

Didacus Laynez Societatis IESV Generalis mirus pro tuenda Conceptione in Tridentino, 529.2.C. 674.1.A.
Orantem per tres horas in Concilio pro Conceptione febris Quartana dimisit 531.1.C.

Dies.

Mater Dei dies eructans Verbum, 141. 1.D.
Itidem ac Pater diem eructat, 265.2.E. &c.

Diffinitio. Diffinibilis.

Opinio pia de Conceptione diffinibilis iam est, 709.1.B.
Diffinitio Conceptionis è re honoris Mariæ est, dum ab originali, quod plus maculet, quam veniale liberatur, 713. 1.E.
Nondum diffinita Conceptio, vt glorioſius eniteat, altiusque fidelium mentibus figatur, 732.1.C.
Diffinibilitas scripturæ locis euincitur, 742.1.B.
Tridentinum diffinibilem reddit Conceptionem, 757.2.A.
Idem præstat Episcoporum cõsensio, 763 1.B. & Doctorum, 768.2.B. & communis populi consensus 774.2. & seqq.
Ad eum proximæ diffinibilitatis statũ fœliciter peruenit opinio pia, vt ad eã Cõcilio generali opus non sit, 823.1.A.

Digitus Dei.

Vide *Liber.*

Disputare.

Qualis debeat esse disputãdi modus procul à conuicijs, & clamoribus, 499.1 A.
In disputando non tam Auctores, quàm momenta rationum pensanda, 548.2. C.

Doctores. Magistri.

Per Doctores, ac Magistros, Theologiæ ordo paulatim Ecclesiæ affulget, & noui sapientiæ accessus profectus, 718. 2.A.

Doctrina, & noua doctrina.

Doctrina Auctorum Societatis IESV, aliquibus videtur noua, sed re vera per antiqua est, 538. 539. 540. & 547.2.A.
Auctores qui nos doctrina præunte, non vt Dominos, sed tantum, vt duces sequi tenemur, 554.1.B.
Iudæi instar canum ignotos insequentiũ, Christum, quia noua docebat, persequebantur, 555.1,A.

Dominicani PP.

Quod in se odium susceperint ob sententiam non piam de Cõceptione defendendam, 477.1.A. &c.
Antiquiores eorum Magistri sunt pro Cõceptione, & plures cum S. Thom. referuntur, 671.1.C.D.
Decretum Dominicanæ familiæ nè opinio minus pia propter scandala defendatur, 672.1.A.

Dominicus.

S. Dominicus verbo, & scriptis fauet Cõceptioni, 669.2.E. & 745.2.D.
Liber quo talis confessio cõtinebatur ab igne illæsus euasit, 670.1.A.
Sibilatur deridicula responsio Grauinæ aientis de maiestate Ecclesiæ non esse attendere ad instantia, sed tantũm an B. Virgo in ventre B. Annæ sanctificata fuerit, 580.1.A. &c.
Altera eius futilis responsio retunditur, 581.1.A. 585.1.A. &c.

Dominus. Domina.

Nomen Dominus quid Diuinum sonat, 105.1.A.
Idem nomen *Domina*, 106.2.B.
Qui Imperatores nomen Dominus, recusarint, ibi.
Cur Christus D. non publice prædicatus Dominus ante resurrectionem, 106. 1.E.

Quod nomine Dominæ Maria insigniatur eius designat supra creaturas imperium; & dignitatem vltra Angelicam, & Deo proximam, 106.2.C.172.1.D.
Nec Dominæ nomen clatura obest, quominus ab originali per Christum redempta sit. 171.2.B.174.2.D.
Maria nunquam alieno Domino seruiuit 177.2.E.

Domus.

Domus in scripturis sumitur pro familia, 177.2.E.

Dos.

Sponsalium Mariæ dos fuit gratiâ plenam esse, quod nulli alij concessum, 351.1.A,
Ab originali præseruatio fuit pro Dote Virgini, vt idonea Spiritus Sancti spõsa esset futura, 352.2.A.
Sæculi dos spinæ, & tribuli, 349.2.A.
Pro dote habuit Maria originalem gratiã, qua Sponso videretur æqualis, 350.1.A.&c.

E.

Ecclesia.

Ecclesia columna, & firmamentum veritatis, 756.2.B.
In cognitione mysteriorum ad Deiparã attinentium nouâ in dies perfunditur, luce, 720.2.E.
Verum sensum explicat Scripturarũ, 752.1.A.&c.
Quod Ecclesia Conceptioni festum celebret penè infallibili argumento est Deiparam labis omnis esse expertem, 558.1.B.
De sola naturali Conceptione festum instituit, 576.2.B.
Vnde constet mos celebrãdæ Cõceptionis in Ecclesia introductus, 573.2.B.
Potest Ecclesia Immunitatem Cõceptionis diffinire, 715.2.D.
Mysteriorũ illuminationes Ecclesiæ paulatim affulgent. 716.1.A.
Vt *Sanctam*, & Immaculatam celebrat Conceptionem, 591.1.A.&c.
Quanti habenda Ecclesiæ auctoritas, à quâ Doctores accipiunt auctoritatem, 618.1.A.&c.
Ecclesia Græca mille, & ducentis ab hinc retro annis solemni ritu Conceptionẽ colit, 606.1.A.
Aliæ Orientales post eam eunt, 619.1.A. &c.
Segouiensis Ecclesia Apostolorum temporibus fundata sacellum Immaculatæ Conceptioni sacrum habet, 2.D.
Quæ documenta suæ deuotionis erga illibatam Mariæ Conceptionem dederint Ecclesiæ Hispalensis Compostellanæ, & aliæ, 621.2.B.&c.
Templum Maioricensis Ecclesiæ miræ sculpturæ Immaculatæ Conceptioni dicatum, 622.1.B.

Elisabeth.

Elisabeth Castellæ, & Legionis Regina erigi monasterium in Cõceptionis cultum obtinet ab innocentio VIII. 632.2.D.684.1.A.
Elisabethæ Hispaniarum Reginæ Vrbanus VIII. scribit militarem ordinẽ sub Conceptionis tutelâ, & nomine à se fuisse institutum, 632.2.A.

Empyreum.

Maria cœlum empyreum, quod inordinatis Adami motibus, non temeratur, 239.1.A.

Epictetus.

Epicteti sapiens dictum de non persistẽdo in sententia minus idoneâ, 515.2.C 519.1.D.

Eucharistia.

Antidotum ex Marianâ carne ad sanandos animæ morbos conditum: vnde euincitur Maria illibate cõcepta, 410.1.D.
Eucharistia fructus ventris Virginei maturus adeò, vt si Adam, vel summis labris libasset, non gustasset mortẽ, 412.2.A.&c.
Eucharistia lactea mensa, quæ in salubrẽ cibum conditur per Mariam, 415.1.A.&c.
Sumentes Eucharistiã eodem quo Christus lacte pascimur, 2.A.
Vide *Lac.*

F.

Fatum.

Fatum quid sit? 84.1.D.2.C.
Deus erga Mariam, vt fati dominatorem se gesisit, ibi.2.A.

Fœlix, fœlicitas, infœlicitas.

Fœlicitatis primum genus, nõ delinquere, 492.2.A.
Fœlicitatis summa, est Mariæ nomen diligere, ibi.
Fœlix idem, ac fœcundum, 497.1.E. infœlix idem, ac infœcundum, 498.1.B.
Infœlices qui in Piam Cõceptionis opinionem manibus (vt aiunt) ac pedibus non eunt. ibi.

Ferdinandus.

Ferdinandus, & Elisabeta Reges *Catholici*; templum prò vrbe Granatâ capiẽdâ Conceptioni Immaculatæ vouent, & eâ captâ magnificè erigunt, 685.1.A.
Ferdinandus II. Romanorum Imperator pientissima deuotionis erga Conceptionem signa exhibet, 700.2.D. &c.
Ferdinandus III. Romanorum item Imperator publico, eoque solenni voto Mariam immaculatè conceptam in coronarum suarum Patronam tutelarem eligit, 702.2.A.

Fermentum.

Maria Dei fermentum sanctum ad panem vitæ conficiẽdum: vndè sine labe originali 432.1.B. &c. 436.1.A.
Ex Maria sumpta est Massa, vt genus humanum vnus cum Christo panis fieret, & nouum fermentum. 437.1.A.
Fermentum cum lacte comparatur; istud vitiatur coagulo; illo corrũpitur massa, 433.1.D.
Maria, & Christus fermentum, à quo Ecclesiæ panis fermentatur in vitâ, 435.1.A.2.B. 436.1.E.

Festum.

Festum non nisi de *Sancto* celebrat Ecclesia: probatur; & hinc festum Conceptionis Sanctitatem, & puritatem eius exprimere, 592.1.B. &c.

Fides;

Fides elata voce loquitur, non amat angulos, 728.1.A.
Vide *Veritas.*

Filia.

Maria, qua syncera Dei Patris filia à labe originali vindicatur. 312.1.A.
Maria vitæ filia, & ideò germana Dei Mater, per quam Christo Paterna hæreditas descendat, 326.1.B.
Vide *Hereditas.*

Filius Dei.

Dei filius in exemplar homini datus ad salutem æternam consequendam, 36.1.E. 45.1.A. &c.
Dei filius Patris sigillum, quo homines Deo similes euasuri signantur, 36.2.E
Est Dei filius sigillum creandi, ac recreandi hominis thessera insignitum, 37.1.E. 35.1.A. &c.
Imago Patris est, in quâ velut de facie Dei Bonitas agnoscitur, quia benefaciendi thessera, 38.2.A.
Est imago Bonitatis Dei, diuino benefaciendi charactere signata, 39.1.A.
Filius Dei in id missus, vt de salute hominum satageret, 43.2.C. &c.
Vt opus Dei (nempe hominem eius imaginem) deformatum reformaret, & perficeret, 44.1.A. &c.
Ad Dei filij similitudinem, & exemplar homo denuo reficitur, 39.2.A. 37.1.A. &c.
Dei filius consecutione necessaria Mariæ filius, 150.1.C. 279.2.E.
A Mariæ dignitate dignitas filij Dei cõprobatur, 2.D.
Dei filius Deus habendus, se Mariæ filiũ nominat, 147.1.B. &c. 324.1.B.
Carnis decorem, & fortitudinem induit à Mariâ, 154.2.E. &c. 166.1.A. 322.2.A.
Vt homo factus a Mariâ puritatem trahere videtur, 164.1.B.
In Matre est Patris imago, quæ Patrem referat in Maria, 280.1.A.
Honoris, & ornamenti caussa perpetuò se Virginis appellat filium: sic dum la-

bis eam facit expertem, ipse Paternam hæreditatem obiuit, 219.1.A.&c 320.2.A.
Filiorum Dei natiuitas signatè à Virginei fontis vtero ducit originem, 445 1.B.

Franciscus.

Franciscus Peña Dominicanus ob Tridẽtini auctoritatem ad colendam Conceptionem animum induxit suũ, 761. 1.E.
S.Franciscus de Paula. Vide *Religio.*

Fruitio.

B.V.Maria in hac viâ est aliquoties Pontificia fruitione potita, 373.2.B.

Fumus.

Virgulæ fumi comparatur B. Maria ob virtutum concentum. 296.2.E.&c.

G.

Granata.

Granatæ inuentus aureus libellus Arabicè exaratus mirè fauens Conceptioni B.M. 599.2.B.

Gratia.

Gratia Deiparæ Mater ipsam viuam generans; nos autem irę filios regenerat, 340.2.A.

Gregorius.

Quid Gregorius XIII. egerit pro Conceptione Michaelem Baium hæreticum damnans, 634.1.D.
Gregorius XV.P.M. sub *Conceptionis* nomine eius festum celebrari edixit sub grauissimis pœnis, 533.2.E.
Sanctificationis voculam aboleri iubet 697.2.C. eius decretum 635.2.C.
Extendit edictum Pauli V. ad priuata colloquia, 534.1.C.

Gubernator.

Gubernator res prolibito non innouet; nec assuetum rerum cursum inuertat, 273.1.A.

H.

Hæreditas. Hæres.

Vt hæreditatem Patris iurè iniret Dei filius debuit eius Mater peccati originalis immunis esse, 301.1.A.&c.
Solus hæres, qui liber, & liberæ filius, 303 1.D.

Helsinus.

Helsino Abbati Benedictino prima de Conceptione facta reuelatio, 661.2. A.

Hetrusci.

Hetruscorum prædones corpora, viua cũ mortuis, aduersa aduersis accommodata colligabant, 201.1.E.

Hieronymus.

Quod erga Conceptionem suæ deuotionis specimen præbeat S. Hieronymi Ordo, 665.1.E.

Hirundo.

Maria SS. in sua Conceptione hirũdo lætum ver horas aureas, formosos annos cunctis populis afferens, 429.1.B.

Hispania.

In Hispania Conceptionis festum temporibus D. Iacobi celebratum, 563. 2.D.
Hispania tota est in defendenda illibata Mariæ Conceptione vsque ad sanguinis effusionem: & sic effusa in hanc celebritatem, diffinitionem à Summo Christi Vicario obtinere enititur, 789 1.C.&c.
Hispaniæ laudes, ibi.2.A.

Homo.

Homo, quia rationalis Deo similis, 26.2. A.&c. 162.2.A.&c.
Vere rationalis, cùm Deum timet. 27. 2.C.&c.
Homo à conceptu miser, & miserijs natus describitur, 186.2.E.
Homo à Deo rectus factus, à se curuus per peccatum, 215.1.B. &c. 221.1.C. &c.
Eius reformatio Deo anxia, & labore plena; non ita prima molitio, 153.2. E.&c.
Tantæ molis erat hominem in sanctitate conseruare, & in eã amissam restituere, vt Deus cunctabũdus ad eius creationem accesserit, 46.2.A.&c.

Alia vide vbi *Imago.*

Hymnodia.

Vide *Canticum.*

I.

Iacobus.

S.Iacobus Domini frater Deiparæ Conceptionem laudat,569.1.A.&c.

Vide *Hiſpania.*

Iacobus Aragoniæ Rex Religionem de B.Maria de Mercede fundauit, & hinc ſacra hæc Religio celebrat Cõceptionem,684.1.C.

Idæa.

B.Maria totius Trinitatis idæam refert, 629.2.E.

IESVS.

Nomen IESVS oleum noſtra ſanans vulnera,189.1.D.

Hebraicè *Saluator*, Græcè *Medicus*, ibi.

Faſciculus Mirrhæ B. Mariam à peccati corruptione præſeruans,190.1.A.

Ignatius.

S.P.N.Ignatius cum Socijs Conceptionem defendendam iurat. Et coram eo in primis noſtrorum theſibus Maria immaculatè concepta Romæ publicitus aſſerta fuit,673.2.A,

Imago. Similitudo.

Homo factus Dei Imago,eiuſque natura quaſi ex exemplari expreſſa refert Diuinitatem,212.A.

Ad Dei imaginem conditus,futurus Auctoris imitator,19.20.21.& 30.1.A.

Eſt etiam homo Trinitatis imago, 26.1. D.27.2.C.

Dei imago virtutibus perpolita, fit ſimilitudo,23.1.B.

Naturæ lineamentis cenſetur imago, paternis egregiorum morum characteribus ſimilitudo,24.1.A.

Deus hominem *imaginem* formauit,*ſimilitudinem* cæpit informare,22.2.B.

Imaginem iam indutus homo,*ſimilitudinis* venuſtatem, tùm diuinæ gratię auxilijs,tùm etiam propriæ induſtriæ ſtudijs ex Dei conſciſcit imitatione,21.2. E.

Deus homines auerſatur imaginẽ ex dimidio tantum expreſſam præferentes, 24.1.E.

Dei imagine filij Dei,quaſi ſigillo muniũtur;eam dum peccant,frangunt, 28.1. A.&c.29.

Dolet maximè Deus de filij ſui in homine deturpatâ imagine,29.1.D.&c.

Dei ſimilitudo in nobis deperdita renouatur aduentu Filij Dei,30.1.A.&c.

Filius Dei eſt imago ad cuius ſimilitudinẽ formatur homo,25.1.A.&c.28.1.B.

Similitudo ad Spiritum Sanctum refertur.E.

Maria imago diuini archetypi,in quâ totam artem conſumpſit,282.2.A.

Per Mariam Dei imago inſtaurata,418. 1.D.

Anima B.Mariæ nulli obnoxia labi,ea eſt ad Dei Filij effigiem efformata imago vt Dei imago ab ipſa creuerit, 142.2. D.

Immaculatum.

Immaculatum non mox *Sanctum*: *Sanctum* plus puritatis exprimit,quam immaculatum,594.2.B.595.1.D.&c.

Sola Maria verè dicitur *Immaculata*, 605.2.C.

Quam ab omni culpâ alienationem præferat vox *Immaculata*, & talem à Tridentino dici B.Mariam,603.2.A.

Qui Mariam Immaculatam prædicãt,vel inuiti eius Conceptionem labis omnis fatentur expertem,604.1.A.

Indulgentiæ.

Omnes Pontifices à Xiſto IV.pro Conceptionis cultu indulgẽtias dilargiti ſunt, 631.1.A.

Hinc pro Conceptione texitur argumẽtum,632.1.B.

Infantes.

Vide *Baptiſmus.*

Innocens.

Nec vel innocens Adam conferri valet B.Mariæ,285.2.B.

Inſtans.

Vide *Conceptio,*

Inuidia.

Lapſus Angelici in cauſa fuit Inuidia, 245. 2.A.&c.

Ioannes.

Ioannes Berkmans è noſtrâ Societate iuuenis adultæ ſanctitatis votum quotidiè pro defenſandâ Conceptione emittebat,& eius elegia, 675.2.A.

Ioannes Nauarræ,& Aragonum Rex pio diplomate fauet piæ Conceptionis opinioni, 447.2.D. 683.2.B.

Ioannis I. Aragoniæ Regis pro Conceptione pia conſtitutio, 686.1.B. &c. à calũniâ ſchiſmatis vindicatur, 688.1.B

Ioannes II. Aragoniæ Rex edicto cauit, nequis opinionẽ Conceptioni infenſam palam tutaretur Martini, Alphõſi & Mariæ Regum veſtigijs inſiſtẽs, 684. 2.B.

Ioannes Bacchon Carmelitanus eximius Conceptionis aſſertor, quis? quo obijt die, 557.1.A.

Ioannes de Contreras dicitur Doctor Segouienſis pias pro Cõceptione partes egit in Conſilio Baſilienſi, 526.2.A.

Minus pias Fr. Ioannes de Montenegro Dominicanus, qui victus eſt. ibi.

Victoris palmam retulit Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas Spanchemẽſis de fr. V Vigãdo Dominicano in decertatione pro Cõceptione, 527.2.A.

Fr. Ioannes de Monteſano Dominicanus concionatus contra Conceptionẽ cogitur ab Innocentio VII. canere palinodiam, 631.2.A.&c.

Eãdem inuitus cecinit Ioannes Veri Dominicanus in Conceptionem inuectus, coactus ab Vniuerſitate Pariſiẽſi, 658. 1.B.

Ioſephus.

Ioſephus de Ancheta è Societate IESV priſcæ ſanctimoniæ pellucidiſsimum exemplar Conceptioni ſuffragium tulit, 675.1.A.

Ira.

Adfectus infæcũdus eadem ſæpius adtædium iterat, 506.1 B.

Iudæus.

Vide *Canis.*

Iudex.

Iudici vt beneſaciat, nõ opus rigido examine, exquiſitiſsimo autem, vt puniat, ſi Deum æmuletur, 488.1.C.&c.

Futurus Deus Iudex de cœlo deſcendit, quaſi propè inſpecturus, 2.A.

Iudex legum ſeueritatem cum benignitatis temperamento leniat, & miſceat, 489.2.A.

Promptior ad abſoluẽdum, quàm ad dãnandum, 490.2.A.

Iugum.

Iugum peccati inexperta B. Maria ſuum immaculatum conceptum oſtentat, 221.1.C.&c.

Graue iugum peccatum, 222.2.D.

Ius.

Quid ſit poſſeſsio iuris? aptatur Conceptioni B. Mariæ, 365.2.C.

L.

Lac.

Lactis lotio dicta de exactiſsimâ munditiâ, 434.1.E.

Chriſtus in Euchariſtia, fit lac per Mariam traiectus, 415.1.A.&c.

Eodem quocibatus eſt Chriſtus lacte veſcimur in Euchariſtiâ, 2.A.

Lac puritatem humanæ naturæ Chriſti refert, 433.1.D.

Laynez.

Vide *Didacus.*

Lætitia.

Maria cœleſtis lætitiæ vas, 188.2.D.

Lætitiæ organum Maria ob morum, & in omnibus inſtantibus puritatis concentum, 292.1.B.

Laus.

Marianæ laudis vberrima ſeges tollit fandi facultatem, 5.1.A.

Vel cœleſtis intellectus ſe hebetem in MARIA laudanda experitur, 5.2. B.

In id nullus ſuppar, 16.2. E. ſed omnes pueri elementarij, 385.2.B.

Theologicâ linguâ opus, 383.2.E.

Omni etiam eruditione opus ad laudes eius persoluendis,385.2. A.
Quicquid de ea dicitur adinstar pūcti indiuidui est,386.1.E.&c.
Solus eius Artifex,qui omni laude maiorem condidit ei erit laudādæ satis,236. 1.E,384.1.E.
Modus laudum Mariæ futurus sine modo, 4.2.A.382.2.A.
Trementē manu,& grato animo laudandanda Maria,5.2.E.
Non digne laudaueris, nisi elogio addideris immaculatè conceptam esse,382 383.&c.
Honorat filium,qui Matrē laudat,8.1.A.
Inconditum filio obsequium, ni Mariana laude admixtum.C.
Mariæ laus dum nostri debiti solutio est, aucto beneficiorum censu in nos reciprocatur,8.2.A.497.1.A.
Vitam æternā in nos redhibet,9.2. E.10. 2.D.11.2.A.&c.495.1.A.
Solus animus à terreno affectu defœcatus ad Marię elogia ausit accedere,13. 1.A. &c.
Terribilis videtur laudatoribus Maria, 316.1.B.
Qui impurus accedit ad laudes Mariæ abscopo aberrat,15.2.B.385.1.C.
Qui illustria de Maria prædicant,nequeūt à veritate peregrinari,496.2.C.
Sub crucem Matrem lachrymantem Filius solatur spondens se resurrecturum è mortuis,vt eius laudatores glorificet 11.2.E.
Quod de laudantibus Conceptionē accipiendum præcipuè,12.1.A.&c.
Laudatores Mariæ Diuinæ gratiæ lumine illustrantur,391.2.B.
Hi Doctores signatè fœlices dicūtur, qui immaculatum Mariæ in vitam introitū tuentur,493.2.B.
Mariæ laudes nouis in dies accessionibus auctæ,& augendæ,724 1.A.

Lectus.Lectulus,

Maria Salomonis lectus cœlesti satellitio custoditus,242.1.A.&c.
Vocatur lectulus Maria cōparatione Paterni sinus,qui alius Filij Dei lectus est: & hinc egregia Mariæ puritas, 243.2. B.&c.

Legitimus.

An filij legitimi dicendi ante matrimoniū nati,si deinde inter Parentes ineatur matrimonium,572.1.B.
Si adderetur in maioratu clausula. *Si legitimi nati absque macula forent*,nō possent tales hæreditatem adire.D.

Lex.

Sub lege generali noxæ contrahendæ,nō clauditur B. Virgo,cum tamen speciali priuilegio excepta reputetur,172.2.E
Reginæ Esther typum gerit Maria a generali lege exclusa,196.2. D.197.1.2.

Liber.Tabula.Volumen.Folium.

Libros multis eamdem etiam super rem conscribere inutile non est,549.2.D. 554.1.E.
Maria limpidissimus Dei liber,& hinc labis expers,252.1.A.253.&c.
Diuinæ munditiei liber,255.1.E.
Liber item legis,in quo Diuini characteres insculpti,445.2.D.
Est Maria nitoris recentissimi volumen intaminatum,258.2.C.
Tabula à Deo sculpta scriptam legem afferens,& charta omnis nescia lituræ, 255.2.A.&c.
Est libri *Viuentium* folium, segmentum, charta,frustum, quod sit à mixtura viri refecta,& à naturali hominum consuetudine,254.1.A.&c.
In Mariæ libro Deus,& Verbū legitur,vndè à peccato immunitas eruitur, 265. 2.E.
Quia sapientia Dei in hoc libro exarata, Maria immaculatè concepta euincitur 260.1.B.&c.
Spiritus Sancti calamo,& Dei digito hic liber conscriptus originalem munditiā ostentat,267.1.E.269.1.A.&c.

Lignum.

Vitæ ligno,quam simillima Maria,58.1.E

Lilium.

Maria lilium,ex quo processit sponsus,ostendit eius à peccato immunitatē,120 2.B.121.2.A.
Quā similitudine bellissime eius immunitas adumbratur,122.1.A.

Maria nunquam ſpina, ſemper lilium vernans puritate, 123.2.A.137.1.C.
Lilium eſt, non Roſa, nè ſub lite eſſet, an ante, vel poſt peccati ſpinas nata, 348.2.A.
Lilij typus, quia à triſtitia, & omni ſpinarum compunctione alieniſsima Maria, 349.2.B.
Lilium geſtans innuit Angelus Mariã labis immunem, & dotatam Sponſam, & connubio parem, 351.1.A.

Lingua.

Lingua ſumitur pro gloria, 464.1.A.&c.
Linguam Deus ſolus edomare potens, 460.1.A.&c.
A recto eius vſu hominis nobilitas penſiculanda, 463.1.B.&c.
Bonus eius vſus non ſolum in verbis, ſed in taciturninate dignoſcẽdus, 464.2.A.
Quid ſibi voluerint Ethnici illis verbis *Fauetelinguis* in Sacris adhiberi ſolitis, 466.1.A.

Ludouicus.

P. Ludouicus de la Puente è Societate IESV ſanctimoniæ exactiſsimæ vir Conceptionem ſcripto, & verbis profitetur 675.1.C.

Lugdunenſis.

Canonici Lugdunenſes illibatam Cõceptionem tempore S. Bernardi alias Eccleſias ſecuti celebrabant, 524.1.A.

Lumen.

Luminis abyſſus Maria, 496.2.E.

Luna.

Lunæ comparatur B. Maria, 52.2.B.

Lutum.

Maria è meliore luto, quàm cæteri hominum facta, 152.2.B.&c.
Et ideò ex meliore luto, quia ſine labe concepta, 160.1.A.
Luterus. Vide *Martinus.*

Lux. Candor. Splendor.

Maria luci comparatur, 93.1.A.&c.
Maria lux vltra omnẽ mẽſurã, 60.1.E.&c.
Quæ ſolem veſtit, & veſtitur à ſole, 167.1.D.210.
Solis luce amicta Maria, & ideò cõcepta abſque labe, 210.211.2.D.
Lux Mariæ pellucentior ſole, & cõpoſita ſtellarum luci, purior, 276.1.C.
Lucis æternæ candor, & relucentia Maria ſplendor gloriæ, 317.2.A.
Mariam filius pro luce, & ornamento habuit, 319.1.D.&c.
Maria lucis æternæ candor à claritate in claritatẽ gloriæ, & viſionis Dei in Dei imaginem transformata, 379.2.A.
Splendor orbem aureis radijs illuſtrans, 615.2.C.
Diuinitatis ſplendoribus adornata Maria 629.1.A.

M.

Macula.

Nulla macula in Maria, & exponitur illud *Tota pulchra eſt Maria: & macula nõ in te* omiſſo verbo *eſt*, 743.1.E.&c.

Maieſtas.

Ad Deiparæ maieſtatem, imo ipſius Dei ſpectat omnem næuum a Maria Matre Dei propulſare, 279.1.E.

Maledicta. Probra.

Maculas in ſe congerit, qui alijs regerit maledicta, 500.2.A.

Mare.

Gratiarum mare Maria, 496.1.D.&c.

Margarita.

Quomodo gignatur? 77.2.C.295.2.A.
Eius ſymbolum refert Maria in ſua Conceptione, ibi.
Margarita pro qua negotiator ſua diſtraxit, eſt Maria, 294.2.D.
Vide *Conceptio.*

MARIA.

MARIA idem eſt, ac *Deus ex genere meo.* 146.1.A.
MARIA interpretatur Domina, 99.2.B. Vita proprie diuina, 69.2.B.&c. Mundi murus, & propugnaculum, 18.2.A. Beneplacitorum Patris æterni theſaurus, 68.2.D. Diuinitatis theſaurus, B. Indeficientis pietatis, 70.2.D.72.1.B. Liber vitæ, 48.1.A.&c. Paradiſi ſcala, cæli ianua, 54.1.B. Peccatorum perfugium, laborantium ſolamen, 398.2.D.&c. Dextera Chriſti, quam porrexit lapſis, 2.C. Eſt lunę ſydus, 52.1.B. Aſſylum, Aula, Palatiũ, quò Deus cõfugit à fumo Adæ in hyemali die peccati à domo ſua ejectus, 61.2.A. Omniũ mũditiarum promptuariũ, cunctorũ fi-

horum hominum miraculum, 63.1.A. Columba in sua Conceptione. 64.1.A &c. Tabernaculum *non manufactum*, &c. & inde purissima, a 66. vsq; ad 71. Cœleste prodigium, miraculum, monstrum, quod originalis noxæ exsors, 81 2.D. Lux extra mensuram, quia ab illa sol factus est, 60.1.E. 63.2.A. 64.2.E. 71.2.E. Mariâ nihil magis peregrinum auditum inter mortales, 614.2.E.

Dei filio in aurâ paradisi occurrit Maria, & tunc quicqnid perditũ foret instaurari decernitur, 47.1.A. &c. 59.2.A. &c. 60. 68.2.B. &c.

Sicut secluso peccato non veniret Christus, sic nec eius Matris existentia decerneretur, vtroque sub idem decretũ incidente, 51.1.C. &c. Ad opus redẽptionis electa, 52.1.B. Et hinc ex iure eruitur, eius ab originali immunitas, 310.2.B. Inter electos ordine dignitatis prima, & posterius ratione in Matrẽ Dei destinata, sicut Christus peccati occasione decernitur, 52.2.E. Vndè non ex concatenatâ causarum serie, sed ex Dei æconomiâ condita, ibi, & 69 1.A. &c, 273.1.B. Nunquam in mẽte Diuina sine suo Filio fuit, 65.1.B.

Maria natura formosior ipsis Cherubim, & omni exercitu Angelico, vndè sine labe, 108.2.B. &c. Non ex his mulieribus, quas Salomon nouit, sed meliori luto facta, & explicatur, Salomonis testimonium pro eius immunitate, 75.1. A. &c. 133.2.A. &c. 271.2.A. &c. Nũquam alienæ à Deo familię fuit, & hinc sine nóxâ originali, 103.1.D. &c. 177. 2.D. Ioãne Baptistâ, & Ieremiâ purior, quarè illibatè cõcepta, 65.2.C. Maria Deo proxima, ideò extra peccãdi aleã 111.2.A. 120.1.C. in ea sola caussã cur naturã nostram induerit, reperit Deus, quia sola eius excellẽtiæ, quæ Dei Matrẽ deceret, 132.2.E. &c. 136.1.C. 311 1.C. Sola ille fuit, cur Dei filius carnẽ susciperet, 122.2.A. Talẽ mulierẽ non ex his, quæ ab Adamo vitiatã naturam traxerunt, requirebat humana Dei Filij ex Matre natiuitas, æternæ generationi ex Patre respõdẽs; ideòq; ei ad similis, 138.2.C. meliore luto, & Dei benigniore manu formata, vndè cõcepta sine labe, 152.2.B. 159.2.B. Omnia priuilegia hominibus, vel Angelis cõcessa congesta in Maria, nec nisi toto cũ cœlo cõponenda, 386.1.C. Eius dotes omni sunt comparatione maiores, 614.2.A.

Mariæ nostræ massæ primitię innoxię, nulli obnoxia reprehẽsioni: & à grege peccatorum segregata, 55.1.A. 57.1.C. Quâ sub Deo potuit maxima debuit puritate nitere, quia illi cũ Patre æterno cõmunis futurus Filius, 60.1.A. 63.1.D. Patrem æternũ caput habuit, vnde nostri Capitis Adæ nõ inuncta nece. 117.1.C. Ea puritate mundũ ingreditur, qua in cælũ Cœlites, quia vnus spiritus cũ Deo facta, & labis expers, 126.1.E. 132.2.B. Ea splẽdet puritate, vt nõ tã in terris nata, quã delapsa cælo esse videatur, 140.2.A. Ex illa vt omniũ virtutũ domicilio ortũ ducens Filius Dei Diuinitatẽ suã ostendit, 146.1.A. Statum gratiæ nullo vnquam peccato temerauit, 386.2.E. &c.

Mariæ humanæ, Diuinæque vitæ spiritum vno hausto accepit, 102.1.D. in suo cõceptu detriũphati hostis cõtriuit caput, & vt Regina, ac Domina vicit sine pugna, 117.2.A. Cæteris mortalibus peccati naufragium in ortu, pasis, Maria ab Anna, siue *Gratia*, concepta tutissimũ tunc portum inuenit, 185.1.A. &c. Illius ortus cæterorum valde dissimilis purissimam eius adornat Conceptionem, 187.1.A. &c. non nudo pede ingressa mundũ, 188 1.A. Adeò ab ortu primi parentes alieni vt per eam non transiuerint, semitam vè aut culpæ vestigium reliquerint, 205.1. B. &c. ab eius perpetua rectitudine purissimus eius ortus ostenditur, 214.1.A. Creata in Spiritu Sancto per sui communicationem, 274.2.A. &c.

In consecratione ortus Mariæ Pater exhibuit claritatem, & auctoritatem contrà peccatum, 315.2.B.

Diuinæ in gloriam electionis charactere Mariæ studiosi decorantur, 398.1.E. &c Vniuerso populo Christiano vtilissima, præcipuè eius immunitas, 397.1.A. &c. Corpori, & animo. 404.1.A. Cœlestes

filios parit, & ad Iui Auctoris perducit similitudinẽ, quare Mater filiorũ Dei, 445.1.A.&c. Ab illa noua creaturarũ effectio decreta, noua humani generis massa, 437.2.A. 439.2.A. Cuncta induunt nouitatem, 439.1.A.& Serpentem in iugum misit, torquem Innocẽtiæ eo deiecto sibi imposuit, 224.2.D.

Quicquid per Adamum amissum, per Mariam restauratum, 158.2.C. sine ea refectum nil, 68.2.B. Est noua Eua data Christo coadiutrix in redemptionem, quare impolluta sicut ipse, 54.1.D. 56.1.A. 155.2.A. 418.1.C. Inuenit gratiã, quam amisit Eua.& ideò sine noxâ cõcepta, 57.2.A.&c. 90.2.A.

Qui in Mariam peccat in ipsius Filij Diuinitatẽ est iniurius, 151.2.A. Filio Dei labem videtur inurere, qui maculam Mariæ affigit, 282.1.C.

Maria mente potissimum Mater Dei, 266 1.E. *Sicut Mater, ita & filius eius* prouerbiũ,& quî aptetur Mariæ,& Euę 340.1.B. Sine originali concipienda, quia Mater Dei fabricabatur, teste Basilensi Concilio, 172.2.A. manu Dei fabricata Mater ideò nitidissima, & qua attacta Deus non inquinatur, 174 1.A. 232.1.A. Maternitas Mariæ Conceptionis comes, 2.A. Nõ humana ratione metiendũ qualis futura Dei Mater, 234.1.A. Sola Maria verè Mater Dei, 605.2.A. quanuis ab officio plures dicãtur *Matres Dei*. ibi. Gratia Mariæ Mater eam viuam generans, cæterorum regeneratrix tantum, nos mortuos supponens, 340.2.A.

Martinus.

Martinus Lutero nil infensius habuit, quã corporis Christi, & Conceptionis festum, 591.2.D.

Martyr.

Supra omnes martyres ita resplẽduit Maria, sicut stellas præfulgurat sol. 5.1.A.

Mathias.

A peccato immunem S. Mathias Mariam facit, 566.1.C.

Matthæus.

D. Matthæus pro Conceptione immaculata est, ibi. B.

Minores.

pP. Minorum familia sacra de Aduersarijs pro pia Conceptionis opinione palmã facile tulit, 666.1.A. Huic familiæ ob mirum in Conceptionem affectũ obedire iussæ à Summis Pontificibus Moniales sub titulo Conceptionis, 667.1.C. Innumeri eius Auctores pro Conceptione, 668.1.D.&c. Eligit in Patronã Conceptionem purissimam Capitulũ Toletanum Generale, 668.2.C. Tota Cismontana familia ad celebrandam Conceptionem iure iurãdo se obstrinxit Segobiæ. 669.1.D.

Miraculum.

Omnium filiorum hominum miraculũ Maria,& ideò sine macula, 83.1.E.2.A.

Miraculum pro Conceptione litterarum Apostolicarum post bimestre naufragium apparentium, 633.1.A.

Misericors. Misericordia.

Agrestes, qui à misericordia recedunt, vrbani qui ad illam accedũt,& Deo proximi, 480 1.A. Deus quantus quantus est quodammodo apud homines misericordia pulchrescit. 481.2.C. Misericordia sine terminis, iustitia certis limitibus circunscripta. 486.2.A.&c.

Mons.

Maria Dei mons meritorum verticem supra Angelorum choros erigens, 274.1 A.&c.

Monstrum.

Quid sit monstrum. 82.2.C. Maria cœleste monstrum, concepta sine labe. 81.2.A.&c.

Mors.

Cum mortis corpore nullum Mariæ sanctissimæ commercium, 203.2.C.

Mundus.

Quid sit mundus? Vnde dictus? 284.1.B. quî sibi respondeant paruus mundus homo,& hic magnus? 2.D. Maria mun-

dus ob virtutum concinnitatē Conceptione ad cætera vitæ instantia,285.1.A.

Myrrha.

Ex myrrhæ imagine ostenditur Maria ob originali præseruata,175.1.B.196.1.B Myrrha fluxas carnes conseruat à perditione,2.A.A Christi passionis Myrrha emanat præseruatio Mariæ,137.2.D.

Mysterium.

Sacra mysteria rimâda temperatè.2.1.E.

Mysticus.

Sensus mysticus quomodo ad Scripturæ probandam veritatem sit satis?750.1.D.Si cum litterali sensu concurrit primasfert mysticus,2.C.

N.

Nasus Mariæ turri Libani comparatus denotat immunitatem, ab originali, & Virginis discretionem eius malitiam præsentientis,226.1.C.&c.2.A.

Nogarolis.

Leonardi Nogarolis officium pro Cōceptione a Pontificibus,& Tridētino approbatum purissimam Conceptionem mirum probat,& exaltat.596.1.C.&c

Nomen.

Nomen imponere iuris dominij est, 173.1.D.Soli boni gaudent nomine,98.1.E Suo nomine aliquem cognoscere specialem beneuolentiam arguit,97.1.B.&c.

Mariæ nomen è diuinitatis thesauro erutum Conceptionem illibatam ostēdit, 97.&99.1.A.&c.

Mariæ nomen Regiæ dignitati cōueniēs, quo supra aliorum sortem assurgit,100.1.A.&c.

In aliam familiam adsciti nouo illius nomine insigniebantur, 102.2.C.

Cur Maria muta tâ dignitate Matris Dei nomen non mutet,104.2.A.

Sicut ab Adam Maria nomen nō sortitur, sic eius possessio non est,sed Dei,à quo nomen accepit, germana est soboles, 173,1.B.

Nomen Mariæ ingenuum,493.1.A.Idem nomen Marię,quod corpori respiratio, 497.1.E.

Id pure inuocare vitæ, & lætitiæ causa,2.B.Standum nominum vsui,& proprietati, nè argumenta frustra eludantur, 575.2.A.&.

O.

Obediens.

Obediens intelligentiam etiam suam submittit superiori.590.1.D.&c.

Oculus.

Oculi peccati,& mortis proxenetæ,369.1.B.per illos nostros animos mors impetit,367.1.E.&c.falluntur,& præpostere de rebus iudicant,370.1.A.&c. Totius pulchritudinis valentior pars, oculi.334.1.E.&c.

Oculorum Mariæ pulchritudo Spiritū Sāctum allexit,& elicitur hinc Cōceptionis puritas, ibi.2.B. In oculis Cæcinati Originalis vestigia vitebantur,ibi. & 335.1.A.

In oculis Mariæ residet Spiritus Sanctus, vel Mariæ oculi sunt oculi Spiritus Sācti eius sponti,335.2.A.Hinc Mariæ puritas,337.2.D.

Mariæ oculi columbarum,omnia rectè inspiciētes,abstracti à terrenis,371.2.A.

Opinio.

Maria pulchra,vt bona Opinio,hinc concepta illibatè,353,2:E.&c.Cui Marianæ opinioni,vt cōsulatur,verti in quæstionem non debet eius puritas,359.1.A.Cui opinioni ita Filius prospiciebat vt satius habuerit de eius diuinitate, quam de Mariæ ambigi puritate,361.1.A.&c.

Opinio de Conceptione ab Apostolis in nos traducta.544.2.A.recens non est, sed vetustissima,541.1.A.

Hæc iam compellata *opinio pia*,ab Scoti successoribus vocari cæpta *Minorum opinio*,667.1.B.Insignes egit de minus piâ opinione triumphos,520.1.B.illā excellit,quia Maria in possessione ab originali labe immunitatis est. 555.2.C.Quod comis, & vrbana à conuitijs

abſtinet;498.2.D.quod flexibilis facile ſit,512.2.A.quod vetuſtate nobilis, nouitate fœlix,537.1.C.quod tuta eſt, & ſecuriſsima,quippè quæ pia, 486.1. E.479.1.C.qnod fœlix, fauſtaque ſit, 492.1.D.quia illi fandi libera libertas, alcēri nec mutire permiſſum,456.1.A. &c.460.2.C.

Opinio item pia ex his veritatibus eſt,quę à Sede Apoſtolica inter dogmata annumerari queat,709.1.A.&c. Eſt ſui fidens,& ſecura,cum cōtraria boni ſucceſſus exſpes ſit,726.1.C.&c. Creuit aduerſariorum contentione,735.2.D. Eccleſiæ Romanæ ſenſus certam,& diffinibilem reddit,741.1.A.Sine Cōcilio definibilis eſt,823.1.A.&c.

Opinio minus pia de Conceptione morti proximam eſſe timet,726.1.C.&c. leuiſsimo innitur fundamento,cum opinionis piæ pondere comparata,794.1 B.&c.Diffinibilis non eſt,811.2.E.&c Pauci illius DD. nequeunt præiudiciū facere tot,tantiſque Eccleſijs,Regnis, & Academijs in piam effuſis.801.2.D. &c.Imò præfati Auctores contra totū terrarum orbem deſudant fruſtra,776. 2.C.quare eis ſilentium indicitur,460. 2.C.462.1.A. A ſilentio indicto magna vtilitas ſectatoribus minus piæ opinionis ſperatur,475.2.A.A quo ſilentio vox omnino pia pro Deiparæ immunitate attollitur,468.2.C.&c.473 1.E.&c.Opinio minus pia inutilis iam. imò obnoxia ſcandalis eſt,447.1.A.

Ordo.

Militares,nobiliſsimique Ordines S.Iacobi,Calatrauę,& Alcantaræ anniuerſarias luces pro Conceptione decernūt, & nequis ſuæ donetur auctoramento nobilitatis,niſi prius pro eâ defenſanda emiſſo voto,793.2.B.&c.
Vide *Religio.*

Originale.

Peccati originalis deſcriptio, & fructus, 208.1.C.725.1.A.Manat ab illo actuale,260.2.A.202.&quod omnia actualia nequeamus deuitare,199.2.D. Intrat per generationis ianuam,559.1.B. fecit ſemitam in ſenſibus corruptioni obnoxijs,relinquens ſui veſtigia, 200. 1.B.202.1.C.Eius iugū in noſtros animos,& tyrannis,201.2.A,

B.Virgo omni actuali peccato carens recte conuincitur ab originali alieniſsima,202.1.E.&c.725.1.A. Aqua notâ ſi ſorderet argumentabantur mali Angeli Chriſtum non incarnandum;vndè in peccatum tanto conatu Parētes noſtros impulere,246.2.B.

Origo.

Origo Deiparæ reſpondet fini, finis origini mira conſonantia,294. 2.B.289. 1.B.

Oringa.

B.Oringa in Hetruria clara miraculis de Cōceptione miram adepta reuelationem,645.2.A.&c.

Os.

Aperto ore fidei veritas deprędicanda, 728. 2.E.

Maria ex ore Altiſsimi,ceu eius halitus puriſsimus prodiuit,132 1.A.2.B.eam,cū in haſce auras ingreſſa eſt, Dominus fuit amice deoſculatus,227.1.B. vndè probatur vitæ filia,& concepta abſque noxâ,331.1.A.

Ouis.

Maria ouis ſine maculâ,ſine cicatrice, vt Filius agnus ſine maculâ,278.1.A.

P.

Palatium.

Maria Dei Sacrum Palatium,176.1.B.

Palma.

Palma compoſita Maria,quod ſanctitate Sanctos omnes ſuper emineat, 293.1. C.&c.Palma fumi,ſiue virgula eſt,297 2.A.Palmæ item cōparatur ob victorias in Conceptione partas,521.1.A.

Paradiſus.

Maria paradiſus delitiarum Dei, 289.2. D.paradiſus ratione pollens,614.1.B. manu Dei plantatus,328.2.E.Hinc ſi-

ne macula, 329. 1. E.
Maria in sua Conceptione totum Paradisum suauissime spirauit, 346. 2. A. Simul cum naturæ flore, & gratiæ fructu iam prægrandis tunc exoritur instar Paradisi plantæ Dei manu consitæ, 348. 1. D.

Parentes Deiparæ.

Silentio prætereuntur in Scripturis Deiparæ Parentes; vt altius de eius origine cogitaremus, 559. 2. B.
Duxit ortum Maria ab Adamo à Deo creato; non verò post legem violatam. C.

Partus.

Talis decebat Virginem partus, vt nisi Deum non pareret, 148. 1. A. 150. 2. B.

Patres.

Patres Ecclesiæ Græcæ ante, & post S. Sabbatem, qui ab hinc mille supra ducentos annis floruit sunt pro Conceptione illibata, 623. 2. A.
Vt sexcentorũ PP. Cõcilij Calcedonensis auctoritas auctoritati decem Patrũ Ægyptiorum præponderauit, ita plusquam sexcentorum D. D. auctoritati pro opinione pia præiudicium facere non debent decem auctores contrastantes, 802. 1. A. &c.
PP. Concilij Ariminensis non Arriani, sed ab Arrianis delusi: & quî inibi se res *cõsubstantialitatis*, Filij Dei habuerit, 808. 1. A. &c.

Paulus.

Paulus V. P. M. vetuit dici publicè Virginem conceptam in peccato originali, 534. 1. B.

Peccatum. Peccans.

Peccatum graue iugum, 221. 2. D. ab illo miseriæ expendũtur, 200. 2. A. &c. peccatum flore tantum mortis maturum, recipe acerbum, 412. 1. A. Omni cœno graue olentius Deum ab humana natura auertere faciẽ cõpellebat, 135. 2. B. Ob peccata hominum dolere Deus dicitur, 29. 2. A. &c. originale est habitus dissimilitudinis ad Deũ, 165. 2. C. Peccator terrum spirat putorem, 347. 2. C. rumpit sigillum imaginis Dei, 28. 29. retrahente Deo manum in peccatũ labimur, 181. 1. C. quî seruemur à Deo, nè in peccata ruamus, 182. 1. D. peccator in hoc, quod delinquit, efficitur debitor, & peccati sui scribit litteras, 193 2. B. 194. 1. A.

Pessulum.

Ostij pessulũ, quod aperuit Sponsa moles erat nostrorum peccatorum: quod pessulum nobis Maria à culpa præseruata aperuit, 135. 2. D. 195. 2. C. &c. 196.

Phalanx.

Quid sit? quotque armatorum millia cõtineat? 668. 1. B.

Philippus.

Philippi III. Hispaniarum Regis in Conceptionis cultum documenta, 694. 2. A. &c.
Philippi IIII. Magni epistola ad Gregoriũ XV. pro diffinitione eius, 683. 1. E. 697 1. E. Dotat præclaris muneribus festũ illibatæ Conceptionis ei addictis Capellanijs sub nomine Sacerdotum Immaculatæ Conceptionis, 698, 1. E.

Pilus.

Pilus vmbram facit prouerbium munditiei Virginis faciens, 279. 1. C.

Pius.

Pius V. Dominicanus P. M. officium Cõceptionis in Breuiarum Romanum induxit. 193. 1, C. renouat Xisti IV., constitutiones, 634. 1. C.

Plenum.

Quid sit plenum? Vbi de exuberantia Virgineæ munditiei, 571. 2. D.

Pontifex.

Omnes Summi Pontifices post Xistũ IV. sunt pro Conceptione: ponitur eorum syllabus, 631. 2, A. &c.

Populus.

Plus contulit Populorum consensio ad orbem Christi legibus subigendum, quàm patrata miracula, 785. col. 2. B.

diffinibilem proximè Conceptionē facit,774.2.C.imò quasi suo iure id a Sede Apostolica exigit, 782. col.2. A. Vox Populi,vox Dei,778.2.E.ibi.mira affertūr quædam diuersarum personarum conspiratio *Victor* Conceptioni canentium.

Possessio.

Quæ sit possessio iuris,& facti? & quot abhinc annis sit in possessione immunitas Mariæ,555.2.C.E.&c.

Prælati.Pastores.

Ecclesiæ Prælati concordes comparantur oculis. 763.2. C. In medio eorum Deus est.A.Ecclesiæ Pastores à Domino plebi dati,vt fideles scientiâ,& doctrinâ pascant,765,2.A. Vndè omnes simul errare in fide non possunt. ibi.

Præmonstratenses.

Horum Religio mutare habitum nigrum in album à Virgine edocta in suæ Conceptionis cultum:Erecta est sub nomine, *Ordinis Conceptionis Virginis de Præmonstre*,663.1.B.2.A.

Primitiæ.

Maria immortalitatis primitiæ,613.2.D. & massæ nostræ primitiæ innoxiæ, 55. 1.A.&c.57.1.C.440.1.E.&c. & ideò primus aurei sæculi fructus est,441.1.B vndè illibate concepta.D.

Christus,& Maria massæ nostræ primitiæ sunt dum ab hac ille carnem assumpsit, 440.2.C.

Primogenita.Primas.

Redemptorum primogenita Maria,174. 2.B.

Et humani generis Primas creata,55.2.A

Princeps.

A blando eloquio dignoscendus quasi de facie princeps,690.1.C. in res Ecclesiasticas sæcularis falx non mittenda, 691.1.A. Multitudinis rixas Princeps debet excidere,692.2. B. Principum auxilio ad suâ caussam vti assolet Deus cum vel virtutis caussa, vel Deus ipse velut humano destitutus fauore ignominiæ videtur expositū,681.1.B. quod B.Mariæ aptatur.2.B.

Processio.

Processio Spiritus Sancti à Filio,diffinita a Pontifice S.Leone Magno,719.2.B.

Prophetia.Reuelatio.

Prophetię,Reuelationes,& spirituum discretiones etiam priuatis personis conceduntur,642.1.C.

Propitiatorium.

Vide *Altare.*

Proxenetæ.

Proxenetæ qui? & oculos esse peccati proxenetas.369.1.B.

Prudentia.

Prudentia bona communi sapientum calculo probatur,798.1.A.

Psalmus.

Psalmus XXXXVII. pro secundâ Sabbathi ad Mariam pertinet, sicut XXIII. pro primâ Sabbathi ad Christum, D. 248.2.C.

Pulchritudo.

Quid sit pulchritudo? 283.1. C.Maria ipsissima pulchritudo,615.1.A.& pulchritudo sibi ab origine consona,289. 1.B.quin in vlla dissonuerit syllaba,id quod nulli alij contigit mortalū,288. 1.C.Imò est Maria omnium pulchritudinum pulchritudo,277.1.A.83.1.A. Omnes alias pulchritudines in cæteros dispersas in se colligens, 282.2.A.

Puritas.

Mariæ Puritas vltra omnem admirationem,166.2.A.

Vide *Maria.*

Purpura.

Caro Christi ex Maria cum purpurâ comparatur,437.2.E.

Mariæ purpura ad indumentum, & gloriam Summi Regis destinata,323.1.B.

Massam nostram ceu Regiam purpuram ex immaculato Virginis cruore tinctâ Christus induit, 266.2.D.323.2.A.
Ad purpuræ tincturam Artificis præexigitur castitas, 266.2.A.323.2.E.438.1.E.

R.

Radix.

Maria expers corruptionis ab Adæ vitiatâ radice profluentis, quippe id præcisum in eâ, à quo germinasset corruptibilitatis radix, 298.1.B.

Realinus.

Vide *Bernardinus.*

Redemptio.

Maria ab originali redẽpta, 171.1.A.&c. 147.1.D. Auctores tuentes, 179. Primogenita Redemptorũ, 174.2.B.177 1.C. vt saluaretur ipsa, Dei Filius signatè carnẽ assumpsit, 175.1.B. Benè redẽpta, quia opportunum adiutorem Deũ habuit, 180.1.A.

Religio.

Religiones Ordines Sanctorum sunt Angelicis castris persimiles, 660.1.A. omnes quasi ex compacto pro tuenda Conceptione sunt, 1.E.
Quam sit Benedictinorum ordo de Conceptione benemerita. 661.2.A.
Religio S. Mariæ de Mercede Mariæ monitu album gerit habitum in honorem Conceptionis, cuius imaginem pro sigillo habet prouincia Aragonia, 665.1.A.
Religio Minimorum S. Francisci de Paula & ab originali culpa, & eius debito immunem facit Deiparam, 2.B.
Pro Conceptione etiam est Clericorum minorum ordo. C.

Reuelatio.

Reuelatio de Incarnatione saltem in cõfuso est Angelis prauis ante hominis peccatum, 246.1.D.
De Conceptione prima reuelatio facta Helsino. Vide *Helsinus.*
Extant pro Conceptione aliquarum sanctarum reuelationes, 661.2.C.
Vide *Birgitta.*

Robertus.

P. Robertus Bellarminus è Societate IESV. S.R.E. Cardinalis ab originali Mariam immunem facit, 674.2.B.

Roma.

Romę ab hinc trecẽtis annis pacifica possessione floruit festum Conceptionis, 557.1.B.

Rosa.

Florum Regina rosa: terræ risus: quæ apud veteres e diuino nectare in terram effuso prouenire putabatur, 741.2.B.D.
Maria in Conceptione Rosa fragrantissima, 1.D.

Rubus.

Rubus Moysis Mariam adumbrat, 14.1.A
Moyses iubetur calceamenta deponere ad Mariæ rubum, seu ad dignitatẽ, qua Maria in Dei Matrem electa est, contẽplandam, 234.1.A.

S.

Sabbas.

S. Sabbas Mæneorum, Collector est pro Conceptione intaminata, 624.1.A.

Sacerdos.

Plato ab Ægyptijs de nostris rebus edoctus mundissimos Sacerdotes volebat & à similibus ortos Parentibus, 67.2.D. Hinc Summus Sacerdos Christus Matrem inculpatam habere debuit, ibi.

Sacrarium.

Diuinitatis sacrarium Maria, 177.2.B.

Samosatenus.

Error impijssimus Samosateni hæretici erat Christum ex Matre conditionis seruilis factum, 66.2.E.

Sanctitas, Sanctum.

Quid sit sanctum: & sanctitas, 593.2.A. 595.2.A.
Sanctum plus explicat, quàm *immaculatum*, 594.1.E.&c. 595.1.D.

Ea est Mariæ Sanctitas, vt instaur maris flumina omnia ebibētis, ita ipsa sanctorum omnium virtutes habeat ambiat, 293.2.B.

Sanitas.

Sanitas corporis à laudatione Cōceptionis, 494.2.B. & etiam animæ, E.

Saphirus.

Sub Saphiri imagine collucet B. Maria, 431.1.C.

Sapiens. Sapientia.

Sapiens non erubescit mutare sentētiam, 513.2.C. Est flexibilis, & suadibilis ipsa sapientia, 512.2.C. insipiens contra durus, sententiæ tenax, 515.1.A.

Maria sapientiæ fons, 614.1.E. in eâ habitans, scriptaque sapientia Dei à peccati liturâ alienam ostendit, 260.1.A. &c. Est in vtero virgineo, ceu in vase nouo, 262.2.A.

Fuere omnia condita in sapientia, sed informatione Mariæ omnis in Adam latæ legis vincula disrupta, 273.2.A.

Sarracenus.

Sarracenus quidam Soldani filius stupet Deiparam in peccato conceptam prædicari, & ideo fidem nostram, nō amplexatur, 784.2.A.

Scientia.

Scientiæ opus est Mariā sine labe defendere, 739.2.D.

Scientia conditionata Deo adscripta è Veterum Patrum sensu est, 554.1.C.

Scriptor.

Scriptori satis est, materiæ antiquæ formam nouam super addere 3.1.C. Scriptores MARIÆ murenulas aureas illi contexunt, 9.2.E. 10. Habent quasi characterem prædestinationis, 11.1.D.

Sedes.

MARIA sedes Dei excelsissima, inde lim pidissima ab omni labe, 238.239.1.D Si praui Angeli, nec supra astra sedes reposuere, quid supra MARIAM? 240.2.B. 241. &c. Vt Maria digna Dei sedes esset, in quâ per Incarnationem contideret à peccato originali expers esse debuit, 247.248.249.250.

Maria sedes, & locus nostræ sanctificationis, 398.2.A.

Serpens.

Vide *Coluber.*

Scotus.

Subtilis Doctor tantam piæ opinioni de Conceptione auctoritatem comparauit, quantam nemo ante, vel post ipsū, 666.2.D. In suam sententiam traxit Parisiensem Academiam, cum ducenta obiecta argumenta, & fideli memoriâ reddidit, & miro ingenio exarmauit, 525.2.A.

Silentium.

Silentium indictum Auctoribus opinionis minus piæ, 456.1.A. &c. Quod vetus Dei consilium fuit, 457.1.D. Et id est opinionem minus piam conclamatā esse, 462.1.A. 726.1.D. Sermo opportunus de Conceptione in silentio opinioni minus pia impositio, fouetur, & nascitur. 470.1.A.

A quo silentio validum desumitur pro Conceptione argumentum, quod Ecclesia contra opinionem piam sententiam non feret, 816.2.D. &c. Et quod proxime diffinibilis nostra opinio est ab exemplo Concilij Lateranēsis, 818.1.D.

Silentium est discēdi gymnasium, loquēdi schola, 469.471.2.B. Cogitationum sapientissimarum mater, 472.1.A. &c.

Societas IESV.

Societatis IESV Auctores sententiarū antiquitatē cum nouitate, & splēdore coniungunt, 538.547.2.A. Sunt cuncti pro Conceptione, 673.1.A. recensentur

tur eorum aliqui ſanctitate, & litteris inluſtres,674.675.676 677.678.679

Solium.

Solium Dei,cui dicuntur in Iſaia aſsidere Seraphini,eſt Maria SS.740.1.C.

Speculum.

Maria ſpeculum in quo Deus ſe intuetur: ideò ſine macula,nè hæc in Deum refundi videatur,275.1.B.&c. Tota inde pulchra,282.2.A.379.2.A.744 1.D. In ſua Conceptione ſe Deus exhibuit conſpiciendum, ceu in ſpeculo, 376. 1.E.

Spina.

Vide *Bartholomæus.*

Spiritus.

Deus animas electorum ſuum vocat ſpiritum,127.1.A.

Spiritus Sanctus velut Mater Mariæ,127. 2.D.129.1.C. & eædem locutiones, quæ de eo,de Maria etiam pronunciãtur,129.2.A.&c.

Vide *Proceſsio. Columba.*

Splendor.

Vide *Lux.*

Sponſa. Sponſalia. Coniux.

Maria Spiritus Sancti digna ſponſa, quia pulchra,vt bona opinio, 354.1.A. Et quod ſponſa ſit illibate concepta extirit,373.1.A.&c. Donatur, pro dote, immunitate originalis noxæ,346.1.E. Inter eam, & cœleſtem ſponſum contracta ſpõſalia,350.351.1.D. Nona filiorum Dei natiuitas Mariæ tribuitur, quia ſponſa Chriſti,& coniux eſt,445. 2.A.

Synodus.

Sexta Synodus Conſtantinopoli habita ſub Agathone eſt pro Conceptione, 600.1.C.&c.

T.

T. Littera initio verſiculi poſita quid deſignaret,177.1.A.

Iſraelitarum inſculpta poſtibus Angelum arcebat ab internecione,176.2.E. Ea crucis figuram repræſentante ſola B. Virgo in ſua Conceptione inſignitur, cæteris Læthali Zeta notatis, 177.1.B.

Theophanes.

S. Theophanes, cui Theophylus tyrannus duodenos ſcurriles verſus in fronte inuſit,totus pro Conceptione fuit, 627.1.A.

Thereſia.

S. Thereſia conuerſionem peccatoris in miram erga Cõceptionem retulit deuotionem,664.2.A.

Terra.

Maria è meliore terra,quam Adam,160. 1.D.

In ſua Conceptione terra numine fœta, 437.2.D. Sicut de immaculata ortus primus homo,ſic de Virgine immaculata naſcitur perfectus homo, 564.2. C.

Theſaurus.

Theſaurorum varia nomenclatura donata Mariæ,721.1.B. Totus obis theſaurus,614.1.B. Prope Mariam, quia Dei Theſaurus,aderat cor Dei, 72.1. B.

Alia vide *in Maria.*

Thomas.

S. Thomas Apoſtolus MARIAM aſſerit ſine labe conceptam,565.2.A.

Idem S. Thomas Doctor Angelicus, 74. 1.B.

Suæ docilitatis exemplum,513.1.D.517 2.A.591.1.A. Quod oſtendit ſuum iudicium hodie in Eccleſiæ obſequium ſubmiſſurũ.590.2. Et quidẽ ſi poſt Xiſtum ſcripſiſſet,prorſus noſtrę opinioni ſubſcripſiſſet,574.2.D. quã ſi non litteris(quod tamen renuo) ſaltẽ tenuit ſpiritu,

ritu,518 1.A.&c.Ex quodã eius argumento cõuincitur apertissime ab omni vel originalis noxæ Mariæ libertas, 749.1.C.

Torques. Torquatus.

Torquati milites à torque, ob victorias, eorum collis impositio nuncupati,224. 1.E.

Tridentinum.

Tridentini Concilij mira in Conceptionem propensio suo indulgẽtissimo decreto,529.2.A.quî res se habuerint in Concilio,ibi.& 601.2.B. Cõcilij laudes,531.2.B.ab eo proxime diffinibilis opinio pia,757.2.B.Tũc ob Domicanorum postulationem non est diffinita,759.2.A.

Trinitas.

SS.Trinitatis Ordo sub titulo *præseruationis Mariæ* à suo initio Conceptionem colit, & ter quotidiè de eâ facit commemorationem,664.2.B.

V.

Vapor.

Eiusdem est substantiæ vapor,cũre,à qua efflatur,314.2.D.

Quod Deipara vapor sit virtutis Dei, euincitur illibata eius Conceptio,313. 2.A.315.1.A.

Veniale.

Deiparam in nullum prolapsam veniale inter Fidei dogmata apponere dignũ eius gloriâ usum Tridentino,&Claramontano Concilio,713.1.D. & 749. 2.D.

Venter.

In vẽtre Christi inerat legis tabula,vt cõcepti ibi filij Diuinos characteres extraherent,444.2.C.

Maria ipsa quasi Diuina lex in vẽtre Christi insculpta,&c 445 2.A.

Veritas.

Quid sit? eius ingenij est nullis cedere artibus,598.2 A.Veritas ventilata scintillat magis,733.2.A.requirẽda a senioribus,765.1.A. In quibus reperiatur, 792.1.D.&c. Eam palam audire renuit Pilatus,727.1.A.Euangelij veritas sine timore,aperto ore prædicanda 728.2.C.

Vestis. Amictus. Indumentum.

Maria à Deo vestem accipit,reddit, vestit,& vestitur,166.2.B. Veste immaculata inducitur,168.169.2.D. Vestimentis salutis,indumento IESV,iustitiæ,& sanctitatis, 170.1.A. 112.2.B. &c. Amictus eius ex sole,quod probat purissimam chartam esse,205.206.&c Quid sit sole amictam esse?210.1.A.

Per peccatum Diuinos amictus in pelliceas, & maculatas vestes permutauimus,107.1.B.

Primis Parentibus pro veste splẽdor,209 2.A.hic erat virtutum integumentum, 210.1.A.

Subditi Principum imagines solebant inter textas vestibus gestare,111.1.C.

Vestigium.

Peccati nullum in Maria vestigium, 204. 1.E.

Vestigijs aliorum Doctorum non semper insistendum,cum nouam semitam bonis rationibus innixi ineundam suscipimus,554.1.A.

Via.

Maria est *via viri in adolescentia*,quæ Salomonis inter tria negotium facessijt, 205.1.D.

Victoria.

Deipara confertur Victoriæ,363.2.D.

Multæ victoriæ ab opinione pia relatæ de contrariæ opinionis auctoribus,à pag. 520.vsque ad 534.

Vincentius.

Vincentius Iustinianus Dominicanus pius Conceptionis assertor laudatur, 631. 1.A.

Virga.

Maria Virga de radice Iesse,& hinc intaminatè concepta,219.1.C.

Virtus.

Virtus est Dei similitudo, lucis imago, 110.1.B.

Qualis debeat esse?660.1.A.

Virginitas.

Duplex Mariæ virginitas ostendit ab originali noxâ immunitatē, 263.2.A.&c.

Vita.

Vita hominis tesserarum lusus, 35.2.C.

Vox.

Voce magnâ loqui, quid denotet? 731.1.A.

Votum.

Auctoris ad Deiparam votum supplici affectu emissum, 16.17.18.19.

Vrbanus.

Vrbanus VIII. ordinem militarem sub Invocatione Conceptionis erexit, 637.2.A.

Vrbs.

Maria vrbs in expugnabilis igneo muro cincta, 359.2.E.

Vrna.

Maria vrna in se mannâ concludens, 610.2.E.

Vterus.

A Virginei fontis vtero nascuntur filij Dei, 445.1.B.

X.

Xistus.

Xistus IV. Franciscanæ familiæ alumnus Conceptionis festum primus in Ecclesiam inuexit: & gratijs cōmuniuit, 517.1.A. 573.1.A.&c. 667.2.B.

Z.

Zeta littera, ad defuncti nomen apponebatur, 177.1.A.

Zacharias.

Quânam incredulitatis specie laborauerit Zacharias Angelo non credēs, 641.1.D.

FINIS.



Signat. Top.
Est. 20
Tab. 5
Núm. 8

VELAZQU
DE
Maria
Inmacula

572